PETRI SVAVIS POLANI HISTORIAE CONCILII TRIDENTINI LIBRI OCTO,

Ex Italicis summa fide & accuratione Latini facti.

[redacted]

Veniet qui conditam, & seculi sui malignitate compressam VERITATEM, *dies publicet. Etiam si omnibus tecum viuentibus silentium liuor indixerit; venient qui sine offensa, sine gratia iudicent. Nihil simulatio proficit. paucis imponit leuiter extrinsecus inducta facies; veritas in omnem partem sui semper eadem est. Quæ decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris.* Seneca in fine Epist. lxxix.





AVGVSTÆ TRINOBANT

M.DC.XX.



DEO OPT.mo MAX.mo

PATRI, QVI VERAX;

CVIVS IVDICIA ET OPERA VNIVERSA VERA.

FILIO, QVI VERITAS;

CVIVS ELOQVIA VERBVM VERITATIS.

SPIRITVI S. SPIRITVI VERITATIS;

QVI DOCET ORARE ET ADORARE IN SPIRITV
ET VERITATE.

DEO TRINO ET VNI,

BONORVM OMNIVM LARGITORI

MVNIFICENTISSIMO;

SPIRITVS IMMVNDI, SPIRITVS CARNIS,
SPIRITVS SEDVCTIONIS ET ERRORIS HOSTI

INFENSISSIMO;

VERITATIS, CANDORIS, SYNCERITATIS,
AEQVI RECTI PROPVGNATORI, ASSERTORIQVE

ACERRIMO;


FRAVDVM, FALLACIARVM, FVCORVM
ATQVE IMPOSTVRARVM VINDICI, IVDICIQVE

IVSTISSIMO;

INTERPRES

Opellam à ſe poſitam in Hiſtoria Latino cultu donanda, quæ & Veritatis è tenebris erutæ, & viarum Carnis, atque Artificiorum humanorum in re pietatis adhibitorum locupletiſſimus teſtis,

LVBENS MERITO DICAT SACRATQVE.



DEO OPT.mo MAX.mo

PATRI, QUI VERAX,

CUIUS IUDICIA ET OPERA UNIVERSA VERA.

FILIO, QUI VERITAS,

CUIUS ELOQUIA VERBUM VERITATIS.

SPIRITUI S. SPIRITUI VERITATIS,

QUO DUCE ET ORARE ET ADORARE [illegible] IN SPIRITU

ET VERITATE.

PRO TRINO ET UNO,

BONORUM OMNIUM LARGITORI

MUNIFICENTISSIMO;

SPIRITUS IMMUNDI, SPIRITUS CARNIS,

SPIRITUS SEDUCTIONIS ET ERRORIS HOSTI

INFENSISSIMO;

VERITATIS, CANDORIS, SYNCERITATIS,

AEQUI RECTI PROPUGNATORI, ASSERTORIQUE

ACERRIMO;

FRAUDUM, FALLACIARUM, FUCORUM

ATQUE IMPOSTURARUM VINDICI, IUDICIQUE

IUSTISSIMO;

INTERPRES

Opellam à se positam in Historia Latino cultu donanda, quae & Ferrariis è tenebris eruta, & variarum Carnis, atque Artificiorum humanorum in re pietatis adhibitorum locupletissimus testis,

LUBENS MERITO DICAT SACRATQUE.



CHRISTIANO PIOQVE LECTORI S.

X quo primùm Brixiæ in Italia & Ripæ Acta Concilij Tridentini cœpta sunt excudi, non alius liber Typographorum operas magis exercuit; neque huius Synodi Canonibus ac Decretis quicquam tritius fuit, aut vulgatius. Tota interim Agendi Decernendique ratio latebat in abscondito, & æternùm latitatura videbatur. Nempe Theologorum super capitibus controuersis disceptationes; Præsulum sententiæ & suffragationes; Legatorum, qui Concilij Præsides, non in arduis modò ac perplexis, sed pene in omnibus, quæ proposita, ad Pontificem mißitationes; Huius rursum cum selecta in eam rem Romæ Cardinalium Congregatione crebræ consultationes, ac dein responsa siue Oracula Dodonæa; Principum denique per Oratores suos Decretis vel interpellandis, vel interpolandis Intercesſiones, & vbique partium studia ac prensationes; horumque omnium consilia, causæ, euentus; hæc, inquam, aliaque permulta cognitione dignißima, indicta, inaudita, in summa obscuritate & ignoratione hominum versabantur. Neque id res exactiùs reputantibus mirum videri debet. Nam ijs

ipsis viris sagacissimis, quibus præcipuæ in ea tractatione partes, nihil fuit pensius, quàm vt hæc μυστηρίων *sacri Ordinis arcana tacita essent, neque manarent in vulgus, ex Mysteriorum Eleusiniorum veteri scito,* quæ, *vt ille ait,* non promiscuè, nec omnibus patebant, reducta, & in interiore sacrario clausa.

Verùm vtut his celandis cautum sit, repertus certè est, qui siue ingenua cognoscendi curiositate, siue bono Genio impulsore, horum pleraque (nam singula quis possit) non indagauit solùm, sed è tenebris produxit, immo in notitiam nostram perduxit. Qui Archiuis, Grammatophylacijs, Regestis, ac Tabulis publicis indefesso labore excussis; qui vndequaque corrogatis, aut certè inspectis Coryphæorum inter Synodi Patres Aduersarijs, Commentarijs, ac Epistolis; atque vna additis, quæ à præstantissimis nostri sæculi Historicis ad rem Concilij pertinentia literarum monumentis sparsim fuerant consignata, bellissimam Historiam in omne æuum victuram, partim in Annales, *partim in* Ephemerides *digestam, insigni orbis Christiani bono concinnauit. Neque verò meo is præconio indiget, quem opus ipsum loquitur ingenij fœlicem, magni rectique iudicij virum, omni genere doctrinæ liberaliter eruditum, atque ad maximam probitatem, animique mansuetudinem vtraque prudentiâ diuina & humana, ac ista tam morali quàm ciuili cumulatissimè excultum.*

Nam quod Historiæ *exædificationem attinet (disertissimi viri verba sequor) siue* res, *siue* verba *spectes, & in rebus si* temporum ordinem, *si* consilia, acta, euentus, & in rebus gestis declarari non solùm desideras, quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: & cum de euentu dicitur, vt caussæ explicentur omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis, *hæc & alia eiusdem modi, quæ dicendi scribendique Magistri requirunt in Historiarum scriptore, ille adeo plenè accuratéque exequitur, vt in vnius Concilij coagmentatione omnes Historiæ conscribendæ numeros implesse, atque hoc nomine maiorum gentium Historicis accensendus meritissimò credatur.*

Iam

Iam qui opus sic cum laude exædificauerit, fuge suspicari, vt in fundamentis ipsis peccasse velit. Quis nescit, *inquit M. Tullius,* primam esse Historiæ legem, nequid falsi dicere audeat? Deinde nequid veri non audeat? nequa suspicio gratiæ sit in scribendo, nequa simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. *Id certè non nesciebat nobilissimi operis auctor, adeoque id imprimis accurasse videtur, vt de rebus maximis & personis illustribus narratione instituta, saltem fides & veritas dictis omnibus constaret. Sed vt sunt hodie partium studia, ecquis ille tam catus aut confidens, qui rem pietatis tangens æuo calumnias ingerere & accipere ita prono, à quorundam malè feriatorum intemperie securitatem sibi spondeat?*

De priore tamen lege, nequid falsi dixerit, *quo meliùs tibi caueatur, primùm ego quidem fidenter profiteri non dubitem, illum non aliorum nostrâ memoriâ scriptorum vestigia sequutum, quàm qui in scribenda historia omnium rectè sentientium iudicio vt libertatis ac fidei comperti, sic ab adulationis & liuoris suspicione sunt alienissimi. Deinde ille ipse, vt tibi de tot abstrusis ac reconditis, quæ commemorat, forsitan ambigenti scrupulum omnem eximat, ecce Notores dat, pauculos sanè (omnes nescio quàm intutum) sed multorum instar, exceptione omni maiores: quippe qui vel arcanorum Pontificis consiliorum arbitri & administri, vel rebus ipsis tractandis interfuerunt, siue præfuerunt.* Episcopum *dico* Fabrianensem, *cuius meminit pag. XIX.* Cardinalem Montanum, *principem in Concilio* Pauli III. *auspicijs* Præsidem & Legatum, *pag. XXCIX.* Episcopum Vintimiliensem *pag. CDXX.* & Cardinalem Amulium *pag. DCLIX. quorum literas, aut libellos memoriales, aut Diaria, non sine Numine, illi inspicere datum. Quàm raræ autem est illud siue industriæ, siue fœlicitatis, quod habetur pag. CCCXCV. illi in manus venisse XXXIV. Episcoporum suffragia super sola controuersia de* Residentia, An esset de iure Diuino, *ijsdem planè verbis descripta, quibus in Synodo pronuntiata fuere? Vnde sit, vt*

cùm

cùm nonnulli mirentur hominem Catholicum, Ecclesiæ Romanæ sacris addictum, ignota hæc & odium forte paritura colligere voluisse; hominis fortuna apud me admirationem magis habeat, illum tam abstrusa eruere potuisse. Neque fortasse in minimis ponenda familiaritas, quæ ei cum Præsulum amanuensibus intercessit: cuius documentum extat pag. CCCCXXI. de Camillo Oliuo Cardinalis Mantuani *principis in hac Synodo* Pio IV. Pontifice *Legati Secretario illi familiariter cognito. Quod si etiamnum fucum tibi factum metuis, dic sodes, quis ille inuentionum tam fœlix, qui veri adeo similia nobis ab ingenio confingat? aut quis tam imprudens, immo duræ frontis & impudens, qui pro veris ea obtrudat, quæ si ficta essent, ipsæ Regum Principumque literæ, quarum in medio est memoria, facilè arguant vanitatis? Non enim duntaxat consilia, iussa, facta, quæ* Tridento *aut* Româ *perscripta præscriptauè hic recenset, sed & quæ è* Germania, Gallia, Hispania, *alijsque* Europæ *prouincijs missa; omnia tam diligenter, vt non res solas narret; sed ipsa temporum momenta distinguat.*

At de altera Historiæ lege, nequid veri dicere non audeat, *haud vereor, vt quis litem ei hoc nomine intendat, sed illo magis, quòd studio veri, nimio plura quàm oportuit, effutiuerit,* ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα *dicenda tacenda locutus. At quid faceret? quando &* lex Historiæ, *cuius anima ipsa* Veritas, *id exigit, &* Historica fides *prouerbio nobilitata iubeat, etiam*

Auriculas teneras mordaci radere vero.

Alioqui non temerè culminum sacri Ordinis offensionem in se vltro concitauerit: quorum iras formidandas, & (Comici *verbo*) *plumbeas esse non nemo Principum aliquando sensit.*

Nec aliunde credo, est, quàm ab hoc metu, quòd laudatissimus scriptor, si certissimis auctoribus fidem adhibemus, de aureo hoc partu abijciendo aut perimendo (heu immane consilium!) cogitasse dicitur. Sed Æternæ Prouidentiæ *aliter visum; cuius singulari beneficio Patri erepta proles, atque*

è pa-

è patrio ſolo in alias oras deportata, Clementiſsimi Principis *experta eſt præſidium ac tutelam. Et mehercle exitio à Parente intentato, quò ad ſalutem citiùs confugeret, quàm ad* Regiæ Miſericordiæ *aram? Aut vbinam veritas ſiue ſuppreſſa, ſiue opprimenda ſibi patrocinium certius ſpondeat, quàm apud* veræ fidei Patronum & Defenſorem? *Aut ad quem potius iret literarium hoc præſtantiſsimi ingenij monumentum, quàm ad ter* Maximum Regem, *inter eos qui ſunt, aut fuerunt, de literario munere iudicare maximè idoneum? Alij Reges alijs ſe iactent elogijs: at hæc huius propria laus, non tam triplici, quod caput ei cingit, diadematis fulgore, quàm tergeminis animi dotibus cenſeri velle, ingenij acumine & ſolertia, iudicio recto & intelligenti, memoria firma ac tenaci; aut ſi mauis nobiliore illa triga*, Probitate, Prudentia, & Doctrina: *quibus perinde ac ætate, & diutinâ rerum tractandarum experientia reliquis ſui ſæculi Regibus anteſtat.*

Iam excelſi animi Rex, *cui* Ptolomæi *illud fixum ſedet*, Melius ditare, quàm diteſcere, *quique theſauros ſuos in benemeritos amat profundere, an pretioſum hunc rerum reconditarum theſaurum auro penſandum nactus, ſuis vſibus ſordidè aut malignè cuſtodiret?* Stulta auaritia mortalium, *ait vetus ſcriptor*, poſſeſsionem proprietatemque diſcernit, nec quicquam ſuum credit eſſe, quod publicum eſt: at ſapiens nihil iudicat ſuum magis, quam cuius illi cum humano genere conſortium eſt. *Non alia ſapientiſsimo* Principi *mens; cui ideo viſum æternum hoc monumentum producere, & publici iuris facere, ne cæteroqui orbi Chriſtiano tantum bonum inuideret. Itaque ſuo calculo probatum continuò tradi prælo iubet, & quò bonum eſſet communius, ex Italico ſermone in alios transferri.*

Mihi autem etſi non iſtarum iam compluſculos annos operarum, impoſita in Latinam linguam vertendi prouincia. In qua ſi expectationi hominum cumulatè non ſatisfiat, ſaltem hoc futurus ſum excuſatior, quod moleſtiam hanc verſionis non ſumpſerim, aut meo, quod dicitur, iumento mihi arceſsiuerim; ſed aliunde

liunde delatam de voluntate eius, cui ob longe honoratiorem iam olim mihi concreditam prouinciam meipsum, meaque omnia ætatem sum debiturus, non grauatè acceperim. Cui si placeo, & auctoris simul mentem tibi, Benigne Lector, reddo quàm explicatissimam, votorum summã consecutus, aliam laudem aut lauream non quæro. Ad id assequendum dedi operam, vt iuxta sordes squaloremque styli, ac emendicatum à fuco & pigmentis nitorem vitarem, graui, atque (vt sic dicam) matronali habitu orationem efformans, quem nec Principum Oratores *dedignentur, &* Theologis *placere poßit. Quibus quidem quo minus se iniuria affectos querantur, suas voces, quibus illi in Orationibus aut concionibus vsi, quà potui, reddidi: tum ne legenti fraudem facerem, à Decretorum verbis quàm minimum receßi. Et quanquam pleræque ab editione Italica intercurrebant difficultates, viam tamen nunc ita complanatam spero, vt aspera illa ac salebrosa viarum remoram tibi iniectura non sint: varijs locis, quibus verba planè diuersum ab auctoris mente sensum præferebant, genuinæ lectioni restitutis. Sed quoniam isthæc te malim libris inter se collatis tua potius obseruatione, quàm mea commendatione deprehendere, de opera mea omitto, & mißo verborum, quæ nil nisi folia sunt, apparatu, ad fructum, ex opere colligendum te ire suadeam. Qui, meo quidem animo, multiplex se offert, siue ad ciuilem prudentiam iter adfectas: siue semitam quæris, qua ad veræ pietatis viam peruenias: siue ad tramitem rectæ in Deum fidei, & religionis gressu non vacillante porro calcandum robur desideras & firmamentum. Jis enim viuitur temporibus, quibus aduersus fortuita casuum animus illustribus ab hac historia firmandus est exemplis. Neque video in quam aliam lucubrationem hac scena rerum tanto cum pietatis fructu intendere queas animi tui aciem. Mentem modò deprecor sub iugum aut fidei implicitæ, aut obedientiæ illicitæ missam, hoc est, præiudicio deuinctam: contra quantum potest, affectibus vacuam postulo, ac vt libertatis retinendæ, sic veritatis vindicandæ perstudiosam. Itaque cum non ignorem quàm diuersa, immo pugnantia sint hominum huius*

æui

æui de Concilio *hoc* Tridentino *iudicia, meum non promo, nec præiudico: ſed vt tui res arbitrii ſit, duorum tibi ſcriptorum illuſtri apud ſuos fama ſententias propono. Alteram* Edmundi Campiani *è ſocietate Ieſuitica diſceptatoris arguti & diſerti: alteram* Andreæ Dudithij Epiſcopi *primum* Tininienſis, *dein poſt mortem* Draſcouitij, Epiſcopi *quoque* Quinquecclesienſis, *& in eadem* Synodo Tridentina Cæſarei *ſimul & totius cleri* Hungarici Oratoris *celeberrimi. Has, me auctore, vide; & ſi cum Deo ſapere audes, vbi librum hunc perlegeris, re diligenter penſitata, huic te da & accede, quem magis ex vero ſcripſiſſe ac ſenſiſſe iudicabis: ſimul mihi ex animo tibi beneuolenti bene adprecare.*



ED-



EDMVNDVS CAMPIANVS ANGLVS AD ACADEMICOS

Ratione IIII.



Ridentina Synodus quò magis inueterascet, eo magis indies, eoque perenniùs efflorescet. Bone Deus, quæ gentium varietas, qui delectus Episcoporum totius orbis, qui Regum & Rerumpublicarum splendor, quę medulla Theologorum, quæ sanctitas, quæ lachrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta subtilitas, quantus labor, quam infinita lectio, quantæ virtutum & studiorum diuitiæ augustum illud Sacrarium impleuerunt?

ANDREAS DVDITHIVS EPISCOPVS Quinqueecclesiensis in Epistola ad Maximilianum II. *Cæsarem, vbi sententiam suam refert de Calice Laicis concedendo, & Sacerdotum coniugio.*



Vid profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiæ? si caussa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamuis pauci,

magnas

magnas copias aduersariorum : sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuissemus, in optima caussa victores discedere non potuimus. Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere : ac, si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex maiori parte barbatulos adolescentes, luxuque perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentia & audacia vtiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserant, tum verò victrix exultabat iniquitas, neque decerni iam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam, luxumque defendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir grauis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic, vt non bonus Catholicus, terrore, minis ac insectatione à Concilio ad probandum quæ nollet, traducebatur. In summa, in eam statum res est adducta, istorum, qui illuc facti instituti que venerant, improbitate, non vt iam Episcoporum, sed laruarum, non hominum, sed simulacrorum, quæ neruis mouentur alienis, vt Dædali statuæ fuisse perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Episcopi illi conductitii plerique, vt vtres, rusticorum musicum instrumentum, quos, vt vocem mittant, inflare necesse est. Nil habuit cum illo conuentu S. Spiritus commercii, omnia erant humana consilia, quæ in immodica, & sanè quàm pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Illinc responsa tanquam Delphis aut Dodonâ expectabantur : illinc nimirum Spiritus ille S. quem suis Conciliis præesse iactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur : qui quod admodum ridiculum est, cum aliquando, vt fit, aquæ pluuiis excrescebant, non ante aduolare poterat, quàm inundationes desedissent. Ita fiebat, vt Spiritus non super aquas, vt est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosam & singularem dementiam ! Ratum nihil esse poterat, quod Episcopi, tanquam plebs, sciscerent, nisi Papa autor fieret.

HISTO-

Iulius 2. PP.
Maximil. Imp.
Henricus 7. Rex Angl.
Ludouicus 12. Rex Franciæ.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER PRIMVS.



Tsi pleriq; hoc seculo magni nominis Historici, scriptis suis peculiares quosdam rerum in Concilio Tridentino gestarum euentus attigerint; & *Ioannes Sleidanus*, diligens in primis auctor, Conuentus illius caussas summa accuratione commemorarit: cum omnia tamen ab ijs prodita, etiam in vnum congesta, narrationem eam non absoluant; visum mihi est, vniuersam eius rei Historiam literis consignare. Ex quo enim primùm cœpit animo meo adlubescere rerum humanarum obseruatio, magna statim me incessit cupido, quicquid eius Concilij esset, pernoscere. Itaque ijs non oscitanter perlectis, quæ scripta comperissem; quæque siue typis excusa, siue calamo exarata monumenta emanassent in publicum; etiam schedas scriptorum à Præsulibus, alijsue, qui ei Concilio interfuerunt, studiose conquisiui: aduersaria ab illis relicta, ac suffragia propalam pronunciata, siue ab ipsis auctoribus, siue ab alijs asseruata, cum Epistolis gestorum indicibus *Tridento* perscriptis, indefesso studio & labore indagaui: ipsos deniq; commentarios notarum ac literarum, ab his, qui principem in ea actione locum obtinuerant, conscriptarum, suffragante studijs meis amicorum fauore, inspexi. Quibus omnibus comportatis, materiâ satis vberi ad narrationis huius fabricam instructus, eam nunc in ordinem digerere constitui.

Scriptionis occasio, & scribendi subsidia.

Mihi igitur consilium est exponere caussas, & in rebus tractandis progressum Conuentus Ecclesiastici; qui duorum & viginti annorum spatio, propter diuersos fines, varijs artibus hinc expetitus & solicitatus, inde impeditus & dilatus, octodecim post annis aliquando conuocatus, interdum dimissus, vtique diuersissimis propositis finibus concelebratus, exitum tandem habuit, planè repugnantem tam eorum destinationi, qui ipsum procurauerant, quàm illorum formidini, qui sibi ab euentu metuentes, omne studium ad eum disturbandum contulerant. illustri certè in omnem posteritatem documento, spes, cogitationesque mortalium in Deum conijciendas; neque humanæ prudentiæ viribus fidendum.

Materies operis, Concilij caussæ, rerum in Concilio tractatio, & exitus.

Etenim Concilium hoc, quod viri pij ardentibus votis flagitantes tandem procurarunt, ad Ecclesiam, quæ fatiscere & diuidi cœpta erat, rursus vniendam & conglutinandam; è contrario tanta partium obstinatione schisma constabiliuit, vt reconciliationis spes omnis decoxerit. Quod Principes ad Ordinis Ecclesiastici reformationem

Isq; omnium qui inibi actores, expectationi dissonus.

tionem

Iulius 2. *Maximil.* *Henricus* 7. *Ludouicus* 12.

tionem celebrandum curarunt, maiorem quàm vmquam aliàs, ex quo fuit nomen Christianum, in Ecclesiam inuexit deformitatem. Quod Episcopi sperabant Antistitum dignitatem in integrum restituturum, quam pene vniuersam ipsis ademptam Pontifex Romanus ad se traxerat, eandem plenissimè prostrauit. Quod deniq; Curiæ Romanæ odiosum erat & formidabile, quasi vnicum remedium, & in speciem efficax moderandæ immensæ illius potentiæ, quæ ab paruis initijs lapsu temporis excreuerat in infinitum; eam in sibi subditos ita validè fixit & corroborauit, vt nunquam tanta, tamque firmis radicibus innixa credatur.

Veritatis in scribendo studium.

Quocirca non incommodè quis Concilium istud *Iliadem* nostri seculi dixerit: in qua describenda certum est mihi, libero affectuum, qui extra recti orbitam abducant, veritate nihil habere antiquius. Quod si cuiquam videbor, in quibusdam temporibus commemorandis diffusior, in alijs parcior ac restrictior; velim is meminerit, fata non in omni solo eadem fœlicitate prouenire: nec quæuis grana coloni curam, industriamque ex æquo promereri. Etiam ex his, in quibus colligendis maximam adhibet messor solicitudinem, spicas aliquot, vel manum prensantis, vel demententis falcem effugere: sic ferente cuiuscumque messis conditione, vt semper pars aliqua supersit ad spicilegium.

Synodorum initium & incrementa.

Principio autem meminisse oportet, antiquissimo Ecclesiæ Christianæ instituto, numquam aliâ commodiore viâ, quàm Synodorum conuocatione, aut controuersias in re religionis sopitas, aut Ecclesiasticam disciplinam instauratam, postquam abijsset in corruptelam. Ad hunc modum composita lis prima, sub ipsum tempus Apostolorum exorta, cùm dubitaretur; An ad Christi fidem conuersi, ad legis Mosaicæ obseruationem tenerentur? conuocatis *Hierosolymam* quatuor Apostolis, &, quotquot in eâ ciuitate tum temporis commorabantur, fidelibus. Quo quidem exemplo, quoties in prouinciarum aliqua ex occasionibus quæstiones subnascebantur, ducentis & ampliùs annis proximè sequentibus, etiam in ipso persecutionum ac suppliciorum æstu, Episcopi, cum maximè insignibus per Ecclesias viris, ad eas componendas terminandasque conuenire solebant: quo nullum præsentius remedium potuit reperiri, aut sarciendis discidijs, aut pugnantibus sententijs conciliandis.

Quando Concilia dicta primum Oecumenica; & vnde.

Postquàm vero Deo complacitum est dare pacem Ecclesiæ suæ, excitato in amorem & patrocinium Christianæ religionis *Constantino*; sicuti multò quàm antè fuit facilius compluribus Ecclesijs, consilia actionesque suas inuicem communicare: sic inde factum est, latiùs etiam vt diffunderentur Ecclesiarum diuisiones. Immo verò, cùm ante id tempus, extra vnius ciuitatis, aut certe Prouinciæ cancellos non excessissent, per istam communicandi libertatem, adeo in vniuersum propagabantur Imperium, vt vsitatum ijs reprimendis Conciliorum remedium, è pluribus, ac longius dissitis nationibus, necessitate ineuitabili esset quoque colligendum. Vnde per id tempus, conuocato ex cunctis Imperij finibus per *Constantinum* Concilio, *Sancta Magnaq; Synodus* cœpit appellari: neq; multo post tempore, Concilium Generale & Oecumenicum; quamuis ex vniuersa Ecclesia conflatum non esset: cuius bona pars latiùs tunc patebat, quàm Romani Imperij fines. Sed quoniam illius seculi moribus fuerat receptum, Imperatorem *Dominum vniuersalem* terræ habitabilis indigitare, licet decima orbis pars imperium eius vix agnosceret: idem pariter hîc obtinuit. Atque hoc exemplo, qui *Constantinum* sequuti sunt Imperatores, surrepentibus subinde in religione dissidijs, Concilia id genus conuocarunt. Et quanquam Imperium in Orientale & Occidentale sæpenumero fuerit diuisum, manente tamen sub communi Imperij nomine publicarum rerum administratione, Synodorum ex omnibus Imperij prouincijs conuocandarum consuetudo quoque permansit.

Synodorum post æuo conuocandarum ratio diuersa, alijque fines.

Verùm eâ postmodum factâ Orientis ab Occidente diuisione, nullum ampliùs vt superesset inter Principes Imperij consortium; atque maximam Orientalis Imperij partem inuadentibus Saracenis, Occidentali etiam inter multos Principes distributo: ex inde Generalis & Oecumenici Concilij nomen, non, vti prius, ab vnitate Romani Imperij deriuabatur ac pendebat; sed apud Græcos, à conuentu *V. Patriarcharum*, & in nostra Europa à consensione Regnorum & dominiorum, quæ in rebus Ecclesiasticis Pontifici Romano deferebant obsequium. Atque in his Synodos continuatas

tinuatas constat, non, vt olim, sopiendis præcipuè de religione controuersijs: sed vel ad bellum pro terræ Sanctæ recuperatione gerendum; vel ad schismata dissidiaque ex Ecclesia Romana eliminanda; vel ad concertationes inter Pontifices & Christianos Principes profligandas. *Iulius 2. Maximil. Henricus 7. Ludouicus 12.*

Ineunte seculo ab incarnatione Dominica decimo sexto, nulla sese offerebat idonea ad Concilium conuocandum caussa; neque longo post tempore nascitura expectabatur. Propè enim sepultæ videbantur multarum Ecclesiarum, de Curiæ Romanæ ambitione querimoniæ: atq; in omnibus Occidentis prouincijs, Christiani in communione & obedientia Romanæ Ecclesiæ conquiescebant. Tantùm in exiguo montium tractu, qua parte Alpes Pyrenæis montibus adhærescunt, veterum *Valdensium*, aut verò *Albigensium* reliquiæ quædam hæserant: à quibus, propter ingenitam rusticitatem, & bonarum literarum ignorationem, non erat metuendum, vt doctrinam ad alios transmitterent: præsertim impietatis, obscænitatisque odio apud vicinos adeo prægrauatis, vt periculum non esset, ne contages ad eos transiliret. **Rerum in Ecclesia status initio seculi decimi sexti. Valdenses.**

In nonnullis *Bohemiæ* pagis pauculi aliquot eandem doctrinam profitebantur, ex eodem *Valdensium* grege, à *Bohemis* vulgo dicti *Picardi*: sed, ob eas, quas diximus, caussas, metus non erat, ne ab his malum latiùs serperet. **Picardi.**

Non deerant quidem, in hoc ipso *Bohemiæ* regno, sectatores *Ioannis Hussi*, *Calistini* nuncupati, aut *Sub vtraq;*: qui excepto, quòd, in sacro sancto Cœnæ Dominicæ mysterio, Calicem populo ministrabant, cætera ab Ecclesiæ Romanæ doctrina pene non dissentiebant. Sed isti, paucitatis & inscitiæ contemplatione neglecti, neque pensi habuere dogmata sua cum alijs communicare; & alios ad ea pèrcipienda non impensè cupidos inuenere. **Calistini.**

Fateor in Ecclesia tunc periclitatum Schismate, *Iulio II.* Pontifice, ad rem bellicam administrandam, quàm ad functionem Sacerdotalem obeundam attentiore; & Pontificatum suum erga Principes & Cardinales, sic satis pro imperio gerente, vt nonnullos horum ad secessionem, & Concilium indicendum adegerit. Quibus, cùm *Ludouicus XII.* Galliarum Rex, ab eodem Pontifice extra Ecclesiæ communionem eiectus, sese iunxisset, abiurata illi obedientia; isthæc hominis fortitudo à plerisque putabatur in neruum denique eruptura. Verùm oportunè fatis concedenti *Iulio* Leo statim successit: qui ingenij dexteritate Cardinales regno Franciæ paulo momento conciliauit; & incendium, quo Ecclesia credebatur conflagratura, mira celeritate, facilitateq; restinxit. **Iulius II. Papa. Ludouicum XII. diris deuouet.**

Hic eius nominis X. in nobili familia natus, educatusque, locuplete bonarum artium cumulo Pontificatum nobilitauit. In his erant, literarum humaniorum accurata cognitio, probitas, & morum suauitas admirabilis, affabilitas incredibilis, cum summa liberalitate, & propensione ad viros probos, literatosque demerendos coniuncta. Quibus virtutibus nemo illi æqualis, aut secundus, eam cathedram à multis retro annis insederat: In quo, ad Pontificem numeris omnibus absoluendum, nihil desiderasses, si ad ista addidisset, vel mediocrem sacrorum religionisq; cognitionem; necnon ad pietatis studium maiorem paulo propensionem, quorum vtriusque nimiam præ se ferebat incuriam. Erat quidem munificentissimus, & artis donandi apprimè gnarus: sed cum acq uirendi artem haud satis per se calleret, *Laurentij Puccij Cardinalis quatuor Sanctorum*, hominis in hoc genere solertissimi, operâ vtebatur. **Leo X. Pontifex. eius bona, malaq;**

Hoc rerum statu Leo, cum liber curarum, schismate iam restincto; tum inimicorum expers, pauculis illis *Valdensibus* & *Calistinis* despectui habitis, magnificentiam suam sumptibus immodicis, ac profusis in cognatos, aulicos, & literarum professores largitionibus eousque ostentabat; quoad desiccatis cæteris omnibus, quibus vndecumque congregatis Curia Romana solet irrigari diuitiarum riuulis, ad fontem *Indulgentiarum* tandem itum est.

Isthæc rei nummariæ subleuandæ ratio coepta est adhiberi sub annum centesimum supra millesimum. Siquidem *Vrbanus Pontifex*, id nominis secundus, indulgentias plena manu cum expiatione omnium delictorum concedens ijs, qui in militiam proficisci vellent, ad terram Sanctam recuperandam, & *Christi Saluatoris* sepulchrum impuris *Mahometanorum* manibus vindicandum, successoribus suis exemplo **Indulgentiarũ nundinatio quando cœpta.**

 præiuit,

Leo 10. Maximil. Henricus 7. Ludouicus 12.

præiuit, quod illi, pluribus post seculis, mordicus tenuerunt: horum nonnullis (vt est facile inuentis addere) eadem indulgentiarum plenitudine prosequentibus eos, qui, cùm ipsi non possent, aut certe nollent coràm sacro bello interesse, vnum aliquem suis sumptibus alerent militem; ac tandem hac ipsa veniarum largitate donantibus eos, qui bello lacesserent quosuis Ecclesiæ Romanæ edictis minus obsequentes, etiamsi Christianos. Quibus nominibus immanes pecuniarum exactiones factas constat, sed has maximam partem longe alios in vsus erogatas.

Leonis Indulgentiæ promercales.

Quorum vestigijs insistens *Leo*, impulsore præsertim *Cardinale quatuor Sanctorum*, forum indulgentiarum,& remissionem peccatorum,per omnia Christiani orbis regna aperuit his, qui sumptibus in id faciendis non parcerent; mortuis etiam profuturam, ad eos ab ignis purgatorij pœna liberandos, si quis ipsorum nomine dependeret pecuniam. Nec non facta venia publicis ieiunij diebus vescendi ouis, & quæ ex lacte confici solent: item eligendi sibi quem vellent, confessarium: aliaque id genus permissa. Et quamuis in *Leonis* Diplomate exequendo nonnihil interuenerit, parum pium &honestum(nobis mox dicendum)v nde offensionis & rerum nouandarum occasio nata: certum tamen est, permulta superiorum Pontificum in eo genere Edicta, nec caussis subnixa minus inhonestis, & maiore auaritia ac rapacitate fuisse peracta. Sed plerumque vsu venit, vt caussæ insignibus effectis producendis satis idoneæ, defectu hominum qui scienter his vtantur, in fumos abeant, & euanescant. Quandoquidem (quod rei caput est) ad magnum quidpiam patrandum necesse est aduenisse temporis articulum, quo, errata hominum deprehendere præpotenti rerum humanarum Arbitro stat sententia. Quæ omnia in hoc ipsum tempus *Leonis*, quo de agitur, incurrisse videntur.

Pecunia ex his confecta male collocata.

Etenim Anno M.D.XVII. statim post promulgatam generalem Indulgentiarum concessionem, *Leo* partem pecuniarum ante distribuit, quàm aut commodè in vulgus spargerentur, aut colligerentur: diuersarum prouinciarum reditibus diuersimode tributis, & parte aliqua in vsum suæ Cameræ reseruata. Sed nominatim *Saxoniæ* prouentum, & totius eius tractus *Germaniæ*, qui *Saxoniam* & Mare interiacet, *Magdalenæ* sorori dono dederat; *Francisco Cibo Innocentij VIII. Pontificis* spurio connubio iunctæ. Cuius matrimonij aspectu, *Leo* annum adhuc agens XIV^m^. in Cardinalium collegium cooptatus, dignitatum Ecclesiasticarum in *Medicea* gente initia posuit. Atque hanc liberalitatem exercuit *Leo* non fraterno magis affectu, quàm resarciendis sumptibus à familia *Ciborum* factis, quo tempore ipse *Florentiâ* eiectus *Genuam* se subduxerat; sibi parum tutum existimans Romæ commorari, *Pontifice Alexandro VI.* cum Florentinis, familiæ Mediceæ tum iuratis hostibus, confœderato. At *Magdalena* soror, vt ex dono Pontificio fructum caperet vberiorem, cum indulgentiarum prædicandarum, tum pecuniæ conquirendæ curam committit *Aremboldo Episcopo*: qui assumpta Præsulis dignitate, nullam tamen periti mercatoris, & quidem Genuensis artem exuerat. Is verò explendæ mulieris cupiditati, quàm expendendis hominum meritis magis intentus, harum publicandarum potestatem fecit ijs, qui eas plurimo licitarentur; nullo mediocris fortunæ hominibus ad contrahendum relicto loco, sed his solis, qui sui similes, per sordes & auaritiam omnia administrarent.

Leonis soror opima parte donatur.

Pecuniarum redemptores auari & turpes.

Dominicani Indulgentiarũ supra verum præcones.

Inualuerat in *Saxonia* consuetudo,quoties Pontifices eò mitterent Indulgentias,earum diuulgandarum curam fratribus Ordinis Eremitanorum demandare. At quæstores *Aremboldi*, parum consultum rebus suis autumantes, horum vti operâ, qui in hac palæstra veterani, sua clam captantes emolumenta,lucri partem viderentur inuolaturi, certe nihil extra ordinem præterque solitum pensitaturi; fratres Ordinis Dominicanorum eam capessere prouinciam maluerunt. Qui præcones facti tanti beneficij, dum illius magnitudinem apud populum supra verum insolito verborum apparatu extollunt, in magnam audientium offensionem venere: aucta ex eo rei indignitate,quòd, qui pecunias ab Aremboldo conduxerant,in lustris & popinis,aleæ lusu aut deterius id profundebant, quod populus suum defraudans Genium, redimendis peccatis e diario miser comparcebat.

His excitatus *Martinus Lutherus*, frater Ordinis eremitarum D. Augustini, in quæstores

ſtores, eorumque præcones concionatur. Ac primum nouos & immoderatos abuſus reprehendit. Sed mox concionibus atque libellis ab alteris laceſſitus, totam Indulgentiarum materiam ab ipſis fundamentis ac radicibus perſcrutatur. Tum nouos abuſus cum veteribus comparando, deprehenſis totius ſtructuræ, iuxta ac fundamentorum erratis, ſuper hoc argumento theſes emittit XCV. *Wittembergæ* publicè exagitandas. Ad has viſas & perlectas viua voce impugnandas nemo vnus comparebat: ſolus *Ioannes Thecelius* frater Dominicanus *Francofurti*, quod eſt Brandeburgicæ ditionis oppidum, alias Lutheranis contrarias euulgat.

Leo 10. Maximil. Henricus 7. Franciſcus 1.

Et themata euulgat. Thecelius alia opponit.

Atque his inuicem oppoſitis concluſionum veluti manipulis, facta eſt quædam quaſi litis conteſtatio: quoniam & ſuas *Lutherus* explicatione addita cœpit defendere; & eaſdem, cum adiuncta explicatione, *Ioannes Eccius* aduerſario ſcripto oppugnare. Quibus ſcriptis Romam perlatis *Silueſter Prierias* frater Dominicanus *Eccio* ſuccenturiatus, contra *Lutherum* in aciem deſcendit: vnde certamine vtrinque incaleſcente, dimicatio ab Indulgentiis ad alia maioris momenti themata diuertit.

Eccius oppugnat Lutherum, Et Prierias.

Cum enim materia Indulgentiarum ſeculis anterioribus non multum fuiſſet vexata; neque ſatis eſſet à Theologis conſideratum, quibus argumentis aut propugnari poſſent, aut labefactari: earum cauſſæ & eſſentia non erant penitus exploratæ. Nam nonnulli exiſtimabant Indulgentias nihil eſſe aliud, quàm abſolutionem Præſulis auctoritate factam, ab ea pœnitentia, quam pro modulo diſciplinæ, Eccleſia ante æuo imponebat reſipiſcentibus (poſterioribus ſeculis eam pœnæ irrogationem ſibi ſoli aſſumpſit Epiſcopus, dein ſacerdoti Pœnitentiario delegauit, ac tandem arbitrio Confeſſarij permiſit) ita tamen, vt ſupplicium diuinæ iuſtitiæ debitum non effugiant. Quod cum alijs in Chriſtianorum detrimentum magis quàm emolumentum cedere videretur, dum facta ipſis pœnarum canonicarum gratiâ, euadunt indiligentes in Deo pœnâ voluntariâ propitiando, opinati ſunt Indulgentias eſſe, ab vtraque pœna liberationem. Sed hi rurſus in diuerſa abierunt: alijs liberationem eam eſſe gratuitam ſine vlla ſatisfactione cenſentibus; alijs ea opinione explosâ affirmantibus, dum inter membra Eccleſiæ communio viget per charitatem, vnius fidelis pœnitentiam eouſque alteri eſſe communicabilem, vt hic compenſationis illius aſpectu liberetur. Verùm quia id magis conuenire videbatur hominibus vita inculpatis, & ad ſeueriorem diſciplinam excultis, quàm Præſulum authoritati, tertia ſubijt opinio; quæ eſſentiam Indulgentiarum conſtituit partim in abſolutione, vt ad authoritatem Præſulum recurratur; partim verò in compenſatione. Sed cum vita Præſulum non ſit adeo inculpata, ſcelerumque pura, vt meritis ſuis alios queant iuuare, repertum eſt Eccleſiæ Gazophylacium, in quod reponuntur merita eorum omnium, quibus maior eſt copia, quam quæ ſibimetipſis ſufficiat. Quorum diſpenſatione Romano Pontifici concreditâ, penes illum eſt concedere Indulgentias, & delinquentis debitum penſare, eiuſdem pretij meritis è publico Eccleſiæ theſauro depromptis. Cumque ne hic quidem theſaurus ſatisfaceret pœnitentibus, quòd, ſanctorum meritis finem certum ac limites admittentibus, minui aliquando poſſet, ac deficere; infinita Chriſti promerita ſanctorum finitis viſum eſt adiungere, quo theſaurus eſſet perennis. Atque hìc alia nata difficultas, quorſum adhibendæ eſſent alienorum meritorum guttulæ, exundante, & in vſum noſtrum perenniter fluente immenſo promeritorum Chriſti Oceano. quod ſane pleriſque dedit occaſionem omnem indulgentiæ ſuæ fiduciam in hoc ſolo inexhauſto Saluatoris mundi promptuario reponendi.

Indulgentiarum doctrina hactenus intricatior, nunc explicatur.

Theſaurus Eccleſiæ eiuſque cura.

Hæc omnia adeo tum incerta, nec validiore nixa firmamento, quàm *Clementis VI.* diplomate, propter ſemiſeculares Iubilæi venias anno M. CCC. L. euulgato, non ſatis habere virium putabantur ad conuincendum *Martinum Lutherum*, & rationes eius confutandas. Ideo *Thecelius, Eccius & Prierias* animaduerſa cauſſæ, quam propugnandam ſuſceperant, in locis huic materiæ proprijs imbecillitate, ad locos Communes confugiunt: ibique iacto, authoritatis Pontificiæ, & conſenſus Scholaſticorum, fundamento, conſtituunt; Quandoquidem Pontifex in rebus fidei errare nequeat, atque is Scholaſticorum doctrinam de Indulgentijs aſſenſu ſuo comprobarit,

Lutherus proxime Indulgentias poteſtatē Pontificis oppugnat.

& eaſ-

Leo 10. Maximil. Henricus 8. Franciscus 1.

& easdem diplomate suo fidelibus elargitus sit, doctrinam de his traditam, tanquam fidei articulum necessariò credendam. Inde arreptâ occasione *Martinus*, ab Indulgentijs digreditur, ad disceptandum de potestate Pontificis. Quam, alijs concionatoribus, vti supremam, nullique obnoxiam prædicantibus, ille hactenus eleuabat, vt eam subijceret Generali Concilio legitimè congregato; quod eo tempore, statuque rerum apprimè necessarium in Ecclesia asseuerabat. Verùm, vtut incalescente concertatione, *Lutherus* potestatem Pontificis eo magis deprimeret, quo plus alteri eam efferebant: in omni tamen sermone, de persona *Leonis* non nisi modestè loquebatur, etiam interdum ipsius iudicium non subterfugiebat. Ad alia nihilo minus capita ventum est, disputatumque de remissione peccatorum, deque Pœnitentia & Purgatorio; quibus illi Curiæ Romanæ Triarij suas firmabant Indulgentias.

Hogostratus in Lutherum scripto sæuus.

Omnium vero appositissimè in *Lutherum* scripsit *F. Iacobus Hogostratus* Dominicanus, fidei Inquisitor, alijs rebus rationibusque relictis, Pontifici auctor, vt ferro, flammaque pertinaciam hominis retunderet.

Lutherus Romam citatur.

Rebus in hunc modum exacerbatis, & temporum conditione, nouam disputandi materiam *Martino* identidem suppeditante, *Leo* Pontifex, mense Sextili, anni M.D.XVIII. *Hieronymo Episcopo Asculano* Auditori Cameræ dat negotium illius Romam euocandi; additis ad *Thomam de Vio*, Cardinalem *Caietanum*, suum in Germania Legatum, literis, daret operam, vt appositis custodibus Romæ sisteretur. Simul scripsit ad *Fredericum* Saxoniæ Principem, ne illum protegeret aut tueretur. Actum tamen cum *Leone* quorundam interuentu, vt alicubi in Germania de ea caussa potius cognosceretur. Quibus ille annuens, iudicium omne Legato committit. Mandatq;, si spem aliquam emendationis, & resipiscentiæ in eo deprehenderit, in gratiam vti recipiat, restituatq; Ecclesiæ: neque solùm anteactorum veniam polliceatur, sed dignitatum præmiorumq; pro sua prudentia illi spem faciat. Sin vero deplorata sit sanitate, de eo pœnis coercendo cum *Maximiliano* Cæsare, & cæteris Germaniæ Principibus agat.

Dein caussæ cognitio Car. Caietano permittitur.

Caietani cum Luthero colloquium.

Martinus, postea quàm ei cautum esset à *Maximiliano* fide publica, Legatum *Augustæ* conuenit. à quo exceptus humaniter de capitibus controuersis aliquamdiu cum eo sermonem habuit. Sed vbi perspexit Cardinalis *Martinum*, ne quidem ipsa Theologiæ scholasticæ mole, in qua professione erat versatissimus, facilè sibi succubiturum; & in expedito habere sacræ Scripturæ loca, in quibus scholastici parum ponebant præsidij, publicè testatus est, se nolle in disputationem cum eo venire. hortatus modò, quæ diuulgauerat, vti retractaret; saltem scripta sua doctrinamque Pontificis arbitrio submitteret: idque proposito præsenti periculo, nisi ad meliorem mentem rediret; & *Leonis* ipsius gratia, si eam quando offerebatur, non repudiaret. Quæ cum silentio excepisset *Lutherus*, nihil in contrarium opponens, Cardinalis ratus non instandum vehementius, ne redderet eum auersiorem: quin moram potius interponendam, quâ minis & promissionibus maius momentum accederet, discedendi ei copiam fecit. Idem quoque officium ab *Ioanne Stupitio* Augustinianæ familiæ generali Vicario faciendum curauit.

Colloquuntur iterum.

Redeunte ad Legatum altera vice *Martino*, post multum inter eos super doctrinæ capitibus sermonem, in quo Cardinalis non tam disceptatoris, quam auditoris partes susceperat, vt ad rationem conciliationis illum haberet propensiorem; denuo hortatur eum *Caietanus*, vt occasionem tam securam, rebusq; ipsius adeo commodam nollet prætermittere. Cui ille, familiari sibi animi vigore, respondit; Sibi non committendum, vt pactione quauis interposita veritati fiat præiudicium: quod neminem re verboue violarit, nullius gratiam nimiopere sibi aucupandam. cæterùm aduersariorum minas non admodum ei pertimescendas, qui, siquid indebitâ viâ contra se tentari sentiat, protinus ad Concilium prouocare decreuerit. Cardinalis verò, qui inaudiuerat *Martinum*, ab Principibus quibusdam viris, frænum licentiæ Pontificiæ per illum inijci cupientibus animatum; & suspicabatur horum suasione in verbis adeo præfidentem, plenus irarum acriter eum obiurgauit: & conuitijs oneratum monitumq; *Principibus longas esse manus*, procul è conspectu suo facessere iussit. Ille discedens a Legato, simul in mentem reuocans, quid olim factum fuerit

Lutherus dimittitur, sed increpitus, nec sine minis.

Ioanni

Ioanni Hussio, sine strepitu *Augusta* proficiscitur. dein rebus suis melius pensiculatis ad Cardinalem dat literas: quibus fatetur se nimis acrem fuisse, impotentiam animi quæstorum & aduersariorum importunitati adscribit; maioremq; in posterum modestiam pollicetur. etiam se Pontifici satisfacturum, neque de Indulgentijs verbum deinceps facturum, hac lege tamen, vt aduersarij eisdem conditionibus adstringantur. Sed neutris silentium prementibus, quin potius sese inuicem lacessentibus, odia intumuerunt.

Leo 10. Maximil. Henricus 8. Franciscus 1.

Hæc Cardinalis actio Romæ incurrit in odiosas voculas aulicorum, omnem culpam, malique caussam in illum reijcientium, qui *Lutherum* nimis duriter & contumeliose habuisset: neque ingentibus promissis, aut infulati capitis, aut pilei purpurei hominem inescasset. Vnde *Leo* rerum innouationem in Germania veritus, imminuta non modo Indulgentiarum, sed sua quoque auctoritate IX. Nouembris, anno MDXVIII. nouo diplomate earum dignitatem validitatemque confirmat: eoque declarat, sibi tanquam *Petri* successori, & *Christi* Vicario relictam esse potestatem tantum beneficium tam viuis quam defunctis concedendi. Eam esse doctrinam Ecclesiæ Romanæ, quæ Mater sit ac Magistra omnium Christianorum: eandem ab omnibus recipiendam, qui nolint ab Ecclesiæ consortio separari. Edictum hoc mittit ad Cardinalem *Caietanum*, *Lintzij*, quod est Austriæ superioris oppidum, tum commorantem: Vbi ille & promulgandum curat, & in authentica exemplaria multa describendum; quibus mox ad Episcopos per Germaniam missis, iubet ea publicari, grauesque pœnas omnibus denunciari, qui aliter sentiant.

Caietan. Romæ malè audit.

Leo tamen nouo edicto Indulgentiarum vim ac dignitatem adstruit.

Ex hac Bulla Pontificia facilè perspexit *Lutherus*, Româ sibi nihil aliud, nisi condemnationem, expectandum. Idcirco is, qui Pontificis personæ antea ferè semper detulerat honorem, neque ipsius iudicium defugerat, vtrumque sibi deinceps pro leui habendum appellatione interiecta declarauit. Cuius initio professus, nolle se auctoritatem Papæ veritati adhærentis conuellere, subdit, non esse eum à communi mortalium conditione eatenus immunem, vt labi non possit, aut errare: cum *D. Petri* à *B. Paulo* acriter reprehensi, exemplo, contrarium sit testatum. Esse quidem perfacile Pontifici, tantis opibus ac clientelis suffulto, quemuis à se dissentientem opprimere: sed vnicum oppressis superesse perfugium, prouocationem ad Concilium, Papæ modis omnibus anteferendum. Scriptum hoc appellationis sparsum per Germaniam, cum plerique manibus versarent, & æquitati consentaneum crederent, extemplo apparuit, quam inualidum esset *Leonis* diploma, ad incendium inibi iam excitatum restinguendum.

Vnde Lutherus prouocat à Pontifice ad Concilium.

At Romæ Curialium animis *Leonis* Bullâ sic erectis, quasi eius beneficio flamma illa ardere desijsset, confestim ad easdem Indulgentias, apud Heluetios vocis suæ præconio celebrandas, mittitur *Sampson Mediolanensis*, Frater Franciscanus. Quibus quaquauersum publicatis, populoque CXX. aureorum millibus, hoc nomine emuncto, *Tigurum* tandem concessit: in quo oppido *Vlricus Zuinglius* Canonicus prædicatoris munus sedulo obibat. Hic, audito fratre præcone, doctrinam eius fortiter oppugnat. Inde graues natæ altercationes: & ad disputandum super diuersis argumentis inuitante materia, sicuti nuper in Germania factum, *Zuinglius* à permultis, & libenter auditus, & vehementer probatus, non abusus modo Indulgentiarum, sed ipsas Indulgentias, ac Pontificis Romani, qui eas adeo largiter in vulgum profunderet, auctoritatem confutat.

Zuinglius Tiguri præcones indulgentiarum impugnat.

Iam *Lutherus*, cum doctrinam suam probari, & in alias prouincias dimanare comperisset, factus animosior, ad alia capita discutienda cogitationem conferre. In re Confessionis & Communionis abdicato Scholasticorum & Ecclesiæ Romanæ sensu, communionem calicis receptam in Bohemia commendare: ac in Pœnitentia primas, non confessioni in aurem sacerdotis, sed honesto vitæ in futurum emendandæ proposito tribuere. Inde ad Vota & Monasticæ professionis abusus progressus, in his pleraque scripto exagitauit. Quæ omnia, licet à Theologis Academiæ Louaniensis & Coloniensis male habita fuere, & improbata: horum censura *Martinum* nihil conturbauit: immo ad dogmata sua, quanto magis impugnabantur, eò explicatius tractanda, validiusq; corroboranda excitauit.

Lutherus alia doctrinæ capita aggreditur.

Hic

Leo. 10. Maximil. Henricus 8. Franciscus 1.

Leo Romæ quasi re male gesta reprehenditur.

His contentiosis magis disceptationibus, quàm controuersiarum determinationibus annus circumagitur M. D. XIX. cum multiplices Nuncij Romam perferantur de rebus in Germania & Heluetia turbatis: fama (vt fit) omnia in maius efferente, sed præsertim quæ è longinquo afferuntur. *Leonem* pleriq; negligentiæ insimulabant, quod tantis periculis præsentanea remedia non applicuisset: Monachi potissimum, quod spectaculis, venationibus, delitijs & Musicæ intentus, quibus supra modum capiebatur, summa & grauissima quæq; insuper haberet. Aiebant, in rebus fidei ne minima quidem esse negligenda: aut malorum remedia puncto temporis omittenda: quæ nascentibus vtiliter adhibentur, inueteratis ægerrime conducunt. Arrij hæresin tanquam scintillam principio facilè potuisse extingui: neglectam verò, totum orbem incendio peruagatam. *Ioannem Hussum* & *Hieronimum Pragensem* pariter facturos, nisi eos Constantiensis Concilij Patres in ipso ortu suffocasissent. At contrà, *Leonem* ipsum ceperat pœnitentia rerum à se in hoc negotio gestarum: sed cum primis, quòd diploma Indulgentiarum misisset in Germaniam. Existimabat enim rebus suis consultius, liberam Monachis verborum dimicationem inter se permittere, debitâ sibi, in neutras partes addicto, præstitâ reuerentiâ; quàm vnius factionis partes sequentem, alteram ab se alienare. Nec istam contentionem adeo esse momentosam, atque vulgo creditur. dummodo pro leui ducatur, paucos de ea multum laboraturos: immo nisi Pontifex huic se immiscuisset, facto curriculo derepente fuisse emorituram.

Et ipse gestorum à se licet pœnitentia ductus, alijs tamen sese permittit.

Factum nihilominus assiduis Præsulum Germaniæ solicitationibus, & Academiarum, quæ, damnatis *Lutheri* scriptis, in authoritate Pontificia perfugium sibi quærebant; tum maximè fratrum obnixis importunisque Romæ precibus, vt Papa in communem concederet sententiam. Itaque Cardinalibus, Prælatis, Theologis, & Canonistis in vnum conuocatis, horum arbitrio rem totam permittit. Ab his facillimè in eam sententiam itum est, tantam impietatem formidabili fulminis Pontificij ictu disijciendam. Verùm hic Canonistæ cum Theologis in modo haud quaquam consentiebant. his censentibus, è vestigio dirarum fulmine feriendum: illis præuiam citationem necessariò requirentibus. Theologi affirmant, impietatem doctrinæ esse manifestam, quà ex libris in lucem emissis; quà ex concionibus propalam auditis. Respondent alteri, notorietate non tolli iustam defensionem, iure tam diuino quàm naturali omnibus licitam; citatis in eam rem vulgatis locis Scripturæ: *Adam vbi es? Vbi est Abel frater tuus?* Et in excidio V. ciuitatum, *Descendam & videbo.* Addunt præter hæc, citationem factam ab Auditore Cameræ anno proximè superiore, cuius vi, ac virtute, iudicium ad Cardinalem *Caietanum Augustæ* fuerat remissum, vtcumque imperfectam, satis manifestè arguere citandi necessitatem. Post multas disceptationes Theologis sibi caussæ decisionem vendicantibus, in qua de fide & religione agebatur; Iureconsultis rursus eandem sibi arrogantibus, quoad modum formamque iudicij, adducta est in medium eorum conciliandorum ratio, facta negotij in tres partes distinctione, Doctrinam, libros, & personam. De doctrina concessum à Canonistis, eam absque citatione posse damnari: sed ad condemnationem personæ instabant, citationem omnino necessariam. Vnde, cum alteri maiori vehementia cœptum vrgentes, licet acrimoniæ suæ pietatem prætexentes, iustitutum non assequerentur, adhibitum tandem est temperamentum, vt *Martino* dies certus imperaretur, & idoneus ad se sistendum, idque citationis instar esset. De libris maius fuit negotium, petentibus Theologis, vt eandem planè cùm doctrina subirent damnationis sententiàm: Canonistis autem, vt concomitarentur personam, eodemque termino comprehenderentur. Cum igitur nec hic conueniret, factum libris quod vtrique desiderabant: damnatis scilicet in præsens, deinde eisdem concremandis die præstituta. His ita constitutis diploma conficitur XV. Iunij MDXX. à quo tanquam fundamento quandoquidem Concilium Tridentinum, de quo sermo nobis institutus est, habuit originem; eius breuiarium lectori repræsentare videtur esse necessarium.

Horum de Luthero eiusque scriptis quid statuendum controuersia.

Nouũ diploma conficitur Luthero eiusq; scriptis damnandis.

Diplomatis Pontificij breuiarium.

Hoc diplomate Pontifex orationis suæ exordium dirigens ad Christum, qui Petro, eiusq; successoribus Vicarijs suis Ecclesiæ curam & administrationem commisit,

misit, inuitat eum, ad opem in his rerum angustijs ferendam. Dein ab Christo ad D. Petrum *conuersus, obtestatur eum pro pastorali cura illi diuinitus demandata, vt velit intendere in causam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ipsius sanguine consecratæ. Tum ad* D. Paulum *progressus, de eodem auxilio illum appellat, hoc addito, vtcumque hæreses ad exercitationem fidelium necessarias iudicauerit; eas tamen, ne incrementum accipiant, in ipso ortu extingui oportere. Cœtum denique omnem Sanctorum, ac reliquam vniuersalem Ecclesiam obsecrat apud Deum omnipotentem intercedere, vt, purgatis ouium suarum erroribus, Ecclesiæ vnitatem conseruare dignetur. Pergit porro narrare, ad suum peruenisse auditum, immo oculis suis vidisse multos & varios errores olim damnatos; hæresim etiam Græcorum & Bohemicam expresse continentes denuo suscitatos: alios verò respectiue vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, in natione* Germanica *seminatos; quam ipse & prædecessores sui in visceribus semper gesserint charitatis; & ex qua post translatum à Græcis Imperium, Ecclesiæ aduocatos defensoresque semper acceperint: à quibus pijs Principibus multæ manarunt laudabiles Constitutiones contra hæreticos, etiam à Pontificibus confirmatæ. Cum itaque hos errores vlterius tolerare nolit, sed eisdem obuiandum censeat, eorum aliquos præsentibus inserendos ducere. Vnde articulos recenset XLI. de peccato originali, pœnitentia, peccatorum remissione, sacra Communione, Indulgentijs, Excommunicatione, potestate Pontificis, auctoritate Conciliorum, bonis operibus, libero arbitrio, Purgatorio, & mendicitate. Hos omnes respectiuè, quàm sint pestiferi, perniciosi, scandalosi, quàm piarum aurium offensiui, quam denique sint contra charitatem, contra reuerentiam Romanæ Ecclesiæ debitam, & contra obedientiam Ecclesiasticæ disciplinæ neruum, neminem sanæ mentis dicit ignorare. Hanc igitur ob caussam, quando ad eorum condemnationem procedendum sit, habito cum Cardinalibus, Regularium ordinum Prioribus seu ministris generalibus, pluribusque alijs sacræ Theologiæ, necnon vtriusque iuris Doctoribus diligenti ac districto super prædictis erroribus examine, omnes & singulos damnare & reijcere, tamquam (vt præmittitur) respectiuè hæreticos, scandalosos, falsos, piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, & veritati Catholicæ obuiantes; atque sub pœna excommunicationis alijsque innumerabilibus inhibere, ne quis præfatos errores, aut eorum aliquos asserere, defendere, prædicare, aut fauore prosequi præsumat. Et quoniam errores præfati in libellis seu scriptis eiusdem* Martini *reperiuntur, dictos libellos similiter damnare, & sub pœnis prædictis mandare, ne quis eiusmodi scripta ac libellos legere aut quoquo modo tenere præsumat: quinimmo & illos, in quibus dicti articuli continentur, & alios quoscumque comburat. Quòd verò ad ipsum* Martinum *attinet, eum sæpius monitum, citatum & inuitatum, vt à prædictis erroribus discederet, oblato etiam saluo conductu, & pecunia ad iter necessaria: quod si fecisset, non tot errata in Curia Romana reperturum fuisse, quot ille iactabat: immo ab se ipso addisciturum Rom. Pontifices prædecessores suos, in suis Canonibus seu constitutionibus nunquam errasse. Verùm quia animo obdurato censuras vltra annum sustinuerit, & in vocem temerariæ appellationis ad futurum Concilium proruperit, contra quàm* Pij II. & Iulij II. *constitutionibus vetitum sit, quibus cauetur taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos; potuisse se contra ipsum, absque vlteriori mora ad condemnationem ipsius procedere. Nihilominus omnium*

Leo 10.
Maximil.
Henricus 7.
Franciscus I.

Pontifex Lutheri dogmata XLI. damnat

Eius libros igni adiudicat.

iniuriarum

Leo 10. Maximil. Henricus 8. Franciscus 1.

iniuriarum oblitum, ipsum Martinum, *& quoscumque ei adhærentes monere ac obsecrare, vt à prædictis erroribus abstineant, ab omni prædicatione desistant, & sub eisdem pœnis eò incurrendis, infra sexaginta dies errores supradictos reuocent, ac libros quibus continentur comburi faciant: aliàs eosdem notorios & pertinaces hæreticos declarare. Inhibere præterea singulis sub præmissis pœnis, ne scripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem* Martino *edita, quoquomodo teneant; sed tam ipsum, quàm fautores eius euitent; immo personaliter capiant, & coram se sistant; aut saltem è terris ac regionibus suis expellant. Etiam loca quæcumque, ad quæ ipsos declinare contigerit, Ecclesiastico subijcere interdicto. Quinetiam mandare, vt pro declaratis & condemnatis hæreticis publicè nuntientur: literæque præsentes legantur passim & publicentur; ijs omnibus, qui, quo minus eæ legi & publicari possint, fecerint, quacumque sint conditione, excommunicatis. Decernere postremò, vt harum literarum transumptis plena fides adhibeatur: ipsæque Romæ in Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cathedralium Ecclesiarum Brandeburgens. Misnens. & Manspergen. valuis affigantur & publicentur.*

Ipsum & fautores officii comonefacit.

Iterum Lutherus prouocat ad Concilium.

Lutherus vbi doctrinā suam & libros damnatos accepit, scriptum aliud emittit; quo repetita superiori ad Concilium appellatione, ob easdem caussas denuo prouocat. Quibus addit, Pontificem perrexisse ad damnationem hominis, nec in ius vocati, nec iudicio conuicti: idque doctrinâ controuersâ nondum auditâ; neque relicto Concilijs loco; sed opinionibus suis Scripturæ sacræ antepositis. Quæ omnia, offerebat se meridianâ luce clariora facturum: Cæsarem interim, omnesque Magistratus obtestatus, vt authoritatis Concilij tuendæ caussâ, Appellationem hanc suam vellent admittere; non autem existimare, Decreto Pontificis quempiam obligari, prius quam caussa in Concilio legitimè fuerit disceptata.

De Leonis diplomate iudicium hominum non vulgarium.

At hominibus rerum intelligentibus Leonis illud diploma magnam dedit admirationis materiam. In forma primùm, quod Pontifex rem, sacræ scripturæ idiomate tractandam stylo forensi explicuisset: idque periodis adeo intricatis ac prolixis, vt arduum videretur commodum inde sensum elicere, quasi de caussa feudali ferenda esset sententia. Nominatim verò in ea clausula, *Inhibentes omnibus ne præfatos errores asserere præsumant*, tanta prolixitas obseruabatur, vt inter *inhibentes* & *præsumant* supra CCCC. ad minimum verba interijcerentur.

Nonnullis paulo vlterius progredientibus id consideratione dignum videbatur, quòd XLI. positionibus propositis, damnatisque tamquam *hæreticis, scandalosis, falsis, offensiuis piarum aurium, & simplicium mentium seductiuis*, neque explicato, quæ essent *hæreticæ*, quæ *scandalosæ*, quæ *falsæ*, sed adiectione dictionis *respectiuè* attributa singulis incerta qualitate, maior quàm antea restaret difficultas. Id enim caussam haud quaquam definire, sed magis magisque controuersam reddere: certe perspicuè ostendere, quàm sit necessaria decidendæ huic controuersiæ alia quæpiam auctoritas atque prudentia.

Quibusdam illud pariebat admirationem, qua fronte diceretur, inter XLI. *propositiones non deesse, quæ complectuntur errores Græcorum iampridem damnatos.* Alijs nouum & insolens videbatur, tot positiones, de diuersis fidei capitibus, Romæ determinatas de solo purpuratorum Patrum, aliorumque Aulicorum consilio; non aduocatis, Episcoporum, Academicorum, & eruditorum in cætera Europa virorum, suffragijs.

Lutheri lucubrationes alibi, Wittenbergæ, Bulla Pōtificis & Decreta exuruntur.

Academiæ quidem *Louanienses* & *Colonienses* præ gaudio exultantes, quod edicto Pontificis ipsorum iudicio esset applausum, *Lutheri* libros publice comburunt. Vnde *Lutherus*, vt paria illius faceret, conuocatis scholæ *Wittembergicæ* professoribus, solenni ritu, non *Leonis* modo Bullam, sed Decretalium quoque Pontificiorum libros flammis vstulandos adiudicant: facti sui ratione scripto copiosè manifestata; ac Papa ipso Tyrannidis in Ecclesia, corruptæ doctrinæ Christianæ, & legitimæ Magistratuum potestatis iniuriâ vsurpatæ publicitus insimulato.

Factum

Factum hac *Lutheri* prouocatione, iustisque alijs de caussis, vt prope omnibus recte sentientibus Concilium videretur omnino necessarium: non controuersijs solùm componendis, sed & ad abusus, temporis longinquitate inuectos in Ecclesiam, salutaribus remedijs profligandos. Eaque necessitas hoc maior apparebat, quo magis, scriptionibus vtrinq; continuatis, summa animorum contentione, concertationes gliscerent cotidie. Neque enim doctrinæ suæ, multiplicibus varijsque scriptis firmandæ, defuit *Martinus*. Sed quo diligentius in caussam incumbens, longius prouehebatur, hoc maiori velut lumine illustratus, vberiorem disputandi materiam, nouosque, præter expectationem, errores, subinde detegebat. Quod, vtcumq; zelo domus Dei accensum se facere profitebatur, necessitate tamen eò adactum, quiuis facilè perspexerit. Namque Pontificijs, *Coloniæ* per *Hieronymum Aleandrum* Italum, Saxoniæ Electorem sedulò solicitantibus, vt *Martinum* captiuum Papæ traderet, aut aliqua ratione perimeret, ille sibi necessitatem impositam sentiebat, testificandi huic Principi, Saxoniæ populo, alijsque omnibus, quàm bonis validisque caussa sua niteretur rationibus: ne vel ille Princeps, vel quiuis alius, rerum in Germania potens, auscultaret artibus Pontificiorum, vitæ ipsius insidias struentium.

Leo 10. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Concilij conuocandi necessitas.

Exacto in hunc modum anno M.D.XX. sequentis anni principio, Conuentus Ordinum Germaniæ *Wormatiæ* celebratur. Eò *Lutherus* euocatur à *Carolo* ante biennium electo *Cæsare*, vt doctrinæ suæ reddat rationem; securitate ei publicâ fide præstitâ. Non deerant ex amicis, qui profectionem dehortarentur, damnatione sua per Pontificem iam publicatâ, & templorum valuis affixâ: præter cuius confirmationem, nisi siquid grauius accideret, frustra quidquam esset sperandum. Quorum ille opinione reiecta, magno animo respondit, esse sibi decretissimum eò proficisci, licet contra se tot insurrecturi essent Dæmones, quot in tectis ædium illius oppidi cernerentur tegulæ.

Lutherus à Carolo Cæsare Wormatiam euocatur.

Cum venisset *Wormatiam*, Aprilis die XVII. coram *Cæsare* & frequenti Principum Consessu interrogatus, An pro suis agnosceret libros, qui nomen ipsius præferrent; quorum inscriptiones recitatæ, & exemplaria in medium adducta. Dein, an tueri vellet omnia inibi scripta, an horum aliqua retractare: Respondit, libros quidem à se conscriptos; sed statuere, an, quæ scripsisset omnia, vellet propugnare, id magni esse momenti, & ad deliberandum, temporis spatio opus esse. Quo in diem proximum dato, introductus in Consessum *Martinus*, longa oratione excusat primò ingenij sui simplicitatem, si in fortuna tenui ac vita priuata educatus, verbis vteretur tam celebri coronâ minus dignis; aut honoris præfatione, vniuscuiusque dignitate parum conueniente. Tum libros agnoscit suos, & à se editos. Quòd verò eorum defensionem attineat, aiebat, non esse omnes eiusdem generis. Horum aliquot fidei & pietatis doctrinam continere: alios Pontificiorum dogmata reprehendere: tertium genus scriptum contentiosè aduersum contrariæ doctrinæ propugnatores. Primi generis libros si retractaret, non facturum hominis Christiani, ne dum viri boni officium: quandoquidem, etiamsi *Leonis* diploma omnes damnasset, non omnes tamen impios iudicasset. Quod autem secundi generis libros spectat, plus nimio compertum, omnes Christiani orbis prouincias, sed præsertim *Germaniam*, miserè vexatas, expilatasque; ipsi seruitutis iugo ingemiscere. hos abiurare, perinde esse, ac tyrannidem eam altius figere. De tertio genere fateri, se acriorem vehementioremque fuisse, quàm deceat: verum sanctimoniæ professionem non instituisse, neque vitam suam ac mores defendendos sumpsisse, sed doctrinam tantum: eiusque rationem cuiuis reddere paratum. omnium mortalium minimè fore obstinatum: nec recusare, si quis scripturæ testimonijs erroris eum redarguat & conuincat, quin omnium primus in ignem scripta sua sit abiecturus. Hæc fatus, atque ad Cæsarem Principesque conuersus concludit, agnitionem veritatis manifestatæ, magnum esse ac venerabile Dei donum; eam reiectam mendacioue contaminatam, maximarum calamitatum myriades coelo deducere.

Ibi in Conuentu Ordinum caussam dicens auditur.

Facto dicendi fine, mandato Imperatoris iussus planum & simplex responsum edere, an vellet rata esse, quæ scripsisset; respondit, non posse se quicquam eorum quæ scripsisset, aut docuisset, retractare, nisi scripturæ sacræ testimonijs, vel manifestis rationibus conuictum.

Lucubrationum suarum retractationem deprecatur.

Quibus

Leo 10.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Quibus auditis decreuit *Cæsar* maiorum vestigijs insistere, Ecclesiam *Romanam* tueri, & omnibus vti remedijs incendio huic extinguendo idoneis; quam verò dedisset fidem eam non fallere, nec *Martinum* ante proscribere, quàm incolumis domum reuertisset. Non deerant in eo Senatu, qui *Constantiensis Concilij* acta probantes dicerent, fidem ei minimè esse seruandam: sed horum sententiæ *Ludouicus Comes Palatinus Elector* refragatus est, tanquam sempiternũ dedecus inurenti nomini Germanico; cum indignatione affirmans, hauddquaquam esse ferendum, vt in gratiam Sacerdotum Germania publicæ fidei violatæ infamia laborare debeat. Erant etiam nonnulli, qui censebant non tam celeri pede ad damnationem esse eundum, quòd magni res esset momenti, nec ab omnibus animaduerteretur, quo res ista posset pertinere.

Cæsaris de eo proscribendo consilium.
Generosa Comitis Palatini vox.

Paucis diebus interpositis, delectis ad agendum cum *Martino* nonnullis Ordinum Principibus, & in his Archiepiscopo Treuirensi, & *Ioachimo* Brandeburgico Electore, cum in eo conuentu multa dixisset *Martinus* ad doctrinę suæ defensionẽ, & alij contra hortarentur, vt omnia *Cæsaris*, Principum Senatus, & Ordinum iudicio absq; conditione permitteret, Respondit, vetitum à Propheta *hominibus confidere*, imo *Principibus* quorum arbitrio nihil minus quam Dei verbum sit committendum. Tandem hoc proposito, vt Concilio futuro sua submitteret; assensus est ea lege, vt è libris suis excerperentur articuli quos censuræ subijcere constituisset; atque de ijs non feratur sententia nisi Scriptura iudice. Interpellatus postremò, quibus remedijs putaret vtendum in causa tam deplorata, Iisdem, inquit, quæ *Gamaliel* Iudæis proposuit, nempe *si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur: sin ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne forte Deo repugnare inueniamini*. Quod quidem consilium Pontifici ideo amplexandum existimabat, quia sibi persuasissimum esset, institutum suum, nisi auspicem habeat Deum, breui ad nihilum iri redactum. Vnde cum à caussa semel suscepta non posset dimoueri, atque in hoc animum obfirmasset, nullius stare iudicio, nisi ad sacræ scripturæ regulam res exigatur, facta est ei discedendi potestas: & ad redeundum domum dati dies vnus & viginti, ea lege, vt in itinere populum nec concionibus, nec scriptis concitaret. Ita dimissus actis gratijs *Cæsari*, Aprilis die XXVI. discessit.

Electorum aliquot procerumq; cum Luthero colloquium.

Postea *Carolus Cæsar* in hoc ipso consessu *Wormatiæ* VIII. Maij edictum promulgauit, quo præfatus pertinere ad officium Imperatoris religionem amplificare, & hæreses nascentes extinguere, pergit narrare quantã *Mart. Lutherus* nauet operam in inficienda hæreseos suæ labe Germania: cui nisi maturè eatur obuiam vniuersam illam nationem in miserandam malorum voraginem ruituram præcipitem. *Leonem Pontificem*, hominem principio paternum in modum monuisse, Senatum Cardinalium, & virorum præstantium scripta eius damnasse, & ipsum declarasse Hæreticum, nisi intra tempus præfinitum errores abdicare vellet; atque huius condemnatorij diplomatis exemplar per *Hieronymum Aleandrum* Nuncium, missum ad se tanquam Ecclesiæ patronũ, quo postulat vt in Imperio, Regnis, Dominijs ac Prouincijs, sibi subiectis effectum sortiatur. Cum autem *Martinus* nihilo factus emendatior, cotidie libros accumulet refertos hæresibus, non modo recens natis, sed à sacrosanctis Concilijs iam pridem damnatis, neq; tantũ lingua Latina, sed vulgari & Germanica, (quos errores nominatim perstringit) concludit nullum eius extare scriptum, in quo non reperiatur pestis aliqua, aut læthalis aculeus, nec prope verbum quod non sit veneno tinctum. Quibus ab ipso, & Consiliarijs omnium nationũ sibi subditarũ, diligenter perpensis, se maiorum suorum Imperatorum Romanorum vestigia sequentem in hoc conuentu Wormatiæ, cum Principibus, Electoribus, & Imperij Ordinibus communicato consilio (vtcumq; fas vix esset audire hominẽ à summo Pontifice damnatum, in peruersa opinione sua obstinatũ, & hæreseos manifestũ, tamen ad adimendam omnem calumniandi materiam, multis tacitè obstrepentibus, audiendum esse prius, quàm ad Diplomatis executionem veniatur) decreuisse accersere eum ad se per caduceatorem, non ad cognoscendam & iudicandam fidei controuersiam, quæ cognitio ad solum spectat Pontificem, sed ad eundem in viam rectam salutaribus monitis reducendum. Pergit porro narrare, quomodo *Martinus* in celebrem illum

Cæsar Lutherum edicto publico proscribit.

illum confessum fuerit introductus, quid de ipso quæsitum, quid ab illo responsum sit, quomodo fuerit dimissus, quæ omnia superius recitata sunt. Concludit tandem, se propter gloriam Deo, reuerentiam Ecclesiæ, & dignitatem Imperio debitam, de consilio & assensu Principum Electorum, & Ordinum, exsequentem sententiam, damnationemq; à Pontifice decretam, Declarare Martinum pro manifesto hæretico habendum, & præcipere, vt omnes tal m agnoscant, denuntiatâ omnibus, etiam Principibus, & Ordinibus pœnâ, ne post vnum & viginti dies tecto recipiant, aut defendant, sed prehendant potius & custodiant; socios verò, adiutores & fautores ipsius bonis omnibus, tam mobilibus, quam soli exuant. Mandat præterea, ne quis eius libros legere, aut habere audeat, etiam si boni quidpiam contineant, sed vt tam Principes, quàm alij eos comburant, & perditum eant. Et quoniam aliubi excuduntur libri ex operibus Lutheri consarcinati, etiam picturæ, & imagines publicum aspiciunt, in Pontificis & aliorum ignominiam; imperat ne quis aut illos excudere, aut has depingere vel possidere sustineat, sed vt Magistratus ea capiant & adurant, Bibliopolis, alijsque ementibus aut vendentibus graui pœna mulctatis. Denique generali lege edicit, vt nullum imprimatur scriptum quamlibet exiguum, in quo de religione agitur, nisi id approbante Ordinario.

Leo 10. Carolus. Henricus 8. Franciscus 1.

Per idem tempus *Academia Parisiensis* certa quædam capita è libris *Lutheri* collecta damnauit, partim è *Wicleffi*, *Hussi* que dogmatis renouata, partim contra doctrinam Catholicam nuper adinuenta. Quibus oppositionibus nihil aliud est effectum nisi quòd reponente semper *Luthero*, libri multiplicabantur, contentionum ardor augescebat, multorũ curiositas excitabatur, qui capti studio discutiendi cõtrouersias, facile deprehendebant abusus & errores qui redarguebantur, adeoq; à cultu Pontificio alieniores sæpe fiebant.

A Theologis Parisiensibus Lutherus damnatur.

Ex *Lutheri* aduersarijs maximè illustris fuit *Henricus* VIII. *Angliæ Rex*. Is quum primogenitus Regis non esset, patris designatione ad Cantuariensem Archiepiscopatum destinatus, pueritiam in bonarum artium ac disciplinarum studijs posuerat. Sed ex tabe mortuo fratre natu grandiore, patri post vita functo in regnum successit. Tunc fore sibi gloriosum existimans ingenij vires periclitari in tam nobili religionis controuersia, contra *Lutherum* de VII. sacramentis librum edidit, quo & Pontificis Romani authoritatem confirmare, & *Lutheri* doctrinam labefacere contendit. Qui quidem cum ad *Leonis* manus peruenisset, Regem de se & Ecclesia tam bene meritum honorifico *Defensoris fidei* elogio decorauit. At *Lutherus* Regij nominis splendore haudquaquam consternatus, positâ reuerentiâ tantæ Maiestati debitâ, *Henrico* pari vehementia & verborum acerbitate respondit, qua Doctorculorum vulgus solebat excipere. Fecit certè hæc Regis ad eam caussam accessio, vt plerique in hac controuersia sibi non satisfacerent, immo, sicut in pugna spectatorum fauor ad debiliorem plurimũ propendere solet, & quæ ab eo geruntur licet mediocria, fiunt maximi: ita hîc aduersarij potentiâ factum, vt haberet *Lutherus* populum ad fauendum caussæ suæ multò quam ante procliuiorem.

In eundem Henricus VIII. calamũ stringit.

Hoc ipso mense statim à promulgatione edicti Cæsarei, *Hugo Episcopus Constantiensis*, cuius iurisdictioni Ecclesiasticæ subiecta est *Tiguri* ciuitas, dat literas ad collegium Canonicorum, in quibus erat *Zuinglius*, & alteras ad eiusdem oppidi Senatum. His recenset incommoda in Ecclesiam, Remque publicam nouitate doctrinarum importata, non modo in salutis animarum detrimentum, sed quietis quoque publicæ perturbationem. Hortatur vt diligenter sibi caueant à nouis illis doctoribus ambitione propria, & impulsu diabolico instinctis. Mittit vna & *Diploma Pontificis*, & *Edictum Cæsaris*, hortatus, vt illi pareant, & obsequantur; hoc recipiant & imitentur; singillatim verò perstringit *Zuinglium* & doctrinæ eius fautores. Quo nomine coactus ille collegis & Senatui, eorum quæ docebat, reddere rationem. Episcopo etiam rescribit *Zuinglius*, & in primis vrget non esse tolerandos diutius sacerdotes concubinarios, quorum improbitate fieret, vt ad ordinem Ecclesiasticum infamia, ad populum pessimi res exempli, ad omnes morum vitæque corruptela pertineret. Ei malo non aliter esse medendum, quàm si ex Apostolorum instituto coniugium illis permittatur. Eadem de caussa scripsit etiam ad omnes Heluetiorum coetus, illis in

Episcopus Constantiensis ad Senatum Tigurinum & collegium Canonicorum dat literas.

Quibus respondet Zuinglius.

Leo 10.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

memoriam reuocato edicto quodam, à Magistratibus maioribus facto, quo licebat cuique sacrificulo concubinam habere propriam, vt ab insidijs honestarum matronarum pudicitiæ struendis possent abstinere. Quod decretum vtut ridendum videri possit; tamen quod necessitas ei caussam dederit, non esse aliter mutandum, nisi vt, quod olim in gratiam concubinatus erat sancitum, id ad legitimi matrimonij beneficium conuertatur.

Dominicanis Zuinglij doctrinam impugnantibus dies disceptationi publicæ dicitur.

Iam motus ille factus ab Episcopo, & Dominicanos concitauit ad doctrinam *Zuinglij* impugnandam, & hunc ad sui defensionem. Itaque LXVII. conclusiones doctrinam suam & abusus Cleri Præsulumque complectentes scripto diuulgat. Cum inde dissidia & turbæ nascerentur, *Senatus Tigurinus* de tumultibus compescendis capit consilium, concionatores & Doctores eiusce iurisdictionis conuocat. *Episcopum* quoque *Constantiensem* rogat, vt mittat aliquem è suis prudentia & doctrina præstantem, qui colloquio intersit, ad turbas facilius placandas, & ea statuenda, quæ Dei gloriam maximè possint promouere. Missus ab eo *Iacobus faber*, Episcopi tunc vicarius, sed aliquanto post tempore, ipse *Viennensis Episcopus*. Ad diem constitutum cum venissent frequentes, *Zuinglius* Thematis ac conclusionibus suis in medium allatis, professus est, se eas defendere ac respondere paratum, si quis oppugnasset. *Faber* post multa à Dominicanis, & alijs Doctoribus contra *Zuinglium* dicta, & ab eo refutata, dixit, id argumentum non esse huius loci aut temporis; atque eam cognitionem propriè pertinere ad notionem Concilij mox congregandi, quòd inter Pontificem & Principes, Præsules, ac Magistratus ita conuenisset. Quod ipsum *Zuinglio* præbuit ansam cœptũ vrgendi, & affirmandi dicta hæc pro dolo esse ad populum vana spe lactandum, & interim ignorantiæ tenebris plus quam Cimmerijs inuoluendum. Posse quidem in præsens agi de certis, &, vel testimonio verbi diuini, vel recepta Ecclesiæ consuetudine claris & indubitatis, dum à Concilio magis copiosa & explicata dubiorum tractatio expectatur. Sed dum ille instat, vt si quid haberent, statim promerent, & conclusionibus suis opponerent, *Faber* contra, sibi cum illo minime verbis esse agendum, sed ipsius dogmata sibi scripto refutanda professus est. Senatus interim decernit, vt è Veteris & noui Testamenti libris Euangelium prædicetur: non autem secundum humanas traditiones ac constitutiones. atq; ita dimissus est Consessus.

Senatus edictum.

Concilium omnium opinione necessarium.

Cum igitur neque Doctorum, & Ecclesiæ Romanæ Præsulum vigilijs, neque Pontificis diplomate absolutè condemnatorio, neque tam rigido Imperatoris edicto, vel hilum proficeretur in extirpanda nouitia illa *Lutheri* doctrina, quin mage maiores indies faceret progressus, quòd remedia ægritudini curandæ non satis efficacia crederentur, visum est plerisque omnibus, eam necessariò medicinam esse adhibendam, quæ olim in occasione non absimili, è medijs tumultibus Ecclesiam in tranquillum adduxisset, Concilij generalis celebrationem. Itaque communibus omnium hominum votis cœpit desiderari, quasi salutare & vnicum remedium.

Sed propter longe diuersos fines varie expetitum.

Atque hîc isthæc cogitatio multorum mentibus obuersabatur, abusus in Ecclesiam, siue temporis diuturnitate, siue pastorum incuria inuectos, rebus innouandis dedisse originem; eoque fieri non posse, vt nisi abusus primum illi auferantur, perturbationes rerũ inde natæ medica manu curari se patiantur: iis verò non aliter commodè atq; vnanimiter consuli posse, nisi vniuersalis Synodi conuocatione. Quamuis autem viri pij, & in Deum remque publicam probe affecti, sic cogitarent & loquerentur; non deerant tamen complures diuersi generis homines, sed omnes se suaque respicientes, qui Concilium quidem deposcebant, verùm ijs legibus ac regulis astrictum, vt ipsis bono esse, & eorum commodis inseruire necesse habeat. Ac primùm ij, qui dogmatis *Lutheri* assensum suũ commodauerant, hac lege petebant Conciliũ, modò ex verbo Dei scripto omnia illic pronuntiarentur, nec vllus esset, aut humanis traditionibus, aut Scholasticæ Theologiæ locus, cum haberent persuasum hac via & ratione non modo doctrinam suam iri defensum, sed & eam solam iri probatum. At eiusmodi Concilium, quale ab annis DCCC. obtinuit, omnino reijciunt ac repudiant, neque illius se iudicio summittunt. *Lutherus* enim dicere solitus est, se, cum in *Wormatiæ* consessu adesset, perpusillo fuisse animo; quippe de doctrina sua

A Lutheranis

nempe

nempe diuina tam certum, vt iudicio Angelorum eam nollet submittere, quando per eam cum hominibus etiam Angelos omnes esset iudicaturus. Iam Principes & alij Prouinciarum rectores, cum non multum laborarent, quid Concilium de doctrinæ capitibus statuere debeat, Concilium eius generis cupiebant, quod sacrificulos & Monachos redigeret in ordinem & primam originem, sperantes hac via reditura ad se quæ dicuntur Regalia, & Iurisdictionem temporalem, quæ à se ad Ecclesiasticos profecta, tantam ijs rerum copiam & amplitudinem peperissent. Itaque dicebant se nullum facturos operæpretium, si id genus Concilium congregetur, in quo solis Episcopis & Præsulibus ius suffragij concedatur. Cum enim ipsorum emendatio per Concilium in primis quæratur, esse necessarium, vt emendandi prouinciam alij capiant, quos proprij emolumenti contemplatio neo rapiat transuersos, neque quicquam contra commune Christianorum bonum cogat statuere. Etiam populus non mediocri rerum cognitione imbutus, Concilium requirebat, quod potestati Ecclesiasticæ modum imponeret: vt neque miseri homunciones, decimarum, eleemosynarum, & indulgentiarum colore tot exactionibus grauentur; neque prætextu correctionum, & iudiciorum, ab Episcoporum ministris opprimantur. Ipsa denique aula Romana à Concilio non abhorrebat, quod debitam Pontifici obedientiam, sed iam præfidenter imminutã, in integrum restitueret; quodq; ad formã vltimis seculis vsitatam celebraretur, & res tractaret. At verò Concilium, quod sibi Pontificatus reformandi potestatem vellet arrogare, aut commoda Curiæ violenter inuadere, ea præsertim, quibus ad se maximam auri in orbe Christiano partem trahit, omnino non placebat. Verùm ipse *Leo* Pontifex lupum auribus tenens, quo se verteret, nesciebat. Videbat cotidie obedientiam sibi olim præstitam iam denegari, & prouincias vniuersas discessionem facere, cui rei remedium à Concilio etiam atque etiam expetebat. Sed rursus, cum reputaret remedijs posse laborari, etiam hoc remedium secum trahere reformationem secius gestorum, illud vt periculosæ aleæ plenum penitus auersabatur. Itaque totus erat in ea cogitatione, quem in modum congregaret Concilium *Romæ*, aut in alio aliquo ditionis Ecclesiasticæ oppido, sicut paucis ante annis ipse cum antecessore suo *Iulio Concilium Lateranense* non sine maximo fructu celebrassent; & schismate sedato, & regno Franciæ ad sedis Romanæ partes reducto, & quod caput est, *Pragmatica Sanctione* abolita: quæ cum Monarchia Romana pugnat dupliciter. Nam & pessimo exemplo, collationem sacerdotiorum, præcipuum amplitudinis Pontificiæ fabricandæ fundamentũ omnino sustulit, & memoriam *Concilij Basileensis*, quod Pontificem subiecit Concilio generali, fideliter fouebat. Sed nec tum satis perspiciebat, quomodo tale aliquod Concilium malo imminenti posset mederi, quod positum non erat in Principibus & Prælatis, ad commoda sua respectare edoctis; sed in populis, res ipsas, solida corpora, & veram rerum immutationem expectantibus. Atque hoc rerum statu *Leo* Pontifex sub finem anni MDXXI. vitam cum morte commutauit.

Hadrianus. 6. *Carolus.* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

A Principibus & optimatibus.

A populo.

Ab aula Romana.

A Pontifice.

Anni sequentis initio IX. Ianuarij assumpto ad Pontificatum *Hadriano*, quòd is nunquam Romæ fuisset visus, neo Cardinalibus & Aulæ familiariter notus, sed in Hispania plurimùm degens, mores Romanos, & liberam aulicorũ viuendi rationem vix putaretur approbaturus, defixis in eum omnium cogitationibus, Lutheranorum negotium aliquamdiu conquieuerat. Timebant alij, ne ad res in meliorem statum vertendas paulo esset propensior, alij ne (quod antea factum meminissent) euocatis ad se Cardinalibus, Romanam sedem Italia vellet educere; sed vterque metus frustra fuit. Postridie enim, quàm de sua ad Pontificatum electione nuntium accepit *Victoriæ* apud Cantabros ciuitate (qui fuit eiusdem mensis secundus a vicesimo) non expectatis, quos Cardinalium Collegium ad res significandas, & assensum ipsius impetrandum miserat, legatis, sed, quos iuxta se habebat paucis Præsulibus in vnum conuocatis, & electionem approbauit, & assumptis vestimento & insignibus Pontificalibus, pro Pontifice se gessit. Deinde sine cunctatione *Barcinonam* profectus, datis ad collegium Cardinalium litteris caussas exposuit, quibus adductus, cum nomen & munus summi Pontificis sumpsisset; tum Legatis non expectatis, itineri se dedisset. Atque vt id omnibus per *Italiam* notum facerent, sedulò mandauit. Et

1522. Hadrianus Pontifex Leoni mortuo succedit.

Hadrianus 6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

quanquam, ad sinum *Legionis* tempore non alienò traijciendum, expectatione diutius *Barcinonæ* subsistere cogeretur: tamen quantam potuit ad transfretandum in *Italiam* adhibuit festinationem. Eò nihilominus ante finem *Augusti* MDXXII. non applicuit.

Turbulentus rerum in Italia tunc temporis status.

Repperit tunc *Italiam* vniuersam *Adrianus* belli inter *Cæsarem* & *Gallorum* Regem sæuis fluctibus agitatam; sedem Apostolicam bello particulari cum Ducibus *Ferrariensi* & *Vrbinatium* implicitam; *Ariminum* à *Malatestis* recens occupatum; Cardinales factionibus diuulsos, diffidentesque inuicem; insulam Rhodum obsessam à Turcis; patrimonium Ecclesiæ exhaustum, & extremam rerum omnium in Ecclesiastica ditione pertubationem, propter VIII. mensium, quibus Pontifex aberat, Anarchiam: nihil tamen adueniens habuit pensius, quàm componere dissidia religionis in Germania. Cum autem in scholasticæ Theologiæ studijs à pueritia fuisset diligenter versatus, opiniones, quibus ea ætate fuerat imbutus, tam solidas ac luculentas existimabat, vt vix crederet, in quenquam sanæ mentis hominem cadere posse, contrariam tueri sententiam. Itaque *Lutheri* doctrinam appellare solitus stolidam, insipidam, rationis expertem; iudicabatque neminem nisi simplicem & sensus inopem ad eam accessurum: sectatores verò *Lutheri* intus, & cum animis suis non dubitare de veritate doctrinæ Romanæ, vtcumque hominum iniurijs prouocati callidè dissimularent. quare nihil esse facilius, quàm, & doctrinam, quæ sola vtilitatis propriæ consideratione ducatur, conuellere, & corpus illud, quod inualetudinis potius opinione quàm sensu laboret, paucorum desiderijs satisfaciendo, sanitati reddere. Ac quoniam *Vltraiecti*, quæ ciuitas est inferioris Germaniæ, natus esset, sperabat totam eam nationem, ipsius positionibus auscultaturam, & autoritatem sustentaturam, qui cùm Germanus esset, tum animi adeo sincerus, ac purus, vt technas ac fraudes inter agendum ab eo metuere nemo debeat. Et cum compertum haberet magnum momentum esse in celeritate, constituit apud se, captare primam, quæ dabat sese per conuentum *Norimbergensem*, qui iam instabat, proponendæ sententiæ suæ occasionem. Quæ vt lubentius audiatur, promissaque sua non ludicra et inania, sed solida certaque existimentur, rebus suis conducere putabat, antequam ad tractandum cum *Lutheranis* accedat, institutæ à se reformationis statim edere specimen, sublatis ijs, quæ in religione dissidia peperere, corruptelis.

Adriani quòd & Theologus esset, & Germanus, de Lutheranis reprimendis spes ac consilia.

Ea gratia accersiuit *Romam*, *Ioannem Petrum Carraffam Archiepiscopum Chietanum*, & *Martellum Cazelem Caietanum*, homines probitate & morum integritate spectabiles, & rerum ad Ecclesiasticam disciplinam spectantiū admodū intelligentes, vt communicato cum his, & Cardinalium intimis concilio, maximis corruptelis medicinam excogitaret; inter quas omnium prima sese offerebat, profusa Indulgentiarum vastitas, per quam, ad nominis celebritatem primùm patefactus est aditus nouitijs in Germania concionatoribus.

Studium Reformationis.

Pontifex, qui, vt Theologus, de hoc argumento multò ante scripserat, quàm *Luthero* venisset in mentem id pertractare, in hac erat opinione, sibi iam Pontifici Decreto Apostolico stabiliendam eandem, quam priuatus docuisset & scripsisset doctrinam, nimirum; Quando indulgentia conceditur alicui, qui eiusmodi pium opus sit operaturus, fieri posse, vt quis ita numeris omnibus opus hoc perficiat, vt indulgentiam promereatur, ac consequatur. Sin vero de perfectione debita operi quid desit, tum operantem non totam consequi Indulgentiam, sed partem tantum, quæ operi imperfecto, proportione quadam respondeat. Hocmodo Pontifex se partibus suis probè functum putabat, quo, cùm scandalo omni in posterum obuiam iretur, tum pristinis offensionibus adferretur medicina. Etenim, si verum est minimum quodque opus posse ita circumstantijs esse vestitum, vt maximum quodque præmium mereatur, inde facile solui, quod à *Luthero* obijcitur; Qui fiat vt denarij oblatione tantus Thesaurus comparetur? Rursus, si verum est, deficiente parte aliqua opere, eum qui totam non promeretur indulgentiam, partem saltem aliquam proportione operi respondentem lucrari, non esse, quòd defectibus suis fideles ab indulgentijs comparandis deterreantur.

Ac primū Decretum cogitat de Indulgentijs.

Sed *Thomas Caietanus S. Sixti Cardinalis*, eximius Theologus, Pontificem ab instituto

dehortatus

Adrianus 6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Card. Caietanus Pontificem ab incoepto dehortatur.

dehortatus est, affirmans hoc modo reuelatum iri eam veritatem, quam propter animarum salutem multo sit conducibilius celare, & illibatam seruare apud homines eruditos, quàm disputabilis potius esset quam decisa. Se quidem, licet eam animitus amplecteretur & foueret, in scribendo tamē ita rē tēperasse, vt non nisi homines consummatissimi genuinum è verbis suis sensum possent elicere. Quod si hæc doctrina authoritate publica semel euulgata fuerit, tum fore periculum, ne literati etiam ex ea colligant, Papæ concessionem nihil quicquam iuuare, sed quicquid eius sit qualitati operis imputandum. Quæ res absque dubio feruorem hominum in acquirendis Indulgentijs valde frigefactura esset, & opinionem de autoritate Pontificia conceptam mirum in modum labefactatura. Addidit Cardinalis, se postquam mandato *Leonis* in hoc argumento exactissimam operam & studium collocasset, eo ipso anno quo contentiones in Germania sunt excitatæ, & de ea re tractatum integrum conscripsisset, commodam nactum esse anno sequente occasionem, cum *Augustæ* Legatus esset, ad ea, quæ didicisset, euentilanda, & accuratius tractanda in sermone cum multis, & difficultatibus excutiendis, quæ Prouinciam illam disturbabant. Maximè vero in duobus, quæ cum *Luthero* habuit in ea ciuitate colloquijs, materiam illam omnem diligenter copioseque discussisse, eàque iam bene concoctâ fidenter ac piè sine periculo incidendi in errorem asseuerare, non aliter medendum esse scandalis, & offensionibus præteritis, præsentibus ac futuris, quàm si res ad pristinum primigeniumque statum reducatur. Esse enim certissimum, vtcumque Papa beneficio Indulgentiarum à quocunque genere poenæ fideles possit liberare; legentibus tamen Decretales liquidò apparere, Indulgentiam esse absolutionem, siue liberationem solùm à poenis in confessione impositis. Itaque habitâ curâ de reducendis in praxim Canonibus poenitentiarijs, qui iam in desuetudinem abierunt, & impositis secundum hos canones confitentibus delicta debitis & moderatis pœnitentijs, vnumquemque & facilè perspecturum Indulgentiarum necessitatem, ac vtilitatem, & easdem sedulò perquisiturum; ad se grandi poenitentiarum onere liberandum. Ita rediturum illud aureum primitiuæ Ecclesiæ sæculum, quo Præsulibus absolutum erat in fideles hoc solo nomine imperium, quòd pœnitentiarum officio assiduè eos exercebant: cum, nostris temporibus, inertiæ dediti obedientiæ iugum conentur excutere. Ipsum populum Germaniæ, qui nunc otio immersus, faciles præbet aures *Luthero* libertatem Christianam prædicanti, si iniecto poenitentiarum fræno fuisset repressus, de his nouitatibus nunquam fuisse cogitaturum: & sedem Apostolicam, omnibus beneficij magnitudinem debitè agnoscentibus, earundem gratiam fuisse facturam.

Ipsius Caietani opinio de natura Indulgentiarum.

Hæc *Caietani* opinio, Decretalium auctoritate fulta, Pontifici eò magis placuit, quòd, quid contra obijci posset, non videret. Eam igitur in Poenitentiaria curauit proponendam, ad rationem inuestigandam, quâ Romæ primùm, dein in alijs orbis Christiani prouincijs vsu obtineret. Ob quam caussam cum Poenitentiarijs sæpius conuenere ij, quos Pontifex reformandis rebus delegauerat, ad consultandum quo modo vsum haberet. Sed hic tot tantæque obstabant difficultates, vt tandem *Laurentius Puccius Florentinus* Cardinalis IV. *Sanctorum* non ita pridem *Leonis* Pontificis *Datarius*, & egregius pecuniæ conquirendæ artifex, vt supra diximus, nunc vero summus *Poenitentiarius*, ad Pontificem de communi omnium sententia renuntiauerit, quod ille proposuerat, videri impossibile, tantumque abesse, vt si eius fiat periculum, præsentibus malis faciat medicinam, vt contra multò grauiora sit concitaturum. Poenas enim Canonibus irrogatas iamdudum exoleuisse, & deficiente pristino populi zelo ferri amplius non potuisse. Neque earum reuocandarum spem vllam subesse, nisi recursante in Ecclesiam eodem, qui olim eam occupauerat, feruore & charitate. Hoc seculum esse dissimile seculis retroactis, quibus Ecclesiæ decreta temerè recipiebantur; cùm hoc æuo vnusquisque velit agere iudicem, & rationes decretorum expendere. idque cum in rebus nullius aut exigui momenti fieri cernatur, quanto magis in re grauissima esse expectandum? Non dubitari quidem, quin medicina morbo sit appositissima: sed quando infirmi corporis vires longe exsuperat, verendum, ne pro salute præsentaneum afferat exitium; &, dum de recuperanda

Ea Pontifici principio probatur.

Sed dissuadet eam Poenitentiarius vti temporibus parum conuenientem, & altum de Indulgentijs silentium suadet.

randa

Adrianus.6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Act.15.10.

randa Germania capitur consilium, ipsa Italia ante amittatur; etiam illa multò euadat auersior. Quibus subiungit Cardinalis, Audire mihi videor, qui cum *D. Petro* dicat; *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum*, quod *neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Hortatur eum meminisse velit celebris loci in glossa, per ipsum in suo quarto sententiarum libro citatum, nempe, *Controuersiam de valore Indulgentiarum & antiquam esse, & dubiam.* Simul vt expendat quatuor opiniones, omnes Catholicas, & tamen valde diuersas, quas glossa illa recenset. Ex quibus concludit esse perspicuum, id argumentum his temporibus silentium postulare potius, quàm altiorem indaginem.

Hadriani de indulgentijs, dispensationibus, & alijs, vbi reformatione, opus, fluctuatio.

His rationibus ab *Hadriano* diligenter pensitatis, quid faceret pendebat animi: hoc ipso solicitior, quòd etiam alijs in rebus, quarum reformationem animo designauerat, non facile difficultatibus se expediebat. Nam in materia dispensationum matrimonialium, cùm constituisset apud se, tollere per multas prohibitiones, vetantes contrahere matrimonium inter certas personas, quæ & superuacaneæ, & obseruatu difficiles illi videbantur; quibusque sublatis, se populum magna molestia subleuaturum putabat: id ei vitio vertebatur, quasi rem tentanti, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ neruos debilitatura esset; cum contrà eisdem continuatis, occasionem præberet Lutheranis affirmandi, eas ad pecunias colligendas esse aucupia. Rursus, si easdem dispensationes restrinxisset ad qualitatem quarundam personarum, videbat eis nouam suppeditari querelarum materiam: proptera quòd in spiritualibus, & ad ministerium Christi pertinentibus, nulla esse debeat personarum acceptio. Cùm de sumptibus pecuniarijs, qui in ista conferuntur, tollendis cogitabat; ne hoc quidem fieri posse animaduertebat, nisi redemptis, quæ *Leo* Pontifex vendiderat, officijs: quorum emptores inde lucrum captabant. Quod ipsum quoque impedimento fuit in abolendis regressibus, accessibus, coadiutorijs (quæ vocant) alijsque modis in collatione beneficiorum vsitatis: quæ omnia Simoniæ finitima sunt, nisi mauis verius de essentia dicere Simoniæ. Officia autem illa redimere *Hadriano* erat impossibile, propter immodicos sumptus, quos facere & continuare erat necesse: quibus sese imparem agnoscebat. Sed illud omnium maximè animum eius excruciabat, quod, cum abusum aliquem tollere decreuisset, non deessent, qui noctem rebus offundentes, eam rem tanquam bonam aut necessariam defendendam susciperent. Cum his difficultatibus conflictatus Pontifex, hæsit animi anxius vsque ad Nouembrem, cupientissimus tamen insigni aliqua emendatione testatam facere omnibus animi sui propensionem, ad remedia corruptelis, quæ iam inueterassent, ante adhibenda, quàm cœpisset immiscere se rebus in Germania tractandis.

Soderini callidum & acre consilium *Hadrianum* dehortantis ab studio reformationis.

Suspensum autem, & vacillantem confirmauit tandem *Franciscus Soderinus, Prænestinus* Cardinalis, dictus *Volaterranus*, ab intimis ei tum Consilijs, sed post paulò alienato Pontificis animo, ab eo in custodiā datus. Hic in rerum ciuiliū tractatione versatissimus, quem scilicet *Alexander, Iulius* & *Leo* Pontifices plurimis & maximis negotijs adhibuerant, in omnibus suis cum Pontifice sermonibus verba emittebat, quibus ille institui & erudiri posset. In *Hadriano* probitatem, ingenuitatem, animumque reformandæ Ecclesiæ & profligandis hæresibus intentum vehementer probabat. Sed negabat solam voluntatis propensionem laude dignam: quod ea sola ad bene agendum non sufficeret, nisi ad eam accederent, accurata mediorum conuenientium electio, & eorundem prudens & cauta executio. Sed cum videret illi temporis angustijs oppresso aliquid necessariò constituendum, his verbis eum est affatus. Minimè esse sperandum, vt per emendationem morum Curiæ Romanæ deleantur, & exterminentur Lutherani: eam potius esse rationem augendæ ipsorum & existimationis, & contumaciæ. Imperitam enim plebem, quæ ex euentibus solet iudicare, comperto semel ex emendatione cœpta Pontificiam Ecclesiæ gubernationem parte aliqua iure reprehensam, facile sibi persuasuram, non minus iustas esse caussas aliarum rerum proponendarum, quæ similem requirant emendationem: ipsosque hæreseon autores, in vno aliquo victoriæ compotes, nunquam congrediendi & coarguendi finem facturos. In cunctis rebus humanis vsu venire, vt, cui in aliqua postulatione satis est factum, is postulata postulatis accumulans, omnia impetrare

discupiat

discupiat; & suo sibi iure deberi credat. Historias veteres voluentibus liquere, ex quo tempore natæ sunt hæreses, Ecclesiæ Romanæ autoritatem vellicantes, omnes, corruptos Curiæ mores conatibus suis obtendisse. Præterea nemine vnquã Pontificum reformandi viam quasi rebus suis vtilem sequutum, sed adhibitis primum monitis, & præceptionibus continuò Principes ad Ecclesiam protegendam acciuisse. Quod anteæuo cessit fœliciter, id arctè tenendum, obseruandumque: neque vlla ratione citius euerti Rempubl. quàm mutatâ regiminis formâ. Nouis & insolitis aditum patefacere, esse perinde, ac grandibus se obijcere periculis: longè tutissimum incedere viâ piorum Pontificum, quorum incœpta fœlicem habuere exitum. Nullum eorum hæreses reformationibus excidisse, sed Cruciatis, quas vocant, excitatis contra eas Principibus, & populis, *Crucis Symbolo* insignitis. Meminerit *Innocentium* III. hac via *Albigenses* in Gallia Narbonensi oppressisse; & eâdem sequutos Pontifices, *Valdenses*, *Picardos*, *Pauperes de Lugduno*, *Arnaldistas*, *Speronistas* & *Patauinos*, quorum præter nudum nomen nihil remansit, variis in locis extinxisse. Neque defuturos in Germania Principes, qui, hoc concesso à Pontifice, vt liceat ipsis fautorum *Lutheri* territoria inuadere, conditionem vltro sint accepturi: maximè, si populi vicini Indulgentijs & peccatorum expiationibus oblatis, ad succurrendum inuitentur. Ad hoc proposuit Cardinalis, Pontifici non sic cogitandum de tumultibus Germaniæ religionis caussa, quasi nullum aliud immineret Sedi Apostolicæ periculũ. Impendere bellum Italicum, cui, tanquam maioris discriminis negotio, potissimùm sit incumbendum; eò quod, nisi pecuniâ, quæ est belli neruus, bene munitus accederet, insigni infortunio posset mactari. Neque verò reformationem vllam posse institui, quæ obuentiones Ecclesiasticas non insigniter diminutum eat. Quarum cum IIII. sint fontes, vnus temporalis, status Ecclesiastici reditus ordinarij; alij spirituales, *Indulgentiæ, Dispensationes, & Beneficiorum collationes*; nullum horum posse obturari & occludi, quin derepente de censu Ecclesiastico quarta pars decedat.

Adrianus. 6. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Hoc sermone cõmunicato cum *Gulielmo Encourt*, quem postea creauit Cardinalẽ, & *Theodorico Hezio*, quorum vtroque familiarissimè vtebatur, *Hadrianus* professus est miseram esse Pontificum conditionem; quibus videbat deesse recte faciendi facultatem, etiam cùm maxime velint, & in id operam ac diligentiam impendant. Cum itaque ante destinatum in Germaniam iter, nihil ab eo perfici posset in vllo reformationis genere, hoc vnum supererat vt pollicitis suis fidem haberent: quæ ille dubio procul præstare decreuerat, etiam, si vniuersum dominium suum temporale illi foret amittendum; aut Apostolicæ vitæ exemplo ad vltimam inopiam reuertendum. Seuero tamen edicto præcepit vtrique, quorum alter erat *Datarius*, alter Secretarius, vt in concedendis indulgentijs, dispensationibus, regressibus, & coadiutorijs tantisper parci moderatique essent, quoad lege & constitutione perpetua ad certam normam dirigerentur. Quæ omnia fusiùs narrata cum legissem, in *Ephemeride Episcopi Fabrianensis*, in qua memoriæ tradit res memorabiles sibi visas ac auditas, ea hic paucis complecti visum est, quòd ad illa, quæ infra commemorantur, intelligenda, conducant plurimum.

Hadrianus experitur & agnoscit miseram esse PP^n. Romanorum conditionem.

Ephemeris Episcopi Fabrianensis.

In primo Consistorio Romæ mense Nouembri habito, designatur à Pontifice, de sententia Cardinalium, *Franciscus Cheregatus*, Episcopus *Fabrianensis* (quem iam nominauimus) ipsi in Hispania notus, qui Nuncium ageret *Norimbergæ* in comitijs, quæ in Germania celebrabantur absente Cæsare: cum is ante aliquot menses in Hispaniam profectus esset ad tumultus & seditiones inibi exortas, præsentiâ suâ cõpescendas. Venit Nuncius *Norimbergam* anni exitu, & Pontificis literas ad Electores, Principes, & Ciuitatum Germaniæ Oratores communiter die XXV. Nouembris conscriptas exhibuit. Quibus aiebat, dolere sibi vehementer, *Martinum Lutherum*, *Leonis* sententia damnatum, edictoque Imperatorio facto *Wormatiæ*, perque vniuersam Germaniam promulgato, proscriptum, nihilo minus in eisdem erroribus persistere, libros hæresibus refertos quotidie edere, nec plebeios modò, sed Nobilium complures beneuolos & fauentes habere. Vtcunque ab Apostolo dictum sit, *ad probandos fideles, hæreses esse necessarias*, temporibus magis opportunis eã necessitatem fuisse tolerabilem, his autem minime: quibus, Turcico furore in Christianos vi armisque

Pontificis literæ aduersus Lutherum ad ordines Germaniæ Norimbergam per Cheregatum Nuntium missæ.

Adrianus. 6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

que vehementius grassante, ad domestica mala profliganda omni studio sit inuigilandum; cùm eorũ pericula & detrimenta impedimento esse nemo nesciat ad hostẽ tam potentem armis depellendum. Hortatur deinde Principes, populosque, vt tam diuturnâ patientiâ tantam improbitatem nolint fouere; hoc proposito ob oculos, quàm sit ignominiosum illis, duce fraterculo, abduci è via, quam ipsorum maiores constanter tenuerunt: quasi inter mortales vnus *Lutherus* sciat, ac sapiat. Quandoquidem *Lutheri* sectatores obedientiam legibus Ecclesiasticis subduxerint, secularem magistratum multo magis spreturos; & qui in bona Ecclesiastica inuolauerint, à laicorum bonis non temperaturos; denique qui sacrilegis manibus Dei sacerdotes attentare præsumant, ipsorum ædibus, vxoribus & liberis haudquaquam parcituros. Suadet denique, quando lentis ac lenibus remedijs apud Martinum & sectarios non proficitur, ad aspera ferrum & focum deueniant; membra putrida à reliquo corpore resecent, sicut multo ante *Datane, Abirone, Anania, Saphira, Iouiniano* & *Vigilantio* factũ sit, & à maioribus suis *Ioanne Husso* & *Hieronimo à Praga* in Constantiensi Concilio: quorum exempla, re iam deplorata, ipsos æmulari deceat. Postremò, quæ ad eam rem aliasue pertineant, *ex Cheregato Nuncio* suo cognoscere iubet. Dedit etiam eisdem fere verbis ad Principes literas; sed singillatim Saxoniæ Electorem rogauit, secum vt reputaret, quanta labes per eum ad posteritatem redundatura esset, si hominem fanaticum, impijs insanisque commentis omnia conturbantem, doctrinam sanguine Martyrum, Sanctorum Doctorum vigilijs, ac tot fortissimorum Principum armis firmatam, à radicibus conuellere conantem, suo fauore subleuaret. Itaque per maiorum vestigia potiùs incederet, neque pateretur, homuncionis insanientis offucijs oculorum sibi aciem præstringentibus, abduci se in errores tot Synodorum consensione damnatos.

Ac singulatim ad Saxoniæ Electorem.

Præter has Pontificis literas protulit etiam in Conuentu Nuncius Mandatum, quo illi erat præscriptum, vt Principes ad Lutheranam pestem exscindendam VII. rationibus animaret. I. erat, gloria Diuini nominis, & amor proximi II. dedecus & infamia Germanicæ gentis. III. existimationis propriæ aspectus, ne videantur aut à maioribus suis degenerare, qui *Constantiæ* condemnationi *Ioannis Hus* & aliorum hæreticorum interfuerunt, horum aliquos suis manibus ad ignem deducentes; aut sibi ipsis non constare, quorum bona pars non ita pridem approbauerat Cæsareum contra *Lutherum* edictum. IIII. iniuria à *Luthero* ipsorum maioribus facta, aliam fidem prædicante, quàm ipsi agnouerint; & consequenter ipsos infernalibus pœnis adiudicante. V. Finis Lutheranis propositus, nempe secularis potestatis neruos incidere, abrogatâ semel Ecclesiasticâ, obtentu vsurpationis contra libertatem Euangelicam: vtcunque ad incautos decipiendos callidè simulent, se illam sartam tectam imprimis cupere. VI. Dissensiones & turbæ, quæ per illam sectam excitatæ sunt in Germania. Postremo, quòd *Lutherus* ad hæresim suam disseminandam ijsdem artibus vtatur, quibus olim vsus *Mahometes*, exsatiandis carnis cupiditatibus fræna laxans, licet, ad efficacius fallendum, maiore in speciem moderatione. Quòd si quis dicat, *Lutherum* indefensum, & inauditâ caussâ damnatum, eoque ante audiendum, quàm puniatur: Respondendum, esse quidem æquum vt audiatur in rebus facti, an concionatus sit, an hoc aut illud scripserit, nec ne. In rebus verò fidei ac materia sacramentorum, id non esse consentaneum, quòd dogmata Generalium Conciliorum & Ecclesiæ authoritate semel approbata, nunquam sint reuocanda in dubium. Mandat porro Pontifex, ingenuè vt fateatur, ex peccatis hominũ maximè sacerdotum & Præsulum, natam hanc rerum perturbationem; etiam in ipsa sancta sede, ab aliquot annis, abominanda pleraque perpetrata; multos fuisse abusus in spiritualibus, multos excessus in præceptis: denique omnia sic in deterius mutata, vt lues à capite ad mẽbra, à Summis Pontificibus ad minores Præsules deuergens, latè se diffuderit, ac vix vnus aliquis reperiatur recte faciens, atque ab ea tabe immunis. Cui malo persanando, cùm & suapte sponte, & officij debito incumbere debeat, nauaturũ operã quantã poterit diligentissimã, vt ante omnia Curia Romana, vnde forsan tot mala sunt deriuata, corrigatur. Idque sibi eo vehementius elaborandum, quo auidiùs ab omnibus desideratur. Neque tamen debere

Pontificis VII. rationes ad Principes Germaniæ concitandos conta Lutherum.

Ingenua Pontificis confessio Germaniæ calamitates Ecclesiasticorum peccatis in primis tribuens.

Hadrianus 6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

debere cuiquam videri mirum, si non primo quoque tempore tolluntur abusus. malum enim cum sit inueteratum & multiplex, non nisi pedetentim in eo curando progrediendum, sumpto à grauioribus initio: ne forte dum omnia simul tentantur, repentino medendi impetu omnia conturbentur. Monuit etiam, suis vti verbis polliceretur, se pacta quæ cum Pontificibus olim confecissent (concordata vocant) obseruaturum, & in lites forenses, quas ab Auditore Rotæ Romā euocatas in Germaniam transferri petant, breui inquisiturum: vt ex iuris formula ad partes iudicium reijciatur. Denique vt à Principibus & Ordinibus responsum literarum flagitet, simulq; rationem ab ijs addiscat, qua commodissimè Lutheranorum sectæ obuiam eatur. Lectis Pontificis litteris, & audito Nuncij Mandato, addidit *Cheregatus* ad Superiora, in Germania passim conspici Monachos, qui monasterijs abdicatis, secularibus se addicant negotijs; & sacerdotes, qui magno Religionis contemptu probroque vxores ducant; à plerisque horum multis scelerate & licenter patratis. Esse itaq; necessarium, vt conuenienti remedio illicita & sacrilega hæc matrimonia dissoluantur, horum auctoribus seueriter castigatis, & Apostatis in potestatem superiorum reuertentibus.

Principes Nuncio Pontificio respondent.

Principes & ordines, Scripto Respondent Nuncio, Legisse se admodum reuerenter Breue Pontificium, & Mandatum ab eo exhibitum de negotio Lutheranorum; agere se gratias Deo, de adscita in Pontificatum sua Beatudine, cui à Maiestate Diuina fausta omnia precantur. Et (cum dixissent quæ oportuna viderentur de concordia inter Principes Christianos, & bello contra Turcas) ad postulatum, de exequendis Decreto Pontificio, & Cæsareo edicto, contra Lutherum publicè denuntiatis, respondent: se quidem ad errores omni ope operaque profligandos esse quàm paratissimos; eius tamen sententiæ Edictique exequutionem, grauibus iustisque de caussis à se prætermissam. Plerosque enim è populo *Lutheri* libris edoctos, à Curia Romana nationem Germanicam multis incommodis detrimentisque vexatam; adeo vt si decretum illud exequi tentassent, magna pars hominum suspicatura esset, id fieri ad abusus atq; impietates, in quas ille inuectus fuerat, tuendas tolerandasque: ex qua populi persuasione nasciturí viderentur tumultus populares, cum manifesto belli ciuilis ac rebellionis periculo. Quocirca in huiusmodi rerum asperitatibus hoc magis commodioribus vtendum esse remedijs, quod ipse Nuntius Pontificis verbis fateatur, peccata hominum tantis malis originem dedisse; & curiæ Romanæ emendationē polliceatur: cuius nisi abusus corrigantur, & grauamina tollantur, atq; capita à Principibus scripto mox proponenda, reformentur, fieri non posse, vt sedatis tumultibus firma pax intep Ecclesiasticos & seculares constituatur. Et quoniam Germaniæ populus in solutionem *Annatarum* consenserit hac lege, vt in bellum aduersus Turcam ea pecunia erogaretur, cumque ea tot annis depensa numquam in quem debebat vsum fuerit conuersa; orare se, ne postmodum hunc censum Romana Curia exigat; sed ad belli sumptus in publico Imperij ærario recondi iubeat. Quod autem concilium ab ipsis petat, qua ratione tot malis ingruentibus obuiam eundum censeant; sibi quidē videri, cū non de *Luthero* solùm agendum sit, sed de eradicandis multis erroribus & vitijs longa consuetudine inueteratis, quibus alij per imprudentiam, alij per malitiam patrocinantur, non aliàm esse viam commodiorem magisue efficacem, quàm vt Concilium pium, liberum & Christianum de assensu Imperatoris, in vrbe aliqua Germaniæ ad eam rem maximè oportuna, *Argentorati* videlicet, vel *Maguntiæ*, vel *Coloniæ*, vel *Meti*, quantum potest ocyssimè congregetur: sic vt ea conuocatio vltra annum non differatur; atque omnibus qui interfuerunt, tam laicis, quam Ecclesiasticis, potestas fiat pronuntiandi liberè & consulendi, citra alterius cuiuscunque iuramenti, aut obligationis violatæ periculum, quod ad Dei gloriam, animarumque salutem maximè conducat. Quod quidem cum primo quoque tempore à Beatitudine sua libenter præstandum sperent, ne ipsi interim salutaribus remedijs circumspiciendis vllam officij partem deseruisse videantur, apud se constituisse, agere cum Saxoniæ Electore, ne Lutherani libros emittant, aut excudant: atque vt concionatores per vniuersam Germaniam ea reticentes, quæ turbis ciendis faciant, Sanctum Dei Euangelium purè ac sinceriter, secundum doctrinam ab Ecclesia approbatam,

Cōcilij liberi in Germania celebrationē deposcunt.

Hadrianus 6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

pro concione doceant, disputationibus omnibus, controuersiisque omissis, atque ad Concilij notionem reseruatis. Vt Episcopi substituant viros pios & literatos, qui concionatores obseruent, instruant, corrigant: Sic tamen, vt nulla inde oriatur suspicio, quasi cupiant veritatis Euangelicæ cursum impedire. Vt nihil noui deinceps excudatur, nisi quod ab hominibus probitate & doctrina conspicuis luce dignum iudicabitur. His rationibus sperare futurum, si Pontifex grauaminibus publicis remedia prouiderit, & Concilum liberum Christianumque coegerit; vt tumultus quiescant, & res è turbulentis in tranquillas vertant. omnes enim viros probos, eius Concilij, quod mox celebratum iri sperent, decreta sine dubio placide expectaturos. De Sacerdotibus qui vxores duxerint, & Monachis, qui monasticam professionem abiurarint, quod iure ciuili nihil poenæ in eos esset constitutum, illud satis sibi videri, si ab Ordinarijs mulctentur poenis Canonicis. Sin verò flagitium aliquod admittant, vt Principes & Magistratus, in quorũ territorijs delinquunt, pro admissi ratione de ijs poenas sumant.

Ad responsionem Principum Nuntij replicatio.

Nuncius hoc responso satis sibi factum non existimans, replicandum censuit. Ac primùm caussam, ob quam Pontificis Decretum, Edictumque Imperatorium contra *Lutherum* executioni mandata non fuerint, ad vitandam scilicet populi offensionem, coarguit tanquam immalidam. Licet enim verisimile foret scandala inde nascitura, non ideo tamen toleranda mala, vt ex ijs bona eueniant; longeque maiorem de salute animarum, quàm de publica tranquillitate habendam solicitudinem. Neque enim *Lutheri* sectatores, vel scandala, vel grauamina ab Curia Romana errori suo iure prætexere; quæ si vera certaque forent, non idcirco ipsis ab vnitate Catholica fuisse abscedendum, sed durissima quæque potius patientissime perferenda. Petit itaque vt Decretum hoc, edictumque priùs exequi velint, quàm conuentus ille dimittatur; paratâ iam promptaque sede Apostolica ad subleuandam Germaniam, iniustis Curiæ Romanæ, si quæ essent, direptionibus; simul ad discordias, si quæ occurrerent, inter Ecclesiasticos et Principes seculares componendas restinguendasque. De *Annatis* quando Pontifex oportunè responsurus esset, nihil in præsens adijcere. Sed ad postulationem de conuocando Concilio respondit, sperare se, Pontifici non ingratum fore, modò maiori verborum modestia flagitetur; verbaque ea expungantur, quæ offensioni meritò esse possunt; cuiusmodi sunt, vt Concilium de consensu Cæsareæ maiestatis, & in vna potius quam alia ciuitate conuocetur. quæ verba nisi leuantur, Pontifici manus alligare velle videntur, nullum bonum effectum certe paritura. De concionatoribus instabat, vt Pontificis decretum obtineat, quo, concionandi munere omnibus est interdictum, quorum doctrinam Episcopus non examinauerit. Tum, quia, quod de typographis & librarijs responderant, ei omnino non placebat, vrgebat aduersus eos Pontificiæ & Imperatoriæ sententiæ exequutionem, vt libri concremarentur, & eorum editores graues luerent poenas: quod in hoc quasi cardine totius negotij summa verteretur. de libris verò excudendis vltimi Concilij *Lateranensis* Sanctiones seruarentur. De Sacerdotibus denique coniugatis responsionem Principum aiebat sibi non displicituram, nisi in cauda latuisset aculeus: dum supplicium ipsis ob scelera infligendum ad Principes & magistratus seculares reijcitur. Hoc enim esse, in Ecclesiasticæ libertatis iura inuadere, in alienam messem falcem immitere, et eos, quos suæ sibi curæ Christus reseruauit, attingere. Totâ enim viâ errare Principes, si credunt, propter apostasiam delinquentium ad se caussæ cognitionem delabi; aut ius castigandorum aliorum in illis delictorum sibi competere: quòd permanente in illis Charactere & Ordine Ecclesiæ potestati adeo sunt obnoxij, vt non alia sit in eos Principum potestas, quàm vt eos Episcopis ac superioribus castigandos denuncient. Concludit tandem rogans eos, vt diligentiori habita super ijs rebus deliberatione, meliorem, saniorem, magis enucleatam, meliusque consultam Pontifici reddant responsionem.

Ea, vt iniqua petens, Principibus parum probatur.

Ista Nuncij replicatio in Conuẽtu parũ grata fuit Principibus, vulgo inter se dictitantibus, illũ metiri bonũ & malũ ad solã amussim vtilitatis Curiæ Romanæ, non autẽ ad modulũ necessitatum Germaniæ. Conseruationem quidem vnitatis Catholicæ,

licæ, debere magis impellere, ad bonum illud faciendum, quod est factu facile; quàm ad perferendum malum, quod est toleratu difficile. Nuncium tamen postulare, vt Germania patienter & æquo animo ferat oppressiones à Curia Romana illatas, cum ipsa ne tantillum quidem inclinet ad bonum, immo verò non absistat à malo, nisi solis verbis, siue promissionibus. Certe nimis acrem præ se laturum fuisse sensum, si ex tam modesta, necessariaque Concilij postulatione offensionis occasionem cepisset. Vnde post prolixam disceptationem de communi sententia decretum fuit, ad Pontificis literas non aliter esse respondendum, sed expectandum potius, quid ille de responsione iam data statuendũ putaret. Ex eo Principes seculares longam, aduersus Curiam Romanam, & vniuersum Ordinem Ecclesiasticum seorsim instituerunt querimoniam, de iniurijs nationi Germanicæ illatis; quas in C. capita redactas ideo vocarunt *Centum grauamina*. Ea, quòd Nuncius, quicum super ijs sermonẽ habuerãt, ante discessisset, quàm dilatata fuissent, miserunt ad Pontificẽ, protestati non esse sibi diutiùs toleranda; sed cùm temporum necessitate, tum rerum iniquitate oppressis, vias sibi omni opera ac studio inuestigandas, ad se tantorum malorum onere expediendos. Et quoniam longum esset omnia oratione complecti, in summa questi sunt de ingentibus pecuniarum summis, quas nomine dispensationum, absolutionum & Indulgentiarum continuo cogebantur dependere; de processibus quos è Germania Romam aduocabant, de beneficiorum reseruationibus, commendarum & Annatarum corruptelis, de Ecclesiasticorum delinquentium exemptionibus à iudicijs, de Excommunicationibus et iniustis interdictis; de caussis laicorum per varios prætextus ad forum Ecclesiasticum euocatis; de immensis sumptibus in templorum & cæmiteriorum consecrationes factis; de poenitentijs pecuniarijs, deque impensis ad sacramenta obtinenda, & defunctorum corpora inhumanda. Quæquidem omnia ad tria capita generalia redigebant, nempe, quod grauissima seruitute populum premerent, Germaniam facultatibus exspoliarent, & Magistratus secularis Iurisdictionem sibi vendicarent.

Hadrianus 6. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

C. grauamina nationis Germanicæ Romam missa.

Eadem 3. capitibus comprehensa.

Ad diem 6. *Martij* dimisso conuentu, editum fuit Ordinum decretum, cum præceptis in responsione Nuncio facta comprehensis, nec multo post omnia typis fuere commissa; tam Decretum Pontificis, & Mandati formula Nuncio præscripta, quàm responsiones ac replicationes cum centum grauaminibus: quæ per Germaniam primùm euulgata, deinde in alias prouincias sparsa, Romam tandem peruenerunt. Vbi aperta illa ingenuaque confessio Pontificis, in Curiam Romanam, & Ordinem Ecclesiasticum, tanquam mali fontem, culpam conijcientis, parum gratis multorum auribus accipiebatur, Præsulum maxime, grauiter indignantium tanta se apud populum inuidiâ & ignominiâ onerari; neque se modò in contemptionem hominum adduci, sed *Lutheranis* quoque hoc facto crescere audaciam, et proteruiam. Præcipuè autem id eos male habebat, quod viderent fenestram patefieri, per quam, vel commodorum suorum amputatio adeo inuisa, necessariò esset introducenda; vel euincendum, inemendabiles esse ipsorum mores. Qui autem Pontificem ibant maximè excusatũ, caussabantur in eo ignorationẽ earũ artium, quibus potestas Pontificia, & autoritas Curiæ Romanæ potissimùm conseruantur, in fama et hominũ existimatione positarum. Laudabant iudicium et prudentiam *Leonis*, qui sinistram Germanorum de eadem Curia opinionem solertiùs imputãrat ipsorum imperitiæ, quod Curialium ingenia non satis haberent perspecta. Itaque in suo contra *Lutherum* diplomate professus est, si ille Romam citatus eò proficisci sustinuisset, eos illic abusus, quos animo conceperat, non fuisse reperturum.

Pontificis confessio de causis malorum Germaniæ Ecclesiasticis Romæ displicet.

Verùm qui in Germania Curiæ Romanæ erant infensiores, illam Pontificis ingenuitatem rapiebant in contrarium, dictitantes fraudem esse Pontificibus familiarem, fateri errorem, emendationem polliceri; nullam tamen vnquam de re perficiunda cogitationem inducere; idque fieri ad incautos his præstigijs soporandos, & sua commoda ex vsura temporis captanda; cùm interim suorum apud Principes interuentu, caussæ suæ æquitatem sic eisdem probant, vt deinceps possint facilius et populos sibi subijcere, et cum oppugnandæ ipsorum voluntatis, tum criminandi defectus facultatem ijs adimere. Quod autem dicebat Pontifex malorum omnium

Eadem Germani in segniorem partem interpretantur.

remedia

Hadrianus. 6. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

remedia non simul esse tentanda, ne maius inde malũ nasceretur, sed pedetentim esse procedendum, id illi irridentes facetè interpretabantur, lento certè et suspenso tunc incedere gradu, vbi inter singulos pedes atq; passus vnius seculi sit interuallum. Sed pleriq; omnes viri pij, quibus *Adriani* integritas in vita ante Pontificatum, cum Episcopus et Cardinalis esset, innocenter acta, satis erat explorata, nec incognitum bene agendi propositum, in omnibus factis dictisq; manifestò sese prodens, omnia in meliorem partem accipiebant; nihil addubitantes, quin ille Ecclesiasticorum errata liberè ingenueq; sit professus, neq; de salutaribus remedijs minus quàm recepisset, fuerit solicitus. Atq; non aliter de eo iudicandum ipse mox docuit euentus. Cum enim Curia tali Pontifice esset prorsus indigna, visum Deo statim, postquam Nuncius Norimbergâ reuersus rerum Germanicarum statum ei aperuisset, eum ab hac mortalitate abducere, et Septembris 13. vitæ filum ei præcidere.

Decretum Norimbergense pro varijs partium affectibus in varios ac contrarios sensus trahitur.

Euulgato in Germania decreto Norimbergensi vnà cum ijs quæ Imperij Ordines super concionatoribus et Typographis præcipienda censuissent, bona pars hominum ea pro leui habere: quorum vero cum primis intererat, tam Romanæ Ecclesiæ quàm Lutheri fautores, singula in suũ sensum accipere. Etenim cũ Edictũ vetaret de ijs mentionem fieri inter concionandum, quæ populares tumultus possent ciere, ea Catholici sic accipiebant, quasi silentio premenda essent, quæ Lutherus in doctrina innouasset, quæq; aduersus Ecclesiastici ordinis abusus licenter declamitasset. Lutherani contrà, eam esse Ordinum mentem contendebant, non pro concione defendendos eos abusus, qui hactenus Populum contra prædicatores concitasent, quoties putida et futilia, æque ac sana et solida sibi propinari audiebant. Rursum, eam Edicti partem, quæ iubet prædicare Euangelium, secundùm doctrinam Scriptorum ab Ecclesia receptorum, Catholici intelligebant secundum doctrinam Scholasticorum, et vltimorum Scripturæ Postillatorum; At Lutherani Sanctos veteris Ecclesiæ Patres volebant intelligi, *Hilarium*, *Ambrosium*, *Augustinum*, *Hieronimum*, et eorum æquales. Iidem ex eiusdem Edicti verbis colligebant, licere sibi vsq; ad Concilium in eadem doctrinæ forma perseuerare; cum Catholici ex eisdem verbis mentem hanc ordinum elicerent, Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse continuandam. Ex quibus apparet, Edictum, quod flammam controuersiarum credebatur extincturum, eandem violentiùs accendisse; eoq; magis piorum hominum mentibus fixum immotumq; sedit liberi Concilij desiderium, cuius beneficio, vtrisq; partibus ei se submittentibus, à tot tantisq; malis liberatio expectaretur.

Clemens 7. Hadriano succedens, rationem reformationis ab eo institutam, quod parum probaret, dissimulandam censet.

Adriano mortuo, in eius locum successit *Iulius Medices*, Papæ *Leonis* cognatus, dictus *Clemens* VII. Is animum ad res Germanicas confestim applicans, quòd rerum tractandarum scientia plurimum polleret, facile animaduertit *Hadrianum*, præter morem à sagacioribus quibusq; Pontificibus consuetum, cum nimis facilem in agnoscendis aulæ suæ erratis, et emendatione promittenda; tum nimis abiectum in petendo à Germanis consilio, in quem modum contentionibus illic natis optimè posset consulere. Etenim hoc facto, & petitionem de Concilio indicendo, rem maximi momenti (in primis si accedat conditio, vt celebretur in Germania) in caput suum accersiuisse, & Principibus tantum animi addidisse, vt centum sua grauamina, scripti genus, non minus Curiæ Romanæ, quàm vniuerso in Germania Ordini Ecclesiastico ignominiosum, ausi sint non modò Romam mittere, sed etiam prælo subijcere. Quibus rebus diligenter perpensis, sibi quoq; duxit necessarium, parte aliqua Germaniæ populo satisfacere: ita tamen, vt, neq; autoritatem suam venire in discrimen, neq; Curiæ suæ commodis quicquam decedere pateretur. Reputabat secum, etsi è centum grauaminibus multa Curiam Romanam respicerent, maiorem tamen partem, Episcopos, Officiales, Curatos, & alios Germaniæ Sacerdotes attingere. Itaq; in spem aliquam erigebatur, Germanos, si suorum emendationem aliquam sensisent, de ijs quæ Romam spectarent, non admodum laboraturos; immo per hanc ipsam Germanici cleri reformationem, se Concilij celebrationem declinaturum. Ea de causa censuit, Legatum prudentia & authoritate verendum, Norimbergam continuò mittendum ad conuentũ Ordinum infra tres menses celebrandum; cum mandato, vt viam supra memoratam insistat, et ante omnia dissimulet se quidquam

quam scire de postulatis ab *Adriano* factis, & responsis ad eadem datis, ne ea res actioni, quam suscepit, fraudi sit, atque vt tanquam re integra possit procedere.

[illegible] 7. [illegible] 5. [illegible] 8. Franciscus 1.

Legatus is fuit *Laurentius Campegius, Sanctæ Anastasiæ* Cardinalis: qui cum Norimbergam ad Conuentum Ordinum venisset, post priuata aliquot varijs de rebus cum nonnullis colloquia, ad viam negotio sternendam, orationem publicè habuit. Mirari se vehementer aiebat, tot Principes, tamque prudentes, pati religionem illam, ritus atque ceremonias in quibus ipsi nati essent & educati, ipsorum parentes & maiores obijssent, extingui et aboleri; neque cum animis suis reputare, innouationem hanc tendere ad populi contra Magistratus rebellionem. Pontificem quidem Maximum, non sua commoda respectantem, sed paterno affectu compatientem malis Germaniæ, spirituali iuxta ac temporali ægritudine afflictæ, atque in maiora pericula ruentis, legationem hanc sibi mandasse, ad rationem ineundam malum hoc persanandi. Non esse propositum Beatitudini suæ ipsis aliquid præscribere, ac multo minus, vt sibi aliquid præscribatur: sed magis, vt de remediis opportunis consilia conferant. Quod si hæc Pontificis diligentia repudietur, non esse cur postmodum culpam in eum conijciant.

Cam[illegible] Car[illegible] ad C[illegible] tum C[illegible] num ablegat in Germaniam.

Principes (*Cæsare* nondum ex Hispania reuerso) respondent, magnas se Pontifici agere gratias, pro sua in Germaniam beneuolentia; neque ignorare quid periculi impendeat, ex immutata religionis doctrina. Eaque de caussa anno superiori in conuentu Ordinum, ei qui vnà aderat *Hadriani* Pontificis Nuncio modum ac rationem componendorum dissidiorum commonstrasse; simul, quid ipsi à Pontifice flagitarent scripto comprehendisse: id scriptum non dubitare se, prout receperat Nuncius, *Hadriano* traditum. credere etiam satis perspecta esse omnibus, quæ ab ordine Ecclesiastico Germania sustinuerit grauamina, quippe typis iam diuulgata; atque ab eo tempore expectasse, & etiamnum expectare, vt tandem aliquando iusta ipsorum desideria exaudiantur. Itaque si quid haberet in mandatis à Pontifice, orare vt exponat, quò rectiùs de re omni in medium consuli possit.

Princ[illegible] Impe[illegible] Cardi[illegible] oratio[illegible] respons[illegible].

Ad quæ Legatus secundùm mandati Pontificij formulam sibi commissam, replicans, dicebat, sibi quidem non constare, an ad Pontificem & Cardinales sit delata vlla componendi de religione dissidij ratio; sed compertam habere egregiam Pontificis in ea re voluntatem, à quo plenissimam acceperit potestatem agendi, quod in eam rem maximè conducere videbitur. ad ipsos vero qui personarũ conditionem, & regionis morẽ optimè teneant, spectare in primis, viam, quâ optatum finem consequantur, proponere. Id illis esse exploratum, *Cæsarem* in conuentu *Wormaciæ*, de communi ipsorum consilio, Edictum contra *Lutheranos* promulgasse; ei nonnullos morem gessisse, alios minùs fuisse obsequentes. huius dissimilitudinis caussam se ignorare: sibi tamen videri ante omnia de modo exequendi huius decreti consilium esse capiendum. Atque etiam si nondum intelligat C. grauamina ea propter fuisse publicata, vt Pontifici traderentur; hoc saltem non nescire, tribus exemplaribus Romam priuatim ad quosdam perlatis, vnum ad manus ipsius peruenisse. Pontifici & Cardinalibus, qui inspexissent, non potuisse persuaderi, Principum mandato fuisse collecta: sed à maleuolis ad Curiam Romanam adducendam in odium, in lucem emissa. Atque vtut nullum habeat mandatum à Pontifice eius negotij tractandi, esse tamen relictam sibi potestatem, prout expediat, de eodem agendi. In ijs postulatis esse multa, quæ derogent Pontificis authoritati, & sapiant hæresim, neque possint à se tractari: sed de ijs cognoscere & agere paratum, quæ nec Pontifici aduersentur, & æquitate nitantur. sin autem quid sit reliquum cum Pontifice negotij, licere vti id modis magis temperatis proponatur. Nimium enim sibi videri, & reprehensione dignum, quòd typis commissa, & in vulgus edita sint postulata. Certũ tamen esse Pontifici, qui vniuersalis sit Ecclesiæ Pastor, *Germaniæ* caussâ quidquis facere. sin ea Pastoris voci auscultare non dignabitur, non esse quod ipsi præstent amplius. id tam Pontifici quàm sibi, patienter esse ferendum, & rem omnem Dei arbitrio permittendam.

Campegij replicatio.

Cardinalis in reformationem Cleri Germanici consentit, non autem Curiæ Romanæ.

Conuentus Ordinum, etsi non fiebat ei verisimile, Pontificem & Cardinalem esse nescios eorum, quæ non ita pridem cum *Hadriano* acta essent, & putaret responso

Clement. 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

sponso Legati fucum aliquem subesse; cupidus tamen salutare aliquod consilium Germaniæ bono inire, quosdam delegit è suorum numero, qui cum Cardinali agerent. Per hos ab illo non aliud impetratum, quàm vt Cleri per Germaniam reformationem polliceretur: sed vt curiæ Romanæ abusus corrigerentur, adduci non potuit, vel ijs, qui acerbiùs in eos inuecti essent, hæresim obiectans, vel eorum disquisitionem referens ad Pontificem, vnum hæc tractare idoneum.

Cardinalis reformatio, quia personata, nō vera, reijcitur.

Instituit quidem Cardinalis Germaniæ reformationem, sed cum ea minutos & tenues è clero modò tangeret, & crederetur cum magno secularis potestatis præiudicio, Curiæ Romanæ & magnorum Præsulum dominio vires potius subministratura, atque ad maiores rapinas aditum apertura (vt solent lenia lentaque remedia malorum fomenta magis esse & incitabula) à Germanis omnino fuit reiecta; existimantibus, eam quasi laruam obtendi decipiendæ ipsorū expectationi, & eisdē maiori tyrannide opprimendis, vtcumque ad eam recipiendam omnibus officiorum machinis adnitente *Campegio*. Quamobrem nec ille quicquam eorum, quæ ab Ordinum delegatis fuere proposita, suffragio suo comprobauit. Cum igitur perspicerent cū eo nihil posse concludi, ad diem XVIII. Aprilis publicatus est recessus; simulque decretum, vt Pontifex de assensu *Cæsaris* primo quoque tempore indicat liberum Concilium in Germania, loco idoneo: atque vt Ordines Imperij conueniant *Spiræ* ad XI. Nouembris, deliberaturi, quid esset sequendum, interea dum Concilium habeat initium. Vt Principes in sua quisque prouincia congregent viros pios & doctos, qui, quæ disputanda sunt in Concilio, colligant. Vt Magistratus curent Euangelium prædicari iuxta doctrinam Scriptorum, quos Ecclesia comprobauit; vt picturæ prohibeantur, & libelli in opprobrium Curiæ Romanæ facti.

Decretum Conuentus Norimbergici.

Ad decreti huius capita respondet *Campegius* non esse hominum secularium de rebus fidej, aut quomodo ea docenda, vel prædicanda sit, pronuntiare: tantùm de Concilio recepit se Pontifici, quid postulassent, renuntiaturum.

De Decreto querimonia Campegij.

Discedentibus à Conuentu Principibus, Legatus serio egit cum ijs quos sciebat caussæ suæ fauere, vt congregati reformationem eam publicarent, quam Ordines reiecissent. Eo impellente *Ratisbonæ* cum conuenissent *Ferdinandus* Imperatoris frater, ipse *Cardinalis, Archiepiscopus Salisburgensis, Duces Bauariæ, Tridentinus* & *Ratisbonensis Episcopi*, ac nouem Episcoporum legati, die VI Iulij edicunt, Quando in conuentu Norimbergico decretum fuerit, vt Edictum *Wormaciense* contra *Lutherum* quanta posset festinatione executioni mandaretur, se, poscente id Cardinale *Campegio*, velle ac præcipere, vt in omnibus sibi subiectis ditionibus atque dominijs edictum illud inuiolatum seruetur; Nouatores iuxta formam Edicti acerbè plectantur; in Missæ & sacramentorum celebratione nihil immutetur; Monachi & Moniales ordinis desertores; Sacerdotes matrimonium contrahentes; Cænam Dominicam neglecta confessione percipientes; cibos vetitos comedentes, seuerè puniantur. Omnes denique suæ ditionis homines, qui in *Academia Witembergensi* literis dant operam, domum redeant, aut aliò se recipiant intra trimestre spatium. Postero die qui erat VII. Cardinalis suos de reformandis Ecclesiasticis canones diuulgauit. hos ij, quos iam nominauimus Principes & probarunt, &, vt in dominijs suis promulgarentur, atque obseruarentur, imperarunt.

Aliud Decretum Ratisbonæ, Principum quorundam Pontificiorum, in gratiam Campegij.

Iidem confirmant Campegij Constitutionem pro reformatione Cleri, cuius capita 37.

Cardinalis in Canonum proœmio præfatus est, Quòd ad *Lutheranam* hæresim extirpandam magnum afferat momentum, Cleri vitam & mores reformari, se de sententia Principum & Præsulum secum congregatorum Constitutiones edidisse, quas ab omnibus per Germaniam Archiepiscopis, Episcopis, alijsque præsulibus, & Sacerdotibus recipi, & per omnes ciuitates, templaque publicari iubeat. His comprehendebantur XXXVII. capita de vestitu clericorū, & ratione vitæ, de sacramentis, alijsque rebus sacris gratis administrandis, de conuiuijs, templorum fabricis, de initiandis in sacros ordines, de celebrandis ferijs & ieiunijs. Item aduersus Sacerdotes ad nuptias confugientes, communicantes non prius confessos, aduersus blasphemos, sortilegos, & incantatores, aliaque eiusdem modi. In fine præceperat de celebrandis quotannis Sinodis Dioecesanis, ad harum constitutionum magis accuratam obseruationem; concessa Episcopis facultate secularis potestatis opem contra delinquentes implorandi.

Publicato hoc reformandorum Ecclesiasticorum decreto, Principes & Episcopi qui in conuentu Ordinum Cardinalis postulatis non assenserant, tam illi quam cæteris, qui cum eo vnà *Ratisbonæ* conuenerant, succensebant, iniuria se affectos conquesti, tum ab Legato, qui paucorum interuentu id decreuerat, quod ad vniuersam Germaniam pertineret, idque, posteaquam nunciatum esset, nullum inde bonum cuiquam redundaturum; tum ab pauculis illis Principibus ac Episcopis, qui soli sibi sumpsissent, cæteris etiam dissentientibus, actioni interuenire, quæ totam eam nationem obligaret. Illud etiam in ea reformatione reprehendebant, quod neglectis ijs, quæ maximi essent momenti, quasi nihil in se haberent malesanum, aut incompositum, de leuissimis quibusque emendandis cogitassent; populo interim Germaniæ leuia detrimenta ab infimis è Clero; multo grauiora ab Episcopis & Prælatis indebita occupantibus; sed longè maxima ab oppressionibus Curiæ Romanæ perpetiente. Horum tamen, tanquam ad Ecclesiæ primitiuæ exemplum, aut melius essent omnia conformata, ne mentionem quidem factam. Etiam in minutis illis è clero, vlcera non tangebant, sed ijs incuratis, ac veluti approbatis, offensiunculis curandis manum applicabant; non veris solidisque ad mala persananda adhibitis remedijs, solà improbè factorum designatione atque obiurgatione contenti.

Clemens. 7. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Ab reliquo Imperij Senatu, de iniuria sibi facta & inutili reformatione conquestio.

Scilicet, quid loqueretur Germania, aut in quam partem acciperet Edicti publicationem, & quid inde sequeretur, id Legato, & ijs qui cum eo sentiebant Principibus, admodum curæ non erat. id vnum illi curabant, Pontifici vt satisfacerent. Pontifici autem non aliud erat propositum, quam omni studio prouidere, ne Concilium videretur esse necessarium. *Clemens* enim in rebus gerendis apprimè versatus, etiam superstite *Hadriano* arctè tenuerat, accurateque defenderat, perniciosum esse eorum consilium qui suaderent Pontifici, illorum temporum difficultatibus Conciliorum viâ esse consulendum. Concilium enim solitus erat dicere eousque esse vtile, quoad de authoritate Pontificis agatur; eâ vero in quæstionem vocatâ, nihil esse periculosius. Pontifices quidem temporibus anteactis ad Concilia tanquam ad armaturam & munimentum decurrisse: his verò, vnicum esse rerum suarum præsidium firmamentumque Concilia vitare ac declinare: præsertim *Lutheri* doctrinâ *Leonis* decreto iam prædamnatâ, nec vnquam deinceps Concilij examini subijciendâ, nisi controuersâ simul Apostolicæ sedis authoritate.

Campegij studium vt Clementi satisfiat. Clementis studium, vt Concilium omnino declinet.

Cæsar, accepto *Norimbergensi* Ordinum decreto vehementer eo commouebatur, quod rem tantam cum extraneo Principe, se inconsulto agitassent, adeoque definitè respondissent: hoc facto existimans neglectam ab illis Imperij locique sui dignitatem. Neque ei sufficere visus decreti rigor, quem Pontifici quoque præsentiebat displiciturum, cum tamen eum sibi amicum retinere valde cuperet, propter bellum quod à Ducibus suis cum Gallis in Italia iam tum gerebatur. Itaque literis ad Principes datis questus est, quod, cum ille libros omnes *Lutheri* damnasset, id Ordines ad contumeliosos tantum restrinxissent. Sed grauius eos increpuit, quod decreuissent Concilium in Germania celebrandum, & Legatum appellassent, vt de ea re cum Pontifice ageret: quasi isthuc negotij, non magis ad Pontificem, & ad se, quam ad ipsos pertineret. Quod si putarent Germaniæ tanti interesse, Concilium congregari, tum id ad se fuisse deferendum, quo à Pontifice impetraretur. Et verò cum intelligat Germaniæ vtile futurum, tempore tamen & loco celebrandum, vt ipse coram interesse possit. Quod autem nouum conuentum Spiræ habendum indixerint, ad religionem adusque tempus Concilij constituendam, id se dicebat omnino nolle concedere; mandabat contra, Edicto *Wormaciensi* vti vellent parere, & rem omnem religionis differre, donec Pontificis, suoq; iussu Concilium habeatur.

Expostulat Cæsar cum Principibus de Decreto Norimbergico, Edicti Wormaciensis obseruationem imperans.

Scriptum hoc solito imperiosius, in animis Principum, lenibus imperijs suetorum, periculosos affectus, etiam in aperta odia turbasque demum desituros, facilè excitaturum putabatur; nisi eosdem saniora consilia temperassent, & motu derepente sedato, anno sequente qui fuit MDXXV. ab omni super hac re actione cessatum esset. Rusticorum enim in Dominos suos, & legitimum magistratum insurgentium seditio, ac rursum alterum ab Anabaptistis bellum, Germaniæ Principes satis

Imperiosæ Cæsaris literæ Principibus offensioni sunt.

1525.

 occupatos

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Prælium ad Papiam, in quo Franciscus Galliæ Rex capitur.

Potentia Cæsaris Pontifici suspecta.

occupatos distinebat. Cæsari autem ita animos addiderat prælium ad Ticinum in Italia anno ineunte fœliciter commissum, & Galliarum Rex *Franciscus* eo prælio captus, vt omnia sibi ad voluntatem cessura cogitaret. Implicitum tamen aliquamdiu tenuit fœdus à multis Principibus contra eum initum, & de Rege captiuo liberando capta consilia. Pontifex etiam, quod Italiam indefensam, ministrorum Cæsaris imperio arbitrioque permissam conspicabatur, Cæsaremque adeo præpotentem, vt Pontificatum haberet sibi obnoxium, cogitare cœpit, de consociandis sibi Regibus ac Principibus, qui ab Imperatoris, si quando alienior esset, iniurijs ipsum protegerent.

1526. Conuentus Principum Spiræ & Cæsaris ad Ordines literæ de seruando decreto Wormaciensi.

Anno DMXXVI. ad easdē de religione actiones in Germania & Italia reditū est. In Germania Ordinibus Imperij sub finē *Iunij Spiræ* coactis, speciali Cæsaris mādato deliberatum fuit, quomodo Christiana religio, & vetus Ecclesiæ consuetudo integra atque inuiolata possit conseruari, & nouatores coerceri. Cum autem sententijs adeo dissiderent, nihil vt posset definiri, qui in Comitijs Cæsarem repræsentabant, ipsius literas iubent recitari. His significabat, se Italiam, atque ipsam Romam tam inaugurationis caussâ cogitare, quàm vt de Concilio conuocando cum Pontifice agat. mandare itaque, ne quid Ordines statuant contra leges, ceremonias, & veterem Ecclesiæ consuetudinem, sed *Wormaciensis* Edicti formulam teneant; modicam suam moram æqui boni consulant, quoad ipse de Concilio egerit cum Pontifice, quod breui sit futurum. Plus enim mali, quam boni, ex Comitiorum de religione actionibus prouenire.

Ciuitates aliquot Cæsari respondent.

Ad has literas maior pars Ciuitatum respondet, Maiorem in modum cupere se *Cæsari* gratificari, & obsequi; neque tamen videre rationem, quâ id, quod per Literas mandauit, fiat: auctis iam diu, & indies augescentibus de religione controuersijs, maximè de ceremoniarum & rituum obseruationibus. ac, si *Wormaciense* edictum antehac seruari non potuit, seditionis metu, multo nunc maiorem obijci rerum difficultatem; sicut legato Pontificio fuerat demonstratum. Neque ipsum *Cæsarem*, si coram adesset, ac rerum conditionem probè nosset, aliter iudicaturum. Quod ad suum de Concilio promissum spectet, scire omnes, id ab eo potuisse præstari, quo tempore dederat literas; quòd tum illi cum Pontifice satis conueniret, nunc vero alienatis inuicem animis, & Pontifice copias aduersus eum colligente, non apparere, quomodo hoc rerum statu Concilium possit coire.

Nonnulli Concilium Nationale ab Cæsare petendum censent.

Nonnulli his adducti rationibus proponebant, ad Germaniam impendentibus periculis liberandam, rogandum *Cæsarem* vt *Nationale in Germania Concilium* permitteret. Sin id minus placeret, seditionum vitandarum caussâ Edicti *Wormaciensis* executionem ad Concilium vsque differret. Verùm Episcopi, qui non aliud spectabant, quàm authoritatis suæ apud populum conseruationem, censebant inter hæc Cæsaris & Pontificis dissidia, in actione religionis non vltra progrediendum, sed rem omnem ad commodiora tempora reseruandam.

Principes sententijs dissident.

Ex opinionum varietate, ortâ inter Ecclesiasticos & *Lutheranæ* doctrinæ fautores discordiâ, res ad tumultum & belli ciuilis metum spectabat, multis Principum ad discedendum sese comparantibus. Sed *Ferdinandus* cum alijs *Cæsaris* ministris conspicati, quantum inde mali esset prouenturum, si animis adeo exulceratis conuentus fuisset solutus, aut Decreto nullo facto Principes discessissent (singulis ad rationem propriæ vtilitatis actiones suas adtemperare promptis, etiam cum periculo Germaniæ in perpetuum dissecandæ) dant operam demulcendis præcipuorum vtriusque factionis virorum animis, & decretum tandem constituunt: quod quidem, etsi ad *Cæsaris* mentem reipsa non accederet, certè inter Ordines studium concordiæ, & erga Imperatorem obedientiæ significationem demonstrabat.

Decretum tandem fit de legatione mittenda ad Cæsarem.

Eius summa erat, cum ad ordinem & formam religionis constituendam, & libertatem populi retinendam, Concilium legitimum in Germania, vel publicum totius orbis Christiani, intra anni spatium auspicandum, omnino sit necessarium, legationem ad *Cæsarem* esse mittendam, oratum, vt miserum & turbulentum Imperij statum respiciat, atque ad Concilium procurandum quamprimum in Germaniam redeat. Interea temporis, dum alterum ex his Concilijs impetratur, in re religionis & obseruatione *Edicti*

Wormaciensis omnes Principes & Ordines, in sua quisque prouincia & Iurisdictione ita se gerant, vt Deo & Cæsari actionum suarum possint reddere rationem.

Clemens. 7. *Carolus.* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Verùm in Italia *Clemens*, qui totum annum superiorem animi anxius, & perplexus exegerat, existimans, videre se *Carolum* interdum Romæ armata manu statū Ecclesiasticum inuadentem, & veterem Imperij Romani possessionem, ab ipsius decessoribus iniuriâ occupatam, iure postliminij recuperantem; interdum in Concilio authoritatem Pontificiam in Ecclesia moderantem; quod nisi fit, temporalis potestas minui nequeat: sed qui in primis rebus suis male erat ominatus, quòd ministri, quos in Galliam miserat, ad agendum cum regno ac Regis parente, omnes in itinere perijssent; sub finem *Martij* tandem paululum respirauit, audito Regem captiuitate liberatū redijsse in Galliam. Misit confestim Legatū, qui reditū ei congratularetur, & foedus contra Imperatorem concluderet, quod non multo post sancitum fuit *Cotignaci* XXII. mensis Maij, inter se, Galliæ Regem, & Principes Italiæ cum titulo foederis sanctissimi, Rege prius religione iurisiurandi, quod in Hispania pro obseruatione pactorum dederat, soluto. A metu igitur liber (quo tamen affectu multùm cruciabatur) & vti putabat, sui iuris, necnon irarum plenus, quod non solùm in *Hispania* & *Neapoli* statuta quædam in aulæ Romanæ præiudicium essent promulgata, sed (quod vehementiùs illum pupugerat) quòd eisdem diebus scriba Hispanus ausus sit palam in Rota nomine *Cæsaris* duobus Neapolitanis præcipere, vt in eo foro litigare absisterent, ad animum confoederatis reddendum, constituit suum animum patefacere, Breui satis prolixo, ad diem *Iunij* XXIII. formâ inuectiuæ orationis ad *Carolum* conscripto. Ibi commemoratis beneficiis à se tam Cardinali, quàm Pontifice in eum collatis, & luculentis, quas ab aliis Principibus sibi oblatas repudiasset, conditionibus, vt in ipsius amicitia permaneret, & ostenso, quàm parum benignè Cæsar vicem ei rependerit, quàm male ei cum in amore, tum in pactorum obseruatione responderit; imo è contrario, quantam illi suspicionum materiam subministrarit, quam multis offensionibus violarit, quot illi bella in Italia & alibi concitarit; quæ omnia singillatim exposuit, coniectâ in Imperatorem omnium malorum, etiam vbique Pontificiæ dignitatis læsæ culpâ; denique offensis alterius generis etiam memoratis, legum scilicet in *Hispania, & Neapoli* pragmaticarum sanctionum promulgatione, contra libertatem Ecclesiæ, & dignitatem sedis Apostolicæ concludit, demum, non stylo Pontificibus familiari, intentatis scilicet minis spiritualibus; sed protestatus, nisi se, suaque ad æqui boni trutinam reducat, occupatione Italiæ abstineat, aliasque orbis Christiani partes perturbare desinat, se, iustitiæ libertatique Italiæ, quæ in se quoque tutelam sanctæ sedis complectitur, haudquaquam defuturum. immo arma sua Sancta, iustaque non ad offendendum, sed ad communem salutē suamq; dignitatem defendendā, contra illum moturū.

Clemens PP. antea metu Cæsaris perturbatissimus, sese demum recolligit.

Cum Rege Galliæ iam captiuitate liberato foedus icit.

Aculeatas ad Cæsarem dat literas.

Breue hoc Pontificium in Hispaniam ad *Cæsarem* missum, excepit mox alterum die proximè sequenti scriptum, quo, nulla superioris facta mentione, significat *Clemens*, se libertatis Italiæ tuendæ, & periculorum sedi Apostolicæ ingruentium dispellendorum studio adductum, immo adactum, ea capere consilia, quæ, nisi velit & boni Pontificis, & iusti Principis officio deesse, non possit prætermittere. Hisce si ille dignetur periculis Christianum orbem liberare, & imminentibus malis facere medicinam, ipsi facile, vtile, & gloriosum futurum, sicuti ex Nuntio suo apud ipsum commorante fusiùs cogniturus esset. Orare per Dei misericordiam, vt sibi velit auscultare, saluti publicæ consulere, & effrænatas, iniuriosasque suorum cupiditates intra æqui bonique terminos continere, quò alij ab eorum contumelijs illæsi, indemnesque vitâ bonisque placidè fruantur. Quibus postremis verbis haud dubiè designabat *Pompeium Columnam* Cardinalem, *Vespasianum*, & *Ascanium*, aliosque ex ea familia Cæsarianis partibus studentes, & *Proregis Neapolitani* ope operaque, sua ipsius consilia cogitataque cotidie interturbantes. Cardinalis enim, homo audax & fastuosus, Pontificem ambitus palam incusabat, quasi vijs parum licitis ad eum dignitatis gradum ascendisset; & familiam Colomnensem hoc in primis nomine magni faciebat, quod fatali in illegitimos, & in eam sedem malis artibus intrudentes Pontifices odio, tyrannidem eorum virtute sua compressissent. ad hæc, Concilium

Et postridiè alteras, sed temperatiores.

Clemens. 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Edicto Monitorio Cardinalem, Columnam, qui a Cæsaris partibus, Romam citat.

generale non verbis modo intentabat, sed ministros quoque Cæsareos, vt, de eo conuocando cum Imperatore seriò agerent, vehementer exstimulabat. Quibus irritatus Pontifex, ac simul ea vt anteueniret incommoda, seuerum Edictum commonitorium contra Cardinalem emittit, quo Romam eum citat grauissimarum censurarum denuntiatione, ibi Proregem quoque Neapolitanum manifestè, obliquè etiam ipsum Imperatorem perstringens. Verùm cum bellum in Insubria coeptum parum succederet, exercitus Regis Galliæ nimium tardaret; *Ludouicus* Hungariæ Rex profligato Christianorum exercitu in prælio occubuisset; Lutheranorum in Germania numerus augesceret; ac tumultibus propulsandis, pacique generali conciliandæ, Concilium omnes deposcerent, Pontifex ingenium rebus aptare coepit.

Idem mox aliam canens cantionem, mala publica in Consistorio Cardinalium deplorat.

Rebus igitur compositis cum *Colomnensibus*, & Edicto monitorio reuocato, sub diem Septembris XIII. Cardinalium Senatum conuocat. Ibi multis verbis calamitates orbis Christiani commiserari; Regis Hungariæ mortem deflere; iracundiæ Diuinæ, hominum peccatis, sed maximè Ecclesiasticorum impietatibus prouocatæ ærumnas omnes ascribere; ad eam placandam à domo Dei incipiendum, atque exemplum in se esse statuendum agnoscere. Bellum à se inchoatum, & actionem aduersum Colomnenses institutam excusat; Cardinales ad morum emendationem hortatur; operam suam spondet, ac, si res exigat, profectionem ad omnes Principes, ad pacem vniuersalem constituendam, certus in ea re vitam ponere potius, quàm coepto desistere antequam ad effectum perducatur. Deo tamen confidere, se ipsius ope fretum, optatum pacis euentum consequuturum, eoque semel impetrato, esse sibi decretissimum, Concilium generale schismati tollendo & hæresibus extirpandis celebrare. Quem duplicem scopum quandoquidem sibi propositum habeat, enixè obsecrare Cardinales, vt de rationibus, quibus ad hos fines, pacem publicam, & hæreseon extirpationem perueniatur, iterum atque iterum cogitent. Hæc Pontificis sermocinatio Romæ primum, dein per Italiam diuulgata, ad multorum manus peruenit: atque, vtut à nonullis fauoris sui aurâ eam adiuuantibus multùm laudata, apud plerosque synceritatis, candorisque fidem ægrè obtinuit.

Sed animi synceri fidem ægrè facit.

Consiliariorũ Cæsaris de duobus Pontificis breuibus in Hispaniam missis existimationes variæ.

Iam binæ illæ, quas diximus, literæ à Pontificis Nuncio in *Hispania Cæsari* redditæ, diei vnius spatio inter reddendum interiecto, illius Principis Consiliarios varijs cogitationibus implicatos detinuere. Ex his alij putabant *Clementem*, postquam eum poenituisset acerbitatis, quam priores præ se ferebant, per secundas medicam manum adhibuisse vulneri; adeoque suadebant Imperatori, nullum vt earum sensum ostenderet. Quam opinionem fouebat rumor per Nuncium disseminatus, fuisse sibi datum in mandatis, quum posteriores traderentur, vt si priores nondum exhibuisset, ijs statim remissis alteræ solùm darentur. Sed prudentiores facile perspiciebant, quando tantillum esset inter eas temporis, nempe vnius diei interuallum, Pontificem, si poenitentia ductus esset, facile potuisse efficere tabellarium posteriorem priori anteuertere, celeritate præter solitum imperata. Deinde, vero non esse simile, Principem eâ prudentiâ, literas stomachi, & querelarum adeo plenas scripturum, nisi re diu multùmque deliberata: eoque fucum subesse credebant, quasi protestari vellet, nec responsum vllum accipere. Itaque censebant Imperatori paria esse facienda, nempe ad priores, verbis illarum acerbitatem æquantibus esse respondendum; & ad alteras die subsequenti, stylo ad earum quoque tenorem accommodato.

Cæsar vtrisque seorsim respondet, ad Pontificium stylum suum accommodans: ad priores literas fusius & acrius.

Quod etiam continuò factum, scriptis primum à *Cæsare* XVII. Septemb. literis *Apologeticis*; quarum Archetypum duobus & viginti folijs in carta Imperiali comprehensum, à *Mercurio de Gattinara* fuit Nuncio traditum, vt ad Pontificem perferretur, sed coram Nuncio ante perlectum, quam sigillo consignaretur. Harum in exordio literarum ostendit *Cæsar*, rationem eam, quam inierat Pontifex, neque officio boni pastoris quadrare, neque filiali obseruantiæ respondere, quâ ille, cum sedem Apostolicam, tum Pontificem ipsum esset prosequutus. Pontificem quidem se, actionesque suas tam magnificis verbis exornare, ipsius vero actionibus eam ambitionis auaritiæque labem aspergere, vt cogatur innocentiam suam omnibus facere testatam.

testatam. Atque ita initio ab ijs sumpto, quæ *Leonis* & *Hadriani* temporibus facta essent, & ad *Clementis* tandem Pontificatum narratione deducta, in omnibus à se gestis cum voluntatis suæ synceritatem, tum agendi prout fecisset, impositam sibi necessitatem declarat, culpâ in Pontificem vtique reiecta. Multa sua in ipsum merita recenset; & in permultis rerum suarum occasionibus malè relatam ab eo gratiam. Concludit denique nihil esse sibi publica tranquillitate, pace vniuersali, & iusta Italiæ libertate optabilius. ea si ab ipso non minus cupidè expetantur, positis armis recondendum esse Petri gladium in vaginam. hoc iacto fundamento, facile factu fore, pacem superædificare; erroribus Lutheranorum, aliorumque hæreticorum corrigendis operam impendi posse: atque in his omnibus sese obsequentis filij facturum officium. Sin vero aliter statuat, Deum hominesque testes aduocare, nihil eorum, ex quibus religio Christiana damna detrimentaque capiet, sibi postmodùm imputandum. Pollicetur vltra, si excusationes suas, vti veras iustasque audire non dedignabitur, acceptarum iniuriarum memoriam ex animo obliteraturum. Sin armata manu caussam suâ tutari pergat, quandoquidem se non Patris, sed partium ducis, nec pastoris, sed prædatoris munus suscipiat, se ipsius iurisdictionem & iudicium deprecari. & quia neminem vnum habeat superiorem, generalis Concilij fidem atq; autoritatem iuris experiundi caussâ contra eum implorare. Orare interim in Domino, vt locum commodum ac securum, tempusque idoneum ei conuocando præfigat. Ecclesiæ enim statu, & religione Christiana adeo afflictis ac perculsis, sibi ac Reipub. decurrendum ad sacrosanctum generalis Concilij asylum, ad quod ab omnibus illius minis atque futuris iniurijs iam prouocat.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Ad alteras Pontificis literas eiusdē mensis die XVIII. respondit, Gaudere se, vehementerque lætari, quòd posterioribus suis, & secum agat benigniùs & pacem impensiùs desiderare videatur. Quam quidem constabilire, si suæ iuxta potestatis esset, atque in alijs situm est mouere bellum, animi sui in fouenda concordia promptitudinem facilè perspecturum. Sperare etiam in Deo, quicquid ille aliorum instinctu magis, quàm spontaneo animi motu loquatur, de salute publica potius procuranda, quàm de obsecundando aliorum affectibus cogitaturum. Rogare itaque illum, vt respiciat miserias Christianorum oculo paterno; Se certe, qui Deum habeat testem, semper facturum vt omnes intelligant, non alium sibi finem esse propositum, quàm Dei gloriam, & populi incolumitatem; quod superioribus literis fusiùs etiam expresserit.

Ad posteriores breuius et benignius.

Scripsit quoque *Cæsar* ad Cardinalium Senatum die VI. Octobris, Magnum se capere animo dolorem, quod *Clemens* dignitatis Pontificiæ oblitus tranquillitatem publicam perturbare niteretur, et quo tempore pace cum Galliæ Rege facta, quietem orbi dedisse se putasset, à Pontifice literas accepisset, quas à patre Ecclesiæ, & *Christi Vicario* nunquam exspectabat. Eas quoniam credat de communi ipsorum consilio scriptas, quibuscum tanti rem momenti haud dubie communicauerit, hoc magis animo conturbari, vbi videt à Pontifice & Patribus, qui veræ religionis sint culmina, bella & minas, & perniciosa consulta proficisci, idque contra Imperatorem, Ecclesiæ defensorem, ac de illis optimè meritum. Se enim, ad eos demerendos, totius Germaniæ querimonijs, de vexationibus, iniurijsque Curiæ Romanæ, *Wormaciæ* aures occlusisse; se honestam Ordinum postulationem de Concilio conuocando, quod ijs malis medicinam afferret, pro leui habuisse, vtcunque ad hæresin etiam Lutheranam oppugnandam faceret. Se in gratiam Romanæ sedis, Conuentum, quem Principes *Spiræ* designauerant, prohibuisse; quod videretur Germaniam ab obedientia Pontificis posse distrahere, atque cogitationes Principum pollicitatione Concilij detinuisse. Cumque id Pontifici per literas significasset; &, de interdicto Spirensi Conuentu actas sibi à Pontifice gratias; & ab eodem rogatum se, vt Concilii mentionem differret in tempus magis opportunum. Nunc vero, vtcumque iustas ac necessarias *Germaniæ* preces Pontificis desiderijs posthabuerit; cum datis ad se literis calumniarum & querelarum plenis, ea postulare quæ concedere neque iustum sit, neque sibi tutum. Harum exemplar ad ipsos misisse, vt perspectis omnibus, labanti rei Christianæ subueniant, & Pontificem à consilijs tam periculosis, depellant.

Cæsaris humanæ ad Collegium Cardinalium literæ.

Quod

Clemens 7. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Obsecrat eos vt ad Concilium conuocandum Pontificem impellant, aut eo renuente ipsi indicant.

Quod si ab his dimoueri se non patiatur, tum officii illum commonefaciant, & ad publicũ conciliũ conuocandũ hortentur. quòd si Conciliũ iuxta legis præscriptũ vel recuset, vel diutiùs, quàm sit æquũ, extrahat; tũ Patres Reuerendissimos & sacrũ Senatum Cardinalium obsecrare, vt ipsi, debito ordine seruato, Conciliũ quamprimum indicant. Sin verò ipsi quoque surdis auribus tam iustam postulationem accipiant, aut vlteriùs, quàm par sit, differant, reliquum esse sibi, vt pro autoritate Imperatoria, iustis, & opportunis vtatur remediis. Hæ literæ exhibitæ fuerunt in senatu die XII. Decembris, & datũ vnà Pontifici exemplar earum literarum, quas Nuncius *Granatæ* acceperat.

Varia diuersi generis hominum de Cæsaris & Pontificis literis iudicia.

Cum in diuersis *Germaniæ*, *Hispaniæ* & *Italiæ* locis hæ literæ fuissent prælo traditæ, atque in multorum manus exemplaria peruenissent, de iis varia fuerunt hominum iudicia. Vulgus enim hominum mediocri ingenio, ad aliorum exempla, potentiorum maxime, vitam suam dirigere & conformare factum, cum in obseruandis rerum euentibus animaduertissent Cæsarem non *Vormaciæ* tantum, sed in alijs plerisque occasionibus, Lutheranis semper infensum & inimicum, Pontificis vero caussæ fauentem & beneuolum, interpretabantur id ab eo fieri conscientiæ studio, & religionis amore. at ijsdem subita hæc animi in Imperatore mutatio scandali & offensionis ingentem suppeditauit materiam. illud in primis, quod scripserat, se aures occlusisse honestis *Germaniæ* precibus, vt Pontificis gratiam demereretur. Homines verò sagaciores iudicabant *Cæsarem* non satis consideratè tantum arcanum diuulgasse: quòd inde occasionem plerisque dederit existimandi, omnem cultum & obseruantiam, quam Pontifici detulerat, non aliud esse, quàm considerationem politicam, velo religionis coopertam. Expectabant etiam à Pontifice acriorem sensum iniuriæ sibi à *Cæsare* ijs literis factæ, duobus arcanis tangendis, quæ animum eius exulcerabant: quorũ alterũ erat, cum contra *Pij* & *Iulij* II. constitutiones à Pontifice ad futurum Concilium prouocabat: alterũ, cum Cardinales inuitabat ad indicendũ Conciliũ, si Pontifex vel renuisset, vel in conuocando morã nimis longam interposuisset. ex quo principio magnũ quidpiam consequi putabant planè necessariũ.

Columnii vrbem Romam oppugnant, & capiunt.

Sed quemadmodum semina, quantumuis pinguia, in fertiles areas alieno anni tempore frustra sparguntur: ita nisi grandibus ausis accedat temporum rerumque opportunitas, ijs nihil efficitur: quod hìc Pontifici accidit. Dum enim ille suis foederatorumque Principum armis vindictam experitur, secularis remedij posito semel fundamento spiritualia remedia armaque mox super inducturus, *Columnij* siue Pontificis promissis parum confisi, siue alijs caussis adducti, è clientibus suis, alijsque earundem partium permultis collecta manu, Romam XX. Septembris appropinquarunt, qua parte vetus est suburbium, quod *Leonina* vocatur. Eorum nec opinato aduentu attonitâ Pontificis familiâ, ipse terrore subito consternatus, consilijque improuidus, ornamenta Pontificalia sibi deposcit: his amictus, *Bonifacij* VIII. exemplo periculum facturus, an, qui eò iam temeritatis atque audaciæ processissent, ipsi in sella Pontificali considenti, cum altera insigni Apostolicæ dignitatis contumelia, violentas etiam manus inferre auderent. Sed suorum consilijs ab hoc proposito reuocatus, simul, vt summæ imprudentiæ reprehensionem effugeret, in arcem per porticum euadens, præsenti se periculo subduxit.

Pontifex consilij improuidus, in Hadriani molem demum profugit.

Vaticanum & D. Petri templum diripiuntur.

Ingressi Romam *Columnij*, supellectilem omnem palatij Pontificij, & templum *D. Petri* diripuerunt. Cum *Leoninæ* quoque domos deprædari vellent milites, & sua tuerentur incolæ, superuenientibus *Vrsinis* aduersæ factionis auxilio oppidanis, alteri in tuta se recipiunt, prædâ onusti, è *Vaticano*, fremente licet Pontifice, exportatâ. Tum *Clemens* auctis aduersariorum copijs, subsidijs *Neapoli* cotidie aduenientibus ipse à rebus omnibus obsidioni tolerandæ imparatus, & grauiora metuens necessitati parendum ratus, *Hugone Moncata Cæsaris* ministro, ad colloquium aduocato, cum eo de IV. mensium inducijs paciscitur his conditionibus: vt *Columnij* ac *Neapolitani Roma* excederent, & Pontifex è *Gallia Cisalpina* copias reuocaret. Quod vtrique cum præstitissent, *Clemens* copias è *Mediolano* reuocatas *Romam* accersit, honesta specie, concordiæ nuper initæ firmiter conseruandæ; sed harum aduentu confirmatus, Pontificia in *Columnios* fulmina vibrat, hæreticos & schismaticos dece-

Pontifex inducias paciscitur. Sed idem mox Columnios diris suis configit, & Cardinalem senatu mouet.

decernit, omnibus, qui consilio, ope, operaue eos iuuerint, domoue receperint, aquâ & igni interdicit; ipsum quoque *Pompeium* Cardinalem Senatu mouet. Erat tum *Neapoli* Cardinalis. vbi *Clementis* diris insuper habitis, prouocationem ab ijs ad Concilium publicauit, proposita non solum Edicti monitorij, & censuræ Pontificiæ iniquitate, & nullitate, verùm etiam Ecclesiæ vniuersalis necessitate, quæ in maximas angustias coniecta, subleuari aliter non poterat, nisi legitimi Concilij ope Capite & membris reformatis: eaque gratia *Clementem* ad Concilium, quod *Cæsar* ad *Spiram* esset habiturus, iam iam citauit. *Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.* Ille nullitatem censurarum caussatus ad Concilium prouocat.

Huius prouocationis, siue citationis, aut manifesti exemplar, *Columnij* per clientes suos noctu *Romæ* præcipuorum templorum valuis affigendum, alijsque per Italiam locis publicis disseminandum curarunt. Id Pontifici maximam peperit animi perturbationem; qui ipsum Concilij nomen vehementer abhorrebat, non tam authoritatis Pontificiæ moderandæ, aut commodorum Curiæ suæ amputandorum metu, quàm rerum suarum contemplatione. Etsi enim Leo ipsius cognatus, cum in Cardinalium numerum adscripturus, conatus esset euincere inter ipsius matrem & Iulianum patrem, matrimonij stipulationem; erat tamen omnibus explorata probationum falsitas. Quamuis etiam nulla lex vetat illegitimo thoro procreatos adire ad Pontificatum; peruulgata tamen hominum opinione receptum est, cum hoc defectu dignitatem eam minimè consistere. Metuebat quoque, ne colori huic etiam vano robur accederet à potentia Imperatoris, inimicorum ipsius caussam pro virili sustentantis. Sed illud omnium maximè sollicitum habuit, ne, sibi probè conscius, quibus artibus ad Pontificis summi fastigium ascendisset, quàmque esset facile Cardinali *Columnæ* id probationibus peruincere; denique quàm rigido diplomate *Iulius* II. & simoniacam Electionem tamquam nullam declarasset, & vetuisset, ne per consensum subsequentem posset corroborari; idem adiret, quod olim *Baltasar Cossa*, dictus *Ioannes* XXIII. dignitatis & vitæ periculum. Porro, quid in Concilio *Spiræ* paulo ante memorato gestum sit, neque ipse quicquam addiscere potui, neque vsquam de eo mentionem comperi, nisi in iam dicto Manifesto, & apud *Paulum Iouium* in eiusdem Cardinalis *Columnæ* vita. In his tumultibus finem habuit annus, in publica omnium tum expectatione, tum formidine, quò locorum tanta procella esset incubitura. Concilium Clementi publicis & priuatis de caussis pertimescendum. In priuatis, quod illegitimus. Item quod simoniacus.

Itaque anno sequenti, qui fuit M. DXXVII. omnes de Concilio actiones silentio obrutæ iacuere, solito rerum humanarum more, quo comparatum est, belli vt temporibus inter arma leges conticescant. Ea tamen interim acciderunt memoratu digna, quæ cum apprimè faciant, ad magis explicatam eorum, quæ de hoc argumento dicenda sunt, intelligentiam, ea necesse est commemorare. Enimuerò *Prorex Neapolitanus*, obtentu rupti à Pontifice fœderis, dum *Columnios* persequitur; impulsuque *Pompeij* Cardinalis, & aliorum ex ea familia, copias suas Romam versus reducit. Alia parte *Carolus Borbonius* Cæsarei exercitus in *Insubria* Dux, cum neque exercitui stipendia posset persoluere, & vel seditionem militum, vel defectionem metueret, vt eos imperijs suis obsequentiores experiretur, in Pontificios fines populatum immisit; instigante potissimum *Georgio Franispergo* duce Germano; qui XIII. aut XIV. millia Germanorum *Lutheri* opinionibus atque doctrina imbutorum, in Italiam adduxerat, ac pro stipendio singulis vnum nummum aureum dependerat è suo: additis interim promissis, de ipsis *Romam* deducendis, quò cùm aurum ex omni Europa copiosè fluat, ea vrbe capta certam vbertimæ prædæ spem animo præcipere debeant. 1527. Cæsaris exercitus violatas inducias obtendens, Romam ducit, ductoribus Prorege Neapolitano. Et Carolo Borbonio. Item Franispergo Germano.

Sub finem Ianuarij *Borbonius Padum* transgressus cum numeroso exercitu, *Romaniam* versus contendit. Ea res non mediocriter *Clementem* commouerat, qui & militum ingenium, & assiduas *Franispergij* ducis minas inaudiuerat. Ille enim iuxta vexillum laqueum deferendum curabat, in quem iactabat apud militem, se velle induere Pontificem, hoc artificio ad excitandos suos vtens, vt nec à se deficerent, & difficilis viæ molestias, etiam nullo stipendio numerato, deuorarent. Quibus rebus permotus Pontifex, faciles aures præbuit *Cæsari Feramuscæ Neapolitano*, qui dudum ab Hispania veniens, à *Cæsare* ad Pontificem literas attulerat, officij & humanitatis plenas. Qui laqueum Pontifici intentat.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

plenas. Is vbi fidem Pontifici fecisset, *Imperatorem* ex armata sub signis *Columniorum* in *Vrbem* ingressu maximam offensionem cepisse, & pacis esse perstudiosum, facile etiam eidem persuasit, vt ipse cum *Prorege Neapolitano* de inducijs ageret. Et quamuis mense Martio subsequente *Georgius* ille *Franispergius* apoplexia correptus, in confinio mortis positus videretur: tamen cum exercitus in fines Pontificiæ ditionis arma infesta iam intulisset, & iter coeptum non omitteret, sub finem mensis ad pacis conditiones ventum est à *Clemente*, licet sedis Apostolicæ dignitati parum conuenientes, & confederatis cum suspicandi materiam, tum animos à iusta ipsius defensione alienandi subministrantes. Pactio igitur inita de cessatione ab armis VIII. mensium spatio, de LX. aureorũ millibus à Pontifice pendendis, de *Columnijs* à diris omnibus ac censuris soluendis, ac demum *Pompeio* in pristinum Senatorij ordinis locum restituendo, quod ægerrimè tandem impetratum.

Clemens VIII. mensiũ inducias cum Prorege Neapolitano paciscitur.

Verùm *Borbonius*, vtcumque sic pactis cum Prorege inducijs, & pecunijs à Pontifice persolutis, & restitutis *Columnijs*, conditionibus his neutiquam sibi standum ratus, continuato itinere cum exercitu quinto die Maij prope *Romam* castra metatus, die sequenti qua parte *Vaticanum* est, vrbem aggreditur. Illic, licet iuuentute Romana, maxime è Guelforum factione, & Prætoria Pontificis cohorte fortiter resistentibus, traiectoque glande plumbea in inguine *Borbonio*, irruptio in suburbium ab exercitu facta est, in fugam coniectis propugnatoribus. Pontifex re subita consternatus, cum Cardinalium plerisque in arcem è *Vaticano* confugit, repudiatoque eorum consilio, qui illic non manendum, sed in *Vrbem* confestim eundum, deinde in tutum aliquem locum confugiendum putarent, cõstanter, sed infeliciter (fato ipsius actiones dirigente) illic hærendum sibi decreuit. Vrbs ergo capite orba, terroris & consternationis plena; idoneis consilijs & auxiliis destituta, militi in prædam cessit. Nam si pontes, per quos è suburbio & regione Transtiberina *Romam* itur, perrupti disci ssique fuissent, & hostilis acies paucis obiectis cohortibus retardata, Romanis saltem tempus datum esset, & Viris illustribus periculo eximendis, & rebus quibusque pretiosis in loco securo reponendis. Sed dum illi defensionis consilia negligunt, milites in vrbem irrumpentes domos diripiunt, ornamentis omnibus templa exspoliant, reliquias mortuorum, & alias res sacras non magni precij in terram abiectas conculcant, Cardinales atque Antistites captos, per ludibrium vilibus iumentis imponunt, dignitatisque suæ insignibus ornant. *Senensem* vero, *Minervium* & *Poncettam* Cardinales, etiam pugnis contusos, per totam vrbem contumeliosè circumducunt. Neque Hispani & Germani Cardinales, licet hoc se tutiores existimantes, quòd ex his nationibus exercitus constaret, minùs ignominiosè, quam cæteri, habiti.

Quibus Borbonius non stans, in oppugnatione Romæ perimitur.

Vrbs tamen capta, diripitur.

Cardinales & Præsules indignissime habentur.

Pontifex in arce *Sancti Angeli* obsessus, & auxilii spe destitutus, cum Cæsareis ducibus ea lege pactus est, vt arce iis tradita, ipse in ea captiuus permaneret: vbi arcta satis custodia asseruatus. Sed in his rerum ac temporum angustiis quibus ille miserè conflictabatur, nihil æquè *Clementis* animum afflixit, quàm Reipub. *Florentinæ* status. Cardinalis enim *Cortonensis*, qui ciuitatem eam Pontificis nomine gubernabat, audito rerum *Romæ* infoeliciter successarum nuntio, ciuitatem ipsam, & liberam Reip. administrationem ciuibus reliquit. Illi vero, eiectis mox *Mediceis*, libertate recuperata, & restauratâ regiminis formâ, tanto in Pontificem, totamque eam familiam odio exarserunt, vt omnia *Medicea* gentis insignia, non publicis modò, sed priuatis etiam locis affixa deleuerint; *Leonis* etiam atque *Clementis* simulachra, in *Annuntiatæ* fano loco celebri confracta deformarint.

Clemens in Hadriani mole captiuus.

Nihil æque deflet, ac restitutam Florentinis, Mediceis eiectis, libertatem.

Direptæ Vrbis *Romæ*, & capti Pontificis nuntius cum ad *Cæsarem* esset allatus, maximum ille animi dolorem externis multis signis publice testatus est, iussis etiam cessare ludis & spectaculis, quæ propter recens natum ei filium die eius mensis XII. *Valladoleti* celebrabantur. Sed religionis pietatisque suæ multo maiorem omnibus fecisset fidem, si suis simul imperasset, vt Pontifex libertati restitueretur. Verùm cum ille totos VI. menses ab eo tempore in custodia detentus fuerit, facile omnes perspiciebant, quantum inter veritatem & fucum interesset.

Cæsar, ob Pontificis Vrbisque miserabilem casum, dolorem simulat. De Pontifice in Hispaniam abducendo Cæsaris consilium.

Ex eo de rebus componendis agi coeptum, educendoque è custodia Pontifice. Cupiebat

piebat certe *Imperator*, eum in Hispaniam abduci, magnam inde existimationi suæ accessionem sibi spondens, si ex *Italia* in *Hispaniam* biennij spatio, captiui duo adeo potentes ducerentur, *Galliæ Rex*, & *Pontifex Romanus*. Sed quum *Hispania* omnis, & maximè Antistites tantam Christiani nominis ignominiam execraturi viderentur, si, qui *Christi* in terris personam refert, in alias terras captiuus deportaretur, ab hoc incœpto *Cæsar* planè abstinuit. Magnam præterea inuidiam se ea re conflaturum putabat, & præsertim *Angliæ* Regem irritaturum, quem quòd metueret, nolebat à se disiunctiorem, aut *Galliæ* Regi coniunctiorem, quàm iam esset, per pacem Augusto mense publicatam: cum is potentem exercitum in Italiam iam misisset, & multis in *Insubria* victorijs esset potitus. Annuit tandem sub anni finem *Cæsar*, vt his legibus Pontifex è custodia emitteretur; Ne in *Mediolanensi* aut *Neapolitano* negotio *Cæsari* se opponeret; de ea re caueret traditis *Ostia*, *Ciuitate veteri*, *Ciuitate castellana*, & *Rupe forli*, oppidis; obsidibus verò *Hippolito* & *Alexandro* nepotibus. *Cruciatam* in *Hispania*, & vnam decimam obuentionum Ecclesiasticarum in omnibus regnis suis sibi concederet. Cum in has leges commentum esset, facta Pontifici potestate discedendi è castello die nono Decembris, ille diffidentior diem anteuertendum ratus, nocte præcedenti paucis comitatus habitu mercatoris ex arce egressus primo *Faliscos*, deinde *Oruietum* petijt.

Clemens. 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus. 1.

Pontifex libertati restituitur.

Principibus in hunc modum bello intentis, facta est varijs in locis religionis mutatio: alibi publico magistratus decreto, alibi per tumultum popularem. *Bernates* enim in celebri suorum conuentu, adductis suis Doctoribus & Theologis, finitimis etiam aduocatis, post accuratam complurium dierum disputationem, eandem, quam *Tigurini*, doctrinam receperunt. *Basileæ* etiam eadem religio stabilita, imaginibus per totam vrbem in seditione populari prostratis, & concrematis; & magistratibus loco motis, alijsque suffectis. Alia parte VIII. Pagi de retinenda intra suos fines Ecclesiæ Romanæ doctrina edicunt, & prolixo *Bernates* scripto hortantur, vt ab instituta religionis immutatione desistant, quòd ea cura, non ad vnum aliquem populum, aut prouinciam pertineat, sed ad Concilium ex vniuerso orbe collectum. *Bernatum* tamen exemplum sequuti *Geneuenses*, *Constantienses*, & populi illis vicini. *Argentinæ* etiam, post publicam disputationem, de communi sententia decretum factum de Missa eousque abroganda, aut certe intermittenda, donec eius defensores demonstrent esse cultum Deo gratum; licet Imperij Senatus in *Camera Spirensi* cum literis legatione eò missa id vetuisset; & neque vnius ciuitatis, neque omnium Imperij ordinum esse, rituum, ac doctrinæ innouationem, sed vniuersalis, aut Nationalis Concilij propriam multis verbis demonstrasset.

Bernates ac Basileenses religionis formam mutant.

Eos VIII. pagi ab incœpto dehortantur.

At Geneuenses, Constantienses, & Argentinenses Bernatibus accedunt.

In *Italia* quoque cum prope biennio neque Pontifex esset, neque Curia Romana, & illæ quas vtrique perpessi erant calamitates, plerisque viderentur exequutio sententiæ diuinæ contra eius regiminis corruptelas, permulti pronis animis atque auribus Reformationi auscultabant, atque in priuatis diuersarum ciuitatum ædibus, maximè *Faenzæ* Pontificis territorio, contra Ecclesiam Romanam prædicabant, crescente indies numero eorum, quos alij *Lutheranos*, ipsi se vocabant *Euangelicos*.

Etiam Itali Faenzæ religioni reformatæ auscultant.

Anno sequenti MDXXVIII. *Galliæ* Regis exercitus in regno Neapolitano magnos fecerat progressus, bonamq; eius partem occuparat. Itaq; Duces Cæsaris suum quoque exercitum *Roma* educunt, multis prædâ onustis periculo se subducentibus, multis pestilentiâ absumptis, quæ in vrbe grassabatur, vehementer imminutum. Cum Pontifice ergo sedulò agunt Confoederati Principes, vt, quandoquidem *Româ* iam, non voluntate Imperatoris, sed necessitate fatali, milite liberatâ, tempori diutius inseruiendũ non esset, suam cũ ipsis coniunctionem demonstraret, cum armis spiritualibus, eũ persequendo, tũ Regno Neapolitano simul & Imperio eũ deturbando. Verùm Pontifex, siue tot ærumnis defatigatus, siue quod persuasũ haberet Regẽ *Galliæ*, *Venetos*, aliosque foederatos, si superiores euaderent, libertatem *Florentinæ* ciuitatis conseruaturos, cuius ille imperium inhiabat ardentiùs, quàm vindictam iniuriarum à *Carolo* acceptarum, apud se decreuit *Cæsari* omnino non aduersari, imo primo quoque tempore ad recuperandam eam ciuitatem amicitiam cum eo renouare. Quod quidem consilium, cum in animi penetralia dimisisset, foederatis

1528.

Foederati Principes Pontificem ad bellum contra Cæsarem initant.

At ille Florentiæ recuperandæ studio tergiuersatur.

tamen

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

tamen caussabatur inopiam, & virium imbecillitatem, quasi oneri magis quam adminiculo ipsis futurus: tum illud, quòd si *Cæsari* ademisset Imperium, *Germaniam* imperij æmulam, ad authoritatem eligendi Imperatoris sibi vendicandam esset excitaturus. Atque ista excusatione delenitis animis foederatorum (erat enim egregius simulandi dissimulandique artifex) apud omnes prædicabat, se rerum secularium cogitationes prorsus deposuisse; sed apud Florentinos maximè, se à cogitationibus de Florentinæ Reipub. administratione alienissimum esse. hoc solum cupere, vt suiipsius, tanquam summi Pontificis rationem habeant, eodem loco quo cæteros Principes Christianos ducant; familiam suam tam atrocibus odijs in rebus priuatis non insectentur, sed *Mediceæ gentis* insignia in præclaris maiorum suorum substructionibus aspicere dignentur. sibi quidem decretissimum ad Ecclesiæ instaurationem, & Lutheranorum conuersionem animum adijcere, atque vt alijs exemplo præeat, in *Germaniam* iter suscipere. His ille sermonibus toto anno continuatis, credulis facile persuasit, clades cælitus ad ipsius emendationem immissas, debitum tot ærumnis fructum produxisse. at quæ sequentibus annis acciderunt, longè aliam hominibus opinionem ingenerarunt; credentibus viris pijs, fuisse semen quod super petram aut iuxta viam ceciderit; rerum vero peritis, fuisse tendiculas ad *Florentinos* illaqueandos.

Et animi a rebus secularibus alienationem simulat.

1529. Anno proximo MDXXVIIII. cum deferuescente belli impetu de pace in Imperatorem & Galliæ Regem ageretur, simul de *Concilio* tractatum est. *Franciscus* enim *Quignones Cardinalis Cruceius* ex Hispania reuersus, mandatum à *Cæsare* attulerat de restituendis Pontifici *Ostia*, *Ciuitate Veteri*, & alijs Ecclesiæ oppidis, quibus non multo antè *Cæsaris* ministris traditis, de promissorum suorum fide cauerat; & magnis ab Imperatore pollicitationibus Pontificem onerabat. *Clemens* rursus, cognito, inter Reges de pace agi, & quantum rebus suis commodare posset, *Carolum* sibi arctissimâ amicitiâ coniungi, *Hieronimum Vasonensem Episcopum* domus suæ præfectum, *Barcinonem* mittit ad leges conuentionum firmandas: in quas facile sic consensum est. Vt Pontifex *Cæsari* Regni Neapolitani iura diplomate concederet, non alio quàm equi albi censu persoluto eo nomine: Itē ius patronatus XXIIII. Ecclesiarum Gathedralium, militibus suis transitum daret, & sibi Coronam Imperialem. *Cæsar* vicissim *Alexandrum Laurentij Medicis* filium, Pontificis Nepotem, *Florentiam* reduceret; ei connubio iungeret *Margaritam* suam extra matrimonium filiam; in *Ceruia*, *Rauenna*, *Mutina* & *Regio* oppidis, quorum alia *Veneti*, alia *Dux Ferrariensis* inuasisset, recuperandis Pontificem idoneis auxilijs iuuaret. Conuenerat etiam, vt in *Cæsaris* inauguratione sese inuicem debitis consuetisque honoribus ceremonijsque acciperent. Vnum modo caput longiorem habuit disceptationem, Pontifice postulante, vt *Cæsar*, & *Ferdinandus Lutheranos* ad parendum Ecclesiæ Romanæ armis cogerent: alteris vero ad eos in viam reducendos Concilij conuocationem flagitantibus. Sed cùm inter eos de alijs satis conuenisset, ne hic diffidendo cætera destituerentur, in eam itum est sententiam, vt staretur verbis generalibus; his nimirum. Vt reducendis in vnionem Ecclesiæ Lutheranis Pontifex vias omnes spirituales tentaret; *Cæsar* & *Ferdinandus* temporales. Sin autem ipsorum peruicaciâ ad arma sumenda cogerentur Reges, hoc casu Pontifex daret operam, quantam poterit maximam, vt cæteri omnes Principes Christiani ipsis irent suppetiatum.

Pontifex receptis Ecclesiæ oppidis cū Cæsare pacificitur.

Pactorum conuentorum leges.

Caput controuersum, de Protestantibus ad obsequium Pontificis reducendis.

Foedus in hunc modum sancitum *Clementi* magnam attulit voluptatem, alijs plerisque omnibus maximam peperit admirationem, eum, qui non ita pridem cum dominio existimationem amisisset, paulo momento amplissimæ fortunæ restitutum, demirantibus: atque ex Italis, qui euentus conspicati essent tantæ varietati, imo contrarietati obuios, multis eam miraculo Diuino imputantibus, Curialibus verò prælustri fauoris diuini erga Ecclesiam suam testimonio.

Clemens dignitatem pristinam recuperat.

In *Germania* verò indicto à *Cæsare Spiræ* conuentu, datoque ei Idibus Martijs initio, Pontifex eò misit *Ioannem Thomam Mirandulanum*, qui Principes hortaretur ad bellum Turcicum, & nomine suo, pecunias & auxilia, quanta posset, per res suas superioribus annis ita miserè accisas, maxima polliceretur; simul, omnem animi sui ingenijque contentionem, ad pacem inter *Cæsarem*, *Galliæque Regem* constituendam: quò

Pontificis ad Comitia Spirensia Legatio.

quò rebus sic pacatis, sublatisque omnibus impedimentis, religioni in *Germania* restituendæ, Concilio conuocato, quàm ocyssimè posset incumbere.

Clemen. 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

In eo conuentu ante omnia coeptum est agi de religione. Pontificij id vnum studebant, vt aduersarios non idem de coena Domini sentientes, alijs *Lutheri*, alijs *Zuinglij* doctrinam amplexantibus, omnino dirimerent. Sed *Hassiæ Lantgrauius*, vir prudens, rerumque peritus, periculo præuertendum existimans, eam opinionum diuersitatem, non tanti esse, ac iactabatur, momenti ostendit; propositoque suis & dissensionis detrimento, & ex ea cōmodo aduersariorum, vtrisque magnam concordiæ spem iniecit. Post multam vero in conuentu disceptationem, dum tolerabilis aliqua rerum componendarum ratio quæritur, in hanc tandem sententiam fit decretum. Quandoquidem superioris *Spirensis* conuentus sententia, prauis interpretationibus detorta, multis dederit occasionem absurdissima dogmata tuendi, atque elucidationem necessario requirat, ideo edicere se, vt qui *Wormaciense* Cæsaris edictū hucusque firmiter tenuerunt, idem deinceps teneant, eique seruando populum astringant vsque ad Concilium, cuius iam *Cæsar* certam spem facere videatur. qui vero doctrinam immutarunt, nec ab ea discedere absque periculo seditionis possunt, etiam hic sese contineant, nec adusque Concilij tempus quicquam innouent præterea. Ne Missa abrogetur, neue vspiam, etiam vbi nupera doctrina obtinuit, à quouis impediatur. Vt Anabaptistarum error, prout ab Imperatore iam pridem edictum est, capite luat. Vt de concionibus & librorum editionibus ea seruentur, quæ Ordines *Norimbergæ* congregati semel atque iterum constituerunt: Nimirum, vt Ecclesiarum ministri cautè circumspectéque agant; à verbis asperioribus, aliorum famam violaturis, aut populum contra magistratum concitaturis, sibi temperent; noua dogmata, scripturæ verbis non satis firmata, non procudant; controuersijs omissis, Euangelium iuxta interpretationem ab Ecclesia probatam prædicent, Concilium denique, quod sententiâ suâ lites legitimum in modum dirimat, patienter expectent.

Pontificiorum studium in dissociandis Protestantibus Hassiæ Lantgrauius prouide præuertit.

Conuentus Spirensis Decretum.

Huic decreto Elector *Saxoniæ* cum alijs quinque *Germaniæ* Principibus se opponunt, iniquum esse affirmantes, à superioris conuentus decreto, quò sua cuique religio vsque ad Concilium permittebatur, discedere, cum id de communi omnium consensu factum, nisi omnes pariter assentiantur, rescindi non possit. Dissensionum originem & caussas in conuentu *Norimbergico* luculenter fuisse commonstratas, id ipsum confitente Pontifice: & ad eum tunc missa Principum de C. iniurijs, quibus tum grauabantur, postulata, licet nulla inde sequuta emendatione. Omnium deliberationum hunc fuisse finem, tollendis controuersijs nullam esse viam *Concilio* expeditiorem. Id dum expectatur, quod illi nuper decreuerint, admittere se non posse, nisi vnà verbum Dei purum ac putum abnegare, Missam in integrum restituere, veteres abusus renouare in animo habeant. Illud quidem, quod dicitur, Euangelium esse docendum iuxta probatas ab Ecclesia interpretationes, se vehementer probare; sed in eo litem versari, quæ sit vera Ecclesia. Nam sanciendo decretum adeo obscurum, nouis tumultibus & controuersijs fenestram patefieri, eoque huic se non posse assentiri: verùm facti sui rationem palam omnibus, & ipsi quoque *Cæsari* reddituros. Dum autem, vel Generale totius orbis Concilium, vel prouinciale *Germaniæ* inchoatur, quod iure possit improbari, nihil se facturos.

Principes Euangelici contra decretum illud protestantur.

Atque huic Principum declarationi XIIII. primi nominis in *Germania* Ciuitates sese adiungunt: à quibus coepit nomen *Protestantium*, ijs omnibus qui in religione instauranda *Luthero* se addixerant indigetandis, celebre ac peruulgatum. Principes enim cum ciuitatibus palam protestati sunt, se à *Spirensi* eo decreto prouocare ad *Cæsarem*, & ad futurum Generale vel nationale Concilium, ad omnes denique iudices non suspectos.

Et ciuitates aliquot: vnde nomen Protestantium.

Et quoniam nuper facta est mentio de discrepantibus *Lutheri* & *Zuinglij* in materia coenæ Dominicæ opinionibus, non erit ab instituto nostro alienum, eam rem altiùs repetere. Cum doctrinæ instauratio coepta esset duobus in locis, idque duorum hominum interuentu, quorum alter ab altero non pendebat, *Lutheri in*

Dissidij inter Lutherum & Zuinglium de Cæna Domini, initium.

Saxonia,

Clemens. 7. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Saxonia, & *Zuinglij Tiguri*, factum est, vt in alijs omnibus doctrinæ capitibus idem sentirent, adusq; annum MDXXV. in explicando autem sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sententijs aliquantùm discreparent. Quamuis enim inter vtrumque conueniret, corpus & sanguinem *Domini nostri Iesu Christi* esse in Sacramento tantummodo inter vtendum, corde autem ac fide recipi; docebat tamen *Lutherus* ea verba à Christo pronunciata, *Hoc est corpus meum*, sensu nudo ac simplici accipienda, prout verba sonant: *Zuinglius* contra, figuratè, spiritualiter, & Sacramentaliter, non autem carnaliter intelligenda. Hoc dissidij semen paulatim augescens, in eam magnitudinem excreuit, fouentibus id verborum nimiâ amarulentiâ præsertim *Martino* cum suis, vt inde in *Spirensi conuentu* occasionem coeperint Catholici diffidentiæ, simultatisque inter aduersæ factionis homines disseminandæ. Sed *Lantgrauius Hassiæ*, qui aduersariorum fraude detecta, vnanimes & concordes suos proposita conciliationis spe hactenus conseruârat, cum vt promissis staret, tum vt sementem dissidiorum auferret, *Marpurgi* colloquium instituit mense Octobri eiusdem anni MDXXVIIII. solicitatis eodem *Heluetijs*, vbi de summa rei placidè ageretur. E *Saxonia* venerunt *Lutherus* cum duobus discipulis: ab Heluetijs *Zuinglius* & *Oeco Lampadius*. Ibi *Luthero* & *Zuinglio* solis caussam per multos dies, disceptantibus inter partes non conuenit, siue quod controuersia in tantum procedente, de existimatione auctorum agi videretur; siue (quod in quæstionibus de verbis vsuuenire solet) quæstionis exiguitas animorum obstinationem aleret: siue denique, quod ad amicum aliquanto post tempore scripsit *Lutherus*, cum tantos turbarum fluctus iam excitatos conspiceret, nollet *Zuingliana* verborum coenæ interprepretatione Pontificijs tantopere exosa, Principes suos magis inuisos reddere, & maioribus obijcere periculis. Verùm quicquid horum in causa fuerit, certè de vniuersali caussa certissimum est, visum esse Diuinæ Maiestati, ex hac opinionum dissonantia varios, qui ex eo tempore sequuti sunt, effectus producere. In fine tantùm colloquij, operâ *Lantgrauij* eousque est assensum; quandoquidem in alijs dogmatis idem sentirent, ab omni acerbitate etiam in hac controuersia deinceps abstinendum, Deumque rogandum vt concordiæ facem alluceret. Quodquidem consilium ab exquisita prudentia, aut, vt ipsi loquebantur, à summa caritate profectum, quia à posteris neglectum, instauratæ religionis progressum immane quantum retardarit. Omnis enim in re religionis subdiuisio aduersariam factionem potenter armat.

Ei conciliando colloquium Marpurgi instituitur.

Re infecta disceditur.

Foedere inter Pontificem & *Cæsarem* ad eum, quem diximus, modum inito, rebusque ad inaugurationem Imperatoris necessarijs rite ordinatis, *Bononia* ciuitas ante alias huic rei destinatur. Neque enim Pontifici videbatur consentaneum, vt ea celebritas perageretur *Romæ*, præsentibus ijs, qui ante duos annos illam diripuissent. Erat etiam *Carolo Cæsari* gratior, quod ciuitate ea multo minus rituũ ac cæremoniarũ requirente quam *Româ*, iter suum in *Germaniam* esset acceleraturus, quod vehementer desiderabat. Venit ergo *Bononiam* Pontifex prior, quippe honoratior, & post eum *Cæsar* V. Nouembris; vbi totos IIII. menses substitit, in eodem cum Pontifice palatio degens. Multa inter hos Principes agitata fuere, partim ad quietem vniuerso orbi Christiano comparandam, partim ob peculiaria vtriusque commoda. In his præcipua erant, per vniuersam *Italiam* pax, & Protestantum in *Germania* euersio. De illa cum instituti huius non sit verba facere, quod ad alteram attinet, nonnulli è *Cæsaris* Consiliarijs, considerato *Germanorum* ingenio, qui pristinæ libertatis essent retinentissimi, censebant lenibus & moderatis rationibus agendum, multaque dissimulanda vt Principes ad Pontificis obsequium reducerentur. Ministros enim, & nouitios illos Doctores, Principum fauore subsidioque destitutos, ad officium facile redituros. Huic autem rei verum & vnicum remedium in conuocatione Concilij esse positum; quod & illi vehementer efflagitabant, & omnium ad se ora animosque augustissimo suo nomine, maximeque venerando pellicere posse videbatur.

Cæsar Bononiam venit, atque ibi inauguratur à Pontifice.

Cæsaris Consiliarij Concilij conuocationem suadeat.

At Pontifici nihil iuxta ac Concilium erat formidabile, atque odiosum: inprimis Vltramontanum, liberum, cui interfuturi essent ij, qui excusso Papalis obedientiæ

At Pontifex Concilium auersatur.

iugo, alios in suam sententiam nullo negotio videbantur attracturi. Animaduertebat etiam, vtcumque communem cum *Episcopis* foueret caussam, ad quorum opes & latifundia isti nouatores affectabant viam, tamen, cum inter eos atque Curiam Romanam iam diu multæ extitissent altercationes, de emolumentis Curiæ suæ Concilij autoritate permultum haud dubiè amputatum iri: *Episcopis*, beneficiorum collationes, præuentiones, caussarum etiam aduocationes, dispensationum, absolutionum & similium iura suo sibi iure vendicantibus; quæ omnia cum bona parte Ecclesiasticæ Iurisdictionis Romana Curia cum magna ipsorum iniuria vsurpasset. Itaque omnes ingenij vires in hoc vnum intendit Pontifex, *Cæsari* vt persuadeat, Concilium non modo ad compescendos *Germaniæ* motus parum vtile, aut fructuosum, verùm rebus quoque suis, autoritatique Imperatoriæ in ea prouincia conseruandæ planè noxium ac detrimentosum. Duplex enim aiebat hominum genus Lutheranæ pestis contage infectum, populum, & Principes, siue proceres. Esse quidem populum Doctorum illecebris fascinatum; sed Concilium non esse viam depellendo huic fascino, illuminandæque multitudini accommodatam: quin licentiæ populari introducendæ potius opportunam. Vbi enim populo conceditur, religionem in dubium vocare, & maiorem in doctrina lucem postulare; legibus Imperij continuò quæstionem moturum, atque *Cæsareæ* authoritati metas quoque decretis suis positurum. Quando semel dabitur ei venia examinandæ potestatis Ecclesiasticæ, ad inquirendum in secularem è vestigio gradum facturum. Multo esse facilius primis postulatis obstare, quam vbi semel acquieueris, vllo rationum velut sufflamine postulandi impetum sistere. De Principibus autem ac Proceribus *Cæsari* persuasum cupiebat, illos non pietatem spectare, Deique cultum, sed Ecclesiasticorum bonis inhiare, & dominium absolutum quærere, vt excusso Pontificis imperio, Imperatoris etiam iugo, quà poterunt, colla subducant. Horum plerosque quòd in huius arcani adyta sese nondum penetrarint, ab ea labe adhuc esse puros & inuiolatos: vbi vero semel arcanum detexerint, ad eundem proculdubio scopum actiones suas collineaturos. Non esse dubitandum, Pontificem amissa *Germaniâ* magnam iacturam facturum, sed Imperatoris, & *familiæ Austriacæ* iacturam fore multo maiorem. Itaque dum maior Principum pars adhuc audiens est Edictis Cæsareis, maturè prouidendum, neque committendum, vt authoritatis Imperatoriæ aciem patiatur hebescere. Celeritatem in hac actione necessario adhibendam, antequam vel deficientium numerus sit auctior, vel defectionis commoda sint magis explorata. Nihil autem cum celeritate huic actioni adeo necessaria magis pugnare, quàm Concilium. id quidem, omnibus licet eò propendentibus, neque vllo remorante obstaculo, non nisi post aliquot annos posse conuocari; nec in eo nisi tractu temporis negocia posse expediri. Atque id vnum si spectetur, maximi esse rem momenti; neque impedimentorum ratio habeatur, ab ijs proficiscentium, qui rerum personarumque varijs obtentibus Concilium vel impedire, vel protollere, vel inane reddere conabuntur; quæ innumerabilia esse possunt. Addebat insuper, iactari in vulgus, Pontifices ideo consilium detrectare, quod metuant, ne ipsorum decurtetur authoritas. istam vero apud se rationem nunquam valuisse, qui sciret authoritatem suam à *Christo* immediatè datam, addita promissione, *portas inferni contra eam non præualituras*; & superiorum temporum experimentis addidicisset, autoritatem Pontificis, nullius Concilij celebratione imminutam, sed à Patribus *Christi* verbo audientibus pro absoluta nullisque adstricta limitibus, cuiusmodi est, semper agnitam. Quod si Pontifices humilitatis ac modestiæ studio, alioue intuitu, iure sibi debito interdum abstinuerint; tum ipsos Patrum auspicijs ad illud exequendum adductos. Atque id obuium esse rerum anteactarum monumenta voluentibus, ex quibus clarissimum euadat, Pontifices, quoties hæreticis conuincendis, aliaue iusta de caussa Concilia congregarunt, maius potestati suæ momentum addidisse. Immo si omissa *Christi* promissione, vnico & vero authoritatis huius fundamento, rerum humanarum ratio tantùm habeatur, cum Concilium ex Episcopis constet, etiam illis amplitudinem Pontificiam esse apprime vtilem; quod sub huius vmbone contra Principum ac populorum iniurias tutum habeant perfugium.

Clemens 7.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Et Cæsarem à Concilio petendo dimouere admititur.

Clement. 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

fugium. Reges etiam & alios Principes, qui regiminis artem rectè teneant, Apostolicæ autoritatis fore studiosissimos, quibus nulla alia relicta est via ad Antistites reprimendos, atque ad officium reducendos, si quando extra officij fines exorbitarint. Tandem concludit *Papa*, tã certò scire se, quẽ Concilium euentum sit habiturũ, vt tanquã vates, siue hariolus, prædicere non dubitet, ex Concilio maiorem in *Germania* rerũ perturbationẽ exorituram. Etenim qui Cõcilium postulant, quæsito inde colore, in cœpta nouitate ad illud vsque tempus perseuerare velle: si Concilij autoritate ipsorum opiniones damnantur, tum aliud quidpiam obtenturos, ad vellicandam Concilij authoritatem. Ita *Cæsaris* potestatem alijs in locis conquassatam, in *Germania* fore nullam: Pontificis vero in *Germania* plurimùm imminutam, per reliquum orbem incrementum habituram. Atque hîc maiorem sibi à *Cæsare* fidem adhibendam, quòd nulla emolumenti sui ratione moueatur, sed solo studio videndi *Germaniam* Ecclesiæ restitutam, & debitum obsequium Imperatori redditum. Id autem obtineri non posse, nisi iter in *Germaniam* acceleret, proque sua authoritate imperet, vt Diploma *Leonis* & *Wormaciense* edictum exequutioni mandentur: si quid contra responsitent Protestantes, id non audiatur, siue Concilium petant, siue in dubijs maiorem lucem postulent, siue suæ ad Concilium prouocationis mentionem faciant, siue aliud quid, quod perinde ac cætera, impietatem suboleat, causentur. Vbi primùm refractarios inuenerit, tum vim adhibendam, idque ipsi factu facile contra tam paucos, Ecclesiasticis omnibus Principibus, & maiori secularium parte ad arma cum eo concurrentibus. Id quidem & decere Imperatorem Ecclesiæ Romanæ patronum, & sacramento, quod *Aquisgrani* in coronatione iam fecerit, & alteri, quod *Bononiæ* mox inter ipsius manus in coronâ recipiendâ facturus sit, esse inprimis consentaneum. Postremo liquidò constare, celebrationem Concilij, aut aliam quamcumque in his rerum occasionibus actionem, necessariò in bellum desituram. Esse itaque longè optimum, factuque facillimum, vegeto edicto, absolutoque imperio hos turbarum fluctus componere. Sin id frustra tentabitur, ad vim & arma potius esse decurrendum, quàm vt licentiæ populari, magnatum ambitioni, hæresiarcharumque contumaciæ frænum sit laxandum.

Pontifex Bullam Leonis & Edictum Wormaciense vrget.

Hæ rationes etsi parum decerent fratrem *Iulium Medices* Equitem Melitensem (sic vocabant Pontificem antequam ascitus esset in eam dignitatem) multoque minus Papam *Clementem* VII. apud *Carolum* tamen valuerunt, suopte ingenio imperij magis absoluti, quàm auus aut proauus in *Germania* obtinuissent, satis cupidum; tum *Mercurij Gattinaræ* Cancellarij Imperialis, & Cardinalis suasionibus obnoxium: cui Papa multa promiserat, singillatim vero vni è consanguineis aut clientibus eius, proxima, quæ instabat, Cardinalium electione, pileum purpureum.

Cæsar Pontifici auscultat.

Peractis *Bononiæ* XXIIII. Februarij ritibus ac ceremonijs in *Cæsare* inaugurando consuetis, cum *Germaniam Carolus* cogitaret, ad lites omnes sopiendas, conuentum omnium ordinum *Augusta Vindelicorum* indicit ad diem octauum Aprilis, & mense Martio iter ingreditur.

1530. Comitia Augustæ indicit.

Imperator *Bononia* discedens cum animo suo constituit, authoritatis imperijque sui viribus, Principes *Germaniæ*, qui sese ab Ecclesiæ Romanæ communione segregassent, ad eiusdem obedientiam reducere, ac conciones, librosque de nouitia doctrina scriptos prohibere. Dederat abeunti comitem Pontifex Cardinalem *Campegium*, qui legatus Comitijs adesset: vnáque miserat *Petrum Paulum Vergerium* Nuncium ad Regem *Ferdinandum*, cui mandarat, vt cum eo sedulò ageret, ne in Conuentu, vel disputatio, vel determinatio de re religionis institueretur; neue de Concilio in *Germania* ea de caussa conuocando quidquam decerneretur. Atque vt hunc Principem, quem, vt *Cæsaris* germanum, totque annos in *Germania* versatum, rerum potentem existimabat, haberet caussæ suæ fauentiorem, concessit ei vt ad bellum Turcicum Ecclesiasticis per *Germaniam* tributum imperaret, ac quicquid auri ac argenti in templorum ornamentis esset, in idipsum bellum insumeret.

Principes ad Ecclesiæ Rom. communionem reducere constituit. Campegius Pontificius ad Comitia legatus, & Vergerius ad Ferdinandum Regem.

Augustam omnes fere Principes venerant ante *Cæsarem*, qui Idibus Iunij eodem venit, pridie eius diei qui memoriæ corporis *Christi* est sacer, & die sequenti solemni populi pompæ adfuit. Sed cum à Principibus Protestantibus impetrare non posset,

Cæsar Augustam ad Comitia

vt sacro interessent, Legatus, cui ea (vt ipse dicebat) contumacia in Pontificis præiudicium, maximum attulit dolorem; vt difficultatem illam superaret, & Protestantes adigeret ad Ecclesiæ Romanæ ritus præsentiâ suâ cohonestandos, *Cæsari* autor fuit, *Electori Saxoniæ* vt nunciaret, post octo dies, quando Conuentus initium esset futurum, pro ratione officij sui, sibi Missam adeunti, & Missam audienti præferret de more gladium. Elector, qui, si annuisset, contra animi sui sensum, contráque eam, quam profitebatur religionem sibi faciundum videbat; si abnuisset, familiæ dignitatem sibi amittendam, & voluntate *Cæsaris* alteri deferendam præsentiebat, suæ professionis Theologorum consilium perquirit. Illi respondent, posse eum actioni huic, tanquam ceremoniæ ciuili, non autem tanquam religiosæ interesse, citato in eam rem *Elizæ Prophetæ* exemplo, qui *Naamani* Syriæ militiæ Duci, ad veram religionem conuerso permiserat, vt Regi suo ad idolum venerandum inclinato, humeróque ipsius innitenti adesset. Id consilium plerique damnabant, quibus nefarium videbatur diuersæ religionis ceremonijs interesse tanquam ciuilibus, cum nemo vnus reperiatur, qui non in eiusmodi sacris solennitatibus necessitatis, aut vtilitatis suæ rationem aliquam possit obtendere. Alij cum Theologorum sententiam, tum Electoris factum probabant, facilè conspicati, præcludi potuisse aditum permultis incommodis, si nouitij isti Doctores, vel superioribus temporibus eam opinionem amplexati fuissent, vel in posterum eandem non auersarentur. Per eam enim cuique licere, vel dignitatis, vel ditionis, vel gratiæ apud præpotentem aliquem conseruandæ caussâ, actioni cuiuis adesse, cui etiamsi alij tanquam religiosæ intersint, ille tanquam ciuili possit interesse.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Elector Saxoniæ pro officio gladium Cæsari Missam adeunti præferre iubetur.

Et re cum Theologis deliberata paret.

In ea Missa, priusquam ad *Offertorium*, quod vocant, veniretur, *Vincentius Pimpinellus* Archiepiscopus Rosanus, Nuncius Apostolicus orationem habuit Latinam, in qua de nulla re spirituali aut religiosa disserebat; tantùm Germanis, quod à Turcis tot tantáque mala inulti perpessi essent, exprobrabat: multísque Ducum Romanorum exemplis eos ad bellum Turcicum animabat. Hoc deteriori *Germanos* professus esse conditione, quód *Turcæ* omnes vnius Principis dicto essent audientes; multi veró in *Germania* immorigeri, parúmque obsequentes. quód *Turcæ* vnam religionem colerent, *Germani* nouas cotidie procuderent, veterémque quasi rancidam irriderent. Stultitiæ etiam insimulabat *Germanos*, quod de fide sua immutanda cogitantes, sanctiorem saltem aliquam, ac prudentiorem, magísque politicam non excogitassent. Quod si *Scipionem Nasicam*, *Catonem*, *Populum Romanum*, maioresue suos sibi ad imitandum proposuissent, Catholicam religionem nunquam fuisse abdicaturos. Hortari igitur, vt nouitatibus omissis, ad rem bellicam sint attentiores.

Pimpinelli Nuntij Apostolici oratio Germanos pungens mordacitate aculeata.

In primo Ordinum consessu *Cardinalis Campegius* Pontificis Legatus, exhibitis legationis suæ literis, coram *Cæsare* Latinè quoque perorauit, tot sectarum quæ temporibus ijs vigebant, caussam in eo positam asseuerans, quòd pristinus caritatis & beneuolentiæ ardor iam esset extinctus; quod doctrinæ ac rituum mutatio non Ecclesiam lacerasset solum, sed politicæ quoque administrationis formam sedibus suis conuulsisset. Huic malo vt medicinam afferrent superiores Pontifices, Legatos ad conuentus ordinum misisse: sed quia nullum fecerint operæpretium, se à *Clemente* nunc missum, vt pro virili suaderet, consuleret, operaretur, quæ religioni restituendæ facerent. Hortari igitur, vt *Cæsari* (eximiè eum laudarat) in ijs quæ circa religionem & articulos fidei decreturus esset, constanter obtemperarent, & bellum contra Turcas alacres susciperent, Pontifice sumptus & subsidia vltro promittente. Orare per amorem *Christi*, per suam patriæque salutem, vt positis erroribus, *Germaniæ* Christianique Orbis liberationi inuigilent: id si faciant, Pontificem *Petri* successorem bona omnia ijs dicere ac precari.

Campegius literas exhibet, & orationem habet.

Ad Legati orationem, Imperatoris atque ordinum mandato, respondit *Archiepiscopus Moguntinus*, *Cæsarem*, qui officij iure supremus sit Ecclesiæ Patronus, omnes contentionum componendarum rationes tentaturum, omnésq; vires ad bellum contra *Turcas* adhibiturum. Principes etiam sibi coniunctos, daturos operam, vt ipsorum actiones, Deo Pontificiq; probentur. Auditis exinde aliis Legationibus *Elector Saxo-*

Cui Archiepisc. Moguntinus respõdet.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Protestantes suam de fide confessionem Cæsari exhibent.

niæ cum Principibus & ciuitatibus Protestantium, Imperatori exhibuit fidei confessionem Latinè & Germanicè scriptam, eamque legi instanter postulant. *Cæsar*, qui eam palàm legi nolebat, lectionem in sequentem diem distulit: quo die Legatos adesse noluit, ne quid interueniret, quod authoritati Pontificiæ possit creare præiudicium. Igitur congregatis in aulam laxiorem coram Imperatore Principibus, recitata fuit ea confessio, & altera seorsim exhibita à ciuitatibus *Zuinglij* doctrinam professis, quæ, nisi in articulo de Eucharistia, à superiore illa nihil discrepabat.

Augustanæ Confessionis capita.

Ista Principum Confessio, quæ, à Comitiorum, in quibus lecta fuerat, loco, exinde dicta est *Augustana*, duabus constabat partibus: prior vnum & viginti doctrinæ capita complectebatur, de Vnitate Dei, peccato originali, incarnatione, iustificatione, Euangelij ministerio, Ecclesia, administratione Sacramentorum, Baptismo, Eucharistia, Confessione, Pœnitentia, Sacramentorum vsu, Ordine Ecclesiastico, Ceremonijs Ecclesiæ, Politia ciuili, extremo iudicio, Libero arbitrio, caussa peccati, fide, bonis operibus, & Sanctorum cultu. Altera pars continebat explicationem dogmatum in Ecclesia controuersorum, & abusuum qui à Confessionarijs repudiabantur, VII. capitibus in longum extensis comprehensa; de sancta Cœnæ Dominicæ sub vtraque specie communione, de coniugio Sacerdotum, de Missa, de confessione, de ciborum discrimine, de votis Monasticis, & de Iurisdictione Ecclesiastica. quæ omnia, si res ita postularet, se fusiùs explicaturos profitebantur. In proemio Confessionis suæ dicebant, se eam Cæsareæ Maiestati ideo tradidisse, vt obsequerentur ipsius mandato, quo præceperat, vt omnes dogmata sua proponerent. Idem si ab alijs factitatum sit, paratos se benignè, & amicabiliter cum ipsis disserere, vt concordiæ ratio ineatur. Sin ea non speratur, quandoquidem *Cæsar* in superioribus Comitijs semper testatus sit, se iustis adductum rationibus, nihil posse aut velle statuere in religione inconsulto Pontifice, sedulo tamen ac diligenter acturum cum eo, vt Concilium generale congregetur. Immo, cum in *Conuentu Spirensi* renuntiandum curarit, offensionum caussis inter se & Pontificem propè sublatis, non dubitandum, quin Papa Concilij conuocationi facilè sit assensurus; se igitur in huiusmodi generali, libero, & Christiano conuentu, cuius in omnibus Comitijs facta est mentio, ex quo *Cæsar* electus est in Imperatorem, sistere se paratos, & caussam suam fortiter tueri. Ad hoc Concilium, & simul ad Cæsaream Maiestatem, se debitâ formâ prouocasse, atque eidem prouocationi etiamnum adhærescere, neque vllo conuentus consessusue intuitu eam ante derelicturos, quàm de fraterna in *Christo* reconciliatione omnino confidat.

Campegij Legati de Augustana Confessione sententia.

Eo die non aliud actum. *Cæsar* autem, priusquam ea de re quidquam statuat, Legatum consulendum putat. Qui perlecta, & cum Theologis, quos Italia secum adduxerat, multum considerata Protestantum confessione, etsi illi oppugnandam censerent, ac censuram ipsius Legati nomine euulgandam: tamen, cùm & præuideret, eam maioribus molestijs præbituram occasionem, & palam assereret, dissensum in doctrina maximam partem videri verbalem, nec multum interesse, hoc modo potius an illo quid dicatur; tum rationi consentaneum haud esse, vt in disputationibus Scholasticis sedes Apostolica partem constituat, non est assensus vt nomen suum his dimicationibus apponeretur. Imperatori etiam respondit, non expedire his temporibus nouam doctrinam ad exacti examinis lancem appendere: sed diligenter expendere periculum ab exemplo, quod ministratur feruidis, acutis, & inquietis ingenijs, quibus nunquam defuturæ essent innumeræ aliæ opinionum nouitates, non minore veri similitudine proponendæ, atque ab auribus pruritu laborantibus, à quibus nouitates plurimùm excitantur, auidè hauriendæ. Abusus verò, quos notassent, si corrigere quis sibi sumat, maiora ex remedijs nascitura incommoda, quàm ex malis, quibus medicina paretur. Sibi consultissimum videri, lectâ Lutheranorum doctrinâ, ne audientium animos præiudicio imbuat, legendam pariter eius doctrinæ confutationem, sed cuius exemplaria nulla spargantur in vulgus, ne fenestra aperiatur disputationibus. Tum captatis ex ipso negotio occasionibus dandam operam, vt Protestantes in errorum via quam ingressi sunt, vlteriùs non

pro-

procedant, sed & minis propositis deterreantur, &, beneficiis fauoribusque alliciantur. Iam ea Confessio publicè recitata, Catholicorum, qui aderant, animos variè affecit. Aliis enim magis erant exosi Protestantes quam antea, multò magis impios existimantibus, quam persuasum prius habuerant; aliis contra, multum de sinistra, quam de iis conceperant, opinione remittentibus, atque doctrinam eorum multò minùs, quàm olim existimassent, absurdam reputantibus; suorum denique permultos abusus ab illis iure reprehensos confitentibus.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Neque hîc prætereundum est, quòd *Cardinalis Matthæus Langius Archiepiscopus Saltzburgensis* apud omnes ingenuè est professus, Missæ reformationem videri sibi honestam, libertatem quibusuis cibis vescendi, esse naturæ conuenientem, immò postulationem eam, vt homines Christiani humanorum mandatorum onere liberentur, iustam & æquam esse: sed vt misellus Monachus omnes reformet, id non esse tolerabile. Etiam *Cornelius Scoperus* Cæsaris Secretarius interdum dicebat, concionatores Protestantes, si bene nummati fuissent, ab Italis, quam vellent religionem facilè licitaturos; frustra autem expectari, vt ipsorum religio nisi auri splendore collustrata, vllam orbi lucem possit affulgere.

De eadem cõfessione Archiepiscopi Saltzburgensis opinio.

Item Cornelij Scoperi.

Cæsar Legati consilium sequutus, ipsius etiam consiliariis valde probatum, & cupidus omnia negatione componere, studet primum eam quæ inter Legatos Ciuitatum & Principes intercesserat coniunctionem dirimere. cum verò id minus succederet, conscribi iussit confutationem scripti eius, quod Principes Protestantes exhibuere. deinde aliam seorsim Confessionis ab Legatis Ciuitatum traditæ. Conuocatis ergo Ordinibus, ad Protestantes conuersus, ait se post multam de confessione sibi exhibita deliberationem, viris aliquot piis & eruditis præcepisse, vt de ea suum proferrent iudicium. Atque hic recitata Confessionis confutatione, multisq; opinionibus eorum repudiatis, tandem fassus est, esse in Ecclesia Romana nonnulla, quæ requirant emendationem, & quibus corrigendis ille operam erat daturus. Redirent ergo Protestantes ad Ecclesiam, & se suaque illi permitterent; si faciant, iusta omnia ab ipso expectent; sin minus, facturum quod deceat Ecclesiæ tutorem ac defensorem.

Cæsar Confessionis confutationem scribi iubet & publicè recitari.

Principes Protestantes vicissim profitentur se paratos quiduis facere, quod omnino saluâ conscientiâ possint. deinde, si quis doctrinæ ipsorum error Scripturæ testimonio commonstretur, statim emendaturos. tum si explicatio copiosior desideretur, facilè daturos. quoniam verò eius, quam obtulerint doctrinæ, in confutatione eiusdem capita quædam sint admissa, quædam repudiata, si quidem confutationis exemplum sibi detur, doctrinam suam clariùs explicaturos.

Protestantes confutationis exemplum sibi dari petunt.

Post multam actionem delecti fuerunt VII. Catholici & totidem Protestantes, qui de controuersis conferentes, concordiæ rationes inirent. inter quos cum parum conueniret, terni sunt vtrimque delecti. cum autem nec hi sententiis conuenirent, nisi in leuibus ac minutis quibusdam, quæ ad ritus spectarent, neutris in maioris momenti capitibus quicquam præter solitum remittentibus, facile apparebat conciliationis vias frustra tentari. Post aliquot demum dies, recitata etiam confutatione Confessionis à Ciuitatibus *Cæsari* exhibitæ, ciuitatum Legati respondent, in ea scripti sui confutatione multa è suis dogmatis recitari secus, quàm à se scripto fuissent consignata; multa ad inuidiam ipsis conflandam, præter suam suique magistratus mentem, in alium sensum detorqueri, quam verba ipsa loquantur. petere igitur, & obsecrare, vt exemplum confutationis sibi detur, ad obiecta clariùs diluenda, neque interim calumniis criminationibusque fides habeatur, non audita iusta ipsorum defensione. fuit tamen denegatum ipsis confutationis exemplar, quod *Cæsar* nullam de rebus fidei disputationem vltra admitteret.

Ad conciliandam religionem deliguntur vtrimque primùm septeni, dein terni, sed sine fructu.

Ciuitatum Legati de confutationis fraude queruntur.

Cum igitur hac non succederet, suasionum quoque viam sibi tentandam ratus *Cæsar*, Principibus persuadere conatur, temerariam admodum esse ipsorum confidentiam, qui tam pauci numero, noua dogmata, etiam in hoc ipso Ordinum consensu abunde confutata, studeant introducere; qui erroris, hæreseos, falsæque religionis Cæsaream Maiestatem, tot Principes, & proceres *Germaniæ* audeant damnare, præ quibus ipsi ne manipulum quidem hominum efficiant; qui, quod scelere

Cæsar Protestantes suasionibus ad errores abdicandos sollicitat.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

non vacat, suos parentes atque maiores pro hæreticis habeant; & dum Concilium postulant, in inchoata errorum via persistere nihilominus cogitent. Verùm dum illi, doctrinam suam esse nouam, aut Ecclesiæ Romanæ ritus veteres esse pernegant, neque suasoriis huiusmodi quicquam impetratur; *Cæsar* tandem ad eas artes conuersus, quibus *Cardinalis Campegius* vtendum esse ei persuaserat, seorsim cum singulis per internuncios agendum censet. Hi, cuique Principum propositis primùm emolumentis, quæ & ipsi vehementer expetiuissent, & quibus res suas domesticas multo ampliores & augustiores essent facturi; deinde damnis ac detrimentis, in quæ aduerso & rebus suis refragante *Cæsare*, necessariò videbantur præcipites ruituri, vt ad Ecclesiæ communionem reuerti vellent, ab iis sedulò contendebant.

Dein per internuncios Principum singulos seorsim aggreditur.

At Principes, siue crederent rebus suis satis consultum, etiam si in cœpta religione perseuerassent; siue conscientiæ suæ ac religionis libertatem putarent rebus omnibus rationibusque humanis longo interuallo anteponendam, nullis officiorum quamlibet amplis repræsentationibus ab instituto dimoueri se patiebantur. Immo ne id quidem *Cæsari* concedere voluerunt, vt Romanæ religionis exercitium intra ditionis suæ fines permitteretur, vsque ad Concilium intra semestre tempus denuntiandum. Id enim habebant persuasum, esse Legati Pontificij commentum, qui, cùm quod animo instituerat, assequi non posset, se rem factam habiturum iudicabat, si per omnem *Germaniam* restituto Romanæ religionis vsu, populum ab eo cultu auersum turbis implicasset, atque ita variis mutationibus, quarum occasione nuper nata doctrina posset extirpari, aditum patefecisset. Nam de Concilio, quod intra semestre spatium promittebatur indicendum, satis intelligebat, plurima quotidie interuenire posse impedimenta, quæ illud vel protollerent, vel omnem illius expectationem eluderent.

Principes nullis artibus ab incœpto dimouentur.

Protestantibus re infecta discedentibus, *Cæsar* ad antiquos ritus Religionis Catholico-Romanæ stabiliendos, edictum faciendum curat, cuius hæc erat summa, Ne qua in Missa fiat mutatio, aut in Sacramentis confirmationis & extremæ vnctionis: ne imagines loco dimoueantur, sed ablatæ reponantur: fas non sit negare liberum arbitrium, aut credere, nos sola fide iustificari: Ecclesiæ sacramenta, ceremoniæ, ritus & exequiæ mortuorum eadem forma retineantur qua prius: Sacerdotia idoneis conferantur: Sacerdotes qui vxores duxerunt, eas vel relinquant, vel edicto sint obnoxij: irritæ sint omnes bonorum Ecclesiæ venditiones, & in profanos vsus applicationes: in docendo & concionando omnes hanc formulam sequantur. hortentur populum ad Missam audiendam, Virginem Mariam, cæterosque diuos implorandos, dies festos celebrandos, ieiunia peragenda: domicilia Monachorum, & alia ædificia sacra, quæ diruta, reædificentur. de Concilio Pontifex interpellettur, vt illud intra sextum mensem loco idoneo indicat, intraque anni spatium habeat initium. Hæc omnia firma rataque sint, neque vlla appellatio, vel exceptio his opposita habeat locum. atque vt decretum hoc valeat, quisque non modo vires & facultates, sed vitam etiam & sanguinem impendat. si quis obnitatur, contra eum Camera procedat.

Decretum Augustanum.

Pontifex de euentu Comitiorum Imperij per Legatum certior factus, maximum animo interiore cœpit dolorem, cum intellexit, *Carolum*, iuxta consilium, quod ei dederat, Lutheranis quidem pro suo in eos imperio vim armaque intentasse, sed de cætero cum iis non egisse, vt decebat Ecclesiæ Romanæ patronum, cuius non erat de ipsorum caussa cognoscere, sed potius decretum Pontificium mandare executioni: cum ille è contrario, tum confessiones eorum admiserit, recitarique publicè fecerit; tum colloquium controuersiis conciliandis instituerit. Dolebat ei vehementer, quod de nonnullis fidei capitibus inter eos conuenisset, sed multò magis quod ceremoniis quibusdam abolendis assensum suum commodasset; auctoritatem Pontificiam hoc ipso violatam existimans, quando tanti res momenti se inconsulto agebatur; cui si Legati sui authoritas saltem interuenisset, tolerabilis quodammodo ea actio fuisset. Existimabat porro maximum suæ caussæ creari præiudicium, quod Ecclesiæ Antistites in eam rem consensissent. sed nihil æque mentem eius excruciabat, atque promissio Concilij sibi merito exosi: in quo promittendo quamuis honorifica

Pontifici dolet *Cæsarem* in Decreto suo de religione cognoscere.

Et Concilium non promittere modò, sed & tempus ei præstituere.

norifica authoritatis suæ facta sit mentio; tamen ei indicendo semestre tempus præscribere, & rursus eidem incipiendo annum præfigere, non esse aliud, quam manum immittere in id, quod Pontificis sit proprium, & Imperatori primas, Pontifici secundas deferre. Atque ex his principijs facile colligebat, cum parum bonæ spei de rebus *Germaniæ* supersit, de alexipharmaco esse sibi cogitandum, ne pestilens illud malum ad integras corporis Ecclesiæ partes transgrediatur. Et quoniam, quod factum esset, infectum reddi non poterat, prudentis esse, celare id se inuito factum, quin potius autorem se facti laudare, quo leuiorem plagam existimatio sua accipiat.

Clemens. 7. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus.* 1.

Principibus itaque ac Regibus omnibus Christianis facti sui rationem redditurus, ad eos calendis Decembris hac forma literas misit. Sperasse se fore, vt *Cæsaris* præsentia hæresim Lutheranam extingueret, eaque de caussa præcipuè se *Bononiam* profectum, vt illum sua sponte satis animatum vehementius vrgeret. cum autem *Cæsaris*, legatique sui literis intelligat, Protestantes magis magisque obfirmari, re cum Cardinalibus communicata, nullum reperiri efficacius remedium, quàm Concilium publicum, à maioribus etiam in huiusmodi caussis vsitatum. Itaque hortari eos, vt ipsi coram, vel per legatos caussam adeo sanctam adiuuare velint; se, quod sui sit officij facturum, atque vbi primùm poterit, in aliquo *Italiæ* loco huic rei maxime oportuno publicum & liberum concilium indicturum. Eas literas ministri Pontificij, quò res omnibus esset cognita, quaquauersum diuulgarunt; non quòd Pontifex, aut Curia Romana Concilium, à quo erant alienissimi, vel desideraret, vel in animo institueret, sed vt remediorum malis ac corruptelis præsentibus applicandorum expectatione, homines in officio continerentur, nec à Pontificis obedientia discederent. Perpaucos tamen ea fraus fefellit, cum omnibus fere suboleret, istam Principum inuitationem ad Concilium, cui neque tempus, neque locus, neque modus erat præstitutus, anticipationem esse nimis affectatam.

Pontifex licet à Concilio alienissimus, apud Reges & Principes eius conuocandi studium simulat.

Ex his Pontificis literis occasione captata, Protestantes mense Februario sequentis anni, ad eosdem Reges & Principes dant literas, hoc tenore. Non nescire ipsos, veterem esse querimoniam piorum ac proborum hominum, Ecclesiasticorum vitia insectantium, quod ab *Ioanne Gersone* & *Nicolao Clemangis* in *Gallia*, ab *Ioanne Coleto* in *Anglia*, atque ab alijs alibi esset factum. idem his annis proximis accidisse *Germaniæ*, Monachis quibusdam indulgentias venales circumferentibus, atque ex ea re detestabilem & infamem facientibus quæstum. Deinde commemoratis omnibus, quæ ab eo tempore adusque vltimum Ordinum conuentum accidissent, pergunt narrare, quemadmodum aduersarij ipsorum *Cæsarem* aliosque Reges contra se adnitantur accendere varijs calumnijs, quas in *Germaniæ* conuentibus iam refutarint, atque in generali Concilio facile diluere non dubitent, modo eius generis sit, in quo præiudicijs & affectibus non sit locus. Inter eas calumnias maximè capitalem esse, quod Magistratus damnent, ac legum dignitatem eneruent. quod à veritate longissimè abesse, ipsorum doctrinam euincere; quæ, vt in *Augustanis* Comitijs testatum fecerant, Magistratibus honorem defert, & dignitatem legum tuetur magis, quàm superiori ætate sit factum; quæ Magistratus informat suā conditionē ac vitæ genus esse Deo pergratū; & populū monet Magistratui honorem & obsequium deberi propter Dei ipsius mandatum, qui contemptum potestatis ordinariæ à se institutæ impunem non dimittit. Hæc se ad ipsos, tanta prudentia authoritateque Principes, voluisse perscribere purgandi sui caussa, orantes, ne calumnijs fidem habeant, sed integrum sibi iudicium reseruent, donec detur locus criminationibus publicitus eluendis. Orare etiam, hortentur *Cæsarem*, vt Ecclesiæ bono, Concilium pium atque liberum in *Germania* primo quoque tempore cogat, neque antequam controuersia legitimè disceptata fuerit atque definita, eam ferro armisque dirimat.

1531. Protestantes ad eosdem Reges dant literas calumnijs depellendis.

Ad quas literas *Galliæ Rex* benignè respondens, gratias agit Principibus & ciuitatibus, de communicato sibi tanti ponderis negotio; ostendit gratam admodum esse sibi criminationum obiectarum purgationem; probare etiam ipsorum de vitijs emendandis postulationem, atque eadem cum ipsis esse voluntate; petitionem Concilij

Ad eas Galliæ Angliæque Reges benigne respondent.

Clemens. 7. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

cilij iustam, & sanctam, immo necessariam sibi videri, non *Germaniæ* modo, sed vniuersæ Ecclesiæ bono: non esse honestum armis litem dirimere, quam disceptatione transigere liceat. Iisdem prope verbis erant conscriptæ *Regis Angliæ* literæ, nisi quod vltra significabat, se Concilium vehementer expetere, & de concordiæ rationibus apud *Cæsarem* intercessurum quàm diligentissimè.

Cameræ Spirensis aduersus Protestantes sententiæ fiscales feueræ.

Edicto Cæsareo per *Germaniam* innotescente, Protestantes statim ad *Cameram Spirensem* abripiuntur, alijs zelum obtendentibus, alijs iniuriarum acceptarum vindictam cogitantibus, alijs denique aduersariorum bona inuadere intentis. Et quamuis multæ sententiæ latæ essent, item declarationes, & confiscationes factæ, aduersus Principes, Ciuitates, & priuatos; nulla tamen in fisci commodum vertit, nisi forte contra priuatos homines, quorum bona in Catholicorum dominijs erant sita. Alij enim sententias illas fiscales spernebant, imminuta non modo Cameræ, sed *Cæsaris* etiam existimatione, qui tum facilè cœpit obseruare, medicinam morbo, qui indies ingrauescebat, non fuisse accommodam. Itaque Principes & ciuitates non contenti iudicia fiscalia vilipendere, de arcto inter se fœdere contrahendo cogitant, sese ad defensionem comparant, etiam ad domestica auxilia additis externis. Cum igitur res ad bellum vtrisque partibus periculosum, & quomodocunque desijsset, Germaniæ exitiosum spectare videretur, permisit *Cæsar*, vt Principum aliquot intercederent, & de concordiæ rationibus agerent. Qua in deliberatione, multis capitibus ac conditionibus vtrimque agitatis, quod reliquum erat eius anni MDXXXI. insumptum est, vt anno sequente, in *Comitijs Ratisbonensibus* quæ tunc indicta, aliquid, quod firmum ratumque esset, decerneretur.

Vnde Principes & Ciuitates ad vim hostilem propulsandam fœdus ineunt.

Ciuile bellum inter Tigurinos & Quinquepagicos religionis caussa.

Omnia interim suspicionum erant plena, vtrisque sibi inuicem magis ac magis diffidentibus. Atque hoc anno inter *Heluetios* quiddam memorabile accidit, quod rebus inter eos componendis dederat occasionem. Etenim, etiamsi dissidium inter *Tigurinos*, *Bernates* & *Basileenses* ab vna parte, & *Quinquepagicos* ab altera religionis caussa ortum, aliarum ciuitatum interuentu sæpius sopitum fuisset; animis tamen partium exulceratis, & nouis odiorum occasionibus subinde prouenientibus, hoc anno recruduit. *Tigurini* enim & *Bernates*, omnibus viarum claustris occupatis, ne quid ad illos alimoniæ deueheretur, omnino prohibebant; vnde ad arma mox itum est. In exercitu *Tigurinorum* erat *Zuinglius*, qui, vtcumque amicorum plurimi suaderent, vt domi resideret, & alteri ministro prouinciam eam traderet, parendum neutiquam censuit, ne videretur in concionibus solùm hominum animos accendere, in discrimine vero animo deijci ac deficere. Pugnatum est die II. Octobris, inque ea pugna è *Tigurinis* multi desiderati, in quibus erat *Zuinglius*; cuius cæde magis quam victoria gauisi sunt Catholici. In corpus exanime varijs insultibus & ignominijs sæuitum est. Atque ea mors potissima fuit caussa pacis denuo per intercessionem constituendæ, vtrisque de religionis suæ studio nihil remittentibus. Persuasum erat Catholicis quinque pagorum, extincto eo, qui statum religionis concionibus suis mutasset, facilè omnia ad pristinam faciem reditura, eaque persuasio hoc altiores fixit in ipsorum animis radices, quod *Oecolampadius Basileæ* minister, *Zuinglio* coniunctissimus, intra paucos dies è vita decesserat, ex interitu amicissimi hominis animo supra modum saucius. Catholici enim vtriusque mortem ascribebant prouidentiæ Diuinæ, quæ nationem Heluetiam commiserata, dissensionum authores subitis pœnis mulctasset. Et quidem certe, pia est & religiosa ea cogitatio, tribuere Deo, Deique prouidentiæ omnẽ humanorũ euentuum dispositionem. Sed statuere finem, ad quem summa illa sapientia res hominum dirigit, id arrogantiæ, siue præsumptioni est proximum. Homines quidem amore tam arcto tamque religioso opiniones suas amplexantur, vt inducant animum credere, eas non minus Deo, quam sibimetipsis esse charas & dilectas. Sed experientia eorum, quæ sequentibus annis acciderunt, facile euicit, pagos qui dicuntur Euangelici, post mortem horum virorum multo maiores quàm antea, in doctrina ab ipsis accepta fecisse progressus; illustri argumento, tam copiosam messem ab altiori caussa, quam *Zuinglij* coloni opera prouenisse.

In quo Zuinglius occumbit.

Pax inde sequitur.

Rerum euentus Deo adscribere pietatis est: sed qua fini quid fiat, definitè pronuntiare, temeritatis.

In

In *Germania* iterum actum est de pace inter *Cæsarem* & *Protestantes* ad Concilium vsq; seruanda, intercedentibus *Archiepiscopo Moguntino* & *Principe Palatino* Electoribus: in qua actione multa scripta, multa priùs mutata, quàm vtriuis parti satisfieret. Ex ijs *Cæsar* facilè animaduertit Concilium omnino esse necessarium; ob eamque caussam re cum *Galliæ Rege* ante communicata, hominem suum *Romam* misit equis cursorijs iter facturum, qui cum *Pontifice* & *Senatu Cardinalium* de ea re ageret. De Concilij loco, alijsque conditionibus non multum laborabat *Imperator*; hoc maximè spectabat, *Germaniæ* vt fieret satis, atque vt Protestantes eò venientes Concilij authoritati sese permitterent: quod quidem *Galliæ Rex* etiam æquum censebat, in eam rem operam suam pollicitus. Legationis ad Pontificem hæc fuit summa. Se alijs vijs omnibus frustra tentatis, ad Protestantes Ecclesiæ reconciliandos idoneis, authoritate Imperij, minis, promissis, iuris iustitiæque rigore, cum præter armorum, aut Concilij viam nihil superesset, atque armis contra eos experiri tutum non esset, *Turca* cum magno belli apparatu prouincijs suis insultante, necessitate adactum ad alterum decurrere, eoque Pontificem rogare, vt decessorum exemplo Concilium eiusmodi concedere vellet, cui Protestantes non detrectarent se submittere: quandoquidem sæpius professi essent, se liberi Concilij sententiæ staturos, in quo iudicandi potestas, penes eos esset futura, qui priuata commoda non spectarent. Pontifex, quamuis Concilium omnino auersabatur, audita tamen *Cæsaris* postulatione, illud non putauit prorsus denegandum, sed assensus est eum in modum, quo sciebat neutiquam accipiendum. Tres enim Ciuitates proposuit ditionis Ecclesiasticæ, *Bononiam*, *Parmam*, *&* *Placentiam*, omnes & multorum hominum capaces, & ad eos alendos vbertate soli, aerisque salubritate præstantes; ac spatiosum territorium circumiectum habentes; quò Protestantes absque scrupulo possent se recipere, accepto à se liberi ac pacati comeatus diplomate, quò etiam ipse ire decreuisset, vt omnia pacificè, vti decebat Christianos, agerentur, & ab inimicis vnusquisque esset immunis. Affirmabat autem iniquam esse postulationem de Concilio in *Germania* celebrando, neque *Italiæ* istum sui neglectum videri tolerabilem. cui, cum *Hispania*, & *Gallia* in rebus Ecclesiasticis plurimum concedant, propter prærogatiuam Pontificatus huic Prouinciæ prope peculiarem, minimè esse expectandum, vt *Germaniæ* velint cedere. Ad hæc, debilem & languidam fore eius Concilij authoritatem, quod solis constaret Germanis, aliarum omnium nationum, maxime *Italorum*, *Gallorum*, *&* *Hispanorum*, auersissimis ab eo animis. Medendæ valetudini non ad nutum ægrotantis, sed pro arbitrio medici, remedia esse adhibenda. *Germaniam* nouarum opinionum multitudine, & varietate corruptam, non adeo sincerè de controuersijs iudicaturam, atque *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam*; quas noxius ille doctrinæ halitus nondum afflauit, nec à sedis Apostolicæ omnium fidelium parentis, ac magistræ obedientia segregauit. De modo autem rerum in Concilio definiendarum addebat ille, frustra deliberationem institui, neque quicquam hic esse difficultatis, nisi nouam, & in Ecclesia inauditam quis Concilij formam velit comminisci. Esse enim exploratissimum, ius suffragij in Concilio Canonum Decretis, solis competere *Episcopis*, consuetudine autem *Cœnobiarchis*, & Pontificis priuilegio alijs quibusdam concedi. cæteros omnes, qui audiri cupiant, horum sententiæ acquiescere necesse habere. decreta omnia, per absentiam Pontificis Synodi nomine confieri; sin ille Synodo intersit, suo ipsius nomine Patribus solummodo approbantibus expediri. In eandem sententiam disserebant *Cardinales*, addita semper ratione aliqua ad refellendam Concilij necessitatem, si *Leonis* diploma locum haberet. Illud si mandetur exequutioni, præsentem malis opem allaturum. Qui vero huic Pontificis decreto, de consilio Cardinalium stabilito parere recuset, nihilo magis Concilij decreto staturum. Neque enim Protestantes alium in finem Concilium deposcere, nisi ad eludendam interea temporis *Wormaciensis Edicti* exequutionem; quippe quibus compertum sit, quod *Leo* decreuerit, id à Concilio necessariò approbandum, nisi velint esse conciliabulum, ad instar aliorum omnium, quæ se subduxerunt à Pontificia doctrina & obedientia.

Legatus Cæsareus, ad temperamentum huic rei adhibendum, cum Pontifice, & duobus Cardinalibus ad hoc negotium destinatis sæpius loquutus, ad ea, quæ illi

Clemens 7. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

1532. De pace cum Protestãtibus vsq; ad Concilij tempus incunda agitur.

Cæsar apud Pontificem Concilij conuocationem vrget.

Et Pontifex quidem Concilium non recusat, sed vrbem Italiæ & suæ ditionis Concilij locũ designat.

Caussæ ob quas Germaniam respuit.

In modo rerũ definiẽdarum noui nihil admittit.

Cardinales Concilij necessitatem refutant.

Cæsaris Legatus instat vt in Germania Concilium celebretur.

Clemens. 7. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

illi dicerent, respondebat, *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam*, Concilium non postulare, neque ijs adeo esse necessarium, atque idcirco quid illi dicant, vel sentiant, non esse magno opere attendendum. Medicandis Germaniæ malis ea remedia quæri, quæ ægritudini aliqua proportione respondeant, eoque locum aliquem deligendum, quem vniuersa ea natio non recuset adire. Ex alijs nationibus, quarum non tantum intersit, si viri aliquot eximij Concilio interueniant, id sufficere. quas designassent ciuitates, licet multarum rerum opportunitatibus insignes, à Germania tamen procul abesse. Et quamuis interposita Pontificis fide de commeatus securitate nemo dubitare debeat, Protestantibus certè, & antiquis, & recentibus de caussis omnia esse suspecta, atque hoc nomine in primis, quod à *Leone Clementis* consanguineo pro hæreticis iam pridem sint damnati. Ac licet vnum hoc omnibus ipsorum rationibus diluendis sufficiat, quòd in Pontificis fide vnicuique sit acquiescendum: hoc certè Pontificem, pro singulari sua in rebus tractandis prudentia atque experientia non nescire; aliorum impotentiæ, imbecillitatique aliquid necessariò condonandum; immo, quod summo iure ijs non debetur, quando æquitatis ratio id suadeat, tamē humanitus elargiendū. De suffragijs verò in Concilio ferendis disserebat, quandoquidem partim eorum consuetudine, partim priuilegio inualuissent, latum nunc aperiri campum beneficentiæ suæ exercendæ, alia consuetudine introducta, ad præsentis temporis necessitatem magis accommodata. Cœnobiarchis enim olim propter doctrinæ præstantiam, & rerum religionis intelligentiam de more in Concilium admissis, rationem nunc postulare, vti homines doctrina ijs pares, vel superiores, etsi Abbatum titulis non insigniti, assuetudinis etiam libertate fruantur. Priuilegium autem ad satisfaciendum omnibus patefacere aditum. Nam si Pontifex priuilegij beneficium indulgere velit omnibus, qui in eo cœtu Dei cultum studeant promouere, tum certè Concilium liberum, Christianum, & ad eam, quam omnes expetunt, pietatis amussim concelebraturum.

Suffragij in Concilio ferendi ius varium.

Ad istas Legati rationes cum præter iam dicta à Pontifice nihil esset responsum, atque id Concilij negotium, *Cæsare* ab eo in loco & forma dissentiente, non procederet; *Cæsar* ad pacis actionem antea cœptam diligentiùs solicitandam animum adiecit: quæ, ingruente bello Turcico, opportunè facta, XXIII. Iulij fuit promulgata in hanc formam. Vt inter *Cæsarem* & omnes Germanici Imperij Ordines, Ecclesiasticos & Seculares pax publica sanciatur, adusque generale, liberum & Christianum Concilium. Ne religionis caussâ cuiquam bellum inferatur; ne quis capiatur, dispolietur, aut obsideatur, sed mutua inter omnes amicitia atque vnitas Christiana vigeat. *Cæsar*, intra sextum mensem Concilium denunciandum; intra annum, inchoandum procuret. Nisi id impetrari possit, Imperij Comitia habeantur, in quibus, quid in re Concilij, quid item in alijs rebus necessarijs faciendum sit, statuatur. Actiones omnes forenses in caussâ religionis à Procuratore fisci, aut ab alijs contra *Electorem Saxoniæ* eique fœderatos intentatæ, ad futurum vsque Concilium, aut saltem vsque ad prædictam Ordinum determinationem suspendantur. *Elector* vicissim *Saxoniæ*, alij Principes, & Ciuitates spondent, se pacem publicam fideliter conseruaturos, *Cæsari* debitam obsequentiam delaturos, & idonea contra Turcam auxilia daturos. Eam pacem *Cæsar* per literas die II. Augusti, ratam habuit ac firmauit, lites forenses suspendit, operam suam de conuocando ante VI menses Concilio, & ante annum auspicando, promisit. Communicauit etiam cum Principibus Catholicis capita legationis Romam missæ de Concilij celebratione: hoc addito, permagnas adhuc restare, de modo, & loco difficultates, de quibus nondum conueniat. Daturum tamen operam, vt Pontifex illud indicat ante diem præstitutam, & sperare, illum non defuturum Reipublicæ, & officio suo: sin eueniat secus, alium Ordinum Conuentum, inuestigandis huic rei remedijs denunciaturum.

Pacis inter Cæsarē & Protestantes conciliatæ leges.

Eam Cæsar ratam habet, & Concilium pollicetur.

Hæc prima fuit religionis libertas, *Confessionis Lutheranæ*, quæ *Augustana* exinde dicta est, sectatoribus publico Comitiorum decreto concessa: de qua varia erant hominum vbique iudicia. *Romæ* crimini dabatur *Imperatori*, quod in alienam messem falcem immisisset; cumque omnes Principes arctissimis constricti teneantur cen-

Libertas religionis Protestantibus Ordinum Decreto primitus permittitur.

censurarum vinculis, ad extirpandos eos, quos Romani Pontifices iam damnarunt, immo ad vitam, & fortunas, in eo officij genere, si res id exigat, collocandas; *Imperator* verò præ alijs hoc magis, quo in religionis tutelam iusiurandum concipit solemnius: *Carolus* tamen Cæsar, inaudito exemplo, spreta sacramenti sui religione, cœlestem vindictam in caput suum accersere ausus sit. Alij pietatem & prudentiam *Imperatoris* laudabant, qui alia omnia posthabuisset ei periculo, quod nomini Christiano impendebat ab armis Turcicis, cum fide in Christum ex diametro pugnantibus. quibus ille se imparem sentiens, maluit Protestantes, etiam Christianos, & ceremoniis quibusdam, differentia certè tolerabili tantum discrepantes, pace constituta sibi adiungere, quàm offensioribus à tergo relictis, in hostem ducere. Illud enim axioma Romæ adeo decantatum, hæreticos quàm infideles prius armis esse persequendos, augendo Pontificis dominio forsitan esse accommodum, sed Christianæ rei amplificandæ haudquaquam esse opportunum. Alij nulla habita Turcarum ratione dicebant, Principatus & regna legibus ac institutis Sacerdotum, præ cæteris mortalibus ambitione & emolumentis occæcatorum, minime esse administranda: sed ad vtilitatis publicæ rationem, quæ suadet defectus quosdam interdum esse tolerandos. Principibus omnibus Christianis ex officio pari cura ac studio incumbendum, vt ipsorum subditi veram fidem amplectantur, ac vt Dei præceptis pareant; atque in hoc, non magis quàm in illud animum intendant. Atqui in republica, si vitium aliquod sine excidio status publici extirpari non potest, esse quidem Diuinæ Maiestati non ingratum, vt id toleretur: neque maiorem puniendis hæreticis, quàm scortatoribus impositam obligationem. quod si quietis publicæ caussa hi tolerantur, nihilominus tolerabiles esse eos, qui non easdem nobiscum opiniones tuentur. Et quamquam non est facile adducere in medium exempla Principum, qui ab octingentis circiter annis eam rationem inierint, superiorum tamen temporum annales replicanti facile appariturum, non factum modò, sed laudabiliter, necessitate eò adigente, effectum. Si *Carolus*, post tentata vndecim annorum omnis generis remedia, componendis religionis dissidiis, nullum reportauit operæ nauatæ pretium; an vitio ei esse vertendum, si interea, dum expectat salutarem medendo ei malo Concilij opem, *Germaniæ* pacem dederit, ne fatalem ipsius casum aspiceret? Non esse in procliui, vt alienum Principatum administret alius ab ipso Principe, qui solus status sui necessitates omnes intelligit. Quisquis enim statum suum gubernauerit, aliorum Principum res rationesque secutus, hunc eundem facile deperditurum. neque sperandum, fœliciori vt euentu *Germania* ad *Romanorum* nutum administretur, quàm si *Roma* ad voluntatem *Germanorum* regeretur.

Clemens. 7. *Carolus.* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Diuersa hominum de hoc *Cæsaris* facto iudicia.

Regnorum administratio ad prudentum consulta, non ad scita Sacerdotum est conformanda.

Nec vero cuiquam hos rerum successus legenti, opinor, mirum videbitur, si hæc aliaque permulta homines tum animo agitabant, disserebantque; cum ea res omnes intimis sensibus attingeret. Id enim hic quæritur, vtrum æquius sit vnamquamque regionem Christiani orbis, pro necessitatis vtilitatisque suæ ratione administrari, an vero vnius se Ciuitatis libidini mancipare, cuius commoditatibus procurandis alias omnes exhauriri, vastarique necesse sit. Ex iis, quæ proximè sequuta sunt temporibus, tanquam illustribus documentis, satis fuit, eritque perpetuò testatum, consilium hoc Imperatoris, legibus diuinis & humanis fuisse consentaneum. Et quamuis ea res Pontificis cogitationes vehementer conturbauit: ille tamen pro summa sua in rebus ciuilibus prudentia, facilè perspexit, nullam subesse iustam de *Cæsare* conquerendi caussam. verùm, quòd fines ipsis essent longè diuersi, neque eodem compendia vtriusque spectarent, animo à *Cæsare* cœpit esse auersiore.

Cæsaris factum, licet diuinis humanisque legibus consentaneum, Romanensibus non probatur.

Et Pontificem reddit ab eo alieniorem.

Solymanno Turca ex *Austria* pedem referente, *Cæsar* in *Italiam* profectus, *Bononiæ* in colloquium venit cum Pontifice de rebus communibus. fuit quidem fœdus inter eos renouatum, sed Pontificis animo non satis erat factum: tum quod *Carolus* libertatem religionis Protestantibus sicut dictum est, concessisset; tum, quòd in negotio Concilij inter eos non conuenisset. *Imperator*, quod à Legato suo anno proximè superiori propositum erat, vrget, Concilium nempe eiusmodi, quod ma-

Fœdus tamen inter eos renouatur, etiam nondum obliterata ex Pontificis animo offensione.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

lis *Germaniæ* medeatur; cuiusmodi nullum esse possit, nisi Protestantes aliquam eius conuentus partem constituant. Pontifex omnino Concilium detrectabat, sed si eius conuocandi aliqua oboriretur necessitas, petebat, vt nec extra *Italiam* celebraretur; nec suffragiorum ius aliis, quam iis, quibus Pontificio iure competit, tribuatur. Ad voluntatem *Papæ* Imperator haud dubiè actiones suas attemperasset, si viam aliquam adinuenisset, quà satisfieret Protestantibus. Atque vt id Pontifex persuasum haberet, hoc proposuit, vt ille Nuntium in Germaniam, ipse mitteret Legatum, ad formam modumque difficultatibus reperiendum, cum promisso, Legatum suum omnia ad Nuntij nutum voluntatemque facturum. Accepit Pontifex conditionem, licet omnino non placeret; hoc animo fixum tenens, quando officium hoc ab vtroque ministro susceptum non succedat, & *Carolus* id studere pergat, vt *Germanis* satisfiat, tum se per *Regem Galliæ* firmiter sibi deuinctum, curaturum, vt Imperatoris desideriis remora semper aliqua obiiciatur.

Pontificis de loco ac modo Concilij postulata. *Cæsar*, dum simul Papæ, & Protestantibus studet satisfacere, curis anxius. Pontificis cogitatio de confœderatione cum Gallo.

1533. Pontificis & *Cæsaris* legatio in *Germaniam* ad Protestantes, & nominatim ad Saxonem.

Conditioni propositæ exequendæ post festum Paschatis anni MDXXXIII. misit Pontifex in *Germaniam Hugonem Rangonem* Episcopum Rheginum; qui *Cæsaris Legato* comitatus, ad *Ioannem Fredericum* Saxoniæ Electorem, eius patre ante aliquot menses vita functo, dignitatis paternæ hæredem, & inter Principes Protestantes primarium, profectus, in hunc modum mandata exposuit. *Clementem* ab ipso Pontificatus sui initio, præ aliis hoc optasse, vt dissidia religionis per *Germaniam* nata componerentur; eaque de caussa viros doctrina præstantes eò amandasse. quorum industria vix succedente fœliciter, in maxima spe tamen fuisse Pontificem, *Cæsarem* post suum ex *Italia* acceptâ Imperij Coronâ discessum, omnia fortiter perfecturum. Cum verò optatum finem assequutus non esset, *Carolum* iterum in *Italiam* venientem, Papæ demonstrasse, nullum commodius remedium adhiberi posse, quàm publicum Concilium ab ipsis *Germaniæ* Principibus summopere desideratum. Quæ quidem res cum Pontifici pergrata acciderit, tùm Reipublicæ caussâ, tum *Cæsari* vt gratificetur, ipsum de industria cum mandatis missum, ad futuri Concilij modum, tempus, ac locum designandum. De modo autem atque ordine necessarias aliquot conditiones ab eo proponi.

Conditiones proponuntur, quas in Concilio Papa requirit.

Primò vt liberum sit ac generale, cuiusmodi ante æuo Patres soliti sunt celebrare. Deinde, vt qui Concilium postulant, illius decreta se seruaturos spondeant. alioqui enim oleum & operam ludere, conditis legibus, quibus nemo teneatur. Tum, qui coram adesse non possunt, missis eò Legatis spondeant, caueantque. Adhæc, necesse esse, vt omnia eodem, quo nunc sunt, statu permaneant, nec ante Concilium quicquam innouetur. De loco autem addebat Nuntius, longam, frequentem, multamque habitam à Pontifice deliberationem. locum enim deligendum feracem, qui commeatum tam celebri coronæ abunde suppeditet; & salubrem, qui grassantibus morbis non remoretur Concilij progressum. Ipsi verò vrbes admodum commodas videri, *Placentiam, Bononiam, Mantuam*; è quibus, quæ maximè opportuna videbitur, Germanis relictam eligendi potestatem. Quod si quis Principum ad Concilium venire, aut Legatos mittere detrectauerit, aut decretis Concilij obtemperare recusauerit, æquum esse, vt alij Principes Ecclesiam defendant. Tandem concludit, si ad hæc postulata *Germania* commodè responderit, Pontificem cum aliis Regibus confestim acturum, & intra sex menses Concilium indicturum, quod post annum habeat initium, vt tum ad victum necessaria comparentur, tum omnes, etiam longius dissiti, iis quæ ad longinquam profectionem erunt necessaria, minimè destituantur.

De loco Concilij.

Ioan. Frederici Saxonis in deliberando mora Nuntio mirificè grata.

Nuntius, quæ à se proposita essent, scripto comprehensa *Electori Saxoniæ* tradidit, & Legatus quoque Cæsareus eisdem prope verbis ad eum vsus est. Ille vero petito ad respondendum spacio, incredibili Nuncium gaudio perfudit: qui moræ ac procrastinationis percupidus, captato ex *Saxonis* responsione augurio, fœlicem sibi negotij exitum animo præsagiebat. Neque ab eo laudibus prosequendo temperare sibi potuit; quòd in deliberatione tanti momenti spatium interponendum censeret. Intra paucos tamen dies respondet Elector, lætari se vehementer, quod intelligat *Cæsarem* cum Pontifice de Concilio tali habendo constituisse, in quo iuxta

Saxonis responsum.

pro-

promissionem Germanis sæpenumero factam, secundùm verbi diuini præscriptum controuersiæ legitimè terminentur. quod ad se attinet, paratum esse, ijs, quæ proponuntur, in præsentia respondere; verùm quia multi sint Principes & Ciuitates, qui in Comitijs *Augustæ*, eandem secum agnouerint fidei confessionem, neque priuatim sibi licere, neque omnino vtile esse caussæ, vt his inconsultis respondeat. Conuentui diem esse præstitutam XXIIII. Iunij; modicam hanc temporis dilationem non grauatè concedendam, vt communicatis consilijs generalis & certa conclusio afferatur. Atque hæc iterata procrastinationis mentio, cùm Nuncij animum magis exhilarauit, tum spem excitauit; quippe qui annorum dilationem, quam mensium præoptabat.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Verùm Protestantes ad diem dictam *Smalcaldiæ* conuenientes per literas communi nomine responderunt, Se magnas agere *Cæsari* gratias, qui ad Dei gloriam, & salutem Reipub. laborem hunc Concilij conuocandi susceperit. incassum verò suscipi, nisi conditiones sanandis *Germaniæ* malis necessariæ adhibeantur, quæ Concilium postulat, in quo res controuersæ rectè atque ordine definiantur. Bene quidem sperare se, quòd *Cæsar* in multis Imperij Comitijs eiusmodi Concilium promiserit, quòd Principes & Ordines matura habita deliberatione in *Germania* cogendum decreuerint. Indulgentiarum occasione, quas quidam impudenter prædicabant, multos errores patefactos; Pontificem *Leonem* vnà cum Doctoribus, qui illius temporis abusus manifestarunt, doctrinam eorum quoque damnasse; sed eam condemnationem Prophetarum & Apostolorum testimonijs oppugnatam. Inde natam coutrouersiam, de qua cognosci non potest, nisi in Concilio, in quo, nec sententia Pontificis, nec cuiusuis potentia caussæ præiudicium afferre debeat: vbi non iuxta leges Pontificias, aut scholasticorum opiniones, sed secundùm sacram scripturam iudicium fiat. Id nisi impetratur, frustra omnem suscipi laborem, sicut ex nonnullis anteactorum Conciliorum exemplis manifestum euadit. Porro ista Pontificis postulata huic scopo proposito esse planè contraria: cum Ordinum Imperij petitionibus, & promissis Imperatoris etiam pugnare. Quantamlibet enim Concilij libertatem Pontifex verbis obtendat, certe factis omnes ita constringere, vt neque vitia reprehendi possint, neque errores emendari; ipse vero Concilij nomine dominationem suam atque potentiam nitatur constabilire. Iniquum esse quod petitur, vt quis decretis seruandis ante sese deuinciat, quàm intelligat, quo ordine, aut modo, formaue sint constituenda. An Papa, penes se, suosque, supremam velit esse decernendi authoritatem? An ex sacrarum literarum sententia controuersias velit dirimi? an verò secundum instituta, & traditiones humanas? Captiosum etiam videri quod dicitur, Concilium ex veteri Ecclesiæ more habendum. Nam si vetustus ille mos intelligitur, cum Conciliorum decreta sacris literis erant consentanea, eum morem se non defugere: verùm proximè superiorum seculorum Concilia, in quibus, humanis, Pontificijsque decretis plus æquo deferebatur, à priscis illis differre plurimùm. Speciosa quidem obtendi, sed interim libertatem eam quæ in caussa hac necessariò requiritur, omnino adimi. Orare itaque Cæsarem, in id incumbat, quò legitimè omnia agantur. Populos scilicet omnes attentos, & erectos in Concilij spem, votis atque precibus illud flagitare; quæ in mærorem, animique cruciatum vertent, quando spe sua deiectis dabitur quidem Concilium, sed cuiusmodi nec postulatum fuit, nec promissum. Non esse dubitandum, quin omnes Imperij Ordines, cæterique Reges & Principes, idem secum sentientes, disrupturi sint ac repudiaturi laqueos & vincula, quibus Pontifex illos interstringere, captareque in nouo hoc Concilio cogitat; cuius vnius arbitratui si omnis ea actio permittatur, rem omnem se Deo commissuros, & quid facto opus sit, consideraturos. Quòd si forte certa & legitima cautione interposita citentur, modò videant se ad nominis Diuini gloriam aliquid posse præstare, fide publica apparituros: sed ea lege, vt nec Pontificis postulatis, nec Concilio, quod ab Ordinum Imperij decretis sit alienum, assensum suum commodare velint. Denique orare iterum *Cæsarem*, vt ista in malam partem non accipiat, verùm potius elaboret, ne authoritate sua vtatur ad confirmandam eorum potentiam,

Generale Protestantum in Smalcal, dico Conuentu responsum.

Protestantum obiecta contra ea quæ Pontificis nomine de Concilio proposita.

Clemens. 7. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus.* 1.

qui multis iam annis in homines innocentes crudelitatem exercuissent.

Protestantes non contenti responsum hoc suum ad *Pontificem* & *Cæsarem* mittere, typis etiã mandandũ curarunt, vnà cum postulato Nuncij, quod Pontifex ipse parũ prudens,& nimis apertum iudicabat. Itaque quæsito inde colore, quòd ætate esset grauis,& obeundo legati muneri impar,illũ reuocauit, & ad *Paulum Vergerium*, Nuncij sui partes apud *Ferdinandum* Regem tum temporis agentem, scripsit, eam vt legationem subiret, secundùm præscriptam ab ipso formulam; ad id verò in primis animum aduerteret, ne à voluntate sua latum vnguem discedat, aut cuiquam temperamento aures præbeat, etiam vrgente *Ferdinando* Rege, ne ipsum imprudens in angustias conijciat, aut necessitatem ei imponat indicendi Concilij, quod vtilitatibus Ecclesiæ, sedisque Apostolicæ tanto operè aduersetur.

Pontifex Vergerium Nuncium in locum Rangonis suffectũ, quid officij sui sit, monet.

Dum hæc in Germania agebantur, Pontifex, qui, quid ad postulata sua Germani essent responsuri, facile præuiderat, & ex suo cum *Cæsare Bononiæ* colloquio, illi diffidere coeperat; quòd in controuersia de *Mutina* & *Rhegio*, inter *Papam* & *Ferrariensium Ducem* agitata, ad *Cæsarem* verò tanquam arbitrum compromissa, *Cæsar* in fauorem *Ducis* pronuntiasset, prorsus ab eo est abalienatus. Ob quam caussam cum Rege *Galliæ* foedus inijt, quod matrimonio inter *Henricum* Regis filium natu minorem, & *Catharinam Mediceam* proneptem suam deinceps confirmauit: cuius ergô *Massiliam* Pontifex ad *Franciscum* Regem conueniendum profectus est. Illud verò iter cum ab omnibus reprehendi accepisset, tanquam nullius publici boni caussâ institutum, sed ad familiam suam solùm amplificandam; ille contra susceptum caussabatur, ad persuadendum Regi, vt Concilio faueret, quo Lutherana hæresis extirparetur. Quanquam illud satis constat, inter alia inibi tractatum, vt *Rex Christianissimus* ageret cum Protestantibus, in primis autem cum *Hassiæ Lantgrauio*, qui iter in *Galliam* tunc adornabat, vt à Concilio petendo desisterent, & suo nomine polliceretur ijs, si quam aliam conciliandis dissidijs rationem reperirent, se & sincerè & efficaciter ei rationi promouendæ operam omnem suo tempore commodaturum.

PP. à Cæsare alienior, foedus cum Galliæ Rege matrimonio firmat.

In Papæ & Francisci Regis colloquio Massiliæ quid desideratum, quid actum.

Enimuero *Galliæ* Rex officium illud diligenter præstitit, sed à *Lantgrauio*, quod postulabat Pontifex, non impetrauit; quòd ille Germanicæ nationis euersionem, & funestissimum in ea bellum ciuile, nullâ aliâ quàm vnius Concilij viâ anteuertendum fidenter asseueraret. Cumque iterum instaret Rex, vt in *Italia* Concilium celebrari paterentur, ne hic quoque assensum est; quòd diceret eam conditionem Germanis priori esse longe deteriorem, quum illa bello tantum implicaret, hæc manifesta corporis & animorum seruitute opprimeret eos, qui ad eam deuitandam Concilium re, locoque liberum expectabant. In gratiam tamen amicissimi Regis hoc Pontifici concessuros, vt in *Germania* non peragatur, modò extra *Italiam* deligatur locus aliquis liber, etiamsi *Italiæ* finitimus.

Gallus impulsore Pontif. agit cum Lantgrauio Hassiæ de Concilio non conuocando, aut saltem in Italia celebrando, sed frustra.

1534. Sub initium anni MDXXXIIII. Rex, quid à se actum esset Pontifici significauit, operam etiam suam pollicitus, vt Protestantes *Geneua* contenti esse vellent. Qua re intellecta Pontifex coepit addubitare, vtrum Rex, qui, & confoederatus ipsi,& affinis esset, ærumnas eius iniquo animo ferret; an verò prudentiam, quâ in rebus gerendis multum pollebat, huic negotio adhibuisset; certè animum induxit credere, eum huic rei tractandæ non admodum esse idoneum. Itaque gratias ei egit ob operam in ea re collocatam, sed de *Geneua* ne verbum quidem respondit; Curialium tantùm nonnullis de actionis eius euentu admodum sollicitis animos reddidit, persuasum ipsis cupiens, se talem vecordiam (ita loquebatur) nunquam approbaturum.

Gallus Pontifici Protestantum verbis Geneuam Concilij sedem offert: quod ille vecordiam interpretatur.

Hoc anno tantum abfuit Pontifex à *Germania* recuperanda, vt Angliam etiam amiserit: quæ obedientiæ illi præstari solitæ iugum excussit, quòd in caussa Regia iracundiæ & affectibus plus æquo indulgens, prudentia rebus magnis gerendis necessaria vsus non esset. Ea res, quoniam magni est momenti, & exempli refert, ad eam pernoscendam, à prima caussa, tanquam à fonte erit repetenda.

Scissura & discessio Angliæ à Pontifice.

Henricus VIII. Angliæ Rex, vxorem duxerat *Catharinam Ferdinandi* Hispaniarum Regis filiam, *Caroli* Imperatoris amitam. Illa priore matrimonio collocata

Eius origo & caussæ.

fuerat *Arthuro Walliæ* Principi, fratri *Henrici* natu maiori; eoque mortuo, *Iulio* II. Papa dispensante, pater eam tradiderat *Henrico* alteri filio, regnique successori. *Regina* hæc aliquoties grauida, vel abortum fecerat, vel partum ediderat non diu vitalem, præter vnicam gnatam. Iam *Henrico* siue odio in *Cæsarem*, siue prolis masculæ cupido, siue aliam ob causam iniectus erat scrupulus, quòd matrimonium esset inualidum, & minime legitimum; reque cum Episcopis deliberata, ipse ab vxoris congressu abstinere occœperat. Episcopi agunt cum *Regina* vt diuortio acquiescat, Pontificis diploma, neque verum, neque validum caussati. *Regina* repugnat, & Pontificis auxilium implorat, quem Rex quoque de diuortio interpellat. *Clemens* Papa, qui *Roma Oruietum* se receperat, & angustis rebus suis commodas expectabat conditiones, si *Galliæ* & *Angliæ* Reges continuato erga eum fauore, *Cæsari* in regno Neapolitano facessere negotium pergerent; *Campegium* Cardinalem misit in *Angliam*, caussæ cognitione illi, simul & *Eboracensi Cardinali* delegata. Ab his, tum etiam ex vrbe Roma facta Regi spes, fore vt secundùm se iudicaretur: immo vt iudiciorum solemnia causam non extraherent, sed quanta posset festinatione in causa decerneretur, Breue illum ab eo matrimonio liberum esse declarans, solitâ formâ fuit confectum, sed clausulis amplioribus quàm vnquam Diplomati Pontificio essent insertæ. Missus etiam in *Angliam* Cardinalis cum mandato, vt illud Regi exhiberet, postquam probationem, quod sciebat factu facile, implesset. Atque id actum anno MDXXVIII. Verùm cùm reputaret *Clemens*, explendis suis de Florentina vrbe desiderijs magis opportunum (sicut ante dictum est) Imperatoris amicitiam sibi adiungere, quàm in ea, quæ sibi cum Gallo Angloque intercesserat, perseuerare, anno MDXXIX. *Franciscum Campanam* misit ad *Campegium*, cum mandato, vt Diploma flammis committeret, atque in caussa cautè progrederetur. Cœpit primùm *Campegius* cunctari & procrastinare, deinde in præstandis promissis Regi factis tergiuersari, & difficultates obtendere. Verùm Rex comperta Iudicis cum aduersarijs suis præuaricatione, caussam suam in *Italiæ*, *Germaniæ*, *Galliæq;* Academijs curat disceptandam. E Theologis partim causam eius oppugnabant, partim ei fauebant, atque in his Parisienses maximè, multis, eos magnis largititionibus magis adductos, quam rationum momentis persuasos, opinantibus.

Clemens 7. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Henrici scrupulus de matrimonio suo, vti illegitimo: vnde ad illud dissoluendum negotiationes.

PP. iudices delegat, qui de caussa repudij cognoscant.

Breue Pontificiũ in fauorẽ Regis & repudij cuditur.

Idem à Pontifice tempori seruiente flãmis mandari iubetur.

Diuortij negotium in Academijs ab Theologis exagitatur.

Verùm Pontifex, siue *Cæsari* gratificari vellet, siue metueret, ne operâ *Cardinalis Eboracensis*, aliquid in Anglia præter animi sui mentem posset accidere; tum vt *Campegio* discedendi occasionem daret, litem ad se euocauit. Rex moræ impatiens, deprehensis artibus *Clementis* repudiata vxore *Catharina* *Annam Bolenam* anno MDXXXIII. connubio sibi coniungit. Caussa nihilominus coram Pontifice continuatur, sed in ea lento pede proceditur, vt, si posset, tum Imperatori satisfaceret, tum offensionem Regis vitaret. Sed hîc non tam cardo caussæ, quàm articuli aliquot caussam spectantes disceptabantur. Atque in his præcipuè disputatum de articulo *Attentatuum*, in quo Papa contra Regem pronuntiauit, illi non fuisse licitum propria authoritate, absque sententia Iudicis Ecclesiastici, contubernium vxoris repudiare. Quo Rex audito, sub initium anni MDXXXIIII. Pontificis obedientiam detrectat, suisque omnibus edicit, vt, neque Romam pecuniam deferant, neque *Diui Petri* denarios quotannis colligi solitos, cuiuis quæstori dependant. Ea res Aulam Romanam vehementer angebat, inque huius mali remedijs cogitationes suas quotidie Curia figebat. Plerisque visum, primò censuris & interdictis contra Regem agere, alijs omnibus nationibus *Angliæ* commercio prohibito. Sed magis placuit moderatum eorum consilium, qui censebant tempori seruiendum, & interuentu *Regis Galliæ*, rem compositione temperandam. Et quidem *Franciscus* Rex sumptâ eâ sibi prouinciâ, Romam misit *Episcopum Parisiensem*, ad negotium hoc bonis conditionibus componendum. Interim caussæ disceptatio Romæ lento gradu ita procedebat, vt statuerent ad censuras non veniendum, nisi antea *Cæsar*, aut certè simul armis amitæ suæ vlcisceretur iniuriam. Caussa in XXIII. articulos diuisa, tum agitabatur, vtrum *Arthurus* Princeps *Catharinam* Reginam carnali copula cognouisset. In qua quæstione dimidio Quadragesimæ exacto, die XIX. Martij, nuntius Romam fuit perlatus, famosum libellum contra Papam & vniuersam aulam Roma-

Pontifex repudij caussam ex Anglia ad se euocat, & Henricus Bolenam ducit, repudiata Catharina.

Henricus auauctoritatem Pontificiam per Angliæ regnum abrogat, & tributũ annuum pendi solitum denegat.

PP. negotio perplexo Regis Galliæ interuentu expediri cupit.

Clemens 7.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Sed Anglorũ scriptis & cõtumelijs prouocatus, aduersus Henricum damnationis sententiam præcipitat.

Cuius pœnitẽtia mox tangitur, sed nimis serâ.

Romanam in *Anglia* publicatum: Etiam Papam, & Cardinales, magno ipsorum probro, & vituperio, in Comedia coram Rege & aulicis scenicè repræsentatos. Quibus rebus commota omnibus bile, sententiam aduersus Regem præcipitarunt, & eiusdem mensis die XXIIII. in Senatu pronuntiarunt, matrimonium inter *Henricum* & *Catharinam* Reginam fuisse legitimum, eamque illi pro vxore habendam, ac nisi habeat, pro excommunicato reputandum.

Isthæc sententiæ præcipitatio Pontificem statim malè habuit. Etenim intra sex dies Regis *Galliæ* literæ *Romam* peruenerunt, quibus scripsit; *Angliæ* Regem contentum admittere sententiam, contra attentatum authoritate sua diuortium, & hac lege obedientiam deferre Pontifici, modò Cardinales sibi suspecti caussæ non se immisceant, & homines à suspicione liberi *Cameracum* mittantur, ad accuratè inquirendum de caussa. atque iam procuratores suos *Romam* miserat Rex, vt in ea caussa intercederent. Itaque totus erat Pontifex in prætextu aliquo excogitando, quo sententiam præcipitatam suspenderet, & caussam prostratam erigeret.

Nam Henricus abolita Papæ auctoritate, Ecclesiæ *Caput* ordinũ decreto declaratur.

Sed *Henricus* Pontificis sententiam conspicatus, dixit eam parum ad rem facere. Se enim vnicum fore regni sui Dominum ac patronum, sicuti Papa vnicus est *Romæ* Episcopus: facturum se, quod olim Ecclesia Orientalis. Nempe, Christianam fidem conseruaturum, abdicato licet Pontificis imperio; neque permissurum, vt hæresis Lutherana, aut alia quæuis in regnum suum introducatur: quod quidem re quoque effectum dedit. Edictum enim publicauit, quo se Ecclesiæ per *Angliam Caput* declarauit, capitis etiam pœnâ ijs constitutâ, qui Pontifici Romano vllam in *Anglia* potestatem attribuant. quæstores, qui *D. Petri* denarios quotannis colligebant, solum vertere iussit. Et hæc omnia in Senatu Ordinum regni, quod Parlamentum vocant, approbanda curauit. In quo illud etiam est decretum, vt *Archiepiscopo Cantuariensi* ius sit, *Româ* neglectâ, omnes *Angliæ* Episcopatus conferre, vtque singulis annis, ab Ecclesiasticis CL. millia librarum Anglicarum Regi dependantur, ad regnum tutandum contra cuiusuis hostis impressionem.

Varia variorum de hac Henrici actione interpretamenta.

De hac Regis actione varia fuerunt hominum iudicia. Alij prudenter ab eo factum existimabant, qui, nulla in Regno religionis mutatione facta, nullo à subditis seditionis metu, nullaque caussæ suæ ad Concilium reiectione, Romanæ sedis exuisset obsequium. Nam si Concilij arbitrio se permisisset, videbat, neque illud nisi ægrè impetrari, & rei euentum fore sibi admodum periculosum. Concilium enim ex Ecclesiasticis conflatum, potestatem Pontificiam, eius ordinis fulcrum, & columen, absque dubio focillaturum: quando Regibus & Imperatoribus, quibus alioqui essent obnoxij, solius Pontificatus eminentiâ antistent, neque inter Eccesiasticos alius sit à Pontifice Romano, qui Principatum gerat, habens neminem honoris gradu superiorem. At vero Curia Romana contra arguebat, iniuria affirmari, nullam in religione factam mutationem; primo, & præcipuo Romanensium articulo *de Pontificis Primatu*, immutato; pro quo solo easdem seditionum faces accendi æquum esse, ac si de omnibus ageretur. atque id euentus etiam comprobauit, necessitate adacto Rege ad Edicti sui tutelam, in homines sibi antea charos, atque in pretio habitos, seueriter animaduertere. Neque facile explicatu est, quàm grauem offensionem, ac mœrorem, non *Romæ* modò, sed vbique per omnem ordinem Ecclesiasticum, ista tam potentis regni à Pontificis obedientia abalienatio in hominum animis commouerit. Clarum certè humanæ imbecillitatis documentum dedit; quâ fit sæpenumero, vt, vnde olim maxima percipiebantur commoda, inde summa tandem importentur detrimenta. Etenim Pontifices Romani dispensationibus matrimonialibus, repudiorumque sententijs tam concessis, quàm negatis, magnam olim rebus suis accessionem fecerant, nomine Vicarij Christi tanquam vmbra obtegentes eos Principes, quibus erat commodum, per incestum aliquod connubium, aut matrimonio vno dirempto, vt aliud contraherent, ditionibus suis nouam aliquam adiungere, aut diuersorum petitorum iura extinguere: idque firmâ cum ipsis amicitiâ constabilitâ, eorumque potentiâ ad auctoritatem illam tuendam aduocatâ, absq; qua foret, vti actiones ipsorum, quippe illegitimæ, damnarentur palam & impedirentur: neque ipsis duntaxat Principibus, sed & omnibus eorum liberis ad natalium suorum

Ecclesiastici alienatione regni Anglicani à Pontifice, maiorem in modum perculsi.

Dispensationes matrimoniales, & repudia, Pontificum olim quæstus vberrimus.

suorum legitimationem defendendam accitis. Sed huiusce temporis infortunium, præcipiti *Clementis* festinationi, authoritati suæ modum imponere nescientis, meritò est ascribendum: qui si in hoc negotio prudentiam sibi familiarem non neglexisset, pro summa, quam sustinuit, iactura, maximum emolumentum reportasset.

Clemens 7. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Reuersus in *Germaniam Cæsar*, vbi intellexit quid à *Rangone* Nuntio Pontificio in negotio Concilij actum esset, datis *Romam* literis questus est, quòd, cùm Germanis Concilium promisisset, & cum Pontifice *Bononiæ* rationem iniuisset, quâ cum *Germaniæ* Principibus esset procedendum; Nuntius tamen eâ neglectâ, de qua inter ipsos conuenerat, longè diuersam esset secutus: adeo vt Protestantes sese spe sua falsos, ac planè delusos profiteantur. Orare igitur, vt Pontifex tandem modum reperiat, quo Germanis satisfiat. Literis hisce in Senatu Cardinalium, VIII. die Iunij lectis, quod non ita pridè accepissent *Lantgrauium Hassiæ*, Ducatum Wirtembergicum *Ferdinando* Regi vi armisque ademptum, *Vlricho Duci*, legitimo Domino restituisse, pacemque á *Ferdinando* per vim extortam, Cardinalium plerique putabant Lutheranis ea victoria elatis aliquid concedendum, neque diutius callidè atque artificiosè, sed sincerè ac serio agendum: cùmque *Cæsar* Concilium pollicitus sit, de promissis præstandis esse cogitandum. periculum enim esse, nisi Pontifex viam aliquam satisfaciendi commodam inueniat, vt *Cæsar* aliam admittere cogatur, quæ rebus religionis grauius præiudicium, & Ecclesiæ plus detrimenti sit allatura. Verùm Pontifex, & Cardinalium pars maior animaduerso, fieri non posse, vt Lutherani vllas Concilij conditiones accipiant Curiæ Romanæ conducibiles; sibi verò in alias consentire non esse honorificum; decreuerunt *Cæsari* respondendum: Non ignorare se, temporum momenta Concilium necessariò flagitare, eique indicendo esse quàm paratissimos, si effectus inde sperarent, temporibus accommodatos: sed exortis inter ipsum & *Galliæ* Regem recentibus discordiarum seminibus, ac apertis inter alios Principes simultatibus, necessariò prouidendum, vt ante Concilij conuocationem, odijs depositis, omnium animi reconcilientur. Dissidijs enim minimè obliteratis, nihil boni effecturos, hac præsertim tempestate, Lutheranis armatis, & victoriâ recens partâ insolescentibus.

Cæsar Pontifice & Cardinales solicitare pergit, vt de Cõcilio Germanis satisfiat.

Cardinalium de ea re sẽlus.

Pontificis ad Cæsaris literas responsum.

Verùm his de Concilio inter Pontificem & Cardinales sermocinationibus moram atque silentium statim attulit *Clementis* inualetudo longa & lethalis, quæ vitæ ipsius filum incidit sub exitum Septembris, aulicis in eius morte gaudio non mediocri affectis. Etsi enim quibusdam dotibus, naturali grauitate, parsimonia exemplari, ac dissimulatione insigni, multorum admirationem in se concitarat: ob auaritiam tamen, austeritatem & crudelitatem, quas semper exercuerat, sed in morbo plus solito manifestarat, multo pluribus erat odiosus.

Clemens PP. moritur.

Sede vacante, solent Cardinales capita quædam reformando regimini Pontificio in formulam redigere, quæ singuli se exactè seruaturos iurant, si forte ipsi Pontificatum obtineant: licet omnium ætatum experimentis testatum sit, neminem propositum iuramento stare, quòd statim ab electione in Pontificem profiteantur se non potuisse obligari, vel ipsa assumptione in Pontificatum solutos sacramenti religione. Iam mortuo *Clemente*, inter articulos de quibus conuenerat, vnus erat, vt Papa mox eligendus intra annum Concilium cogere teneretur. Sed antequam in articulos iusiurandum conciperetur, XII. Octobris, occlusis Conclauis foribus, *Cardinalis Farnesius* in Pontificem nec opinato fuit adscitus, primùm dum crearetur, *Honorius V.* postea mutato, cum inauguraretur, nomine, *Paulus III.* nuncupatus, vir præclaris animi dotibus conspicuus, sed qui ipse dissimulationem ante cæteras omnes diligebat. Ille collegij Cardinalium Decanus, & sex Pontificum temporibus partâ experientiâ, in rebus agendis plurimum versatus, volebat videri, non, ad instar *Clementis*, Concilium reformidare, sed illud tanquam vtile rebus Pontificiis potius deposcere & desiderare; quippe certus, neque se cogi posse, ad Concilium modo, aut loco, rebus suis incommodo constituendum, & vbi res postulabit, in Curia Romana, & reliquo ordine Ecclesiastico, satis esse virium ad illud sua oppositione impediendum. Indicabat etiam plurimùm in eo esse momenti ad pacem in *Italia* con-

In creatione noui Pontificis, Cardinales in certas leges iurant.

Cardinalis Farnesius renunciatur Pontifex, & dicitur Paulus III.

ser-

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Se Concilij cupientissimum simulat.

Cardinalibus sui reformandi studium commendat.

Episcoporum nominandorum potestatem Principibus non facit.

Principum conciliandorum studium ostentat.

Tres Cardinales negotio reformationis procurando designat.

Ipse tamen duobus nepotibus, non nisi Ephebis, in Patrum purpuratorum Collegium adscitis, eius Ordinis porro deformandi studium prodit.

seruandam: cuius ille perstudiosus videbatur, quò pacatè omnia administraret. Adhæc clarè perspiciebat hoc quasi integumento multa, quæ animo conceperat, posse obuelari; multa item, à quibus esset alienior, posse declinari. Itaque statim à creatione notum fecit omnibus, vtcumque in capita legum solito more iuratum non esset, sibi tamen esse firmiter decretum, caput illud de conuocando Concilio exactissimè seruare: quod in Dei gloriam, & Ecclesiæ beneficium cessurum probè cognosceret. atque eiusdem mensis die XVI. in generali Cardinalium congregatione (*Consistorium* enim non dicitur nisi post Papæ coronationem) rem ipsis disertè proposuit: validis contendens argumentis, neque firmam inter Principes Christianos amicitiam posse coire, neque hæreses extirpari, si Concilij denunciatio longiùs differatur; ideoque ipsis de forma eius celebrandi maturè considerandum. Tres etiam è Cardinalibus designauit, qui de loco, tempore, aliisque circumstantiis consultarent: simul mandans iis, vt in primo à Coronatione Consistorio, sententiam suam expromerent. Atque vt initium daret contradictionibus, quas in rem suam vertere statuerat, subiunxit, quandoquidem decretum sit Concilium cogere ad ordinem Ecclesiasticum reformandum, multo esse æquius, vt Cardinales ab hoc ipso temporis puncto sui reformandi viam capessant, quàm vt aliis eam curam relinquant; neque vel fructum, quem sibi certò spondeat, ex Concilio percipi posse, vel præcepta, sancitaque Concilij quicquam valitura, nisi Cardinales præstantibus effectis præeuntes, familiam ducant.

Cùm in more positum esset, vt nouus Pontifex Cardinalium principes beneficio aliquo gratiaue arctiùs sibi deuinciret, *Cardinalis Lotharingius* & cæteri Galli Regis sui nomine postularunt, vt *Duci Lotharingiæ* gratiam faceret nominandi Episcopos & Cœnobiarchas suæ ditionis; quod priuilegium *Respublica* quoque *Veneta* intra dominationis suæ fines petessere putabatur. Sed Pontifex respondit, in Concilio, quod breui conuocandum esset, eam nominandi facultatem Principibus iis, quibus fuerat concessa, necessariò auferendam, (Pontifices superiores suggillabat) neque æquum esse cumulo errorum aliquid superaddere, aut id in præsentia concedere, quod paruo post tempore, magno suo cum dedecore esset reuocandum.

In primò Consistorio, quod XII. Nouembris habitum fuit, Pontifex ad sermonem de Concilio reuertens, dixit, sibi ante omnia necessariò incumbendum, vt Principes Christiani positis simultatibus vniantur, aut certe caueant, se durante Concilio arma non moturos. Eoque cogitare cœpit de Nuntiis quaquauersum mittendis ad Principes ad id, aliaque de quibus inter Cardinales conuenerat, perficienda. *Vergerium* quoque Germaniâ euocauit, per quem eius Prouinciis statum edoceretur. Tres etiam designauit Cardinales, *Senensem*, *Sanceuerinum* & *Cecium*, è singulis ordinibus singulos, qui de re reformationis caperent consilia. Neque vllus erat Cardinalium consessus, quem ille non frequentabat, de negotio hoc multis verbis disserens, Curiæ Romanæ reformationem, inprimis autem Cardinalium affirmans esse necessariam. quod alij pietatis studio, nec sine efficiundi voluntate ab eo dictum interpretabantur; alij verò eâ gratiâ, vt Curiam & Cardinales excitaret ad vias, & Concilij disturbandi, & reformationis impediendæ inuestigandas: inde capientes coniecturam, quòd è Cardinalium cœtu tres delegisset, neque religionis studiosissimos, neque iussa facessere promptissimos, sed omnium tardissimos ac pacatissimos. Decembri autem sequenti ampliorem dedit hominum sermonibus materiam. *Alexandrum* enim *Farnesium* suum ex *Petro Aloisio* filio notho nepotem, & *Guidonem Ascanium Sforzam*, alterum ex filia notha *Constantia*, illum XIIII. hunc sedecim annos natum, Cardinales creauit; iis, qui teneram ipsorum ætatem obiectarent, respondens, se, decrepita sua ætate, quod in illis desiderabatur annorum facile pensaturum. Ita & opinio concepta de reformandis Cardinalium moribus, & metus quorundam erratis suis indulgentium, actutum euanuit: cum non aliunde inchoanda videretur emendatio, quàm ab eorum ætate ac natalibus, qui in eam dignitatem deinceps essent adsciscendi. Pontifex etiam ipse, facinore tam pudendo dissimulationis suæ integumentis euolutus, de erroribus emendandis vltra verba non fecit: Concilij tamen conuocandi propositum intermori non siuit.

Nam

Nam in Consistorio die XVI. Ianuarij anni MDXXXV. prolixa & vehementi oratione Cardinalibus persuasum cupiebat, de Concilio aliquid tandem aliquando statuendum, neque diutius lento gradu procedendum: ne homines verba sibi dari, seque vana expectatione pasci animum inducerent. Et quidem certe orationis grauitate adeo mentes omnium commouit, vt inibi deliberatum sit, de Nuntijs ad *Cæsarem*, *Christianissimum Regem*, & alios Principes mittendis, qui exponant ipsis, de Pontificis & Collegij Cardinalium sententia, Concilij celebrationem esse decretam Christianæ religionis bono, licet de tempore & loco, non satis sit definitum; hortenturque, vt, pro imperio suo, tuta omnia & secura inter celebrandum esse iubeant. In secretis etiam mandatis habebant, vt singulorum Principum sensa de Concilij loco dextere expiscarentur, quo perspectis aliorum omnium finibus & propositis, ea inuicem opponendo frustraretur, suum vero effectum daret. Mandauit porro Nuntijs, vt iniuriosas sibi *Regis Angliæ* actiones verbis exaggerarent, & vbi viam patefactam cernerent, Principes contra illum animarent, regno in prædam exposito. In his Nuncijs fuit *Vergerius*, cum mandato peculiari in *Germaniam* remissus, ad Protestantium animos de modo habendi Concilij perscrutandos; vt cognita eorum voluntate, Pontifex, quæ necessaria viderentur, reponeret. Sigillatim vero mandauit ei, vt promissis ac blanditijs ageret cum *Luthero*, & alijs reformatæ doctrinæ concionatoribus, ad eos in concordiam alliciendos. Incusabat vbique Papa Cardinalem *Caietanum*, tanquam durum nimis, ac rigidum; qui in Conuentu Augustano anno MDXVIII. conditionem à *Luthero* sibi oblatam reiecisset, nempe imposito aduersarijs silentio, se quoque tacere paratum. Eiusdem etiam Cardinalis acrimoniam taxabat, qui, obstinatus nullam *Luthero* conditionem concedere, præter retractationem eorum quæ scripserat, hominem præcipitem egisset ad desperationem; quæ Ecclesiæ Romanæ magno constitisset, nequè minoris constatura videbatur, quàm, dimidiatæ authoritatis suæ iactura. Neque in hac parte imitandum sibi *Leonem*, qui fratres mendicantes satis idoneos existimabat reprimendis in Germania prædicatoribus; cùm ratio & experientia eam cogitationem manifestæ arguant vanitatis. Duas tantum esse dicebat cum Protestantibus agendi vias, vim & illecebras. has cumprimis adhibendas sibi, qui nullam concordiæ rationem defugeret, salua dignitate Pontificia. Atque cum ad hunc finem opus haberet viris præstantibus, rerumque agendarum peritis, XXI. die Maij VI. Cardinales creauit, & post paucos dies, septimũ, omnes magnæ in aula sua existimationis. In his *Iohannem Fischerium Episcopum Roffensem*, qui in *Anglia* tum temporis attinebatur in custodia, quòd *Henrici* Regis edicto, quo Papæ authoritatem abrogarat, parum audiens fuisset. In eo deligendo Pontifex considerabat, se hominem eruditione clarum, & de Ecclesia Romana, etiam vsque ad persecutionem eius causa sustinendam, optimè meritum, in ordinem amplissimum cooptaturum; sperabatque eum tanta dignitate auctum, apud Regem suum maiore gratia, atque apud populum maiore fama authoritateque futurum. Ea tamen dignitas valuit duntaxat ad accelerandam illi mortem, quam obijt intra diem, ex quo creatus fuit Cardinalis, XLIII. in magna populi frequentia capite mulctatus.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Etiam Nuntios ad Reges & Principes mittit, qui Concilium mox habendum significent.

Vergerij ab Pontifice mandata.

PP. VII. creat Cardinales, & in his Episcopum Roffensem: vnde mors ei properata.

Sed quamuis Pontifex tot tamque manifestis documentis ostenderat se Conciliũ cogitare, quod omnibus esset satisfacturũ, & Germanos in rectam viam reducturum; Curia tamen Romana, & in ea, qui ab intimis ipsi erant in hoc negotio tractando consilijs, palam profitebantur, Concilium liberum extra *Italiam* conscribi non posse; neque in *Italia* alium à *Mantua* locum videri idoneum.

Curiales Concilium in Italia, & Mantuam eius sedem deposcunt.

Iam *Vergerius* Româ in Germaniam reuersus *Ferdinando* primum, dein singulis Protestantibus, qui ad eũ Regẽ negotij caussa adibant, sua de Concilio ab Pontifice mandata exposuit, ad reliquos Principes Protestantes post profectus. Sed ab his non aliud responsum, quàm, in suorum conuentu in finem anni indicto, quid respondendum sit consultaturos, & de communi sententia pronunciaturos. Nuntius illis proposuerat instare iam Concilij tempus, omnium votis tantopere desideratum, postquam Pontifex cum *Cæsare*, alijsque Regibus, non, vt olim, dicis caussa, sed

Vergerij cum Protestantibus de Concilio tractatio.

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

sed sedulò ac serio egisset, *Mantuamq;*, ne res longius extrahatur, huic rei destinatam, de qua ante biennium inter ipsos conuenerat. Eam ciuitatem, quæ spectet ad Imperij feudatarium, in confinio Cæsareæ ditionis, & Venetorum positam, spondere ijs omnia tuta & secura; alioqui, Pontificem & *Cæsarem*, quantum satis sit, cauturos. Nihil esse necesse modum ac formam futuræ actionis præscribere, quæ in ipso Conuentu multo melius possit pertractari. In *Germania* certe celebrari non posse, vbi *Anabaptistarum*, *Sacramentariorum*, & similium sectariorum, maxima parte amentium, & lymphaticorum, tota redundant examina. Non esse tutum exteris nationibus eò proficisci, ad condemnandam eorum doctrinam, qui tanto illic numero sint & potentia. Pontificis quidem non magni referre, vbi gentium Concilium habeatur: hoc tantùm deprecari, ne vis sibi allata videatur; aut loci præscribendi facultas auferatur, quam tot ante seculis ipsius decessores tenuerunt.

Et singillatim cum Luthero.

In hoc itinere *Vergerius Lutherum* Wittembergæ conuenit, & cum eo copiosè, atque humaniter, de ijs, quæ in mandatis habebat, amplificatis rerum capitibus, egit. Ac primùm persuasum ei volebat, apud Pontificem, & Senatum Cardinalium, magnã esse illius existimationem; eoq; illis vehementiùs dolere, ereptum sibi eũ hominem, qui, si ad Dei, sedisque Apostolicæ (quæ disiungere nefas esset) cultum, studia operamque contulisset, Ecclesiæ fructum afferre potuisset incredibilem; adeoque nunc ad eum recuperandum hoc diligentius incumbere Sanctam sedem: à qua omnem fauorem sibi possit polliceri. Pontificem & Cardinales *Caietani* acritudinem valde vituperare; displicere etiam ipsis acerbitatem, quâ *Leo* X. aliorum magis impulsu, quam suopte ingenio, vsus. Neque esse nunc propositum sibi, qui Theologiam minimè profiteatur, de capitibus controuersis cum ipso disputationem instituere; sed rationum humanarum momentis ostendere, quam commodum rebus ipsius esset futurum, cum Ecclesiæ capite communionem colere. Etiam atque etiam considerandum, ante XVIII. annos doctrinam illam nunquam lucem aspexisse: semel natam, innumerabiles sectas, quarum vnaquæque aliam exsecratur, progenerasse. ex his tumultus populares ortos, cum infinitorum prope hominum morte & internecione. Ex quibus efficitur, doctrinam eam, quæ orbi Christiano tam perniciosa sit, tot malorum plaustris per eam importatis, à Deo bonorum fonte non esse profectam. Addebat porro *Vergerius*, nimio sui amore, & nimia opinionis propriæ estimatione laborare *Lutherum*, qui malit vniuersum orbem molestijs implicare, quàm doctrinam suam in vulgus non spargere. Si in fide (dicebat *Luthero*) in qua natus eras, & quinque ac triginta annos educatus, aliquid innouandum conscientiæ, salutisque ergò putasses, ea religio apud te residere debebat. Si amor proximi eò te impellebat, quæ isthæc, amabo, charitas est, tot turbas vltro ciere, vbi, nulla te necessitas premat? vbi sine tua religione commode viuitur, & Diuini Numinis cultus tranquillè procuratur. Rerum, inquiebat, perturbatio eousque est progressa, vt in remedijs applicandis non sit amplius cunctationi locus. Itaque decreuit Pontifex primo quoque tempore Concilium indicere, in quo coeuntibus in vnum eruditissimis quibusque in Europa viris, veritas elucescat, disiectis fanaticarum opinionum nebulis: eique rei destinauit *Mantuam*. Quamuis autem in bonitate diuina præcipuè fiducia sit collocanda, cum tamen secundùm Deum actiones hominum rebus gerendis afferant momentum, penes *Lutherum* est operandi facilitatem dare remedio, si ille non recuset Concilio interesse, amicè beneuoléque agere, & Pontificem, Principem munificentissimum, atque hominum benemeritis præmia rependere doctum, sibi deuincire. Reuocauit ei in memoriam exemplum *Aeneæ Syluij*, qui proprijs opinionibus addictus, non nisi ægrè Canonicatum in Ecclesia Tridentina obtinuit: mutatus in melius, mox in Episcopum, tum in Cardinalem, ac tandem in *Papam Pium* II. euasit. Etiam *Bessarionem* Nicænum memorabat, qui è misero *Trapezuntij Caloiero*, factus est magni nominis & celebritatis Cardinalis, neque longè afuit à Pontificia dignitate.

Martinus Vergerio Nuncio respondet animosè.

Lutherus ad ista more ingenij sui oratione vehementi & concitata respondit, sua non referre admodum, quo apud Curiam Romanam sit loco, cuius nec odium extimescat,

mescat, nec requirat beneuolentiam. Se quidem in ministerio verbi diuini nullis parcere laboribus, sed vt seruum tamen inutilem: nec videre se quantò plus sit affinitatis inter Christi & Pontificatus famulitium, quàm inter tenebras & lucem. Nihil sibi per omnem vitam accidisse fructuosius, quàm *Leonis* seueritudinem, & *Caietani* acerbitatem; quas non ipsis, sed Diuinæ prouidentiæ ascribat. Illis enim temporibus, cum nondum omnis fidei Christianæ veritas ipsi affulsisset, sed in materia indulgentiarum solùm abusus aliquot detexisset, facile sibimet silentium fuisse imperaturum; dummodo aduersarij ijsdem sese subijcerent legibus. Scriptis verò *Magistri sacri Palatij*, *Caietani* contumelijs, & *Leonis* seueritate prouocatum diligenti studio in rem omnem incubuisse, & complures abusus ac errores Pontificatus multo minus tolerabiles, deprehendisse, quos conscientia illæsa homines celare, aut dissimulare non posset. Nuntium quidem ingenuè professum, se in Theologia non multùm versatum, atque id ex ipsius argumentis facilè apparere, cum iniuriâ doctrinam ipsius nouitatis insimulet, nisi credat Christum, Apostolos, sanctosque Patres, ad eam formulam olim vitam suam instituisse, qua hoc seculo à Papa, Cardinalibus, atque Episcopis viuitur. Neque vlli contra eandem doctrinam argumenta petenda à seditionibus *Germaniæ*, nisi ei, qui in Scripturis parum frequens sit, quique nesciat, id peculiare esse Dei verbo & Euangelio, vt vbicunque terrarum prædicatur, turbas ac tumultus concitet; quibus Pater etiam à Filio separatur. Hanc esse vim verbi Diuini; si quis eius dicto audiens est, donare ei vitam; si quis recalcitrat, maiorem adferre damnationem. Romanensium verò hunc esse errorem vulgatissimum, quòd Christi Ecclesiam, perinde ac si status esset secularis, rationum humanarum sanctionibus stabilire nitantur. Nimirum istius generis sapientiam, Diuo *Paulo* auctore, stultitiam reputari apud Deum: sicut ex contrario, politicas, quibus Romana Ecclesia gubernatur, considerationes pro leuibus ducere, Diuinis vero promissis fidere, & rerum Ecclesiæ gubernationem Diuinæ Maiestati concedere, illam esse humanam vecordiam, quæ Deo pro sola, veráque sapientia ducitur. Vt Concilium bene vortat, bonoque Ecclesiæ cedat, non in vnius *Martini* potestate positum; sed magis in Pontificis, si illud liberum permittat: vt solus Dei spiritus ibi regat & præsideat, sepositisque hominum aspectibus, vsurpationibus, & artibus, ad sacræ Scripturæ amussim certâ controuersiæ dijudicentur. Id si fiat, se sinceritatem & charitatem Christianam, quantam poterit maximam, eò allaturum: non ad Pontificem, aliumue mortalem sibi deuinciendum; sed ad Christi gloriam, Ecclesiæque pacem, ac libertatem constituendam. Tantum autem Christiani Orbis bonum frustra sperari, nisi Deo priùs abiecta hypocrisi, seriâ pœnitentiâ peccatis nostris propitiato. Hominum insuper quantumuis eruditorum coitionem, debile esse tanto operi inædificando fundamentum: cum nullus sit error, tam insulsus, tamque abhorrens a ratione, quem, Dei iracundiâ non expiatâ, humani generis hostis literatis illis, prudentiæ & literarum opinione confisis, non persuadeat; vbi Deo visum prudentum sapientiam confundere. Se vero Româ nihil posse recipere, quod cum Euangelij ministerio aliqua consensione respondeat. Neque hilum moueri *Eneæ Syluij* & *Bessarionis* exemplis: quippe, quem splendores ij tenebricosi non percellant, quique, si se, suaque velit magnificare, illud verè regerere possit, quod ab *Erasmo* facetè aliquando dictum, *Lutherum* inopem & abiectum, multos locupletasse, & promouisse. Compertum esse Nuntio, vt non longè abeat, etiam creationem Roffensis Episcopi in Cardinalem mense Maio proxime superiori, magna parte, Scombergij vero in totum sibi deberi: illius verò casum tam præcipitem, diuinæ imputandum prouidentiæ. Nihil igitur impetrare potuit *Vergerius*, *Luthero* de solita animi firmitudine nihil laxante; doctrinam quoque suam tam constanter, arctéque tenente, ac si oculis eam cerneret corporeis, palamque dictitante, Nuntium, & Pontificem ipsum, illius fidem faciliùs amplexaturos, quàm ille eam deserturus esset.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Vergerius ab Luthero nihil impetrat.

Vergerius tamen iuxta mandatum Pontificis cum alijs quoque concionatoribus egit tam *Wittembergæ*, quàm in reliquo itinere; quos propè omnes spe sua præfractiores reperit, eos certè qui apud suos aliqua erant nominis celebritate: è reli-

Nec ab cæteris vllius nominis Concionatoribus.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

reliquis autem, quos caussæ suæ fauentiores animaduertebat, eosdem & meritis exiguos, & spei immodicos cum videret, magnam eorum rationem habendam non putauit.

Principum Protestãtum, & Ciuitatum in Conuentu Smalcaldico, ad Vergerij Legationem responsio.

E Protestantibus XV. Principes & XXX. ciuitatum Legati, qui *Smalcaldiæ* conuenerant, audita *Vergerij* legatione respondent, se, quid esset ipsorum de Concilio voluntatis, non vnis Comitijs declarasse, & ante biennium Clementis Nuncio, ac Cæsareo Legato abunde exposuisse. Legitimum quidem Concilium, ad quod liberè & libenter proficiscantur, sese vnà cum pijs omnibus semper flagitasse; atque eiusdem modi Coucilium in Comitijs Imperij sæpius decretum. Quod vero Pontifex *Mantuæ* habendum designauerit, omnino se sperare, Cæsarem, nec ab Imperij decretis, nec à suis promissis, quibus in Germania cogendum caueatur, vnquam discessurum. Neque enim videre se, quid ibi sit periculi, vbi Principes & ciuitates Cæsari morem gerunt, atque omnia ita recte sunt constituta, vt in his exteri & benignè excipiantur, & summa cum humanitate habeantur. Vt verò Pontifex, eorum, qui Concilium adituri sunt, securitati prospiciat, non satis intelligere, quomodo id sit accipiendum, præsertim, cum ad superioris ætatis actiones oculos conijciunt. Rempub. Christianam opus habere pio, liberoque Concilio, & ad eiusmodi conuentum se iampridem prouocasse. Quod de modo & forma actionis non nisi in Conuentu ipso dicatur esse tractandum, id non obscurè significare, nullam ibi fore libertattem, sed omnia referenda ad Pontificis nutum, cui rerum iudicio permisso, cum ille non semel ipsorum religionem damnarit, non posse vltra Concilium esse liberum. Concilium si recte definiatur, non vnius Pontificis, nec Sacerdotum modò, sed omnium Ecclesiæ ordinum, etiam secularium esse tribunal. Opinionem esse iniquam, & quæ sapit tyrannidem, Pontificis potestatem Ecclesiæ totius authoritati præferre. Cùm non verbis, sed edictis atrocibus suorum opiniones tueatur Pontifex, atque ita alteram litis partem sustineat, æquissimum esse, vt Principes, modum saltem ac formam futuræ actionis præscribant.

In eodẽ conuentu Galliæ Angliæq; Regum, legatio.

Ad eundem *Smalcaldiæ* Conuentum *Galliæ* & *Angliæ Reges* Legatos miserunt; Galliæ quidem Rex, vt significaret, *Francisco Sfortia Mediolanensi Principe*, non relictis liberis, extincto, plane sibi constitutum in *Italia* belligerari. Dein vt eos hortaretur, ne quem Concilij locum admitterent, nisi de suo Regisque *Angliæ* consilio; qui se paria facturos promitterent. *Angliæ* vero Rex præterea monitos volebat, ne Concilium approbarent, quod neque superiorum temporum abusus tolleret, & Pontificis dominationem validius constabiliret. Ad hæc, vt diuortium suum non improbarent. Protestantes vicissim huic Regi authores erant, vt in regno *Angliæ* Augustanam confessionem reciperet. Quæ quidem licet varijs conuentibus agitata, definita tamen non fuere.

1536. Vergerius quid ab se in legatione Germanica actum sit, exponit primum Pontifici Romæ, dein Cæsari Neapoli. Cæsar Romã proficiscitur ad colloquendum Pontifici.

Vergerius initio anni MDXXXVI. ad Pontificem reuersus, legationem renunciat, cuius hæc erant capita. Protestantes *Cæsaris* promissionibus fretos Concilium postulare liberum, loco opportuno, intra Imperij fines. De *Luthero* ac socijs nihil spei esse reliquum, nisi continuò armis opprimantur. Ille, vbi operæ nauatæ præmium Episcopatum *Capitis Istriæ* in sua patria tulisset, à Pontifice *Neapolim* transcurrere iubetur, ad hæc ipsa commemoranda *Cæsari*, qui partà in *Africa* victorià, ad res eius regni ordinandas eò diuerterat. Iis intellectis statim *Romam Cæsar* profectus est. Ibi de rebus *Italiæ*, & pacificandæ *Germaniæ* ratione, secretos habuit cum Pontifice sermones. Pontifex de *Vergerij* sententia *Cæsarem* ad arma in Lutheranos capienda concitabat. *Cæsar* autem, cui id bellum parum tempestiuum videbatur, ad fructum, quem inde *Paulus* expectabat, percipiendum; quique Italico bello detinebatur, quo se expedire non poterat, nisi abdicato Mediolanensi principatu, cum omnes ipsius actiones eò spectarent, vt illam ditionem dominijs suis adiungeret, bellum Germanicum differendum putauit, vt in *Mediolano* à Gallorum armis defendendo exercitus sui robur impenderet. At Pontifex, qui cogitationes suas eò contulerat, vt Mediolanensis ditio Italo obtingeret, ideoque bellum Germaniæ *Cæsari* proposuerat, non tam ad opprimendos, vt palã præ se ferebat, Lutheranos, quàm ad *Cæsarem* ab occupando Mediolano auertendum, quem ille scopum licet secretò habebat

Vtriusq; studia diuersa, & mutua inde dissimulatio.

habebat propositum, asseuerabat, se cum *Venetis*, armis ac blanditijs simul adhibitis, facilius Regem Galliæ ab incœpto reuocaturos, si *Cæsar* nullas in eo negotio partes susciperet. *Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.*

Iam *Cæsar*, cùm in intimum Pontificis sensum penetrasset, *cum Cretensi Cretizãdum* existimans, suam quoque ad bellum Lutheranis inferendum propensionem profitetur. Verùm, ne cum tam multis in caput suum coniuratis vno eodemque tempore conflictandum esset, satius videri caussæ suæ æquitatem patefacere, & Concilio prius indicto, omnibus facere testatum, pacis, quàm armorum vias ante fuisse tentatas. Neque Pontifici erat ingratum, quandoquidem Concilium erat indicendum, eo potissimum tempore conuocari, quo occupatis à Rege Galliæ *Sabaudia* & *Pedemontio*, belli flamma vniuersam Italiam peruasura credebatur. Inde probabilem dari colorem, ad Concilium armis circumuallandum, quasi custodiæ & tutelæ caussâ. Id sibi haudquaquam displicere, modo conditiones eæ apponantur, quæ authoritati, existimationique sedis Apostolicæ nihil detrahant. Imperator ob victoriam de Africanis reportatam animo erectior, & magnis cogitationibus plenus, statuerat saltem intra biennium bello Insubriæ defungi; tum repagulis omnibus remotis, *Germaniæ* bello incumbere. Volebat geminum ad se ex Concilio manare emolumentum. Primò, durante bello Italico Papam coerceri, ne more Pontificibus vsitato, in *Galliæ* Regis bello attriti partes concederet, ad victorem velut in æquilibrium perducendum. Deinde, *Germaniam* ad obsequium sibi præstandum adduci, quò ille cum primis respiciebat, non ad Pontificis obedientiam, quam in secundis ponebat. Et cum satis ei placeret *Mantua*, de cætero non laborabat, quam conditionem Pontifex esset appositurus; certus, etiam congregato Concilio, si quid minus arrideret, se nullo prope negotio mutaturum. Itaque tandem constituit, modò Concilium habeatur, nullam se eius habendi conditionem respuere; quod speret, si non vniuersam *Germaniam*, certe potissimam eius partem, illi aliquando assensuram. Atque ita determinatio Pontificis de consilio Cardinalium fuit stabilita.

Cæsar cum vulpe vulpinandum censet.

Ex Concilij conuocatione sua commoda consectatur.

Cæsar igitur die Aprilis XXVIII. in Senatum Cardinalium veniens Pontifici & Collegio gratias agit, quod impigre, & perlibenter Concilium publicum decreuissent: dein orat, vt ante suum *Româ* discessum diploma expediant, vt quæ porro necessaria videbuntur, prouidere possit. Sed cum ea res maturam requireret deliberationem, ac verbis vtendum esset bene pensiculatis, quæ & spem facerent summæ libertatis, & dignitati Pontificiæ non derogarent, tam expeditè confici non poterat. Delecti tamen è Senatu sex Cardinales, & Episcopi tres, quibus diplomatis conscribendi prouincia committitur. Ita duodecimo die Iunij in Senatu recitatur, & Cardinalium autographis in hanc formam confirmatur.

In Consistorium Cardinalium venit.

Ab initio Pontificatus sui, nihil magis fuisse in votis, quàm vt Ecclesia suæ curæ à Deo commissa ab hæresibus & erroribus repurgetur; necnon disciplina in pristinum statum restituatur. Cum verò ad id efficiendum, nulla occurrat via commodior, quàm, quæ in eiusmodi occasionibus ab Ecclesia semper est adhibita, Concilium scilicet publicum, de eo literas ad *Cæsarem*, aliosque Reges sæpe dedisse, & sperare futurum, non modò vt propositum sibi finem assequatur; verùm etiam, vt compositis Principum Christianorum dissidiis, bellum hostibus fidei inferatur, ad liberandos misera seruitute Christianos, & infideles in Christi vineam colligendos. Itaque pro ea, quam obtineat potestatis plenitudine, deque fratrum suorum Cardinalium consensu, Concilium indicere se publicum totius orbis Christiani ad diem XXVII. Maij anni sequentis M.D.XXXVII. *Mantuæ* loco copioso, & ad eam rem opportuno. Mandare igitur Episcopis, & aliis vbicumque terrarum degant Ecclesiæ Præpositis, per eam, qua constricti tenentur, iurisiurandi religionem, nisi pœnas sanctorum Canonum decretis sancitas velint incurrere, ad diem præstitutam venire non recusent. Orare etiam *Cæsarem*, per amorem Christi, & Reipublicæ Christianæ salutem, tum *Regem Galliæ*, aliosque Reges ac Principes, vt ipsi coram interesse velint; aut si non queant, legationes amplas & honorificas mittant, prout tam *Clementi*, quàm sibi, sæpius receperint. Curent insuper, vt suæ ditionis Præsules eo veniant, & vsque ad exitum *Mantuæ* permaneant, ad ea decernenda quibus

Pauli Pontificis diploma de Concilio indicendo Mantuæ.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Ecclesia reformetur, hæreses funditus tollantur, & in religionis hostes bellum moueatur.

Item aliud de ciuitate Romana ab omnibus fordibus atque vitiis eluenda.

Aliud quoque diploma Pontifex euulgauit ad ciuitatem Romanam, totius Orbis Christiani caput, & doctrinæ, morum, atque disciplinæ magistram, ab omnibus vitiis ac corruptelis (vti dicebat) emendendam: vt sua nimirum domo repurgata, reliquas faciliùs repurgare liceat. cui quidem oneri cum ipse solus sufficere non possit, in eam rem delegisse Cardinales *Ostiensem*, *Sanseuerinum*, *Ginutium* & *Simonetam*, grauissimâ omnibus pœnâ denuntiatâ, qui his quouis modo parere recusent. Quamuis autem Cardinales isti cum aliquot Episcopis à Pontifice etiam designatis, ad reformandam *Pænitentiariam*, *Datariam*, & *Curiam Romanam* continuò animum adiecerint, nihil tamen in ea emendatione, quod operæpretium esset, fecerunt. Neque fructum multo maiorem homines mediocri iudicio præditi sibi spondebant ex Concilio, quod tam alieno tempore esset indictum, bello inter Imperatorem & Galliæ Regem in *Veromanduis*, *Prouincia Gallia*, & *Pedemontio* flagrante.

Protestantes apud *Cæsarem*, de Concilio extra *Germaniam* indicto, queruntur.

Protestantes lecto Pontificis diplomate scribunt ad *Cæsarem*, non videre se, quâ formâ aut modo Concilium sit peragendum. Se pium & liberum in *Germania* Concilium flagitasse, & illum tale recepisse. Sperare itaque, *Cæsarem* daturum operam, vt iustis ipsorum postulatis fiat satis, & à suis non abeat promissis.

1537.

Cæsar Heldum Legatum ad Protestantes in *Germaniam* amandat.

Sub initium anni sequentis MDXXXVII. misit *Cæsar* in *Germaniam* ad Protestantes *Matthiam Heldum* Procancellarium suum, qui eos hortaretur ad Concilium recipiendum, ab se tanto labore ac solicitudine procuratum, cui coram interesse constituerat, nisi belli gerendi necessitate iniecta alibi esse cogeretur. Mandarat ei, vt significaret ipsis, eos pridem ad Concilium prouocasse; eòque non esse integrum, mutato proposito ab aliis gentibus secessionem facere, quæ in Ecclesiæ emendatione spes omnes & cogitationes defixerint. De Pontifice non esse dubium, quin ille se gerat, vti decet præcipuum sacri ordinis caput. si quas habeant aduersus illum querimonias, eas in Concilio sine acerbitate modestè proferendas. Ad modum & formam Concilij quod attinet, non esse æquum, vt cæteris ipsi nationibus modum præscribant: nec putandum, ipsorum modò Theologos diuino Spiritu afflatos, & rerum sacrarum peritos; sed alibi quoque reperiri, in quibus nec doctrina, nec vitæ sanctimonia desideratur. De loco Concilij, ipsos quidem locum in *Germania* deposcere, sed de cæteris etiam nationibus cogitandum, quid illis sit commodum, & opportunum. *Mantuam* esse vicinam *Germaniæ*, rerum copia & salubritate cœli commendatam, & ditionis Imperij; Principem ipsum esse beneficiarium, & clientem Imperij, sic vt Pontifex nullam ibi habeat potestatem; si discrimen vllum subesse putant, curaturum *Cæsarem*, vt ipsis idoneè caueatur. Egit etiam priuatim cum *Electore Saxoniæ*, hortatus, vt positis exceptionibus, aut excusationibus, quæ incommoda parere solent, Legatos suos ad Concilium mittat.

Protestantium ad *Heldum* responsio de Concilio.

Protestantes ad eam Legationis partem, quæ erat de Concilio, respondent: Se lecto Pontificis diplomate, facilè deprehendere, non eandem esse illius ac *Cæsaris* mentem. Dein repetitis iis, quæ cum *Adriano*, *Clemente* ac *Paulo* acta fuissent, obseruant eundem scopum omnibus esse propositum. Tum rationes in medium adducunt, ex quibus euincitur iniquum esse, vt Pontifex, aut qui ei iureiurando sunt obstricti, in Concilio Iudicis partes agant. Ad ea quæ dicta erant de sede Concilio destinata in *Italia*, aiebant, ea planè pugnare cum Decretis Imperij; nec deesse caussas, ob quas eò venire sit sibi suisque periculosum. Cum enim Pontifex suas habeat per vniuersam *Italiam* clientelas, quæ doctrinam Protestantum capitali odio prosequantur, magnum illis esse discrimen ab insidiis, & consiliis occultis. Cumque negotium hoc tantum sit, vt procuratoribus non sit committendum, ideoque Ministros & Doctores magno numero requirat, parum tutum esse, relinquere Ecclesias Pastorum præsidio destitutas. Quomodo autem Pontificem caussæ suæ iudicem admittant, qui hoc vnum spectat, vt ipsorum doctrina, quam in omnibus diplomatis suis vocat hæresin, aboleatur? Neque solùm in diplomate quo Concilium

Pontificem, qui sit aduersarius, pro iudice non admittendum.

lium indicit, sed in altero etiam, quo Curiæ Romanæ emendationem simulat, apertis verbis profiteri, Concilium conuocatum ad hæresin Lutheranam extirpandam. Cuius quidem rei nimis nota omnibus exstare documenta, cùm miseros insontes, solo religionis, & conscientiæ studio damnatos, exquisitis tormentis curat excarnificandos. Cuius autem sit vecordiæ, Pontificem, & fautores suos ibi accusare, vbi ipse cognitionem caussæ sibi sumat? aut quid aliud sit, diploma eius approbare, quàm laqueum sibi induere, & condemnationis sententiam assensu suo confirmare? Ideo se Concilium liberum, & Christianum semper postulasse, non tam, vt suam cuique sententiam ibi proferre liceat, aut vt Turcas & infideles ab eo coetu arceant: quàm vt eos, qui sacramentis, alijsque pactionibus in caput suum coniurarunt, iudices defugiant, & Sacrosancto Dei verbo præeunte, omnes de doctrina controuersiæ explorentur, ac definiantur. Non nescire se, in alijs regionibus esse homines pios & doctos. immo compertissimum habere, si immoderata hæc Pontificis potestas restringeretur, & in ordinem redigeretur, futurum, vt non sui tantum Theologi, verum alij complures, qui in alijs nationibus illius tyrannide oppressi delitescunt, omnem operam libenter conferrent ad Ecclesiæ emendationem. De situ & opportunitate vrbis *Mantuæ*, non esse, quod disputationem instituant: cùm in *Italia* bellum nunc geratur, locum illum sibi iure esse suspectum. certè Ducis fratrem germanum, esse in aula Romana primi nominis Cardinalem. Esse per *Germaniam* multas ciuitates, non minùs, quàm est *Mantua*, commodas, æquitatis iustitiæque nomine commendatas: neque adeo nota, aut vsitata esse *Germaniæ*, sicut alijs quibusdam locis, occulta consilia, & clandestinas hominum interimendorum vias. In pristinis Concilijs de securitate loci semper rationem in primis habitam. Eam *Cæsarem*, etiamsi coram adsit Concilio, & maxime cupiat, præstare vix posse. Pontifices enim ei, vt & cæteris Regibus, locum in deliberationibus fortean concedere; potestatem vero decernendi nullam facere, sed sibi solis reseruare. Peruulgatum esse, quid in *Constantiensi* Concilio cum *Sigismundo Cæsare* sit actum: cuius fidem publicam, cum maxima Principis ignominia, Patres eius concilij non præstandam sibi putarunt. Orare itaque *Cæsarem* vt rationum istarum momenta diligenter expendat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Neque Mantuam, vt Concilij sedem.

Ad eundem conuentum venit *Episcopus Aquensis*, à Pontifice missus, vt Principes Protestantes inuitaret ad Concilium; sed ille frustra fuit, nonnullis Principum, colloquium cum eo detrectantibus. Illi vero, vt recusati Concilij caussæ omnibus constarent, scriptum euulgant, & typis excudendum curant, quo aduersariorum criminationes diluere conantur. Adducebantur enim in odium apud omnes, quòd nullum caussæ suæ iudicem admitterent, quòd reliquas præ se nationes contemnerent; quod Concilium, supremum Ecclesiæ tribunal, defugerent; quòd hæreses olim damnatas, & intermortuas resuscitassent; quòd discordias intestinas alerent; quod in Aulæ Romanæ moribus leuia tantùm ac tolerabilia reprehenderent. Ad hæc illi accuratè respondent, simul caussas adferunt, quibus adducti, Pontificem, suosque in rebus fidei iudices auersantur, citatis in eam rem Sanctorum Patrum exemplis, qui priscis temporibus Concilia recusarunt. Regum tandem & Principum opem implorant, ad se innoxios ab iniuria vindicandos, promittentes, si vllo post tempore Concilium legitimum conuocabitur, se caussam propugnaturos, actionesque suas non iniquis iudicibus approbaturos. Literas vero singillatim dederunt ad *Galliæ Regem*, quibus, cùm quid in eo conuentu gestum esset, exposuissent, ille respondit, de Concilio, se paria cum illis sentire; neque aliud, nisi legitimum, & in loco tuto collectum, vmquam approbaturum: *Regemque Scotiæ* generum suum, in ipsius sententiam haud dubiè concessurum.

Episcopus Aquensis à Pontifice ad Protestantes legatus.

Protestantes scripto recusati Concilij caussas edunt.

Iidem de eadem re ad Regem Galliæ dant literas.

Fridericus Mantuæ Princeps, nihil vltra cogitans, quàm vt Pontifici gratificaretur, ciuitatem illam ei concesserat, ad Concilium inibi celebrandum, sed bello inter *Cæsarem* & *Galliæ* Regem exardescente, ac reluctante *Germania*, cuius gratia inprimis erat institutum, iuxta peruulgatam hominum opinionem, nullum ea in vrbe conuentum expectabat. Vbi vero Concilium iam indictum accepisset, tum demum coepit de securitate suæ vrbis cogitare; & Pontifici per internuncium significandum

Mantuæ Dux præsidio militum vrbem muniri, & in eam rem à Pontifice sumptus fieri postulat.

dum

Paulus. 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus.* 1.

Paulus vtrumque abnuit, & sibi in vrbe iuris dicundi potestatem poscit.

dum curauit, quando futurum esset, vt in eum locum tot homines confluerent, necessarium esse tuendæ vrbi præsidium. cumque illud ab alio, quàm à se pendere non debeat, neque tamen suis sumptibus sit alendum, æquum esse, vt Pontifex, qui Concilium ibi celebrandum indixerit, in stipendia præsidiariorum pecuniam subministret. Quibus Pontifex respondit, multitudinem eam non esse militum, aut hominũ armatorum, sed, Ecclesiasticorũ & literatorum; quibus in officio retinendis sufficiat vnus aliquis Magistratus, quem ipse modico comitatu satellitioque fultum, iuri dicundo sit præpositurus. Præsidiarios verò armatos omnibus fore suspectos, & loco Concilij, quod, cùm specie, tum re, pacem præ se ferre deceat, parum conuenientes. quòd si Concilium satellitio armis munito opus habeat, periniquum esse, vt illud in alterius quâm Concilij ipsius, aut certe Papæ, qui caput est Concilij, potestate siet. Cum autem Princeps, qui probè sciebat Iurisdictionem trahere secum Imperium, replicasset, nunquam permissurum se, vt in ciuitate sibi subdita, alius, quàm officiales ipsius, ius administret, Papa, qui eximiâ erat solertiâ, responsione improuisa (quod raro illi contigerat) ictus, *Ducis* famulo respondit, se nunquam fuisse crediturum, ab hero eius, Principe Italo, cuius familia tot tantisque ab sede Apostolica beneficijs fuisset ornata, & cuius frater germanus esset Cardinalis, id sibi negatum iri, quod à nemine vnquam fuerat controuersum; quod leges diuinæ humanæque sibi concederent; quodque ipsi Lutherani sibi negare non possunt; nempe, vt Ecclesiasticorum supremus sit iudex: immo, quod Dux ipse non adimit Episcopo suo, qui de Sacerdotum caussis *Mantuæ* cognoscit. Concilio non alios interfuturos, quàm Ecclesiasticos, qui cum familijs suis à foro seculari sunt immunes. idque adeo manifestum esse, vt Doctores vnanimi consensu affirment, etiam concubinas Sacerdotum foro subijci Ecclesiastico; cum ille tamen ne vnum Magistratum admittat, qui tempore Concilij ipsis ius dicat. Dux nihilominus propositi tenax mãsit, neque Pontifici ius dicentes *Mantuæ* concedens, & in postulandis militum stipendijs firmiter persistens. Cum autem eæ conditiones Pontifici duræ viderentur, & (vti aiebat) veteribus institutis contrariæ, atq; à dignitate Apostolicæ sedis, libertateque Ecclesiastica alienissimæ, non modò assensum ijs suum negauit; sed omnino statuit, nullum *Mantuæ* Concilium celebrare, memor quam malè successisset *Ioanni* XXIII. qui Concilium ibi coegisset, vbi alter fuerat ipso potentior. Decreto igitur Concilium esse protollendum, diplomate publico se excusauit, affirmans, vtcumque magno suo cum moerore cogatur alium locum Concilio destinare, æquiori se id animo ferre, quod alienâ culpâ, non suâ id acciderit: cumque non possit de alio loco idoneo ita properè statuere, Concilij celebrationem vsque ad Calendas Nouembris differre.

Sacerdotum concubinæ ex sententia DD. foro subiacent Ecclesiastico.

Paulus Mantuâ non impetratâ, alium locum cogitat, atque interea Concilium producit.

Scriptum Henrici Angliæ Regis in Concilium Pontificium.

Angliæ Rex interea suo & Procerum Regni nomine scriptum euulgat contra Concilium à Pontifice conuocatum: cuius nec ille conuocandi potestatem habeat; & tum loco parum tuto congreget, tum tempore, quo bellum in *Italia* ardeat. Se quidem ex animo cupere Concilium Christianum, sed ad Pontificium neque venturum, neque legatos esse missurum; quippe, cui nihil magis sit commercij cum Episcopo Romano, aut illius edictis, quàm alterius cuiusuis Episcopi. Concilia olim Regum authoritate congregata, eumque morem hoc præsertim tempore restaurandum, quo de aulæ Romanæ defectibus tam graues instituuntur querimoniæ. Non esse nouum & insolens Pontificibus, fidem fallere. Id verò sibi eo diligentiùs cauendum, quem Papa acerbissimè oderit, cùm ob profligatam è suo regno ipsius tyrannidem, tum propter ablatos annuos census ei dependi solitos. In *Mantuæ* Principem culpam conferre, qui in suam vrbem tantam multitudinem sine præsidio admittendam non censeat, id esse homines ludificari; perinde atque alterum illud, scilicet, Concilium ad Nouembrem vsque prorogare, neque tamen quo loco sit habendum, præfigere. quod si ipsi loci deligendi fiat potestas, vel suæ ditionis vrbem, vel Principis alicuius, qui sit ipsi deuinctus, procul dubio designaturum. Itaque cùm de vero Concilio plerique omnes iudicio prædití desperent, sibi optimum videri, vt in suo quisque populo Princeps religionem emendet. quâ si quis meliorem rationem expediat, se minime recusaturum.

Complures quoque in *Italia* Pontificis actiones in sequiorem partem interpretabantur. Et quamuis ipse Concilij non inchoati culpam *Duci Mantuæ* ascriberet, illi tamen eam magna sermonis libertate in ipsum reijciebant: argumento inde sumpto, quòd, sub idem tempus diplomate promulgato de emendatione Curiæ Romanæ, eâque prouinciâ IIII. Cardinalibus traditâ, licet neque *Mantuæ Dux*, neque quis alius ita se opponeret, vt non suæ potestatis esset, alto tamen ea res premeretur silentio; sicuti totos III. annos quieuisset, ex quo assumptus ad Pontificatum primitus eam proposuisset. Ad delendam igitur istam ignominiam, & fidem eorum eleuandam, qui asperioribus ipsum verbis perstringerent, statuit sui reformandi, Cardinalium, & aulæ Romanæ negotium denuo aggredi, in id delectis IV. Cardinalibus, & V. Præsulibus, tantæ apud eum existimationis, vt ex his quatuor postmodum in Cardinalium numerum adlegerit. His IX. mandauit, vt morbos, qui medicam manum requirebant, accuratè circumspicerent, remedia simul eisdem citò & facilè remouendis applicarent, vt ad bonam valetudinem Ecclesia posset redire. Cuius reformationis capita diligenter collecta, & scripto comprehensa Pontifici tradiderunt.

Paulus. 3. *Carolus.* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Paulus ad delendam hominum spem, delectis à se Curiæ reformandæ negotium denuo committit.

Principio triplicem proponunt fontem omnium malorum, quæ in Ecclesiam inundassent, propensionem Pontificum ad aures adulatoribus aperiendas; eorundem facilitatem in derogando legibus Ecclesiasticis; & neglectum mandati, quo præcepit *Christus* lucrum è spiritualibus non esse captandum. Deinde ad peculiares abusus descendentes, obseruant XXIV. in rerum Ecclesiasticarũ administratione, & IV. in Romano regimine; In ordinatione Clericorum, collatione beneficiorum, pensionibus, permutationibus, regressibus, reseruationibus, pluralitate beneficiorum, commendis, residentia, exemptionibus, deformatione ordinum regularium, ignorantia prædicatorum, & confessariorum, licentia excudendi libros perniciosos, lectionibus, tolerandis Apostatis, & quæstuarijs. Tum ventum ad dispensationes, ac primùm in matrimonijs inauguratorum, dein ad facilitatem dispensandi in matrimonijs intra gradus prohibitos, dispensationes Simoniacorum, ad facilitatem concedendi confessionales, & indulgentias, ad dispensationem votorum, ad licentiam testandi de bonis Ecclesiasticis, ad mutandas testatorum vltimas voluntates, ad meretrices tolerandas, ad neglectam hospitiorum publicorum, & Xenodochiorum procurationem, & alia id genus permulta, quæ omnia sigillatim explicantur: non solum abusuum natura, causæ, origines, & malorum consectaria; sed modi quoque medendi malis, & corpus aulicum deinceps in vitæ Christianæ sanitate conseruandi. scriptum certè lectione dignum est, & verbatim, nisi obstaret prolixitas, huic commentario vtiliter inserendum.

Tres fontes à quibus manãt omnes in Ecclesia abusus.

Peculiares abusus XXVIII. recensentur, eorumq; causæ & remedia.

Pontifex hoc Præsulum scriptum sibi exhibitum Cardinalibus dedit inspiciendum, vt deinde in Consistorio de eo caperent consilium. In ijs *Nicolaus Scombergius*, Frater Ordinis Dominicanorum, S. *Sixti* Cardinalis, *Capuanus* vulgo dictus, prolixa oratione contendit, temporum conditionem nullam eius generis emendationem admittere. Ingenium enim humanum ita comparatum esse natura ad malitiam, vt vnâ ad improbè agendum viâ præclusâ, aliam facile reperiat deteriorem: malum notum, & cui iam assueueris, neque adeo mirandum, & multo esse tolerabilius, quam si, dum huic medeare, in aliud incurras, quod & magis manifestum sit, & sinistris hominum sermonibus magis obnoxium. Lutheranos inde iactantiæ occasionem sumpturos, quasi ipsi Pontificem ad eiusmodi reformationem adegerint, quâ non abusus modò tollantur, sed laudabiles etiam Ecclesiæ ritus. Ita rem religionis in maius quam antea discrimen vocari, quando ista emendatione Lutherani reos habebunt confitentes, hæc iure merito ab ipsis esse reprehensa. quod vniuersæ ipsorum doctrinæ propagandæ fomentum esse ecquis satis sanus non videat? At *Ioannes Petrus Caraffa* Cardinalis *Theatinus* contra disserebat, adeo necessariam his temporibus reformationem, vt absque grandi piaculo omitti non posset. Actionum enim Christianorum normam esse certissimam, sicuti mala non sunt facienda, vt inde bona eueniant; ita bona ad quæ peragenda officij iure obligamur, non esse prætermittenda metu, ne mala inde consequantur. Cùm itaque sententijs variarent Cardinales super

Cardinalis Capuanus emendationis omnis impatiens.

At Card. Theatinus reformationem vrget.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Pontifex emẽdationem supprimendam censet.

super hoc negotio reformationis, in aliud tempus fuit reiectum; tantùm præcepit Pontifex, vt res omnis silentio tegeretur. Ipse tamen Cardinalis *Capuanus* eius scripti exemplar misit in *Germaniam*, quod nonnulli conscio Pontifice factum arbitrabantur, vt homines conciperent, non deesse Romæ propositum aliquod & studium emendationis. Id prælo commissum cum emanasset, fuere qui vtraque lingua populari & Latina contra scriberent. Ijs certe regionibus Protestantum numerus gliscebat, *Rege Daniæ*, & nonnullis è familia *Brandeburgica* Principibus, ad *Smalcadicum* fœdus accedentibus.

Conciliũ Vicentiam indicitur, & prorogatur.

Cum Nouember, mensis Concilio destinatus appeteret, Pontifex nouo diplomate illud Vicentiam indicit, & propinquam hiemen causatus, ad Calendas vsque Maias anni sequentis MDXXXVIII. Concilij tempus extrahit, Legatis, qui eò se reciperent, III. designatis; *Laurentio Campegio*, qui antea *Clementis* VII. Legatũ in Germania egerat, *Iacobo Simoneta*, & *Hieronymo Alexandro*, recens creatis Cardinalibus.

Alterum Angliæ Regis scriptum contra Synodum Vicentiam indictam.

Diplomate hoc euulgato *Angliæ Rex* contra illud alterum emittit scriptum VIII. Aprilis eiusdem anni, quo *Cæsari*, Regibus, & populis Christianis exponit, se superiori libello multas iustasque causas attulisse, cur Concilium recusauerit, quod Pontifex se *Mantuæ* celebraturum simulabat, & nullo certo loco designato, paulo post prorogauerat: neque æquum videri, quoties ille nouam aliquam hominibus illudendi rationem excogitat, toties sibi contra esse attestandum. Sed quoniam libellus ille causæ suæ, regnique, contra *Pauli*, aut alterius cuiusuis Pontificis Romani insidias abunde patrocinatur, hac se Epistola & priora illa confirmare, & se excusatum cupere, quòd nihilo magis *Vicentiam*, quàm *Mantuam* petere statuerit, licet nemo quàm ipse vehementiùs publicũ, liberum, pium, & Christianũ, cuiusmodi superiori scripto depinxerat, Concilium expetat. Sicut enim nihil est sanctius publico hominum verè Christianorum coetu, ita nihil grauius præiudicium, aut maiorem Religioni adferre perniciem, quàm Concilium hominum priuati emolumenti, commodique, aut errorum firmandorum ergô coeuntium. Concilium dici generale, quod omnibus in genere Christianis liceat suas ibi promere sententias. At eius generis non censeri, in quo solùm audiantur ij, qui decreuerint vtique Pontificis partibus adhærere; atque vbi ijdem sint actores, rei, Iudices, & patroni. Quæ contra *Mantuam* altero libello obiecta sint, eadem de *Vicentia* quoque posse affirmari. ijsque breuiter repetitis, pergebat dicere. si *Fredericus Mantuæ* Princeps, ciuitatem suam Pontifici pro arbitrio vtendam non permisit, an æquum sit, nos tanti eius authoritatem facere, vt ad voluntatem nos hac illac circumducat? Si Pontifici à Deo concessa est potestas, quo lubet Principes conuocare, cur non etiam illi liceat, quem velit, locum deligere, & Principes ad obsequium cogere? Si *Mantuæ Dux* iure possit negare locum à Pontifice delectum; quid vetat alios Reges & Principes huic loco non interesse? Si omnes Principes ciuitates suas Pontifici recusarent, vbi esset ista potestatis immensitas? Quid si omnes ex præscripto Pontificis iter suscepissent, & *Mantuam* progressi à Principe exclusi fuissent? Quod *Mantuæ* accidit, id *Vicentiæ* euenire posse quis addubitet?

Paulus Pont. Cæsar, & Galliæ Rex Nicææ conueniunt.

Legatis tempore præscripto *Vicentiam* profectis, eodem quoque tempore Pontifex *Nicæam Liguriæ* oppidum proficiscitur, vt colloquio inter *Cæsarem* & *Galliæ Regem* interesset, cui ipse caussam dederat, ad pacem, (ita ille prædicabat) solummodo inter duos Principes tam potentes conciliandam; sed, vt alij coniectabant, ad Ducatum Mediolanensem familiæ suæ comparandum. Ibi Pontifex ab vtroque contenderat, vt Legatos suos ad Concilium mitterent, & quos habebant in comitatu suo Præsules; tum, vt absentibus imperarent itineri sese accingere. De vtroque Reges se excusarunt, tum quòd necessarium esset à Præsulibus Ecclesiarum suarum statum pernosse; tum quia, qui in comitatu suo eò venerant, non temerè iter illud suscepturi videbantur, nisi communicato prius cum alijs consilio. Sed facilè Pontifici fuit satisfactum, non multum laboranti, in quam partem, affirmatiuam, an negatiuam propenderent. Cùm igitur isthoc officium, perinde ac alia actitata in hoc colloquio, pro expectatione ei non cessisset; *Nicæa* digressus *Genuam* reuertit: vbi Legatorum literis certior factus, magnam esse *Vicentiæ* solitudinem, ipsos *Romam* reuoca-

uocauit, & literis XXVIII. Iulij diuulgatis, Concilij diem adusque Pascha anni sequentis rursus producit.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Hoc anno Pontifex prudentem patientiam, aut certè dissimulationem, qua quatuor continuos annos vsus erat, erga *Angliæ* Regem abrupit, & horrendi carminis diras in eum effudit diplomate formidabili, ac more, nec à decessoribus suis vsitato, & quem successores imitati non sunt. Huius fulminis causa quandoquidem tribuitur scriptis ab Rege contra Concilium *Mantuæ* & *Vicentiæ* indictum, publicatis, instituti mei ratio postulat, eius vt mentionem faciam. Tum quod ad multos euentus, qui deinceps explicantur, melius intelligendos, necessaria videtur distincta huiusce successus commemoratio.

Concilium à *Paulo* prorogatur.

Paulus fulmen diu in *Henricum* intentatum, demum eiaculatur.

Abdicatâ ab *Henrico* Angliæ Rege, Romanæ Ecclesiæ obedientiâ, assumptoque *Capitis Ecclesiæ Anglicanæ* elogio, *Imperator* suis vtilitatibus adductus, & Curia Romana, quæ *Angliam*, vel recuperandam, vel euertendam censebat, *Paulum* statim à sua ad Pontificatum assumptione, assiduè stimulabant, ad fulmina contra illum Regem euibranda. At *Paulus* eximia rerum cognitione imbutus, sic apud animum instituerat. Si decessorum ipsius fulmina, temporibus etiam illis, quibus fides iis adhibebatur, & ab omnibus metuebantur, bruta tamen erant & inania; quantula spes subest, ea aliquid magno opere dignum effectura, post receptam à permultis & diuulgatam istam doctrinam, quæ ea ridet & aspernatur? Magnæ reputabat esse prudentiæ, gladium in vagina reconditum asseruare, qui cædendi vim nullam habeat, nisi pro eorum quibuscum confligendum esset, opinione. Verùm anno MDXXXV. quo *Cardinalis Roffensis* capite luerat, conclamabant Cardinales, Ordini Sacrosancto, & inuiolato indelebilem ignominiam inuri, & certissimum imminere periculum, si Pontifex pessimi rem exempli inolescere pateretur. Cardinales enim nunc Pontificatum apud omnes Principes audacter animoséque defendere, vt suæ vitæ ac securitati consulant; quæ si auferatur, ac seculares intelligant, Cardinales posse iudicio sisti, & ob delicta capite mulctari, certè futurum vt timidè nimis ignauiterque agere cogantur. Pontifex nihilominus ab instituto suo non discessit; temperamentum modò adhibuit, à nullo vnquam Papa ante vsitatum; brachium, videlicet, cum fulmine extulit, minas intentauit, sed à fulmine eiaculando manum cohibuit: atque ea ratione Cardinalibus, Curiæ, aliisque satisfecit, Pontificiæ verò potestatis periculum non fecit. formulam quidem processus Regi intendit Papa, cum sententia contra eum seuerissima die XXX. Augusti MDXXXV. Sed eius euulgationem pro beneplacito suo suspendit, relicto tamen exemplari, quod occultè in eorum manus posset peruenire, qui illud Regi essent exhibituri, ac rumorem simul sparsuri de diplomate in formam redacto, deque eiusdem suspensione; sed qui mox disseminarent, suspensione quamprimùm sublata, ad publicationem esse veniendum, licet nihil quicquam tale ille animo agitaret.

Cæsar & Curia Romana *Paulo* impulsores ad *Henricum* proscribendum.

At ille hic iudicij considerattus, & cautus.

Cardinales suam iniuriam vindicatam volunt.

Pontifex verò minas tanti m intentat, diras cohibet.

Etsi autem Pontifex non omnino desperabat Regem adduci posse, vt Ecclesiæ se Romanæ submitteret, siue fulminis intentati metu; siue subditis eò propendentibus; siue Imperatoris Galliæue Regis interuentu, si forte cum horum altero, rebus id deposcentibus, fœdus faciundum foret; siue denique suppliciis de Edicti sui violatoribus sumendis exsaturatum: nihil tamen æquè Pontificiam fulminationem inhibebat, quàm, quod modò diximus, ne patefacta virium suarum spiritualium imbecilitate, Regem in obstinatione sua rederet affirmatiorem. Verùm post triennium tot vltroneis (vt rebatur) Regis iniuriis prouocatus, alium sibi animum induit. Rex enim contra conuocationem Concilij duo scripta euulgarat; Pontificis actiones, licet ad illum offendendum minimè comparatas, semper oppugnarat; ac non ita pridem *S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem* quòd Ecclesiastica libertate & immunitate propugnanda athletam Pontificium agens, cæsus fuisset, ab *Alexandro* III. inter diuos relatum, & ab anno MCLXXI. ad sua vsque tempora festo annuis eius parentalibus indicto die in Ecclesia Romana solemni more celebratum, re in iudicium denuò deducta, citarat, capitis arcessiuerat, perduellionis damnarat, atque eam condemnationis sententiam prosecutus, ossa sepulchro exempta per carnificem publicè vstulanda, cineresque in flumen dispergendos curauerat; thesauris, ornamentis,

Nec nisi grauatè de *Henrici* resipiscentia spem ponit.

Primaria retardatæ fulminationis caussa.

Thomæ Archiep. Cantuariensis reliquiæ ab Rege Henrico male mulctatæ.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

mentis, & fortunis omnibus consecratis, memoriæ *Thomæ*, fisco adiudicatis. Cum igitur Pontifex tantum Imperij sui arcanum, multò maioris apud se, quàm Concilium momenti, tangi ægerrimè ferret, atque è colloquio, quod cum Rege Galliæ *Niceæ* habuerat, spem aliquam cepisset, cum pace cum *Cæsare* facta, nouarum rerum cupidis in Anglia auxilia subministraturum; die Decembris XVII. horrificum illud fulmen ante tres annos fabricatum, exerto tandem brachio tam diu intentato, in *Henricum* diro programmate furialiter emisit. Diræ huius proscriptionis caussæ afferebantur, *Catharinæ* diuortium, abdicatum Ecclesiæ obsequium, *Cardinalis Roffensis* cædes, & Diuo *Thomæ Cantuariensi* impacta dica. Pœnæ denuntiatæ, Regem regno abiudicari, fautores eius omnes, bonis, honoribus, & fortunis omnibus exigi. imperatum subditis, vt Imperium Principis detrectarent; extraneis, vt nullum cum ea gente commercium haberent: omnibus, vt contra Principem, ac populum armis insurgerent, regno & fortunis in prædam, populo in seruitutem relictis.

Diri fulminis in Henricum euibrati caussæ.

Iam quo in loco ac numero Pontificium hoc diploma apud homines fuerit, quàmque religiosè imperiosis ac seueris ipsorum edictis obtemperatum sit, ex pactis, fœderibus, pacis bellique actionibus, quæ inter eum Regem, Imperatorem, Galliæ Regem, aliosque Principes Catholicos non multo post intercesserunt, nimio plus testatum euadat.

Fulmen Pontificium etiam Principes Catholicos à fœderibus cum Henrico pangendis non remoratur.

1539.

Principio anni MDXXXIX. nouis controuersiis in *Germania* religionis caussâ excitatis ab iis, qui hoc prætextu odiis priuatis indulgebant, Conuentus habitus fuit *Francofurti*, quò *Cæsar* Legatum misit. Ibi post multam acremque disputationem Aprilis die XIX. de consensu Legati, Calendæ Augusti ad colloquium *Noribergæ* sunt constitutæ, in quo placidè & amicè de religione disceptaretur. Eò conuenire debebant vtrimque, non tantum Doctores & Theologi, sed alij etiam homines prudentes & periti, a *Cæsare Ferdinando* & Principibus missi, vt colloquio præsiderent, & inter partes agerent. quicquid verò de communi sententia decernebatur, id ad Ordines Imperij erat referendum, & in proximis Imperij comitiis à *Cæsare* confirmandum. Existimabant Catholici, rogandum interim Pontificem, vt aliquem eò mitteret: sed cum instarent Protestantes, id professioni suæ esse contrarium, omissum fuit. Verùm vbi Romam conuentus huiusce nuntius fuit perlatus, Pontifex indignè ferens in *Germania* res religionis tractari, adeòque Concilij à se indicti famæ præiudicium creari (licet, id haberetur, necne, non multum laborabat) atque authoritatem Pontificiam, suis omnibus à colloquio exclusis, labefactari; Episcopum *Montepulcianum* in *Hispaniam* statim ablegauit, vti ageret cum *Cæsare* de non comprobandis, aut potius circumducendis conuentus illius decretis.

In Conuentu Francofurtensi quid actum de re religionis.

Colloquium DDrum de religione, Francofurti decretum, Paulo displicet.

Episcopi Mōtepulciani à Paulo Pontifice ad Cæsarem legatio in Hispaniam.

Mandatum Nuntio, primùm grauiter vt quereretur de *Ioannis Vessalij* Archiepiscopi *Londensis* Delegati Pontificij actionibus, qui sacramenti à se præstiti, & beneficiorum à Pontifice acceptorum, & mandati Imperatorij immemor, Lutheranorum postulatis assensisset, cum magno sedis Apostolicæ præiudicio, & Cæsareæ Maiestatis ignominia. Tum, vt significaret, eum largitione & promissis corruptum: cui à ciuitate *Augustana* data essent *CCL. millia* florenorum aureorum, & ab Rege *Daniæ* promissa ex Episcopatus quem illi ademerat, reditibus, annua florenorum millia quatuor. Denique cogitare illum de matrimonio, & de ponenda Ecclesiastici hominis persona, quippe qui sacris Ordinibus nunquam voluerit initiari. Habebat etiam in mandatis Nuntius, vt ostenderet *Cæsari*, si à *Londensi* concessa, approbaret, à genuino sedis Apostolicæ filio degeneraturum: Principes omnes Catholicos de ea re querimoniam habere, & credere rata non habiturum. Insuper, vt proponeret ei ius in Principatum *Geldriæ*, & electionem in Regem Romanorum, quò magis eum afficeret. Falsum enim esse, quod *Londensis*, & alij eiusdem farinæ persuasum illi cupiunt, toleratis Lutheranorum erroribus, fore, vt *Germaniam* vniuersam sibi obsequibilem habeat. Amissa enim religione, aut duabus in vnam regionem religionibus admissis, exiguam conseruandi Imperij superesse fiduciam. Imperatoribus Orientis id accidisse, qui proiecta Pontificis Romani obedientiâ, cum Regnis Imperij vires amiserunt. Lutheranorum fraudem satis esse compertam,

Archiepiscopus Londensis male obitæ in Germania legationis ab eo insimulatur.

tam qui cum *Cæsare* malitiosè semper egerint,& religionis stabiliendæ obtentu,longè diuersa à religione consectentur. Exempla eius rei petenda à Conuentu *Spirensi* anno MDXXVI. & *Norimbergensi*, anno MDXXXII. & *Cadamico* MDXXXIIII. quando *Dux Wirtembergicus* Principatum illum armis recuperauit. vnde apparuit, *Lantgrauij* & Lùtheranorum motus neutiquam religionis caussa extitisse, sed ad Regem Romanorum eo statu detrudendum. Illud quoque consideratione dignum, si quando ipsi cum Lutheranis conueniat, Principes Catholicos nunquam passuros,vt sit validius *Cæsaris* in se,quàm in Protestantes imperium, eòque ad noua remedia excogitanda animum applicaturos. Complures alias licitas & honestas superesse vias, ad *Germaniam* in ordinem redigendam, Pontifice, pro modulo virium ipsius,iam præparato,ad auxilia,quàm potest maxima, suppeditanda. *Cæsarem*, si aduortat animum, deprehensurum,Francofurtensis Conuentus capita rata haberi non posse, nisi *Germania* simul tota euadat Lutherana. ita authoritatem omnem suam labascere,quòd ea secta superioritatē omnē tollat,libertate, imo licentiâ rebus omnibus antepositâ.fœdus inter principes Germaniæ Catholicos *Cæsari* esse augendum,& Lutheranis fautores detrahendos; eaque gratia, pecunias, quantum potest copiose in *Germaniam* esse mittendas,vt tā donis,quàm promissis homines impellantur, ad se fœderi Catholico adiungendos. Neque fore alienum, belli Turcici prætextu, cohortes aliquot Hispanorum, aut Italorum in territorio Regis Romanorum alere. Pontificem etiam decreuisse, ad Principes Catholicos aliquem cum pecunijs mittere, qui & promittat, & gratificetur illis, qui ipsius vtilitatibus inseruient. Iussit porro ac hortaretur *Cæsarem*, ad Edictum euulgandum simile huic, quod Angliæ Rex in regno suo promulgauerat; atque interim peritè insinuaret, *Cæsari* esse aliquam cum eo Rege tractationem, vti ad obedientiam Pontificiam illum reducat. Postremo eidem Montepulciano præceperat Pontifex, vt apud *Cæsarem* querelas effunderet, de sorore Maria Regina, Belgij moderatrice, quòd Lutheranis clam faueret; quòd ad illos homines deditâ operâ mitteret; quod cum fœdus Catholicum esset sanciendum, ad Electorem Treuirensem scripsisset, ne huic se consociaret (quæ res pium illud opus interturbauit) quod denique Dominum *de la Vaur Regis Galliæ* Oratorem, ne in Germaniam proficisceretur, ad consilia cum Rege Romanorum & Pontificis legato de rebus religionis capienda, retardasset. quæ omnia ille, non à praua Reginæ voluntate, sed ab improbis ministrorum consilijs profecta persuasum habebat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Pontificis de Maria Hungariæ Regina, Belgij præside, apud Cæsarem fratrem querimoniæ.

Quoniam autem *Edicti Regis Angliæ* de religione mentio superius est iniecta,ab instituto non erit alienum, hic commemorare, quomodo sub idem tempus,quo conuentus Ordinum *Francofurti* habebatur, *Henricus* VIII. siue crederet se Dei cultum promouere, quū in regno suo nullam religionis innouationem permitteret; siue constantiam in ijs quæ contra *Lutherum* scripserat, testatam vellet; siue Pontificem caperet mendacij compertum, qui in diplomate suo Regem criminabatur, hæreticæ per regnum doctrinæ propagatæ,Ordinum regni decreto edixerit,vt per vniuersam Angliam realis præsentia crederetur; nempe sub formâ panis atque vini esse verum & naturale corpus ac sanguinem Christi Domini nostri, elementorum substantiâ à consecratione non permanente: sub vtraque specie integrum Christum contineri: communionem calicis non esse ad salutem necessariam: Sacerdotibus non licere contrahere matrimonium: Monachos post professionem, & votum castitatis,ad illud seruandum, & vitam in monasterijs transigendam perpetuo teneri: arcanam & auricularem delictorum confessionem, non solum vtilem, sed & necessariam: Missarum priuatarum celebrationem, esse rem Sanctam, & in regno retinendam. Vetuit porro, ne contra hos articulos quisquam faceret,aut doceret, nisi in pœnam incurrere vellet legum sanctionibus contra hæreticos præscriptam. Atque hic mirum meritò videri debeat,Papam, qui ante paucos dies Regem execrabili fulminis maledicto confixerat, eiusdem nunc actiones summis laudibus extollere, atque Imperatori ad imitandum proponere; nisi vtilitatis propriæ contemplatio, tam ad laudandum,quàm vituperandum impulisset.

Henricus VIII. abrogatâ Pontificis in Anglia potestate, in doctrina nihil innouandum edicit.

Paulus ad Henricum laudandum & improperandum sui compendij aspectibus exstimulatur.

Ablegato in *Hispaniam Montepulciano*, Pontifex, cum aduerteret tam frequentibus

Seria Pontificis in Consistorio cum Cardinalibus de Concilio habendo consultatio.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

bus Concilij indictionibus, ac deinde tẽporis præstituti frustrationibus homines quidem detineri spe aliqua, sed existimationi suæ plurimum decedere, & ambiguũ illud procedendi genus, effectum aliquem rebus suis incommodũ posse producere; statuit tandem apud se, missis ambiguitatibus, animi sui mentem aperire. Itaq; narrata prius in Senatu Cardinalium, rerũ anteactarum serie, proposuit esse omnino necessarium, vt de Concilio in hanc, aut illam partem aliquid firmum ac stabile statuatur, atque de ea re iam iam deliberetur. Cardinalium nonnulli, quibus reformatio omnis erat inuisa, vt hoc se metu liberarent, suspensiones Concilij de die, in diem, planè damnabant; & manifestam Pontificis declarationem requirebant, de Concilio non ante conuocando, quàm sublatis impedimentis inter Principes amicitia coaluisset, sine qua inutiles esset omnes de Concilio cogitationes. At è Cardinalibus prudentiores quique, cum hoc metu alium timorem æquis ponderibus librabant, à Concilijs prouincialibus, aut alijs forte remedijs asperioribus, magis quàm ab Concilio generali sibi metuentes. his consultius visum, nullum diem præfigere, sed ad voluntatem Papæ Concilium suspendere: quippe animo iam certis, vbi vtilitatis ratio suadebit Concilium non esse conuocandum, discordiæ inter Principes, aut alio aliquo obtentu, suspensionem eam continuare: sin periculum aliquod à Prouinciali Concilio, aut à colloquio, aut aliunde impendebit, præuortendo huic malo, Concilium generale, loco & tempore præfinitis, indicere: sed de eo celebrando aut contra, pro rerum oportunitatibus consilium esse capiendum. Hæc cùm placuisset sententia, secundùm eam factum diploma Iunij XIII. quo, Concilium antea indictum, ad Pontificis ac sedis Apostolicæ beneplacitum suspenditur.

Cuius vnicus finis, suum agere negotium.

Montepulcianus Nuntius in *Hispaniam* profectus, pro formula mandati egit cum *Cæsare*, qui, siuè causis à Nuntio allatis, siue alijs rationibus adductus, assensionem retinuit; neque animi sui sensum, vtrum colloquio *Norimbergam* Augusto mense indicto, assentiri vellet, nec ne, putauit declarandum. Succedente vero coniugis suæ morte, & *Gandauensium* populique circumiecti seditione, cùm minùs quàm antea rebus Germaniæ vacare posset, suspensa omnia reliquit, donec exactus esset annus MDXXXIX.

Cæsar Nuntio quid sui sit consilij non exponit.

Cum ad hanc historiam scribendam animum appuli, mecum reputans multa colloquia, componendis religionis dissidijs partim indicta, partim habita, an omnium mihi facienda esset mentio, addubitaui; rationibus in vtramque partem sese offerentibus. Tandem vero considerato, propositum esse mihi causas omnes Concilij Tridentini explicare, atque obseruato rursus, nullum colloquium vel indictum, vel habitum, nisi ad Concilium impediendum, aut diuertendum, aut retardandum, aut concitandum, vel denique accelerandum; constitui apud me planè omnium facere mentionem: maximè propter fructum, qui ex memorabilium in singulis euentuum cognitione percipi potest; sicut ex eo apparet, quod anno sequenti MDXL. institutum eiusmodi habuit originem.

Quam ob caussam author singula colloquia religionis ergô habita hoc opere exequatur.

1540.

Cæsare per *Galliam* in *Belgium* iter faciente, vt seditiones ibi natas compesceret, *Ferdinandus* quoque Rex ab *Austria* profectus eodem venit. Cum autem in eam cogitationem imprimis incumberent, qua potissimum ratione res Religionis in Germania componerentur, ea re à Consiliarijs *Cæsaris* summa accuratione deliberata, omnes ad colloquium super hoc argumento instituendum propendebant.

Cæsaris consiliarij ad componenda religionis dissidia colloquium suadent instituendum.

At vero Cardinalis *Farnesius* Pontificis apud *Cæsarem* legatus, *Lutetiâ Parisiorum* cum eo in *Belgium* profectus (adolescens vigesimum annum vix ingressus, sed viris rerum peritis comitatus, in his verò *Marcello Ceruino Neocastrensi Episcopo*, qui pòst Pontifex fuit *Marcellus* II.) huic se deliberationi fortiter opposuit, *Cæsarem*, *Ferdinandum* & *Consiliarios* omnes solicitans. His exposuit, sæpius cum Protestantibus de concordia actum, præsertim verò ante X. annos in *Comitijs Augustanis*, nihil tamen decretum aut definitum. Quod si ratio fortasse aliqua concordiæ inueniatur, irritam futuram & infructuosam; quòd indies opinionem mutent, nullam certam doctrinam sequantur; ab ipsa Augustana doctrinæ suæ confessione discesserint; & instar anguillarum lubrici sint. Principio illud vnum contendisse enixè, vt abusus & vitia tollerentur: iam non Pontificatum emendatum velle, sed extinctum

Huic deliberationi obluctatur Card. Farnesius legatus Pontificius.

tinctum; & ſedem Apoſtolicam extirpatam; & abrogatam Eccleſiaſticam omnem iuriſdictionem. Quod ſi antea fuerint inſolentes rebus tranquillis, quid nunc facturos pace cum *Galliæ Rege* nondum conſtituta, & *Turca Pannoniæ* imminente? Minimè ſperandum ab incœpto poſſe dimoueri, cum prope innumera ſint dogmata controuerſa. cumque inter ipſos variæ ſint ſectæ, fieri non poſſe, vt concordia cum omnibus ineatur. Bonam eorum partem id vnum ſpectare, quomodo aliena inuadant, & *Cæſaris* authoritatem eneruent. Eſſe quidem verum, bellum quod à *Turcis Germaniæ* impendet, concordiam religionis ſuadere; ſed eam tractationem; non ad ſingulares, aut nationales conuentus, ſed ad Concilium publicum pertinere; primo quoque tempore habendum. In religione enim, quæ omnes in vniuerſum tangat, nihil niſi de communi conſilio immutandum. Nec ad vnam modò *Germaniam* reſpiciendum, ſed ad *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Italiam*, & reliquos *Europæ* populos; quibus inconſultis, ſi quid in *Germania* mutetur, periculoſam inde naſcituram huius prouinciæ à reliquo corpore ſciſſuram. Vetuſtiſſimum eſſe morem, ab ipſis Apoſtolorum temporibus receptum, vt ſolius Concilij authoritate omnes controuerſiæ finiantur: Reges omnes, Principes, & homines pios id nunc expetere. Pacem inter *Cæſarem* & *Galliæ* Regem nunc peropportunè poſſe fieri, & Concilium è veſtigio conuocari, atque interim fœdus Catholicum in *Germania* & numero & potentia amplificari. qua re Proteſtantes perterritos, vel decreto Concilij ſe ſubmiſſuros, vel à confœderatis per vim adigendos. vbi verò neceſſitas coget Turcarum inſultibus reſiſtere, tum fœdus Catholicum, quâ erit potentiâ, neceſſitatem quoque Proteſtantibus ſubſidia conferendi impoſiturum. Niſi faciant, è duobus malis minus eligendum: cum maius malum ſit, religionis cauſâ proditâ, Deum offendere; quàm parte aliqua auxiliorum vnius prouinciæ carere. Maximè, cum non facilè ſit diſcernere, qui Chriſto magis aduerſentur, Proteſtantes, an Turcæ. Hos enim corpora ſeruitute premere, illos corpora & animas exitio deuouere. Huius verò orationis hic fuit exitus, Concilium eſſe conuocandum; eius initium hoc ipſo anno eſſe faciundum: in conuentibus *Germaniæ* de religione non tractandum, ſed de fœdere Catholico augendo, & pace cum Rege *Galliæ* facienda eſſe cogitandum.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciſcus* 1.

Proteſtantes Paulo Papa iudice, Chriſto Turcis inimiciores.

Cæſar poſt multam deliberationem ſtatuit, & viam concordiæ denuo tentare, & conuentum Germaniæ eo loco habere, qui *Ferdinando* maximè commodus videbitur, Principibus Proteſtantibus ad actionem eam inuitatis, & fide publica omnibus interpoſita. Cardinalis autem *Farneſius*, vbi comperit id clam ipſo decretum, confeſtim *Belgio* diſceſſit, & in itinere ſalutato *Lutetiæ Galliæ Rege*, ab eo ſeuerum Edictum contra hæreticos, & Lutheranos impetrauit, quod in ea vrbe euulgatum, poſt per vniuerſam *Galliam* ſumma atrocitate fuit exercitum.

Cæſar colloquij viam probat, & eius curam Ferdinãdo fratri committit.

Farneſius re infecta Romã redit.

In *Germania* à *Ferdinando* conuentus *Haganoæ* habitus eſt, quò præter Doctores Catholicos, Concionatores, & Miniſtri Lutherani magno numero venerunt, ſeptemuiris *Treuirenſi*, & *Palatino*; item *Ludouico Bauaro*, & *Gulielmo Epiſcopo Argentinenſi*, nominatis interceſſoribus. Proteſtantes rogati vt capita doctrinæ controuerſæ in medium proferrent, reſponderunt, ante annum decimum doctrinæ ſuæ confeſſionem & Apologiam *Auguſtæ* exhibitam. in eadem ſe adhuc acquieſcere, paratos rationem eius reddere omnibus. & quoniam ignorent quid potiſſimùm aduerſarij reprehendant, non habere ſe quod exhibeant: ſed ab illis expectare vt oſtendant, quæ dogmata veritati putent eſſe contraria. ita rem ad colloquium deuenturam, & ipſos non defuturos concordiæ. Catholici, propoſitioni huic aſſentientes, inſtabant, vt omnia rata eſſent, quæ in Auguſtano conuentu fuerant tranſacta, vt decretum in receſſu promulgatum, firmum ac ſtabile permaneret, & forma reconciliationis inibi cœpta, obtineret. Proteſtantes verò, quòd animaduerterent eam formam rebus ſuis damnoſam, & decretum illud cauſæ ſuæ afferre præiudicium; remotis omnibus præiudicijs, nouam formam ſeriò poſtulabant. Catholici contra, cùm viderent præiudicia omnia remouenda, petiere, vti Proteſtantes, per vim ab ſe attentata purgarent, & Eccleſiæ bona ab ipſis iniuſtè occupata, iuſtis dominis reſtituerent. Ad id replicarunt Proteſtantes, ſe nullius bona occupaſſe, tantùm poſt reſtauratam puritati ſuæ doctrinam, bona quoque ad legitimos honeſtoſque vſus, qui-

Conuentus Haganoicus.

De forma futuræ actionis controuerſia.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus I.

quibus principio fuerant destinata, sed ab Ecclesiasticis postmodum interuersa, denuò applicasse; eòque primùm capita doctrinæ definienda, post verò de bonis esse loquendum. Ita gliscentibus controuersijs, decreuit *Ferdinandus* nouam formam neutris præiudicium creaturam instituere, in qua vtriusque partis Doctores, numero pares disceptarent, & ad quam Pontifex Nuncios delegare posset. simul locum designat *Wormaciam* colloquio XXVIII. Octobris, nisi aliter *Cæsari* videbitur, inchoando. Conditiones Decreti Protestantes accipiunt, & Pontifici, si velit, suos eo mittere Legatos, integrum relinquunt. sed Primatum ei vllum, aut Nuntijs authoritatem hoc ipso competere negant.

Colloquio Wormaciensi dies dicitur.

Cæsar rem totam edoctus, *Decretum Haganoicum* confirmat, vt ad *Wormaciense* colloquium res referatur, statuit, & *Granuellanum* in eo colloquio Legatum suum designat. Is, *Atrabatensi* Episcopo filio suo, qui post fuit Cardinalis, comitatus, & tribus Theologis Hispanis, eò profectus, actioni principium dedit, habita oratione admodùm pia, & diffidijs sopiendis apposita. Eodem post paucos dies venit *Thomas Campegius*, Episcopus *Feltrensis*, Legatus Pontificius. Papa enim, etiamsi videret omnem de religione in *Germania* disceptationem rebus suis per incommodam, omnique studio colloquium illud præpediuisset, minus tamen incommodi, si ei assentiretur, quàm si se inuito perageretur, præuidebat. Itaque Nuncius de mandatu Pontificis orationem habuit, testatus à Pontificibus nihil non factum, præsertim à *Paulo* III. ad pacem Germaniæ conciliandam. Illum eâ gratiâ Generale Concilium *Vicentiam* nuper indixisse; quum nemo eò veniret, in aliud tempus necessariò reiecisse; de eodem, loco magis opportuno, conuocando iam nunc cogitare; interim rogatu Cæsaris concessisse, vt in *Germania* colloquium hoc institueretur, quod futuri Concilij quoddam sit præludium: se, vt pro virili opem ferat, Pontificis iussu adesse. Eius verbis rogare, vt ad concordiam consilia referant, & ab eo, quicquid salua pietate facere possit, expectent. Eô quoque venit *Vergerius* Episcopus *Iustinopolitanus*, sæpe nobis dictus, à Pontifice quidem missus, quòd Germanorum ingenia pulchrè calleret, sed Legationem ab *Rege Galliæ* obtendens, vt alieni nominis obtentu Papæ rebus magis inseruiret. Hic orationem de vnitate & pace Ecclesiæ excudendam curauit, qua contendebat, Concilium Nationale non videri idoneum paci stabiliendæ medium. ideo exemplaria aliquot distribuit, vt colloquium illud perrumperet, quod eiusmodi Concilium quadam tenus referebat. De futuri colloquij forma, de actis non euulgandis, de numero Doctorum quibus sermonis vices deferebantur, dies aliquot altercatum fuit. Nec deerant, qui sedulis *Campegij*, & secretis *Vergerij* officijs adducti, tempus ex composito extraherent; tandem tamen de communi assensu Catholicorum *Ioannes Eccius*, & Protestantum *Philp. Melancthon* delecti, qui alternis dissererent, & à peccato originis disceptationem auspicarentur. Sed dum hæc *Wormatiæ* lento pede procedunt, Nuntius Pontificis qui apud *Cæsarem* in Belgio tum residebat, illi aures perpetuò obtundebat, tum commemorato schismatis periculo, quod ex eo colloquio impendebat *Germaniæ* vniuersæ, exinde Lutheranismum amplexaturæ; tum iniecto metu, non tam Pontifici obedientiam negari, quàm authoritatem Cæsaream infringi atque eneruari; tum deinq; solitis artibus, quibus & *Montepulcianus* ad colloquium in Conuetu *Francofurtensi*, & Cardinalis *Farnesius* ad alterum *Haganoæ* decretum interturbandum vsi essent. *Cæsar* igitur, siue his rationibus permotus, siue difficultatibus rerum, quas *Granuellanus* in hac actione sibi obijci per literas significabat; siue quòd ipse coràm sese maius operæprecium facturum sperabat, post tertium diem, quo *Eccius* & *Melancthon* in consessu publico verba fecerant, missis ad conuentum literis colloquium abrupit, *Granuellanum* reuocauit, & reliquam actionem omnem ad Ratisbonæ comitia reiecit.

Granuellanus à Cæsare ad colloquium Wormatiense missus habet orationem.

Et Campegius nuncius Pontificius.

Item Vergerius, cuius oratio excusa.

In colloquio remissè & segniter agitur.

Post tertium colloquij diē actio Cæsaris iussu abrumpitur.

1541.

Conuentus illes Martio mense anni MDXLI. cœpit, *Cæsare Ratisbonæ* Principes & ordines expectante, magnaque spe freto, posse & discordias omnes terminari, & *Germaniam* in vnam religionem redintegrari. Qua fini Pontificem rogauerat, vt Nuntium eò mitteret, virum doctum & prudentem, amplissima authoritate munitum, vt nihil necesse sit *Romam* mittere, sed penes eum sit immediatè omnia definire, quæ

Conuentus Ratisbonensis, in quo Cæsar.

quæ Ordines cum Legato, Ecclesiæ bono conducere indicabunt. Hac enim causa, se serijs Nuntij ordinarij, de colloquio *Wormaciensi* interrumpendo, precibus auscultasse.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Misit Pontifex Oratorem *Gasparem Contarenum* Cardinalem, virum eruditione & probitate conspicuum, aliis etiam, rerum aulicarum peritis comitatum; scribis quoque & amanuensibus, qui dicta actaque diligenter exciperent, & singula tabulis consignarent, cum mandato, vt, siquid, quod ad authoritatem Pontificiam imminuendam faceret, geri persentisceret, actionem eam interpellaret, proposito vero atque vnico generalis Concilij remedio. Si verò Imperator cogeretur aliquid largiri Protestantibus caussæ suæ damnosum, vti id ne fiat, authoritate Apostolica obluctaretur & obsisteret; vbi id factum, damnaret irritumque declararet, è Conuentu quidem facessens, sed è comitatu Cæsaris non discedens.

Et *Contarenus* Pontificis Legatus cum mandatis.

Vbi primùm Legatus Pontificius *Ratisbonam* venit, cœpit apud Imperatorem excusare Pontificem, quod eum tam ampla authoritate, tamque absoluta potestate, quàm ille requirebat, non armasset. Potestatem enim illam dicebat ossibus Pontificatus ita firmiter annexam, vt ad alium transmitti non queat. deinde, neque verba, neque sententiam reperiri, quibus authoritas definiendi fidei controuersias à Pontifice cuiquam possit cõmunicari: quòd priuilegium non errandi solius Pontificis personæ concessum sit iis verbis, *Ego rogaui pro te Petre*. Pontificem quidem detulisse ei potestatem concordiæ cum Protestantibus ineundæ, modò Religionis principia admittant; nempe sedis Apostolicæ primatum à Christo institutum, & Sacramentorum, secundum ritus Ecclesiæ Romanæ administrationem, & alia *Leonis* diplomate determinata: in cæteris verò omnibus, Germanis satisfacere se paratum. Orare quidem *Cæsarem*, vt nulli propositioni auscultare dignetur, quam non sit fas concedere, nationibus aliis inconsultis; ne inter Christianos schisma aliquod periculosum contingat. Eorum verò quæ in his comitiis acta sunt, peculiaris mentio hoc magis est facienda, quòd & inde Pontifex potissimùm cepit occasionem, non tam assentiendi, sicuti prius, quàm omni studio operaque incumbendi in id, vt Concilium conuocaretur: & Protestantes inde certissimum habuere documentum, neque in Concilio, neque aliubi Papæ ministris interuenientibus, de tolerabili aliqua conditione impetranda quicquam sibi esse sperandum.

Contarenus exponit *Cæsari* sua ab Pontifice mandata.

Prima actio fuit inchoata die V. Aprilis, propositumque nomine *Cæsaris*, cùm animaduerteret Turcam in viscera *Germaniæ* penetrasse, statu Imperij ex dissidio religionis conuulso, eius pacificandæ rationes omnes tentasse. Cùm autem longè commodissima visa sit Consilij publici via, se de industria in *Italiam* profectum, cum *Clemente* Pontifice egisse: atque cùm id parum successisset, alio itinere Romam suscepto, cum *Paulo III.* de Concilio tractasse. Eo quoque sua sponte satis inclinato, sed, ne Concilium coiret, variis belli incommodis præpedito, conuentum hunc denique indixisse; Pontificemque, vt legatum eò mitteret, solicitasse. Nunc aliud nihil se cupere & cogitare, quàm vt conciliatio fiat: atque ab vtrisque pauculi quidam viri pij, & docti deligantur, qui de rebus controuersis amicè conferentes, nullo partium præiudicio, modum conciliationis ad ordines referant, vt re omni cum Legato Pontificio communicata, sperata inde conclusio elieiatur. In modo autem deligendi collocutores ortâ subitò controuersiâ inter Catholicos & Protestantes, *Cæsar* concordiæ perstudiosus, ab vtrisque petiit & impetrauit, vt nominandi homines idoneos facultatem sibi permitterent, in eoque sibi fiderent; qui nihil esset facturus, quod non ad communis patriæ beneficium & salutem redundaret. Catholicos igitur designat *Ioannem Eccium*, *Iulium Pflugium*, & *Ioannem Gropperum*. Protestantes *Philippum Melancthonem*, *Martinum Bucerum*, & *Ioannem Pistorium*. Hos ad se vocatos, grauissimis verbis admonuit, vt affectibus segregatis, ad solius Dei gloriam respicerent. Colloquio præfecit *Fredericum* Principem Palatinum, & *Granuellanum*, aliis etiam adesse iussis, quò actioni maior dignitas accederet. Cum omnes conuenissent, *Granuellanus* librum exhibet illis, quem dicebat à quibusdam viris probis doctisque *Cæsari* traditum, ad futuram conciliationem idoneum: ac velle *Cæsarem*, vt eum librum legant atque expendant, velut tractandi argumentum & materiam,

Propositio *Cæsaris* nomine in Conuentu Ratisbonæ facta.

Collocutores à *Cæsare* delecti.

Item Colloquij præsides.

Liber collocutoribus offertur, articulos varios, agendi scilicet materiam, comprehendens.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

teriam; & quod in eo simul omnibus probabitur, id stabiliant & confirment; quod improbabitur, id corrigant: de quo parum consentientes sint, in eo conciliando elaborent. Liber iste duos & viginti articulos continebat; de creatione hominis, & naturæ integritate ante lapsum; de libero arbitrio; de caussa peccati originalis; de iustificatione; de Ecclesia & illius signis; de notis verbi Dei; de pœnitentia post peccatum; de authoritate Ecclesiæ; de interpretanda Scriptura; de Sacramentis; de sacramento Ordinis; de baptismo; de confirmatione; de Eucharistia; de pœnitentia; de matrimonio; de extrema vnctione; de charitate; de Hierarchia Ecclesiastica; de articulis ab Ecclesia determinatis; de vsu, administratione, & ritibus Sacramentorum; de disciplina Ecclesiastica; de populi disciplina. Ex his capitibus, libro perlecto, examinatoque alia approbarunt, alia de communi consensu emendarunt: de aliis non conuenerat inter eos: ac nominatim de IX. de Ecclesiæ potestate, de XIIII. de Sacramento pœnitentiæ, de XVIII. de Hierarchia, de XIX. de articulis ab Ecclesia determinatis; item de cœlibatu. in his quòd sententiis discreparent, vtrique opiniones suas scripto mandarunt.

Cæsar, quid in Colloquio actum sit, explicat.

Post hæc *Cæsar* in consessu Principum & Ordinum quid actum esset, refert, quousque inter collocutores conuenisset, quæ nondum conciliata essent; vt de iis mentem suam aperiant, postulat; simul, quomodo Reipublicæ status, tam ciuilis, quàm Ecclesiasticus emendari debeat. Hic Episcopi, qui magnam partem Senatus Principum constituunt, & librum de conciliatione exhibitum, & omnem colloquij actionem reiiciunt. quibus cùm alij Electores, & Principes Catholici pacis amantes non assentirentur, eò res deducta est, vt *Cæsar*, tanquam Ecclesiæ aduocatus, cum Legato Pontificio ea capita, de quibus conuenisset inter collocutores, communicaret; si quod obscurius esset, explicandum curaret: dein cum Protestantibus ageret, vt etiam in reliquis dogmatis controuersis Christianæ concordiæ viam non obsepirent. *Cæsar* cum Legato Pontificio rem communicat, atque vt Ecclesiæ status inprimis reformetur, instat. Legatus ad ea respondet scripto, sed non minus quàm vetera olim oracula, ambiguo: Se, lecto eo libro, qui *Cæsari* fuit exhibitus, & collocutorum scriptis, & iis, quæ ab vtraque parte ad eum adnotata fuissent, cum ipsis Protestantum aduersus eum exceptionibus, existimare, quandoquidem Protestantes in dogmatis aliquot à communi Ecclesiæ consensu discedant, spes tamen interea sit, futurum Dei ope, vt aliquando idem sentiant cum Ecclesia, de cæteris rebus omnibus nihil amplius decernendum, sed ad Pontificem, & sedem Apostolicam actionem omnem referendam. Illum sanè per Concilium publicum, breui conuocandum, aut aliam aliquam rationem tempori accommodatam, iuxta veritatem Catholicam definiturum, &, quod vniuersæ Reipublicæ Christianæ, cum primis autem *Germaniæ* expediat, sedulò facturum.

Dein Contareno Legato singula impertit. Contarenus ambiguè respondet: sic tamen vt actionem ad Pontificem velit referri.

Idem politiæ sacræ restituendæ studiosus, orationem habet ad Episcopos.

Ecclesiastici vero status reformandi cupidissimum se testatus est, Episcopis omnibus domum ad se conuocatis, & prolixa oratione inuitatis ad officium. De forma viuendi præcepit primùm, vt scandalum omne cauerent, vt luxus, auaritiæ, atque ambitionis speciem ipsam ac suspicionem deuitarent. Dein vt familiam bene regant, quando populus ex ea de moribus Episcopi plurimùm coniecturam facere soleat. Vt ad gregis sibi commissi curam, in locis maximè frequentibus Diœceseos suæ habitent; & quibus in locis ipsi non degunt, ministros fideles & emissarios habeant. Vt Prouincias sibi subiectas subinde perlustrent; Sacerdotia hominibus probis & idoneis conferant: Ecclesiæ facultates in pauperum vsus distribuant; luxu & immoderato splendore vitatis. concionatores pios, doctos, temperantes, minimè contentiosos, docendo populo præficiant. in bonis artibus iuuentutem rectè erudiendam curent: quo nomine Protestantes Nobilium liberos ad se pelliciunt. Orationem hanc quoque scripto comprehensam *Cæsari*, Episcopis, atque Principibus dedit. vnde ansam arripuerunt Protestantes vtrumque scriptum refellendi, & responsionem *Cæsari datam*, & exhortationem factam Præsulibus, hoc caussati, quod *Contareni* scriptum iam publicatum si dissimulassent, approbasse crederentur. Nihilo magis Catholicis fuit accepta responsio *Cæsari* facta, quòd, quæ in colloquio conciliata essent, approbare videretur.

Cæsar

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Cæsar igitur omnibus quæ acta essent, etiam Legati scriptis ad Ordines relatis, omnique à se ad concordiam promouendam studio adhibito, cùm nihil amplius hoc in comitio præstare se posse cerneret, deliberandum censuit, an saluo Decreto in recessu Ordinum *Augustæ* facto, dogmata ea, de quibus inter collocutores conuenerat, recipienda essent tanquam verè Christiana, neque amplius controuertenda ad vsque Concilium generale mox conuocandum (quæ etiam Legati Pontificij sententia esse videbatur) aut saltem, si forte nullum coeat Concilium, vsque ad alterum Ordinum conuentum, in quo de religione controuersiæ accuratè discutiantur.

Cæsar dogmata in Colloquio conciliata ad Ordines refert, vt de ijs deliberent.

Principum Electorum responsio.

Ad id Principes Electores respondent, sibi bonum & vtile videri, vt capita in Colloquio conciliata, ad Concilij vsque tempus ab omnibus recipiantur, in quo, si opus sit, denuo possint exagitari; cæteroqui, in Concilio nationali, aut in Ordinum conuentu. Maiorem enim affulgere spem de reliquis, de quibus nondum inter partes conuenit, conciliandis, si hæc semel obtineant. Rogare etiam *Cæsarem*, vt hoc ipso in consessu porro pergat, ad plura, si res ita ferat, concordanda: sin temporis prematur angustijs, sibi valde probari, vt, quod instituit, agat cum Pontifice de Concilio, vel Generali, vel Nationali in Germania ipsius permissu congregando, ad concordiam firmiter stabiliendam. Ad eundem modum respondent Protestantes, hoc solùm ad se explanandum addito, se, qui liberum & Christianum in *Germania* Concilium semper expetiuerint, nunquam huic assensuros, in quo de caussis religionis cognoscendi dijudicandique partes, Pontifici & suis deferantur. At Episcopi, cum pauculis aliquot Principibus Catholicis, longe aliter respondent, tot in *Germania* alijsque nationibus abusus, sectas & hæreses obortas, vt nisi per Concilium extirpari non possint. Sibi non licere mutationi cuiuis assentiri religionis & rituum, cùm & Legatus nomine Pontificis Concilium breui promittat, & *Cæsar* ipse se coràm Papam sollicitaturum spondeat. Si verò generale Concilium non possit obtineri, orare, vt *Pontifex* & *Cæsar* Concilium nationale in Germania præscribant; si illud non placeat, tunc ad Ordinum Imperij conuentum tollendis erroribus confugiendum; quando quidem ipsi constituerint veteri religioni insistere, quæ sacrâ scripturâ, Concilijs, doctrinâ Patrum, Imperijque decretis, *Augustano* præcipuè contineatur. Neque se assensuros vnquam, vt dogmata in colloquio conciliata ad tempus recipiantur, cùm ex his quatuor prima planè sint superuacanea: & in his formulæ sint loquendi, ab Ecclesiæ consuetudine prorsus alienæ. è dogmatis etiam quædam partim damnanda, partim mitiganda. tum, quæ conciliata sunt, non ita magni esse momenti; quæ adhuc controuersa sunt, longè esse grauiora. Denique quòd Catholici collocutores Protestantibus plus æquo concesserint; vnde summi Pontificis, & statuum Catholicorum existimatio suspicionibus læditur. Has ob causas videri consultissimum, vt acta in colloquio ad suum locum reijciantur, & tota res religionis ad Concilium generale, Nationale, aut Ordinum conuentum differatur. Huic præfractæ Catholicorum responsioni inde data est occasio, quod crederent propositionem *Cæsaris* Protestantibus esse percommodam; tum quod inter Catholicos Doctores colloquio delectos dissensio aliqua interuenisset.

Et Protestantum.

Item Episcoporũ, & Principum Pontificiorum.

Contarenus auctoritatem suam articulis conciliatis præstare recusat.

Iam legatus *Contarenus* cum inaudiuisset se à *Cæsare* authorem laudatum, quasi dogmatis conciliatis stabiliendis assensum commodasset; tam proprio timore, quàm Ecclesiasticorum, qui comitijs intererant, rogatu impulsus, *Cæsarem* petijt, atque apud eum questus est, responsionem suam in malam partem acceptam, ac si ea, quæ in colloquio essent conciliata, ad Concilium vsque toleranda censuisset. Non aliam sibi mentem fuisse, quàm nihil quicquam de religione in conuentibus statuendum, sed ad summum Pontificem omnia esse referenda: qui pro boni ac fidelis pastoris, atque vniuersalis Pontificis officio, se facturum reciperet, vt omnia in Generali Concilio, aut alia via æquipollente, candidè, ac semotis affectibus, non præcipitanter, sed maturè, ad Diuini nominis gloriam, dijudicarentur. Papam quidem initio sui Pontificatus hac fini literas & Nuntios ad Principes misisse, vt de conuocando Concilio facerent eos certiores: Postea & Concilium indixisse, & legatos ad locum destinatum amandasse. Quod si patienter tulerit toties in *Germania* verba fieri de rebus religionis, cum magno authoritatis suæ, cuius solius est in hæc

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

inspicere, contemptu; id eò factùm, quòd ex *Cæsaris* voluntate & promissis intelligeret, id Ecclesiæ bono futurum. Esse nunc à ratione alienissimum, vt Germania, cum magna sedis Apostolicæ iniuria, id sibi arroget, quod nationum omnium Christianarum est commune. Non esse itaque vltra abutendum clementia Pontificia, vt in conuentu Ordinum Imperij id statuatur, quod cum Papa Ecclesiam tangit vniuersalem: sed & librum, & omnem colloquij actionem, cum vtriusque partis opinionibus Romam esse mittendam, & decisionem inde expectandam. Nec his contentus *Contarenus* tertiū scriptum emisit, quo declarat, cùm non vno modo scriptum suum *Cæsari* de colloquio exhibitum, interpretentur; alijs sic accipientibus, quasi vellet dogmata conciliata vsque ad Concilium generale valida esse; alteris verò censentibus eum, & hæc, & alia omnia ad Pontificem remisisse, vt nullus vltra sit ambigendi locus; nunquam sibi fuisse animum scripto aliquo suo quidquam in hoc negotio definiendi, aut, vt vllum dogma ad vsque futurum Concilium aut reciperetur, aut toleraretur statuendi; neque iam quidquam de ea re pronuntiare vel definire: sed omnem actionem, omnesque articulos, tam conciliatos, quàm controuersos ad summum Pontificem reijcere; idque, se *Cæsari* iampridem verbo declarasse, nunc autem scripto confirmare, & omnibus testatum velle.

Contareni legati tertium ad Ordines scriptum.

Atque cùm hac declaratione suo sibi officio satisfactum non putaret *Contarenus*, sed hinc animaduerteret omnium Principum Catholicorum etiam Ecclesiasticorum votis vnanimique consensu Nationale in Germania Concilium flagitari: inde verò disertis Mandati sibi commissi verbis à Pontifice imperatum, vt, si ad eam rem, vel Pontificis authoritatem, vel legati Apostolici præsentiam requirerent, ei postulato totis viribus obluctaretur atque obsisteret; atque Catholicis primùm ostenderet, quantùm ad animarum suarum perniciem, & Pontificiæ dignitatis iniuriam ea res tenderet, si potestas à Deo ipsi soli data, cuiuis Nationi permitteretur: Dein *Cæsari* reuocaret in memoriam, quantum ipse, cum esset *Bononiæ*, à Concilio Nationali tanquam authoritati suæ pernicioso, abhorrebat; subditis, concessa ijs semel religionis innouandæ potestate, ad mutandum quoque Imperij statum facilè magnos animos induentibus: eòque ab anno MDXXXII. nullum Ordinum Imperij conuentum præsentiâ suâ honestasse, idque consultò, ne Concilio Nationali postulando locum daret; His inquam à *Contareno* diligenter consideratis, postquam cum *Cæsare*, & Principum singulis seorsim accuratissimè egisset, nouo scripto Catholicos solicitandos censuit. Exponit, officij esse sui, monere eos, quanti res sit periculi controuersias fidei Nationis Concilio permittere: itaque orare, vt in Ordinum decretis ea verba expungantur & inducantur. Religionis enim causam, quæ ad vniuersam Ecclesiam pertinet, non esse eiusmodi Concilio definiendam. quicquid ibi vnus aliquis populus statuat, id irritum esse & nullius momenti. Si ergo illud, quod sperat, delere animum inducant; Pontifici, qui Ecclesiæ, & Conciliorum sit caput, rem facturos gratissimam: sin minus, id ei permolestum & graue futurum. multo enim maiores, cum in alijs prouincijs, tum in nobilissima *Germaniæ* nascituras inde offensiones. Hoc vnum esse, de quo ipsos, Pontificis mandatu, & pro muneris sui ratione cupiat esse monitos.

Idem cum Cæsare & Principibus verbo, & cum Catholicis scripto agit, de prouinciali Germaniæ Concilio vitando.

Huic Legati scripto respondent Principes, in ipsius positum esse potestate, ne quid turbarum aut offensionis nascatur, cuius in primis sit agere cum Pontifice, de Concilio generali, tamdiu promisso, tandem celebrando. id si fiat, omnium Ordinum votis satisfieri, & Nationalis Concilij occasionem tolli. Sin autem nullum Generale coëat, cuius modi tamen toties promissum sit, quodque Pontifex ipse tandem receperit, Germaniæ statum necessariò requirere tollendis in religione dissidijs, vel nationis concilium, vel ordinum Imperij, interueniente legato Apostolico, conuentum. At Theologi Protestantes prolixo scripto *Contareni* literas atque rationes refellunt, affirmantes, neque maiores offensiones, neq; vllam omnino seditionem posse concitari, si iuxta purum putum Dei verbum religionis controuersiæ componantur, & secundū sacram scripturā, atq; indubitatos Ecclesiæ Canones manifesta vitia emendentur. Seculis anteactis nunquā negatum Concilijs nationalibus de fide statuere, Saluatore Christo, duobus tribusue solis, suo nomine conuocatis, sese adfuturū, recipiente.

Contareno Principes de Concilio prouinciali respondent.

Et Theologi Protestantes scriptum Contareni refutant.

Non deesse Conciliorum magno numero exempla, non Nationalium modò, sed in quibus pauculi aliquot Episcopi, & fidei quæstiones definierint, & Ecclesiæ mores in melius instituerint, per Syriam, Græciam, Africam, Italiam, Galliam, & Hispaniam, erroribus *Samosateni*, *Arrij*, *Donatistarum*, *Pelagij*, & aliorum hæreticorum confutatis; quorum decreta nulla, irrita, aut inania, nemo dixerit, nisi qui pietati quoque nuntium remiserit. Sedi quidem Romanæ concedi vt primum locum teneat, & Episcopo Romano, vt inter Patriarchas prærogatiua authoritate emineat; sed vt Ecclesiæ & Conciliorum sit caput, neminem Patrem prodidisse. Christum solum esse Caput Ecclesiæ, *Paulum*, *Apollo*, & *Cepham*, eius ministros. Quid autem *Romà* sit expectandum, tum ex disciplina, quæ tot seculis ibi viguit; tum ex remoris, quæ legitimi Concilij conuocationi tam frequentes obijciuntur; plus satis esse perspectum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Cæsar, rebus sic abunde exagitatis, XXVIII. Iulij, finem Conuentui impositurus, omnem Colloquij actionem refert ad Concilium Generale, aut Germaniæ Nationale, aut Ordinum Imperij conuentum. Promisit etiam in sua per Italiam profectione, acturum se de Concilio cum Pontifice; quod quidem si neque generale, neque prouinciale posset obtineri, intra XVIII. mensem, conuentum Imperij se denunciaturum religionis componendæ caussa, operamque daturum, vt eò Pontifex Legatum mittat. Mandauit Protestantibus, ne præter conciliata dogmata noui quid admitterent; Episcopis autem, vt Ecclesias suas à vitijs repurgarent. Adhæc vetuit, ne monasteria solo æquarentur; ne bona Ecclesiæ interuerterentur; ne ad diuersam religionem homines solicitarentur. Atque quò magis Protestantibus satisfieret, addidit, in dogmatis nondum conciliatis nullum se modum ipsis præscribere; Monachorum cœnobia non diruenda quidem, sed ad piam & Christianam emendationem omnia esse reducenda; Ecclesiasticorum annuos prouentus non occupandos, sed suos cuique permittendos, non habita diuersæ religionis ratione; neminem ad religionem diuersam pelliciendum, recipiendos tamen, si qui sponte sua transeant. Decretum quoque *Augustanum*, quantum ad religionem, & quæ pendent à religione, pertinet, eousque suspendit, donec vel Concilio, vel conuentu res cognoscatur.

Conuentus Ratisbonēsis.

Comitijs peractis, *Cæsar* in Italiam contendit, & Lucæ cum Pontifice de Concilio & bello Turcico colloquitur. Conuentum, vt Pontifex Nuntium *Spiram* in Germaniam anni sequentis principio mitteret, vt quid de vtroque negotio esset statuendum, intelligeret: interim *Vicentiam*, sicuti prius, Concilium indiceretur. Pontifex Senatui Veneto rem aperit. At illi suis rebus parum commodum iudicabant, aut tantam hominum multitudinem in eam ciuitatem confluere, aut de bello Turcico in ditionis suæ oppido, reuera, aut in speciem agi. Itaque responderunt, pace nuper cum Turcis facta, non posse se Pontifici, sicut instituerant, gratificari. Solimannum enim Turcarum Principem facilè suspicaturum, ipsorum auspicijs Christianos Reges contra illum coniurare. Vnde Pontifici aliud consilium fuit capiendum. Cardinalis autem *Contarenus* multis in aula Romana criminationibus erat opportunus; alijs eum vt Lutheranorum caussæ addictum calumniantibus: alijs cum in oppugnandis Lutheranis, tum in authoritate Pontificia propugnanda præuaricationis eum insimulantibus. Neque opera ab eo in *Germania* posita Pontifici tum temporis cumulatè satisfaciebat, licet *Cardinale Fregoso* acerrimum se ipsius causæ assertorem præbente. Sed vbi *Lucam* venit ad Pontificem, qui Imperatorem ibi expectabat, reddita legationis à se obitæ ratione, satis animo eius fecit plenissime. Atque eo rerum statu desijt annus M.D.XLI.

Cæsar cum Pōtifice Lucæ colloquitur.

Veneti Vicentiam Concilio habēdo Pontifici non concedunt.

A Contareno in Legatione gesta varijs criminationibus obteruntur: at ille Pontifici satisfacit.

Anni sequentis principio, Pontifex ad conuentum Ordinum *Spiræ* indictum, in quo per absentiam Cæsaris *Ferdinandus* præsidebat, *Ioannem Moronum* Episcopum *Mutinensem* Legatum misit. Is ex mandati formula profitetur, eandem esse Pontificis, quæ semper ante fuit, de Concilio sententiam, vt tandem aliquando peragatur. de voluntate *Cæsaris* ad tempus suspendisse, ad aditum concordiæ in Germania interea patefaciendum: sed cum id frustra suscipiatur, ad prius institutum redire, vt quam ocyssimè celebretur. In *Germania* autem vt conuoce-

1542. Moronus ad Conuentum Spirensem à Pontifice Legatus mandata exponit. Hos, præsules primum legati dein Pontificij sequuntur.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

uocetur, eam gratiam gratificari se non posse: quòd, cùm Concilio interesse discupiat, neque grandis ipsius ætas, neque viæ longinquitas, neque cœli mutatio profectionem eam permittant, quæ alijs nationibus non minus molesta esset futura: præterquam, quòd metuendum etiam videatur, ne res in Germania sine tumultu transigi possint. Magis igitur opportunas videri, *Ferrariam*, *Bononiam*, aut *Placentiam*, ciuitates amplas & percommodas: verùm si hæ minus placeant, non recusare *Tridentum*, in confinio Germaniæ oppidum. Voluisse quidem eius initium fieri ad Pentecosten, sed propter angustiam temporis, ad Idus Augusti produxisse. orare omnes vt in hanc curam incumbant, odijsque depositis, Dei caussam sincerè agant. *Ferdinandus* & *Principes Catholici* agunt gratias Pontifici, affirmantes, nisi commodius in Germania locus obtineri possit, nempe *Ratisbona*, aut *Colonia*, *Tridentum* satis placiturum. At Protestantes omnino dissentiebant, neque vt Pontifex Concilium indicat, neq; vt *Tridentum* locus sit, probantes. qua re factum est, vt in eo conuentu de Concilio nihil vltra sit decretum.

Tridentum à Pontifice Cōcilio habendō destinatum Principes Pōtificij probant: Protestantes verò recusant.

Pontifex nihilominus *Bullam Indictionis* datam *Romæ* XXII. Maij eiusdem anni emittit, quâ commemorat, *Se, cupientem Christianæ Reipub. malis mederi, animoque repetentem in summis eiusdem periculis optimum atque opportunissimum remedium adhibitum Oecumenica Concilia, & Episcoporum generales conuentus, animum quoque suum ad generale habendum Concilium adiecisse.* Dein facta mentione *indictionis in ciuitatem Mantuæ, ac post suspensionis:* transituq; facto ad *conuocationem Vicentinam, & alteram suspensionem, quæ Genuæ decreta; denique ad eam, quæ facta ad sedis Apostolicæ beneplacitum,* pergit narrare *caussas, quibus adductus eandem suspensionem ad illum vsque diem continuauit: nempe bellum Ferdinandi Regis in Hungaria, Belgarum à Cæsare defectionem, & quæ conuentum Ratisbonensem subsecuta sunt: interea dum tempus beneplaciti Diuini huic actioni destinatum expectatur. Tandem verò reputantem omne esse tempus beneplacitum Deo, cùm de rebus sanctis consilia ineuntur, decreuisse nullius iam Principis consensum expectare: cumque Vincentiam amplius non haberet, & valde cuperet in eligendo Concilij habendi loco Germanicæ nationis incommodis consulere, quòd Tridentinam ciuitatem ab ipsis desiderari videret, etsi in citeriore Italia commodiùs omnia tractari posse iudicabat, ad eorum tamen postulationes voluntatem suam paterna charitate deflexisse. Itaque Tridentum ciuitatem, in qua Oecumenicum Concilium ad proximè venturas Calendas Nouemb. haberetur, elegisse: eo tempore interposito, quod spatium in se haberet, & publicandi per Christianas nationes huius Decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Se igitur ipsius Dei omnipotentis, Patris, & filij, & Spiritus Sancti, ac Beatorum eius Apostolorum Petri & Pauli auctoritate, qua ipse quoque in terris fungitur, fretum atque subnixum, de Cardinalium consilio, & assensu, omni suspensione sublata, sacrum Oecumenicum & Generale Concilium, in ciuitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibusque nationibus opportuno, ad Calendas mensis prædicti incipiendum, prosequendum, perficiendumque indicere atque decernere: omnesque omnino Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, ac alios quoscunque, quibus iure, aut priuilegio in Concilijs generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirere & hortari, ijsque vi iurisiurandi quod sibi sediq; Apostolicæ præstiterint, ac sanctæ virtute obedientiæ, alijsque sub pœnis iure aut consuetudine aduersus inobedientes proponi solitis, mandare atque præcipere, vt ipsimet, nisi fortè iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem* facere

Breuiarium Bullæ Indictionis Concilij Tridentini sub Paulo III. Pontifice.

facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores & nuncios sacro huic Concilio omnino interesse debeant. Rogare etiam atque obsecrare Imperatorem, Regem Christianissimum, nec non cæteros Reges, Duces, Principes, vt ipsimet ad Concilij celebrationem veniant; aut si accedere ipsi non poterunt, Legatos saltem viros grauitate atque auctoritate præstantes mittant. In primis verò id curent, vt ex suis cuiusque regnis ac prouincijs Episcopi, & Prælati sine mora ad Concilium proficiscantur: quod maximè quidem à Prælatis Principibusque Germaniæ impetrari æquum est, quorum præcipuè caussa Concilium indictum est, & in ea ciuitate, quæ ab eis est desiderata, quo melius tractari & confici possint, quæ ad veritatem Christianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Christianorum inter se, tam Principum, quam populorum pacem, vnitatem ac concordiam, quæque ad Barbarorum & infidelium impetus repellendos pertinent.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Hoc diploma *Româ* continuò ad Principes missum, accidit illis parum tempestiuum. Iulio enim mense Rex Galliæ *Franciscus*, atrocissimis verbis bellum *Cæsari* denunciauerat, editoque in eam rem libello, quinque locis in eius ditiones eodem tempore impetum fecerat; *Flandriam*, *Lucemburgum*, *Ruscinonensem agrum*, *Pedemontium* atque *Atrebates* simul adortus.

Gallus Cæsari bellum denūciat.

Cæsar accepto diplomate Concilij, respondet Pontifici, se in literis eius quædam desiderare. Cum enim ipse, nullum laborem, periculum atque sumptum, vt Concilium aliquando haberetur, recusauerit: *Galliæ* verò *Rex* contrà ad illud impediendum nihil non fecerit, sibi mirum videri, quòd in hoc diplomate illum sibi conferat & æqualem faciat. Dein longa serie commemoratis, quibus affectum se putabat iniurijs, subiungit, etiam in vltimis comitijs *Spiræ* totum in hoc fuisse, vt per Legatos dissidium religionis aleret, vtrisque separatim amicitiam atque fauorem promittens. Tandem ipsi reliquit pro suâ prudentia cogitandum, an illius Regis actiones, ad Reipub. Christianæ mala persananda, & Concilium inchoandum facerent: qui quoties priuatæ vtilitatis ratio suadebat, Concilium semper disturbauerat, sesequé adegerat, vbi id animaduertisset, aliam instituere viam dissidijs religionis conciliandis. Si igitur Concilium non coeat, illi, non sibi tribuendum: ac, si bono publico consultum velit, hostem eum Pontifici declarandum: neque cogendi Concilij, religionis constituendæ, & pacis recuperandæ aliam esse viam.

Cæsaris ad Pontif. de bulla Indictionis literæ: quibus taxat Galliæ Regem.

At *Galliæ Rex*, qui præsenserat id sibi in crimine ponendum, quod, cum magno religionis detrimento, & Diuini cultus, qui ex Concilio expectabatur, impedimento, bellum mouisset, huic rei præuertendum existimauit, seuero in Lutheranos edicto proposito. Hoc supremis curijs (*Parlamenta* vocant) edixit, vt grauibus pœnis animaduerterent in eos, qui apud se libros asseruarent suspectos, & ab Ecclesia Romana damnatos; qui in priuatis ædibus conuenticula clam frequentarent; qui Ecclesiæ mandata aspernarentur, & negligerent; qui discrimina ciborum non agnoscerent; denique qui aliâ linguâ quàm Latinâ orationes conciperent; Theologis *Doctoribus Sorbonæ* curâ commissâ, vt harum rerum conscios diligentissimè exquirerent. Cognito deinde *Cæsaris* artificio, qui Pontificem in ipsius odium animabat, ad artes eius eludendas, vt in Lutheranos ferro ac flammis decerneretur, imperauit: formula quoque *Lutetiæ Parisiorum* Theologis inquisitoribus præscripta, secundum quam illos & explorarent & deferrent; pœnâ iis, qui deferre recusarent, præmio autem delatoribus proposito. Ac postremò, cum accurate cognosceret, quid *Cæsar* ad Pontificem de se scripsisset, scripto satis prolixo pro se apologetico, in *Cæsarem* inuectiuo respondet, captam & direptam vrbem *Romam* ei exprobrans, & ludibrium immanitati additum, quando vota nuncupauit, & supplicationes decreuit in *Hispania* pro liberatione Papæ, quem in custodia ipse detinebat. Tandem commemoratis omnibus inter se & *Cæsarem* offensionum caussis, & omnia in illum retor-

Gallus seuera in Lutheranos edicta Lutetiæ promulgat.

Explorandis Lutheranis formulā proponit.

Datis ad Pontificem literis in Cæsarem criminationes suas retorquet.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

retorquet, & Tridentinum Concilium à se neque tardatum, neque impeditum contendit. Nullum enim ex eo compendium ad se redire, & à suorum maiorum exemplis hoc esse perquam alienum, quos imitatus, omni opera & animo in religionis conseruationem incumbat; quod recentibus edictis, & seueris in violatores suppliciis in *Gallia* testatum fecerit. Orare itaque illum, ne calumniis fidem habeat, sibique persuadeat, nihil esse, quod non & ipsius, & Ecclesiæ Romanæ caussa velit.

Pacificatores ad Cæsarem & Gallum à Pontifice missi.

Pontifex, ne deesset officio patris publici, quam laudem decessores ipsius semper affectauerant, ad vtrumque Regem Legatos pacificatores destinauit; ad *Cæsarem*, Cardinalem *Contarenum*; ad *Regem Galliæ Sadoletum*, oratum, vt priuatas iniurias Reipublicæ condonare, & pacis consilia amplecti vellent: ne ipsorum discordiam remorarentur. cùm autem *Contarenum* mors interea occupasset, in eius locum substituit Cardinalem *Visensem*, aulicis id demirantibus; qui sciebant illum apud *Cæsarem* parum esse gratiosum. Et quamuis bellum tot in locis exardesceret, Pontifex, qui de existimatione sua actum iam putabat, nisi Concilij negotium procederet, die XXVI. Augusti, tres quoque Legatos Tridentum misit ad Synodum, Cardinales *Petrum Paulum Parisium*, *Ioannem Moronum*, & *Reginaldum Polum*: illum in iure Canonico doctum & versatum; alterum rerum agendarum peritum; tertium, vt ostenderet, Rege licet *Angliæ* ab Ecclesiæ Romanæ obedientia alienato, eius tamen Regno primarium esse aliquem in Concilio locum. Iis, tradito Legationis diplomate, mandatum, vt Præsules & Principum Oratores eò aduenientes, exciperent: sed actionem nullam publicam instituerent, nisi accepta prius mandati formula, quam, suo sibi tempore mittendam, expectarent.

Et ad Concilium Tridentinum Præsides, tres Legati.

Cæsaris in Concilio Tridentino Oratores.

Cæsar audita Legatorum Pontificis ad Concilium designatione, quanquam eo rerum statu operam eam frustra impendi perspiceret, ne tamen Pontifex quicquam rebus ipsius damnosum moliretur, misit eò Oratores *Iacobum Mendozam* apud Venetos Oratoris sui partis tunc agentem, & *Nicolaum Granuellanum* cum filio *Antonio* Atrebatensi Episcopo: pauculis aliquot Regni Neapolitani Episcopis eò etiam ire iussis. Ipse quoque Pontifex præter Legatos, Episcopos aliquot miserat, quibus maximè fidebat, cum mandato, vt lento pede progrederentur. Cum igitur vtrique Pontificij & Cæsarei ad diem constitutum venissent, hi exhibito mandato Cæsareo, vt Concilium aperiatur instant, atque actionis fiat initium. Legati Pontificis tergiuersantur, neque pro dignitate censent tam paucos Concilium auspicari, aut de tanti momenti dogmatis disceptare, quanti sunt, quæ à Lutheranis vocantur in controuersiam. Cæsarei respondent, reformationis materiam posse tractari, quæ & magis necessaria sit, neque tam multis difficultatibus obnoxia. Illi contra affirmant, emendationem variarum nationum moribus institutisque applicandam, eoque magis multorum præsentiam esse necessariam. Ita dum alteri attestantur, & Legati non respondent, nihil statuitur, sed res reiicitur ad Pontificem.

Pontificiorũ & Cæsareorum de Concilio inchoando dissensus.

1543. Granuellanus relictis Concilij patribus Norimbergã ad Comitia de mandatu Cæsaris proficiscitur.

Exeunte anno, *Granuellano Cæsar* præceperat, vt *anni sequentis* initio ad Comitia *Noribergam* proficisceretur, relicto *Tridenti Mendoza* qui Concilij Patres ad aliquid auspicandum solicitaret, saltem ne discederent, prouideret: quòd ipsa Concilij vmbra in proximo Ordinum conuentu rebus suis momentum aliquod videretur allatura. Eo in consessu à *Granuellano* propositum, vt Imperij Ordines bellum contra Turcam, & auxilia *Cæsari* contra *Galliæ Regem* decernerent. Protestantes vicissim postulant vt dissidia religionis componantur, offensionesque à Iudicibus Cameræ, alijs quidem obtentibus, sed reuera religionis caussa contra ipsos excitatæ, tollantur. Respondit *Granuellanus*, eam cogitationem neque huius temporis neque loci esse, cum ea gratia Concilium Tridenti iam sit congregatum. Sed cùm Protestantibus ea excusatio futilis videretur, qui se, neque Concilium illud approbare, neque eò venturos dicerent, à Comitijs re infecta discessum est. Etiam *Mendoza Tridento* facessens, legationem suam Venetam denuo capessit, instantibus licet Pontificijs Legatis, vt ad eam actionem præsentia sua cohonestandam Pontificis saltem responsum expectaret. Legatum Imperatoris *Tridento* abeuntem secuti Episcopi Cæsarei, & hos varijs occasionibus captatis, alij: ac tandem Legati Pontificij, postquam septem

Et Mendoza, quòd in Concilio nihil ageretur, Venetias redit.

tem

tem continuos menses otiosi ibi hæsissent, ab eo *Romam* reuocati. atque hunc ea conuocatio habuit exitum.

Paulus. 3. *Carolus.* 5. *Henricus* 8. *Franciscus.* 1.

Cæsare ab Hispaniis classe in *Italiam* appellere cogitante, vt *Germaniam* inde peteret, statuit Pontifex loco aliquo oportuno cum eo colloqui. & cùm præ cæteris *Bononiam* probaret, filium suum *Petrum Aloisium* mittit *Genuam*, qui *Cæsarem* eò inuitaret. Cum autem ille, neque sibi de via diuertendum, neque tempus itinere terendum duceret, misit Cardinalem *Farnesium* ei obuiam, oratum, vt per *Parmam* iret, quòd in ea ciuitate Pontifex illum præstolari constituisset. Sed oborta rursus difficultate, quomodo *Cæsari* in eam vrbem esset ingrediendum, placuit, vt *Busseti*, quod est *Palauicinorum* inter *Parmam* & *Placentiam*, ad *Tari* fluminis ripam, castellum, in colloquium venirent. Neq; patiebantur longè diuersi vtrique propositi fines, de Concilio aut religione, rebus alijs relictis, agere. Nam *Cæsar* cogitationibus in bello contra *Regem Galliæ* defixis, hoc vnum agitabat, vt Papa se illi hostem profiteretur, & sumptus in bellum suppeditaret. Pontifex rursum tempori instandum ratus, totus erat in *Mediolano* nepotibus suis impetrando: hoc fidentior, quod horum vni *Octauio Farnesio Margarita Cæsaris* filia notha, *Camernij Ducissa*, matrimonio erat coniuncta. Promittebat quidem Pontifex se fœdus cum *Cæsare* contra Galliæ Regem initurum: multos Cardinales se eo designante facturum: per aliquot annos C L. millia aureorum depensurum; arces Mediolanensem & Cremonensem in illius potestate relicturum. Cæsareis autem decies centena millia coronatorum in præsentia requirentibus, & intra breue tempus totidem altera, nihil tum effectum. tantùm, quòd *Cæsar* in *Germaniam* properaret, negotij continuatio ad Pontificis ministros, qui *Cæsarem* sequi debebant, fuit reiecta. De Concilio *Cæsar* non valde laborabat, quòd missis *Tridentum* Legatis, & profectis eò Prælatis aliquot, Catholicis in *Germania* saltem, animi sui promptitudinem fecisset exploratam. cumque per *Regem Galliæ* omnino stetisset, ne coiret, putabat non ante de remedijs esse cogitandum, quàm appareret, quis belli huius futurus esset progressus. Inter discedendum mutui amoris vtrimque significationes datæ. Pontifex tamen, an *Cæsar* ei de *Mediolano* gratiam esset facturus animi pendebat: itaque ex eo ad Regem Galliæ inclinare cœpit.

Cæsaris & Pontificis colloquium.

Quid vtrique propositum.

Sed dum ancipiti cura animus distrahitur, ecce fœdus inter *Cæsarem* & *Angliæ Regem* aduersus *Gallum* euulgatur, vnde Pontifici iniecta necessitas animũ à *Cæsare* maiorem in modũ abalienandi. Videbat enim fœdus illud authoritatis suæ neruos infringere, quod ictum esset cum homine Ecclesiæ communione interdicto, diris deuoto, à se execrabili programmate confixo, ab æterna salute extorri, schismatico, regni sui ac dominiorum iure excluso, omnis fœderis incapaci, contra quem omnes Principes Christiani ad arma de ipsius mandato capessenda strictissimè essent obligati. Illud verò Pontificem vehementissimè pungebat, quod *Henrico* Rege in contumacia sua obdurato, & dignitati Pontificiæ illudere apertissimis verbis ac indignissimis modis gestiente, *Cæsar* cum eo fœdus faciens, & orbi euidenter ostenderit, quem ipse honorem spiritualem, aut temporalem Papæ deferat, & alijs exemplum dederit, augustam eam authoritatem fastidiendi. Atque hoc grauiorem reputabat ignominiam, quod *Clemens*, cùm facillimè in Regis causa tempori seruire, & iniuriam demussare posset; tamen, vt *Cæsarem* à contumelia vindicaret, eique gratum faceret, Regem de sede Apostolica alioqui optimè meritum, eique bene volentem, actionis asperitate exacerbasset. Iam his Cæsaris iniurijs altera parte trutinæ Pontifex opponit leges à Rege Galliæ latas, & edicta supra commemorata, ad religionem conseruandam, & authoritatem Pontificiam confirmandam. Quibus adiungebat, quod Calendis Augusti Theologi Parisienses, per præconem tubâ populo conuocato, XXV. capita doctrinæ Christianæ promulgassent, nudis axiomatis & conclusionibus propositis, nullis rationibus aut firmamentis adiectis, quasi pro imperio, eo quod credendum esset, præscripto: quodque eadem typis excusa, ac per vniuersam *Galliam* sparsa, literis Regijs confirmanda procurassent, grauibus pœnis denunciatis in eos, qui contrà dicerent aut docerent, addito etiam decreto de Lutheranis peruestigandis. Atque hæc eò sibi esse gratiora, quòd intelligat à Rege facta non ob causam supra dictam, ad calumniam scilicet refutandam, bellum hoc cum *Cæsare* susceptum ad potegendam

Pontificis à Cæsare abalienandi, & ad Gallum inclinandi caussæ: quarum I. Mediolanum non impetratum. II. Fœdus inter Cæsarem, & Angliæ Regem iam excommunicatum.

Idque contra Gallum de religione nuper bene meritum, deque sede Apostolica.

Paulus. 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

dam Lutheranorum doctrinam, & prohibendam extirpationem: sed multo magis ad gratiam suam demerendam, & reuerentiam Sedi Apostolicæ testificandam.

Cæsar Pontificis de fœdere querimoniam recriminando refellit.

His Papæ querimonijs vulgatis, *Cæsar* respondit, quandoquidem Galliæ Rex maximo Christianorum detrimento cũ Turca fœdus pepigisset, atque Ottomanica classis, ductore *Polino* Regis Galliæ legato, *Niceã*, Prouinciæ Galliæ oppidũ, obsedisset, & è maritimis regni Neapolitani locis, auxilijs ipsius freta prædã egisset; sibi permittendũ ad iustam defensionem, societatem contrahere cum *Rege Angliæ*, qui Christianus sit, vtcumque Papam Ecclesiæ caput non agnoscat: maximè cùm eiusdem Pontificis permissu, & ipse, & *Ferdinandus* frater Protestantum auxilia implorarint, qui à sedis Apostolicæ obedientia multò sint, quam *Rex Angliæ* alieniores. Debuisse quidem Papam ex officio, comperto sociali inter Turcam, & Gallum fœdere, hunc è piorum coetu excludere: sed acceptionem personarum non fuisse obscuram. Classem enim Turcarum, quæ maximis detrimentis reliquam *Italiæ* oram prænauigans afflixerat, *Papæ* territorio nullum damnum intulisse; imo *D. Petri* vigiliâ, cùm *Ostiam* aquatum applicuisset, eius rei subito nuncio Romanis consternatis, Cardinalem Carpensem Pontificis tum absentis vices gerentem, & quid Turcæ facturi essent non ignarum, metum ijs omnem nullo negotio dempsisse.

1544. Comitia Spirensia, in quibus Cæsar Concilij publici & Nationalis mentionem refricat.

Dum bellum feruet, & Pontifex de *Cæsare* nequicquam multa conqueritur, Concilium interim interquieuit, nec ante proximum annum M.D.XLIIII. in conuentu Ordinum Spirensi eius mentio refricatur. In eo *Cæsar* commemorat quantum à se in componendis religionis dissidijs aliàs sit desudatum, potissimùm vero illam nuperam, quæ Ratisbonæ interuenerat, solicitudinem: rem tamen, quòd ibi concordia iniri non posset, ad Concilium publicum, aut Nationale, aut ad Ordinum conuentum fuisse reiectam. Pontificem à se solicitatum indixisse Concilium, cui ipsemet decreuerat interesse, nisi bellum à *Rege Galliæ* impedimento fuisset. Nunc vero, cum idem adhuc maneat religionis dissidium, actionibus publicis tantopere incommodum, non esse diutiùs differendum remedium. Petere igitur, vt secum ipsi cogitent, & viam eam, quæ controuersijs tollendis commodissima ipsis videbitur, commonstrent. Quamuis autem super hoc negotio multæ habitæ sint deliberationes; cùm tamen occupationes bellicæ magis premerent, ad proximum conuentum mense Decembri habendum, reijcitur. Interea decretum fit, quo *Cæsar* viris quibusdam, morum, doctrinæque laude spectatis, formulæ emendationis conscribendæ curam committit. Principes, vt idem faciant, hortatur, quò facta omnium in futuris Comitijs collatione, illud de communi consensu statuatur, quod vsque ad Generale Concilium in *Germania* peragendum, aut certe nationale, sit seruandum. Pacem interim colant omnes, neque turbæ quicquam religionis caussa concitetur, sed Ecclesiæ vtriusque religionis facultatibus suis pacificè fruantur. Decretum hoc Catholicis in vniuersum non placuit: sed cùm horum aliqui Protestantibus accederent; alij viam hanc veluti mediam & tolerabilem probabant. reliqui, licet non assentirentur, quia numero pauci, tolerandam sibi ducebant.

Decretum, quo viris doctis negotium datur conscribendæ formulæ emendationis.

Aliæ caussæ commemorantur, ob quas Pontifex Cæsari infensior.

Neque bello exardescente, *Pontificis* in *Cæsarem* ira deferbuit: noua identidem, ad vehementem illam ex foedere Anglicano concitatam indignationis flammam alendam, fomite superueniente. Nullam enim *Imperator* è multis & luculentis conditionibus acceperat, quas *Cardinalis Farnesius*, cum eo legatus in *Germaniam* ex *Italia* profectus, de *Ducatu Mediolanensi* Farnesijs concedendo proposuerat. Deinde, cùm in conuentum Ordinum *Spiræ* ipse ire statuisset, vt Cardinalis vnà iret noluit permittere, ne Protestantibus esset offensioni. Denique, cum per decretum in hoc ipso conuentu factum, maximum sibi sedique Apostolicæ præiudicium creari animaduerteret; sibi, & spe sua deiecto, & existimatione publica violato, sensum aliquem iniuriæ necessariò significandum existimabat. Et licet obseruabat eos, qui ab ipsius partibus in *Germania* stabant, & numero & viribus imminutos; neque deessent ex intimis, qui dissimulandum suaderent; persuasus tamen *Regem Galliæ* eò acriorem nominis authoritatisque ipsius fore propugnatorem, quò apertiùs se *Cæsari* infensum ostenderet; decreuit à verbis capere initium, vt arrepta

inde

inde occasione, ad facta eiusmodi pergeret, quæ ratio temporum rerumque permissura esset.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Itaque XXV. die Augusti prolixas ad *Cæsarem* dat literas hoc sensu. Cum ad se relatum esset, cuiusmodi decreta *Spiræ* fecerit, pro suo munere, & paterna in ipsum charitate, se quid sentiat dissimulare non posse; ne exemplum *Heli* Sacerdotis, quem Deus grauissimè mulctauit ob nimiam erga filios indulgentiam, in se competat. Ea quidem decreta ipsius animæ periculum, & Ecclesiæ maximam perturbationem adferre. Ipsi autem ab Ecclesiæ institutis non fuisse discedendum; quæ præcipiunt, quoties de religione agitur, iudicium omne ad Ecclesiam Romanam referre. Illum tamen nulla habita ratione Pontificis, qui solus iure diuino & humano, Concilia cogendi & de rebus sacris decernendi potestatem obtineat, de Generali & Nationali Concilio statuendo cogitasse: idiotis & hæreticis iudicium de religione permisisse: de bonis Ecclesiæ sacratis pronuntiasse: Ecclesiæ perduelles, ipsius edictis etiam damnatos pristinis honoribus restituisse. Credere se, hæc non ex ipsius ingenio liberoque animi motu profecta, sed à pernicioso eorum consilio, qui Ecclesiæ Romanæ pessimè factum velint; atque eo vehementiùs dolere, quod ijs morem gesserit. Sacram Scripturam perscrutanti permulta occurrere exempla vindictæ diuinæ in eos, qui summi Sacerdotis munus sibi vendicarunt, in *Ozam*, *Dathanem*, *Abironem*, *Core*, *Oziam* & alios. Neque factum satis excusare quod prætenditur, Decreta hæc esse temporaria, & ad Concilium modo duratura; cùm, quod natura sua pium est, personæ agentis ratione, cuius id omnino non interest, sit impium. Deum Principes sedi Romanæ omnium Ecclesiarum capiti charos, *Constantinum*, *Theodosios*, & *Carolum magnum* summis honoribus amplificasse: eiusdem hostes, grauissimis pœnis affixisse. Exemplo esse, *Anastasium*, *Mauritium*, *Constantem II*. *Philippum*, *Leonem*, & alios complures. *Henricum IV*. ea de causa à filio suo castigatum; *Fridericum* etiam *II*. à suo. Neque singulos modò Principes, sed Prouincias quoq; vniuersas grauibus infortunijs mulctatas; *Iudæos* propter Christum Dei filium occisum; *Græcos*, propter Vicarium eius nō vno modo spretum. Idque eo magis ipsi esse verendum, quod originem debeat ijs Imperatoribus, qui plus honoris ab Ecclesia Romana receperint, quam ipsi detulerint. Quod Ecclesiæ Romanæ emendationem cupiat, id esse admodum laudabile: sed ministeriū illud ei relinquendum, cui Deus eius curam demandauerit. Esse quidem Imperatorem ministrum; Rectorem & Caput non esse. Sese quoque publicæ reformationis esse percupidum, & id indictis non semel Concilijs abunde testatum, quoties vel minima spes affulsit ea posse conuocari. & quamuis frustra hucusque illud tentarit, officio tamen suo non defuisse. Concilium enim optare se, cùm publico Christianorum omnium, tum peculiari *Germaniæ* bono, quæ vnico hoc malorum remedio potissimùm indiget. Denunciatum esse iampridem Concilium, sed bellorum causa in commodius tempus dilatum. Sternendam igitur ab Imperatore Concilio cogendo viam pacis beneficio, aut saltem armis interim cohibitis, dum in Concilio de religione deliberatur. Paternis itaque monitis obtemperet, disceptationes omnes religionis ab Imperij Conuentibus arceat, & ad Pontificis tribunal reijciat: de bonis Ecclesiasticis nihil statuat; quæ sedis Romanæ aduersarijs concessa sunt, rescindat: alioqui futurum, nisi muneri suo deesse velit, vt seueriùs cum ipso agere cogatur, quàm voluntas sua ferat.

Expostulatoriæ Pontificis ad Cæsarem literæ.

LIB. II.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER SECVNDVS.



Ellum inter *Cæsarem* & *Galliæ Regem* diuturnum non fuit. *Cæsar* enim probe intelligebat, dum ipse bello Gallico, & *Ferdinandus* frater Turcico distinerentur, Germanos ad libertatem sic aspiraturos, vt breui vix Imperij nomen essent agnituri. se verò in *Gallia* belligerantem imitari *canem Aesopicum*, qui vmbræ consectandæ studio corpus itidem amiserat. Eapropter propositas à Gallis pacis conditiones pronis auribus accepit, non ab huius solùm belli molestia respiraturus, sed Regis *Galliæ* interuentu, pacem quoque cum Turcis facturus, quò rebus Germanicis solicitius incumberet. Itaque Septembris die XXIIII. pacificatione inter Reges *Crespini* facta, in hæc capita inter alia conuenit. Vt vterque pro virili veterem religionem propugnaret; Ecclesiæ recolligendæ, Curiæque Romanæ emendandæ, (à quo fonte dissidia manant) inuigilaret: Eâ gratiâ vterque Papam ad Concilium cogendum solicitaret; Rex verò *Galliæ* Legatione in *Germaniam* ad Ordinum conuentum missa, Protestantes ad assentiendum Concilio hortaretur. Ac Pontificem quidem hoc de Concilio Aulæque suæ emendatione caput non adeo solicitum habuit: qui certus esset, vbi semel huic operi manum admouissent, propter diuersos, & prope contrarios ipsorum fines concordiam inter eos non diu duraturam; nec dubitaret, quando Concilij ope istam reformationem exequi instituissent, sibi perquam fore facile, omnem eam actionem ad authoritatem suam amplificandam dirigere. Illud magis eum premebat, ne congregato eorum rogatu Concilio, coactus id fecisse videretur. sic enim & existimationem suam imminutum iri, & ingentem animum sumpturos eos, qui de authoritate Pontificia mitiganda consilia coquebant. Quamobrem Regum solicitationem præuortendam ratus, pariter dissimulatis omnibus ab Imperatore offensionum caussis, etiam recentibus & grauibus, nempe reconciliatione absque eo facta, & conditionibus adiectis dignitatem ipsius perstringentibus, diploma euulgat; quo vniuersam Ecclesiam hortatus ad exultandum gaudio, ob pacem eam, qua sublatum erat Concilij impedimentum, illud *Tridenti* restaurat, & ad Idus Martiàs anni sequentis inchoandum denunciat.

Cæsar cum Galliæ Rege apud Suessiones pacem facit: cuius faciendæ aspectus politici primum commemorantur.

Dein aspectus religiosi.

Concilium Tridentinum denuò indicitur.

Non nesciebat tempus præfixum esse breue, & vix sufficere nunciis quaquauersum mittendis, & Præsulibus ad iter accingendis: è re tamen sua futurum putabat, si pauci, iique Itali, Aulici, clientes sui, ab ipso inuitati vt primi adessent, Concilio

Pontifex in inchoando Concilio præceps, sed in rem suam.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

lio initium darent: quia in ipso Synodi vestibulo agendum esset de modo procedendi in Concilio: quod ad tuendam dignitatem Pontificiam rei caput est, immo rem totam conficit. horum enim decretis necessariò teneri eos, qui deinceps venturi sunt. Neque nouum esse Concilio Generali paucos aliquot dare initium, cùm in *Pisano* & *Constantiensi* id vsuuenerit, qui fœlicem tamen habuere progressum. Vbi verò veram pacis caussam assequutus est, scripsit ad *Cæsarem*, se in indicendo Concilio celeritatem adhibuisse, vt illius temporibus atque occasionibus obsecundaret. Etenim cum sciret *Cæsarem*, necessitate belli Gallici adactum, multa Protestantibus permisisse & promisisse, sese, indicendo Concilium, rationem ei obtulisse in conuentu proximo mense Septembri excusandi suipsius, si instante Concilio ea non præstitisset, quæ adusque eius celebrationem concedenda receperat.

Pontificis præcipitatio Cæsari displicet, qui primaria Concilij caussa suo merito censeri cupit.

Verùm neque ista Pontificis festinatio placuit Imperatori, neque, quam adhibuit, ratio ei satisfecit. Cupiebat enim, & ad nominis sui famam, & ad inuitandos in Concilium Germanos, & multis aliis nominibus, sibi tanquam principali caussæ eam actionem tribui. Sed cum id assequi non posset, nihil tamen eorum prætermisit, ex quibus appareret ipsum operis authorem & architectum, Papam adiutorem modò fuisse. Nam cùm Legatos ad omnes Principes miserat, qui denuntiationem Concilij significarent, & orarent, vt Oratores ad consessum eum honorandum, & decreta inibi facta confirmanda mitterent: tum ad seriam sese præparationem comparauerat, ac si actio omnis sua extitisset. Multa quoque Præsulibus Hispanis & Belgicis præscripsit: atque in his, vt *Theologi Louanienses*, deliberatione habita statuerent de dogmatis in Concilio proponendis. Ea ad XXXII. capita reuocarunt, nullo è sacris literis ad ea firmanda loco adducto, sed velut thesibus magistralem in modum propositis. Ea *Cæsar* edicto suo confirmat, dein euulgat cum mandato, vt omnes ea credere, & sequi teneantur. Neque animum Pontifici offensum *Cæsar* celabat: sed & coram Nuntio, & apud alios palam verbis apertis eum detegebat. atque cum mense Decembri XIII. Cardinales Papa creasset, atque ex iis tres Hispanos, ne aut insignia dignitatis acciperent, aut nomen & habitum admitterent, prohibuit.

Theologorum Louaniensium dogmata magistralia.

Cæsar offensum Pontifici animum non dissimulat.

Conuentus Theologorum Parisiensium Meloduni.

Etiam *Theologi Parisienses* Regis *Galliæ* iussu *Meloduni* conueniunt, ad consultandum de dogmatis fidei Christianæ necessariis in Concilio proponendis. atque hic orta contentione, alij cupiebant ea confirmari, quæ *Constantiæ* & *Basileæ* iampridem fuissent decreta, & *Sanctionem Pragmaticam* restabiliri. alij metuentes ne Rex inde offensionem captaret, abrogato ea ratione *Concordato* inter ipsum & *Leonem* Pontificem facto, eam quæstionem disceptandam non censebant. Deinde, quòd in *Schola Sorbonensi* Theologi de Sacramentorum natura non idem omnes sentirent, sed his alij effectiuam ministerialem virtutem tribuerent, alij non tribuendam putarent; & singuli suas opiniones pro dogmate fidei haberi vellent, de iis nihil tum decretum fuit. hoc tantum statutum, vt in XXV. articulis ante duos annos euulgatis omnes acquiescerent.

Pontifex Cæsarem sibi conciliare, & in Protestantes animare contendit.

Pontifex autem, etiamsi Regi Galliæ significasset, alieniori esse erga se *Cæsarem* animo, adeoque eum, de mittendis quam primùm ad Concilium Legatis, qui sedem Apostolicam vacillantem suffulcirent, interpellasset; cum tamen duabus anchoris inniti cuperet, suo apud *Cæsarem* Nuntio mandauit, vt ad omnes occasiones, si quando Protestantibus *Cæsar* succenseret, attentus excubaret, atque ea opportunitate captata, omnem à se opem, subsidiumque ad autoritatem Cæsaream armis spiritualibus temporalibusue recuperandam prolixe offerret. Nuncius, occasiones satis frequentes nactus, quod imperatum erat, tam sedulo, tamque officiose effectum dedit, vt *Cæsar*, qui opem operamque Pontificis vtraque via rebus suis commodam conspicabatur, de solita acerbitate multum remiserit, clarisque indiciis id testatum fecerit, tum nouis illis purpuratis Patribus gratiâ factâ de titulo, & ornatu Cardinalium assumendo; tum Nuntio ad familiares de rebus Germanicis sermones, & sæpius, & lubentiùs admisso.

Et Cæsar vicissim offensionis positæ significationes dat.

Pontifex Legatos Tridentum mittere appropera t.

Neque in conuocando tantùm Concilio à Pontifice festinabatur, sed in expediendis quoque Legatis: quibus nequaquam permisit, nonnullis licet id suadentibus, pro digni-

dignitate alios in locum suum substitutos præmittere, primis excipiendis; vti ipsi post quibusdam in occursum venientibus maiori pompa ingrederentur, sed omnium Præsulum primos, etiam ante diem præstitutam eò aduentare iussit. Legati erant *Ioannes Maria Montanus*, Cardinalis Palestrinus; *Marcellus Ceruinus*, Sanctæ crucis Presbyter, & *Reginaldus Polus*, Sanctæ Mariæ in *Cosmedin* diaconus. In hoc deligendo respiciebat Pontifex generis nobilitatem, & quæ multorum animos insederat, de eius pietate opinionem. tum, quòd *Anglus* esset, testatum volebat, esse in ea gente qui ipsius obsequium non detrectarent: in *Marcello* spectabat constantiam, ac perseuerantiam immobilem atque intrepidam, cum eximia cognitione coniunctam: in *Montano* industriam, animum apertum, & eam erga Dominos suos fidelitatem, vt eorum commoda post conscientiæ suæ pacem habenda non putaret. His diploma legationis tantummodo dedit, non autem, pro more, diploma facultatis, quam vocant; neque in scriptis mandati formulam, quid ijs mandare vellet adhuc incertus, sed pro ratione euentuum, & prout *Cæsar* actiones suas instituerет, consilia capere certus.

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Verùm alia non leuior quàm Concilij cura Pontificis animum distinebat, de Conuentus ordinum *Wormaciæ* habendi successu, cui *Cæsarem* non interfuturum putabat. Verebatur enim, ne *Cæsare*, quem stomachosis suis literis commouerat, volente aut permittente, decretum in conuentu fieret, quod rebus suis magis quàm superiora, præiudicaret: ideo virum aliquem magni nominis & dignitatis legatum eò amandandum iudicabat. Sed altera parte metuebat ignominiam, si in Comitijs parum honorificè, nec pro dignitate esset acceptus. Hoc igitur temperamento ea se molestia explicauit; *Cardinalem Farnesium* Nepotem suum mittit ad *Cæsarem*: ei imperat, vt per *Wormaciam* iter faciat, & Catholicis quæ facienda essent præscribat; dein officijs, quæ opus sunt, peractis, ad Imperatorem porro ire pergat. Interim *Fabium Mignanellum* Senensem, Episcopum *Grossetanum* ad Ferdinandum Regem Romanorum legatum ordinarium mittat, eique præcipiat, vt ipsum *Wormaciam* vsque prosequatur.

Cardinalis Farnesius à Pont. Wormaciam mittitur ad Ordinum conuentum.

Ex eo Pontifex ad res Concilij Tridentini animo reuocato, de tenore facultatum (Pontificia mandata Legatis data sic vulgo vocant) primam deliberationem instituit. Ea consultatio, quòd exempla, quæ imitarentur, deessent, non parum habuit difficultatis. *Lateranensi* enim Concilio, quod proximè præcesserat, ipse Pontifex interfuit. atque ante illud *Florentino Eugenius* pariter adfuit. *Constantiense* in quo sublatum fuit schisma, initium habuit præsente *Ioanne* XXIII. vno è tribus, quibus ademptus fuit Pontificatus, & exitum præsente *Martino* V. Ante illud *Pisanum*, à Cardinalibus conuocatum in *Alexandro* finem habuit. Etiam longè superioribus temporibus Concilio *Viennensi* interfuit *Clemens* V. Duobus *Lugdunensibus Innocentius* IV. & Gregorius X. & ante hæc *Lateranensi Innocentius* III. solum *Basileense* Concilium, sub auspicijs Eugenij IIII. Legatis præsentibus fuit celebratum. Verùm ab eo Concilio, aut ex rebus inibi actis exempla capere, pessimi rem censebat augurij. Decretum tandem diploma hac forma conscribere; *Mitti ipsos ad Concilium à Pontifice Tridenti antea indictum tanquam Angelos pacis. Se plenam ac liberam potestatem ipsis concedere, ne authoritatis defectu, Concilij celebratio & continuatio retardetur; cum facultate præsidendi, decreta & statuta quæcumque ordinandi, & in sessionibus de more publicandi. Item proponendi, concludendi, & exequendi quicquid ad errores damnandos, atque ex omnibus Prouincijs & regnis extirpandos necessarium videbitur: Tum cognoscendi, audiendi, decidendi, determinandique in causis hæreseos, & alijs quibuscumque fidem Catholicam spectantibus: statum Sanctæ Ecclesiæ in omnibus suis membris tam Ecclesiasticis, quàm secularibus reformandi: pacem inter Principes Christianos stabiliendi, & alia omnia, quæ ad Dei gloriam, & fidei Christianæ incrementum tendant constituendi: cum authoritate etiam quoscunque refractarios ac rebelles cuiuscunque conditionis & dignitatis, imo Pontificalis aut Regalis, debitis censuris & pœnis Ecclesiasticis coercendi; omnia denique faciendi, quæ necessaria & opportuna videbuntur ad hæreses & errores extirpandos; ad populos à sedis Apostolicæ obedientia alienatos in Ecclesiæ sinum reducendos; ad libertatem Ecclesiasticam conseruandã, & in integrũ restituendã: hac lege tamen, vt in omnibus rebus de Concilij assensu procedant:*

De Bulla facultatum legatis concedendarum anxia Pontificis deliberatio.

Eius Breuiarium.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Ad maiorem cautionem, de Bulla quoque Concilij dissoluendi, aut, si commodũ erit, transferẽdi cõsultatur.

Neque de Concilio solùm in rectam viam dirigendo solicitus Pontifex, sed de eodem etiam dissoluendo postquam inchoatum esset, vtilitatibus suis id postulantibus; vt maturè sibi consuleret, decreuit *Martini* VI. exemplum proponere ad imitandum: qui sibi metuens ab ijs infortunijs, quæ *Ioanni* XXIII. *Constantiæ* acciderunt, cùm ad *Papiense* Concilium Nuntios mitteret, peculiare diploma ijs dedit, cum authoritate Concilij prorogandi, dissoluendi, & transferendi, quocunque ipsis commodum videretur. quo arcano, omnem deliberationem Curiæ Romanæ studijs aduersam, facile erat interturbare. Itaque, post paucos dies, alio diplomate Legatis Concilij transferendi facultatem concessit, dato XXII. Februarij eiusdem anni: de quo quandoquidem infra erit dicendum, vbi de translatione Concilij *Bononiam* tractabitur, in eum locum omnis isthæc tractatio erit reijcienda.

Legati Pontificij Tridentum venientes Indulgentias triennales cõcedunt.

Martis die XIII. anni M.D.XLV. *Tridentum* venere Cardinales *Montanus*, & *Sanctæ Crucis*, à Cardinale *Tridentino* comiter excepti. Ij statim ab introitu in vrbem, triennium, & tres quadragesimas Indulgentiarum concessere omnibus qui aderant. Et quamuis ad eam rem a Pontifice potestate muniti non essent, ipsum, quæ illi facturi erant rata habiturum non addubitabant. Iam ante nonnullis Prælatis Pontifex præceperat, vt *Româ* discedentes ad diem constitutam adessent, sed nondum quisquam horum aduenerat.

Ijdem inspectâ facultatum Bulla, in ea aliquid desiderant.

Prima Legatorum cura fuit, de inspiciendo facultatum diplomate, quod quidem vtcumque alios omnes celare decreuissent, Pontifici tamen per literas significarunt, clausulam illam, quâ de Concilij assensu omnia erant facienda, ipsos in agendo plus satis constringere, & minutissimum quemque Præsulem ijs exæquare. etiam rebus rectè gerendis difficultatem allaturam, ac multitudini nimiam libertatem, aut potius licentiam daturam, si singula quæque omnibus essent impartienda. Itaque re, rationibusque *Romæ* diligenter consideratis, atque emendato de Legatorum sententia diplomate, absoluta ijs concessa potestas. Illi verò, interim dum Pontificis de ea re sententiam opperiuntur, in Ecclesia Cathedrali sessionibns locum CCCC. hominum capacem designant.

Mendoza Orator Cæsareus Tridentum redit.

Decimo post Legatorum aduentum die, *Tridentum* venit *Iacobus Mendoza*, Cæsareus apud Rempublicam Venetam Orator, vt Concilio adesset, amplissimo *Cæsaris* mandato, Bruxellis XX. Februarij dato, instructus. Hunc Legati *Madrucio* Cardinali, & tribus Episcopis (plures enim nondum aduenerant) comitati, excipiunt. Episcopi erant (vt eorum, quippe primorum, nomina non sileantur) *Thomas Campegius Feltrensis Episcopus*, Cardinalis nepos; *Thomas de S. Felicio* Episcopus Cauensis, & F. *Cornelius Mussus* Franciscanus, Episcopus *Bitontinensis*, disertissimus eo seculo concionator. Quarto post die *Mendoza* mandatum suum scripto proposuit, præclaram *Cæsaris* in Concilij celebratione voluntatem, & studium in euocandis ex *Hispania* Episcopis quos in via iam esse crederet, commemorans; tum moram suam tam diuturnam inualetudine excusans: denique postulans, vt Concilij actiones capiant initium ab emendatione morum, sicut à *Granuellano*, ipsoque, eodem in loco ante biennium fuerat propositum. Legati Cardinales scripto quoque respondentes, *Cæsaris* pietatem laudant; excusationem Legati benignè accipiunt, & se aduentum Præsulum auidè expectare testantur. Atque hæc tam propositio, quàm responsio, ab ijs, quorum intererat, referuntur inter capita, quæ suorum Principum rationibus respectiuè non præiudicant. ex qua cautela apposita liquidò apparet, qua charitate ac fiducia actum sit in negotio, quod, si solam reformationis mentionem excipias, verbis tantum officiosis constabat.

Legati in Cõcilio candorem & ingenuitatem verbis ostentant: ijdem tamen Pontifici celandi dissimulandique sunt auctores.

Legati de rerum tractãdarum modo adhuc incerti, simulabant sibi decretum, nihil nisi *Cæsaris* Oratore & Præsulibus consultis, suscipere; atque omnes cum ijs animi cogitationes communicare: eoque, quoties literæ *Româ* aut ex *Germania* perferebantur, ijs legendis omnes conuocabant. Cùm autem obseruarent *Mendozam* sese ipsis æquiparare, & Episcopos plus sibi, quàm *Romæ* consueuissent, arrogare; ac metuerent, ne cresente numero incommodi quid nasceretur, Pontificem monuerunt, vt in scribendis literis, eas, quibus arcani aliquid continebatur, distingueret ab alteris, quæ in publicum essent exponendæ; cui malo præuertendo ingenij solertiam hactenus,

nus, & fucum adhibuissent. Postulabant etiam occultum scriptionis genus, Cifram vocant, quo magni res momenti communicarent. Hæc & alia plæraque peculiaria, de quibus post erit dicendum, ex literarum Cardinalis *Montani* commentarijs desumpta, quòd ad adyta tractationum perscrutanda conducere viderentur, tacenda non putaui.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Card. Montani literæ arcana Pontificis detegunt.

Exacto mense Martio, totque diebus, à die Concilio inchoando diplomate præstituta, elapsis, Legati de Concilio tandem aperiendo consultantes, statuunt nuntium à *Fabio Mignanello* Pontificis apud *Ferdinandum* Oratore, de ijs quæ *Wormaciæ* gererentur, etiamnum expectare; & alium à Pontifice, quem de *Mendozæ* aduentu, & propositione certiorem fecerant: maximè, quòd cum tribus duntaxat Episcopis tantæ celebritatis actionem auspicari deridiculum putarent. Octauo deinde Aprilis Regis Romanorum Oratoribus aduenientibus, ijs excipiendis solennis congregatio habita fuit. In hac *Iacobus Mendoza* volebat præcedere *Cardinalem Tridentinum*, & proximè Legatos Pontificios sedere, affirmans, sibi, qui repræsentet *Cæsarem*, eum locum deberi, in quo ille esset consessurus. Sed ne ista contentio actionem interrumperet, repertus est modus, quo, vter eorum præcederet, non erat facile dignoscere. Oratores vnis *Ferdinandi* literis exhibitis, verbo, Regis sui in Sedem Apostolicam, & Pontificem obseruantiam profitentur, animum ad Concilium promouendum, & alia omnia officia præstanda promptissimum liberaliter pollicentur, idque aliâ subsequente legatione illius mentem fusiùs, atque formula mandati vberiori explicaturâ, deinceps esse significandum.

Regis Romanorum Oratores Tridentum veniunt.

Mědozæ cum Card. Tridentino de honoratiore loco controuersia.

Paulò post expectatus ille à *Ferdinando*, de conuentu Ordinum Imperij XXIV. Martij *Wormaciæ* habito nuntius, *Tridentum*, ac *Romam* peruenit. In eo *Ferdinandus*, qui per absentiam *Cæsaris* ibi præsidebat, proposuerat, *Cæsarem* pacem cum *Rege Galliæ* fecisse, vt componendis religionis dissidijs, & bello Turcico vacaret. ab eo Rege & promissa in id bellum auxilia, & Tridentinum Concilium approbatum, & constitutum vel eò venire, vel amplissimã mittere Legationem. Cum Pontifice quoq; egisse *Cæsarem*, vt Concilium, quod antea prorogauerat, denuo indiceret, & aduersus Turcam auxilia conferret: ac iam Concilio denunciato, missos *Tridentum* tam â *Cæsare*, quàm ab se Legatos. Quantum laborem, studium, atque operam, vt Conciliũ haberetur, interposuerit *Cæsar*, ipsis non esse obscurum: & quàm diligenter ac seriò egerit de ea re primùm cum *Clemente Bononiæ*, dein cum *Paulo III. Romæ*, *Genuæ*, *Niceæ*, *Lucæ*, *ac Busseti*. Iuxta decretum Spirense viris aliquot probis doctisque conscribendæ reformationis negotium dedisse, quod & factum sit. Cùm autem ea causa multam deliberationem requirat, & temporis angustijs premantur, imminente bello Turcico, *Cæsari* consultum videri, omissa in præsens reformationis deliberatione, expectare progressum Concilij iam nunc inchoandi, & quid inde boni sit sperandum. quod si nullus ex eo fructus appareat, tum ante finem huius conuentus nouis Comitijs diem designandum, quibus res religionis penitus constituatur: atque interim in bellum Turcicum consilia omnia esse referenda.

Quid in Conuentu Wormaciensi ab Ferdinando propositum, explicatur.

Ab ea propositione iniecta Protestantibus suspicio dolo hæc malo fieri. Cum enim religioni adusque Concilium data esset pax, verebantur ne stipendijs in bellum Turcicum collatis, contra ipsos pecunia iam emunctos arma caperentur, quasi superioris pacificationis decretum, aperto semel Concilio Tridentino, vim vltra habere desijsset. Itaque postularunt, vt conciliationis tractatio iam cœpta continuaretur, quando tempus satis longum esset ijs, quibus est diuini numinis metus: aut, vt pacificatio vsque ad legitimum Concilium, toties in comitijs promissum, denuo confirmaretur. Se verò Tridentinum pro legitimo nequaquam agnoscere, propter rationes iam ante allatas: eoque sumptus in bellum non facturos, nisi amplius caueatur de pace, quæ Concilio Pontificio non sit astricta, cuiusmodi pacem semper repudiauerint. Et quamuis Ecclesiastici in ea omnino fuerint sententia, rem religionis ad Concilium esse referendam, decretum tamen, prius quam quidquam statueretur, *Cæsaris* de ea re responsionem opperiri.

Quid item à Protestantibus Ferdinando responsum.

In ista *Wormaciensi* actione apud Pontificem & Legatos, qui erant *Tridenti*, tria offensionem habebant. Primum, quòd *Cæsar* sibi arrogaret, se impulsore indictum à Pon-

In propositione Ferdinandi tria Pontifici displicent.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Pontifice Concilium, quasi Papam argueret rei maximè necessariæ incuriosum. Alterum, quod *Galliæ* Regem ad probandum Concilium adduxisse sese diceret, eo sibi sumpto, quod Pontificij muneris est palmarium. Tertium, quòd futuri conuentus interposita mentione, Concilio quasi frænos inijcit, ac si, nisi Concilium procedat, perpetuus eos metus occupare debeat, in Imperij comitijs causam religionis posse pertractari. Magna afficiebatur Papa molestia, non ob quotidianas modò iniurias, quas ei inferebant Protestantes, sed *Cæsaris* etiam causa: cuius actiones, vtcumque fauorabiles viderentur (dicebat ille) religioni atque authoritati Pontificiæ, quæ duo à se inuicem disiungi non possunt, admodum esse perniciosas: vt illud taceam, quòd assiduè formidabat, ne, magno suo malo, inter *Cæsarem* & Protestantes conueniret. Itaque dum ad remedia inuenienda aciem mentis intendit, nullum reperit idoneum, nisi vt bellum religionis ergô moueatur. hac enim via, & intolerabilem Protestantum licentiam frænari, & *Cæsarem* difficili bello implicari, & peruagatum de emendatione & Concilio sermonem statim emori. Neque fœlicem successum desperabat, quòd Nuntius scriberet, se reperire *Cæsarem* indies Protestantibus offensiorem, & ad ea, quæ de ipsis armorum via ac vi perdomandis suggeruntur, audienda solito procliuiorem. Ob hanc igitur rationem, præter supra commemoratas, vt impediret, nequid in Comitijs in suum detrimentum fieret, & tum animum, tum vires suis adderet; tum ob aliam, quæ, quod priuatum ipsius commodum spectabat, eo magis solicitum habuit; nempe, quòd cùm deliberasset Pontifex *Parmam* & *Placentiam* filio donare, neque sine grandi periculo id posset efficere, non assentiente *Cæsare*: cumque non difficile esset *Cæsari* obtendere, ciuitates eas ad *Ducatum Mediolanensem* olim spectasse; ac sibi, quippe Ecclesiæ patrono, videndum, ne quid ea detrimenti capiat: ob has, inquam, causas, Cardinalem *Farnesium* necessarijs mandatis instructum Legatum misit in Germaniam.

Pontificis varij fines in Cæsare impellendo ad bellum contra Protestantes.

Card. Farnesius mittitur ad Cæsarem, vt in eam rem canat classicũ.

Legatis suis *Tridenti* imperauerat Pontifex, vbi primùm intelligerent in conuentu Ordinum Imperij de religione tractari, ilico Concilium vt aperirent, quantumuis exiguo Prælatorum numero: sin verò inibi de religione non agatur, tum occasionibus sese accommodent. Iam ex ijs, quæ in comitijs acta erant, videbant se nulla adstrictos necessitate: imo altera parte paucitatem Præsulum (qui adhuc IV. tantummodo venerant) differendum suadere. dubitabant tamen, annon periculi à Turcis metus posset *Ferdinandum* adigere ad *Recessum* faciendũ, & alium ex condicto conuentum denuntiandum, in quo agatur de religione: reiectâ in ipsos culpâ, quibus ille de industria propositum suum declarauerat, vt, eo cognito, Concilium aperiendo occasionem ministrarent, qua, quod ille optima intentione promiserat, effectum dari non possit. Ea de causa ad Pontificem festinanter miserunt, vt in hac deliberandi difficultate, quid faciendum esset, significaret; quòd hinc vehemens caussa ad Concilium accelerandum impelleret, illinc solitudo, quæ esset Tridenti, Concilio supersedendum suaderet. In medium adducebant plærasque coniecturas, & manifesta indicia, ex quibus colligebant, *Cæsarem* de Concilij celebratione non multum laborare. Quôd *Iacobus Mendoza* Legatus Cæsareus, ex quo tempore *Tridentum* venit, nisi in primo congressu verbum non fecerit; quòd ipso vultu, qui animi sit index, præ se ferat, gratum esse sibi illud otium, & tempus à negotijs vacuum & solutum; quasi suam in Concilio apparitionem sufficere existimet, ad *Cæsarem* excusandum, & culpa omni liberandum. qui, cùm per se, & Oratores suos Concilium assiduè solicitauerit, & negotium eò deduxerit; nisi eiusdem progressum videat, meritò possit, & debeat alium Ordinum Imperij conuentum indicere, & in eo caussam religionis constituere, tanquam ad se, suâ diligentiâ, ac Pontificis incuriâ deuolutam. Ad sese igitur his difficultatibus extricandos viam mediam Legati proponunt, vt nimirum *Missam*, quæ vocatur *Spiritus Sancti*, ante canant, quàm *Cæsar* ad Comitia perueniat. Eam enim cùm loco principij Concilio futuram, ad ea, quæ *Cæsar* in *Recessu* esset de religione decreturus, anteuortenda; tum altera parte dempturam omnibus occasionem dicendi, rerum in Concilio tractationem à quatuor tantùm hominibus cœptam; libertate interim ipsis relicta, vt beneficio temporis fruantur, &, prout res sese dabunt, vel porro ire pergant, vel

Legati, An Concilium aperiendum sit, necne addubitantes, Pontificis voluntatem exquirunt.

Simul, quid sui sit consilij, proponunt.

rerum

rerum actione superſedeant, & Concilium, vel in alium locum transferant, vel occludant. Illud quoque Pontificis conſideratione dignum iudicabant; ſi poſt *Cardinalis Farneſii* cum *Cæſare* colloquium, Concilium aperiant, fore, vt homines ſuſpicentur Cardinalem à Pontifice conſultò miſſum, vt *Cæſarem* ab habendo Concilio dimoueret, ſed rem factam non habuiſſe. fore item, vt increbreſcente hoſtilis à Turca exercitus fama, Concilium eo tempore apertum calumnientur, quo Pontifex ſciebat, omnibus ad ſua, & publica detrimenta aliter attentis, omnino haberi non poſſe. Interea *Cardinalem Sanctæ Crucis* cupido inceſſerat pietatis manifeſtis ſignis publicitus teſtificandæ, & populi vſitatis Eccleſiæ ceremoniis magna frequentia in eum finem conuocandi. Suaſit igitur, à Pontifice diploma peterent, quo concedendarum Indulgentiarum poteſtas ipſis fieret; idque diem, quo ipſi *Româ* diſceſſerant, præferret: vt indulgentiæ hactenus *Tridenti* conceſſæ inualidæ non eſſent. Scilicet, Cardinali huic iniectus erat ſcrupulus, populum, in quem, vbi primum aduenere, triennales illas, cum quadrageſimis ſuis contulerant indulgentias, poſſe iis defraudari; ideoque defectum poteſtatis hoc veluti ſupplemento cupiebat reſarciri. neque tamen animaduertebat difficultatem adhuc reſtare, An is, qui authoritatem habet indulgentias concedendi, poſſit etiam ab alio, nulla idonea poteſtate munito, conceſſas corroborare, ac validas efficere.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciſcus* 1.

Cardinalis S. Crucis ſibi & collegis concedendi Indulgentias poteſtatem fieri cupit.

Cardinalis *Tridentinus*, eius loci Epiſcopus, & Dominus, conſiderato ciuitatis eius periculo, quæ modica & infrequens, in extraneorum poteſtate eſſet futura, ſi Concilium procederet; Pontificem monuit, ad ſeditiones aliaque incommoda præcauenda neceſſarium eſſe CL. peditum præſidium, maximè ſi Lutherani eò veniant. huic verò ſumptui ſe, qui diſſoluendo deceſſoris ſui ære alieno iam exhauſtus ſit, minimè eſſe parem. Pontifex reſpondet, ſi in oppidum introduceretur præſidium, Lutheranos mox exclamaturos, Concilium non eſſe liberum: quando Itali prope ſoli eò venturi videantur, metum ſuum eſſe ex ſuperuacuo. neque ſibi minori fore curæ, quàm Cardinali vrbis eius quietem; quem conueniat Concilij ſecuritati diligentiùs prouidere, quàm Epiſcopum vrbis tutelæ. Eam igitur miſſam faciat ſolicitudinem, ſibique perſuadeat, ſe nullam in ipſo curam & vigilantiam, periculis anteuortendis, & ſumptibus deuitandis deſideraturum. Ex iis rationibus, quæ Concilij inchoationem vel ſuaderent, vel diſſuaderent, bene penſitatis, nullam ad diſſuadendum efficacem reperit, præter hanc, ſcilicet, ſi id ab eo requireretur, vt, vbi ſemel Concilium aperuerit, apertum eouſque relinquat, quoad belli Turcici, aliaue impedimenta deſiiſſent. Id enim non aliud eſſe, quam imponere ori ſuo frænum, vt ad eius libidinem, qui habenas regeret, eſſet circumagendus, cum ſummo rerum ſuarum diſcrimine. Itaque firmiter decreuit apud ſe, nullis conditionibus permittere, vt Concilium ocioſe apertum permaneat; ſed horum alterum mordicus tenere, vt Concilium, ſi fieri poſſit, celebretur: ſi non poſſit celebrari, tum vel omninò occludatur, vel vſque ad diem à ſe præfigendum, quo denuò incipiendum ſit, ſuſpendatur. Atque hac poſita concluſione, ſcripſit ad Legatos, vt die ſanctæ Crucis Concilium auſpicarentur. quod illi mox Oratori Cæſareo, atque aliis indicant; ſed diem præſtitutum reticentes. Poſt paucos dies *Tridentum* venit *Cardinalis Farneſius*, *Wormatiam* iſthac tranſiturus, idem mandatum afferens. Habita ibi cum Legatis deliberatione, de communi aſſenſu ſtatutum in Concilio pergere; mandatum Pontificis in genere notum omnibus facere, ſed quem præfixerit diem nominatim non deſignare, antequam ille *Wormatiæ Cæſarem* conuenerit. De *Cæſare* optimam ſpem conceperant, intellecto eum, vbi de hoc Legationis officio inaudiuiſſet, Pontificis cauſsâ omnia velle, & palam profiteri, ſe cupere conſilia cum ipſo communicare. quam quidem animorum coniunctionem vt non interturbarent, decreuerunt nullam nouam actionem aggredi, antequam ea *Cæſari* innotuiſſet, maximè quòd *Mendoza Cæſaris* Legatus, & *Cardinalis Tridentinus* ita ſuaderent.

Cardin. *Tridentinus* vrbem illam armatorum præſidio firmatam vult: ſed reclamante Pontifice.

Pontifex tandem Concilio aperiendo diem dicit.

Cardinalis *Farneſius Wormaciam* contendens, cum Legatis *Tridenti* conſultat.

Atque hic *Mendoza* loci prærogatiuam ante alios omnes, exceptis Legatis Pontificiis, ſibi deberi in Concilio denuo prætendit, propterea quòd, quemadmodum, cùm Pontifex & *Cæſar* in vnum locum veniunt, nemo medius inter ipſos ſedet, idem hic

Mendoza ſuperiorem de loco honoratiori controuerſiam renouat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

hic inter eos, qui vtriusque personam referunt, obtinere æquum sit: qua de re hominum doctorum sententiam diligenter exquisiuerit. Legati verbis generalibus respondent, se suum cuique locum tribuere paratos, de ea re Pontificis Romá animi mentem præstolari. Ille rursum, non dubitare se in commentariis publicis extare controuersiæ huic terminandæ documenta, & exempla: se, ad honorem minimo cuique Sacerdoti extra Concilium deferendum, sua sponte procliuem: sed in Concilio Principem suum esse sine dubio à Papa secundum. Et quamuis nonnullis ista legentibus hæc rerum ac rationum minutarum narratio friuola ac superuacanea videri possit: historiæ tamen huiusce scriptor, necessarium iudicauit patefacere lectori, ex quam pusillis amnibus ortum habuerit vastus ille lacus, qui Europam inundauit. immo, qui in tabulis publicis aueat inspicere literas numero pene innumero hinc indeque scriptas, prius quàm de Concilio aperiendo esset decretum, ille quidem certe mirabitur, & tantam hominum de eo existimationem, & suspicionum, quæ inde nascebantur, varietatem.

Prorex Neapolitanus è C. eius regni Episcopis IIII duntaxat ad Concilium mittendos censet.

Iam omnium animis in expectationem Concilij iamiam celebrandi tandem erectis, Episcopi in *Italia* de profectione *Tridentum* cogitabant. *Proregi Neapolitano* veniebat in mentem, non esse, cur sui omnes eò tenderent; quatuor tantùm ex omnibus deligendos, qui nomine cæterorum supra C. mandata perferrent. Itaque *Sacellanus maior* regni Præsulibus in domum suam conuocatis edixit, vt literas formarent procuratorias. Ex his multi reluctantur, affirmantes, se iureiurando obstrictos, vt coram Concilio se sistant: si non possint, tum æquum esse, vt quisque ex animi sui conscientia sibi legat procuratorem, non autem vt in vnum omnes consentiant. Hac responsione irritatus *Prorex*, iterum monuit *Sacellanum maiorem*, vt eos conuocaret, & procurationem imperaret; idem facere iussis aliis etiam regni gubernatoribus. Ea res Pontificis & Legatorum animos conturbauit, an ex ipsius cerebro satis pro imperio se gerentis, an ex rerum ignoratione, an verò ex alieno impulsu, & altiore principio id consilij profectum esset, addubitantium. Quò autem huius mali fontem detegeret Pontifex, rigido diplomate vetuit, ne quis in Concilio per procuratorem omnino appareret. Id Legati clàm apud se asseruandum putabant, non autem publicandum; quòd omnes in vniuersum Christiani orbis Præsules tangeret, etiam longissime dissitos, & præpeditos, qui diplomati parere non poterant. Tum quod pœnam nimis grauem denunciaret; ipso facto suspensionem à Diuinis, & omni Ecclesiarum administratione. denique quòd metuerent, ne multas irregularitates, actorum nullitates, & indebitas fructuum perceptiones produceret: atque adeo nationem aliquam erga sedem Romanam male affectam, ad prouocationem interponendam, litemque de iurisdictione mouendam excitaret. Itaque scripserunt ad Pontificem, se sine nouo mandato diploma nequaquam publicaturos, quòd rumores de eo sparsos sufficere arbitrarentur. quem verò hoc diploma exitum habuerit, infra suo loco dicetur.

Pontifex contra rigido diplomate vetat, ne cui per procuratorem in Synodo comparere liceat.

Legati ad extraordinarios in Concilio sumptus quæstorem cum pecunia deposcunt.

Restabat aliud negotium, etsi minoris momenti, nihilo tamen minus molestum. Legatis variæ erant sumptuum faciendorum occasiones. Hi cùm in re tenui essent, neque de suo publicis impendiis tolerandis sufficerent; & Pontifex satis parcè subsidia hactenus suppeditasset, communicatis cum Cardinale *Farnesio* consiliis, ad Pontificem scripserunt, non esse pro dignitate loci sui celebrare Concilium eo splendore, quem tam celebris consessus requirat, absque apparatu necessario, & ornamentis consuetis. Itaque & vnum hominem, cui id numeris committatur, necessariò eligendum; eumque depositarium constituendum, depositâ inter ipsius manus pecuniæ summâ, quâ, tum occasionibus extra ordinem occurrentibus prospiciatur, tum inopis cuiusque Præsulis egestati subueniatur, tum bene meritis debitæ remunerationes persoluantur: quæ res ad optatum Concilij exitum procurandum conducat plurimùm.

Prima Congregatio, in qua de ceremoniis, atque inprimis de ordine sedendi actum.

Die III. Maij, cum iam X. Episcopi aduenissent, facta Congregatione, cœptum est agi de rebus Concilij præparatoriis. ac primò expositum Pontificis de aperiendo Concilio mandatum: sed de die nihil definitum, priusquam cum *Cæsare* res esset communicata. Dein ad ritualia itum, in quibus constituendis fere tota ea

Con-

Congregatio absumpta. Vt Legati Cardinales, qui ex distinctis erant ordinibus, vnus scilicet Episcopus, alter Presbyter, & tertius Diaconus, ad eundem modum impluuiis omnes vestirentur, quippe, quos muneris auctoritatisque similitudo in eadem Legatione, eodemque præsidendi officio iunxerat. Tum, vt Consessuum locus aulæis ac peristromatis exornaretur, ne opificum coronam referret. Postea propositum, annon *Pontifici* & *Cæsari* sedes essent instruendæ, ac post vacuæ relinquendæ? An *Didaco Mendozæ* locus honoratior, quàm cæteris Oratoribus esset designandus? Atque hic de loci prærogatiua pleraque occurrebant consideratione non indigna. Episcopi enim *Germaniæ*, qui ipsi Imperij etiam sunt Principes, quòd authoritate aliis antistent Præsulibus, id sibi deberi asserebant, vt non Episcopos modò, sed aliarum nationum Archiepiscopos præcedant. quod quidem non tantùm in Ordinũ Imperij conuentibus vsu venit, sed illud quoque, quòd Episcopi, qui Imperij non sunt Principes, non nisi capite aperto illos affari soleant. Et quidem anno superiore de ea re iudicijs variatum, *Episcopo Ecstatensi*, & Archiepiscopis *Corcyrensi*, & *Tarentino* in ea ipsa ciuitate ad eandem Missam accedentibus. Alij vero asserebant, in ipso Pontificis sacello, Episcopos, Ducum & aliorum Principum Oratores, antecedere Archiepiscopos, eoque multo magis ipsis Principibus eam eminentiam deberi. sed non visum patribus quicquam de hac controuersia statuere, nisi frequentiori senatu, in quo Gallorum & Hispanorum sententias exquirere liceat. Visum tamen renouare decretum *Basileense*, & *Lateranense Iulij* II. Pontificis, vt nemini præiudicet extra locum suum considere. Pergratum vero accidit *Mendozæ*, quod decreuerant nullum certum diem inchoando Concilio præfigere, ante quam *Cæsaris* mentem per Cardinalem *Farnesium* perspexissent. atque vniuersim omnes qui aderant Episcopi, suam erga Pontificem propensionem & obsequium abunde declararunt; etiam Episcopus *Vercellensis*, & Cardinalis *Polus* tertius Papæ Legatus, qui eo ipso die finita congregatione *Tridentum* venerunt.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1

Controuersiæ de honoratiori loco ad frequentiorem Conuentum reiiciuntur.

Interea dum *Tridenti* ad hæresim Concilij via profligandam Episcoporum conuentus habetur, idem in Prouincia Gallica aduersus pauculas *Valdensium* reliquias armorum via patratur. Hi in Alpium *Prouinciæ* radicibus (sicut ante dictum est) latuerunt, neque Romanum Pontificem agnoscentes, atque aliam doctrinam, aliosque ritus, rudes certè imperfectosque edocti. Tantùm postquam *Zuinglius* rem religionis innouasset, & *Geneua* reformationem amplexata esset, facta illius doctrinæ ad suam accessione, ritus suos in meliorem formam redegerant. In hos ante aliquot annos *Aquensis Senatus*, (Prouinciæ Parlamentum vocant) sententiam rigidam pronuntiarat, sed executioni mandata nondum fuerat. Hoc demum tempore Rex per literas imperat Senatus Præfecto, vt sententiam exequatur. Ille vero statim conducto quaquauersum ex oppidis vicinis & Auenionensis agri, ditionis Pontificiæ finibus, milite, armatus irruit in inermes, & vix de fuga, tantùm non de defensione cogitantes opprimit. Neque vero in ijs aut erudiendis, aut vt opiniones ac ritus damnatos missos facerent, persuadendis elaboratum est, sed stupris ac direptionibus primùm grassati, eos qui fugere non poterant, & ad solam hostis misericordiam confugerant, pueros & senes, nulla vel ætatis vel sexus habita ratione ad vnum fere omnes contrucidarunt. Etiam oppida ipsa, *Cabrieram* in *Prouincia*, & *Merindolium* in *Comitatu Auenionensi*, & loca omnia propinqua, moenibus dirutis solo æquarunt. Atque in ea internecione periere supra IIII. hominum millia, qui sui defendendi studio neglecto misericordiam tantùm implorabant.

Horrida Aquensis Senatus contra Merindolienses & Caprarienses sententia, Regis iussu executioni mandatur.

Vormaciam deinde *Cæsar* Maij. XVI. venit; & postridie *Cardinalis Farnesius*: qui cum *Cæsare* & *Ferdinando* seorsim agens, mandatum suum de Concilio exposuit. A Pontifice quidem Legatis datam eius aperiendi potestatem; sed ipsos rursus à se expectare rerum, in eo, qui tunc habeatur, Ordinum conuentu gestarum, nuncium. Neque magno opere attendendum, quid Protestantes contra Concilium obganniant; quando, quæ ab ipsis adferuntur impedimenta, noua non sint, sed multò ante quàm de Concilio sermo institueretur, præuisa. non esse dubitandum ipsos, qui obedientiæ iugo, religionis Christianæ fundamento, excusso, tam multa impiè nefariéque innouarint contra ritus tot seculis religiosè obseruatos, atque à tot venerandis Concilijs

Card. Farnesius Legationis suæ mandata à Pontifice Cæsari exponit.

lijs

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

lijs approbatos, huic quoque Concilio iam iam inchoando, quantumuis legitimo, Oecumenico, & Christiano, quòd ab eo errores suos damnatum iri certò sibi persuadeant, eadem animorum obstinatione recalcitraturos. Itaque non aliud superesse, nisi vt *Cæsar*, eos vel authoritatis suæ amplitudine ad obedientiam flectat, aut armorum violentia ad parendum adigat. Nisi id fiat, &, neque ad eorum errores damnandos porro eatur, neque damnatis erroribus, ad eosdem abdicandos cogantur, tum apud omnes inualituram eam opinionem, hæreticos vtique dominari, *Pontificem* & *Cæsarem* ijs obsecundare. Pontificem certè, qui lenitatis viam primum tentandam putarit, nunc existimare, validioribus vtendum magisque efficacibus remedijs, atque omnino armis experiundum. Eâ gratiâ se concedere ei partem Ecclesiasticarum obuentionum in *Hispania*, & permittere venditionem clientelarum (vassellagia vocant) in plerisque Ecclesijs, atque de suo præter pecuniarium subsidium promittere peditum millia duodecim, & equites quingentos suis sumptibus alendos. operam quoque suam apud alios Italiæ Principes, vt in id bellum auxilia subministrent. in quod dum *Cæsar* incumbit, se non defuturum armis spiritualibus ac temporalibus eos aggredi, qui ipsi in dominijs suis negotium facessere studeant. Ad hæc exposuit *Cæsari Proregis Neapolitani* institutum, de quatuor Procuratoribus omnium Regni Episcoporum nomine ad Concilium mittendis, affirmans id neque æquum, neque legitimum, neque è dignitate Concilij esse, vt tot Episcopi, tam propinqui, excusationem eam prætexant, quam & Galli, Hispanique multo æquiori iure debeant obtendere; & si velint, Generale Concilium non nisi ex XX. Episcopis esse expectandum. Quare cùm Pontificiæ authoritati, & Concilij, cuius ille se defensorem agnoscat, dignitati, tantopere ea res deroget, non esse *Cæsari* tolerandũ, sed opportuno ei remedio prouidendum. Ventum denique à Cardinali ad promissum nomine *Cæsaris* in Conuentu Ordinum Imperij factum; Illum nimirum, nisi Concilium generale progrediatur, ad controuersias religionis definiendas alium Conuentum indicturum. atque hic Cardinalis ostendit, quando neque per Pontificem, neque per ipsius legatos ac ministros, neque per Curiam Romanam stet, quin Concilium celebretur & procedat, non licere *Cæsari* captato inde colore noua in Recessu indicere Comitia. Atque vt hoc caput etiam atque etiam inculcaret, non solùm Româ erat illi imperatum, sed & *Cardinalis Montanus*, magna libertate sermonis, tum coram, cùm esset *Tridenti*, id ei ingeminauerat; tum postquam Tridento abijsset, suo & collegarum nomine disertissimis verbis scripto hoc caput ei commendauerat velut maximi momenti, in quo animi mentem defigeret, immo vt excidere sibi non pateretur, aut tegmen aliquod & velamen ei obduci: quod inde rerum omnium firmandarum spes esset petenda. hoc insuper addito, se Pontifici significaturum, ipsi magis fore gloriosum abdicata sede Pontificia *Diuo Petro* claues restituere, quàm permittere, vt obtentu omissi ab Ecclesiasticis in celebrando Concilio officij, aut alio quouis colore, potestas secularis in diiudicanda religionis causa authoritatem sibi vendicet.

Pontifex bona Ecclesiarũ per Hispaniã, in bellum contra Protestantes Cæsari donat.

Cardinali in mandatis id præcipuum, vt caueat, ne res religionis in Comitiis diiudicentur.

Ad horum singula respondens Imperator, dicebat illud de *Prorege Neapolitano* minime se authore factum, nec aliunde quàm ex mero ac spontaneo animi ipsius motu profectum; eoque nisi graues habeat facti sui rationes, facile de sententia discessurum. De *Concilio* inchoando nihil definitè respondit, sed interdum aiebat, potuisse inchoari loco magis opportuno: interdum, ante apertionem multa necessariò prouidenda. vnde manifestè videbat Cardinalis, ipsum omnia cupere suspensa, vt pro euentuum varietate, ad aperiendum, aut dissoluendum Concilium, sua consilia inclinaret. Ad illud, *de alio Ordinum conuentu* non indicendo, in quo de religione ageretur, in genere & indefinitè respondit, se authoritatem Pontificiam, quanti debeat, & possit, semper æstimaturum. Quòd vero *Lutheranos Pontifex* bello censeret lacessendos, id se consilium vehementer probare, & viam, quam proponeret, lubenter amplexari: debitam tamen cautionem adhibendam. Nã & inducias cum Turcis, quas interuentu *Regis Galliæ* sedulo & clàm nunc tractet, prius paciscendas; & Protestantes, qui magno numero sint, & potentia formidabili, vel à se inuicem disiungendos, vel ex improuiso adoriendos; alioqui bellum fore anceps & periculosum. Institutum hoc retrusum atque abditum custodiendum, quoad occasio detur: vbi ea apparebit,

Cæsar ad singula legationis capita respondet.

Cæsar probat armorum vim cogendis ad officium Lutheranis.

rebit, missurum, qui cum Pontifice agat. interim, quas Pontifex offerat conditiones, se haudquaquam recusare.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Iam præter publica negotia erat Cardinali familiæ quoque suæ domesticum, de quo cum *Cæsare* ageret. Pontifex enim donato suis *Camerini Nepiq;* Ducatu sibi non satisfecerat, sed *Parmam* & *Placentiam* ciuitates eisdem dono dare satagebat. Eas cum non ita pridem *Insubriæ* Duces possedissent, vt earum alienatio validior esset, *Cæsaris* consensus requirebatur. Hunc quò impetraret Cardinalis, ostendit *Cæsari*, è re sua magis futurum, si eæ ciuitates, Mediolanensi Ducatui finitimæ, penes aliquam familiam essent ipsi deuotam ac deuinctam, quàm si in sedis Romanæ potestate permaneant: in quam succedente Pontifice erga *Cæsarem* male animato, multa inde oriri possint incommoda. Deinde, ea alienatione patrimonio Ecclesiæ nihil decedere: quòd ad sedem Romanam *Iulio II.* Pontifice primùm peruenissent, neque ante *Leonis* Pontificatum confirmata esset possessio. Denique Ecclesiæ bono id cessurum, Pontifice permutationem inter eas vrbes, & Principatum *Camerini* designante. Ita detractis sumptibus, qui in earum vrbium custodiam fiunt, & solutis à nouo Duce octo aureorum millibus, ampliores ex *Camerino* reditus, quàm ex illis ciuitatibus prouenturos. Exhibuit vnà Cardinalis Imperatori gnatæ suæ literas, id ipsum suo liberorumq; cõmodo obnixè obsecrantes. Neq; verò *Cæsari* ingrata fuit ea petitio, siue filiæ ac nepotum charitate adducto, siue eas vrbes faciliùs à Duce, quàm à sede Romana recuperari posse, persuaso. sed vt non abnuit, ita nec assensus est; tantummodò se non aduersaturum professus.

Card. Farnesius suû quoq; negotium cum Cæsare agit, de possessione Parmæ ac Placentiæ Pontificis filio confirmanda.

De ea re Cæsar nihil constituit.

Egit etiam *Farnesius* cum Catholicis, cumprimis Ecclesiasticis, ad veræ religionis propugnationem ipsos hortatus, & à Pontifice officia omnia pollicitus. Et quamuis belli molitiones occultæ essent, Protestantibus tamen suspicionis causam dedit Monachus quidam Franciscanus. qui ad *Carolum*, *Ferdinandum*, & *Legatum Farnesium* concionem habens, cum in Lutheranos acriter esset inuectus, oratione ad *Cæsarem* conuersa, dixit, officij ipsius esse Ecclesiam armis tutari: ab eo verò hactenus cessatum in eo, quod factum oportuit, conficiendo. Deum, qui tam ingentibus ipsum beneficijs ornauerit, eorum agnitionem expectare, sublato è medio pestifero hominum genere, quos auram vitalem carpere nefas sit. neque huic actioni moram interponendam, multis indies per horum væsaniam de æterna salute periclitantibus; quorum omnium rationem Deus ab eo sit reposciturus, nisi maturè prouideat. Ea concio non modò Protestantibus iniecit suspicionem, sed etiam occasionem existimandi, id ei ab Legato imperatum: ex publica oratione, quid priuatim ac secretò ageretur, aut diceretur, coniecturam capientibus. His rumoribus Cardinalis vt mederetur, de nocte clanculum discedit, *Romamque* magna celeritate contendit. Auxit tamen Protestantum suspicio ex literis *Romæ* perscriptis, quibus nunciatum erat, Pontificem, cum centuriones aliquot dimitteret, spem eis fecisse, se eorum operam anno proximè sequenti ad bellum conducturum.

F. Franciscanus virulenta concione Cæsarem ad bellum contra Lutheranos accendit.

Farnesius Card. Wormatiâ Româ properat.

Tridentum Maij die XVIII. venit *Episcopus Sidoniensis*, Monacho Theologo, & alio Iuris vtriusque Doctore comitatus, qui Cardinalis *Archiepiscopi Moguntini Electoris* procuratores. Oratiunculam habuit Episcopus de Electoris erga Pontificem Sedemque Apostolicam obsequio, & Concilij laudibus, quod fluctuantibus in fide ac religione vnicum putabat remedium. Legati, Principis pietate laudata respondent inspiciendum procurationis mandatum. A Pontifice enim non ita pridem cautum, ne quisquam suffragatoriam in Concilio vocem per procuratorem possit edere. non nescire se, quæ debeatur tanto Principi dignitatis prærogatiua, esseque promptissimos ad honorem & cultum ipsi deferendũ; sed an Pontificis mandato Cardinales ac Principes cõprehendantur adhuc addubitare. Quo icti responso procuratores de discessu cogitare occipiunt. Vnde Legati facto indolescentes, simulq; considerantes, quantum Concilio posset importari detrimentum, si omnium *Germaniæ* Principum, ac Præsulum, dignitate, & opibus primum, ab Concilio abalienassent, Cardinalis Tridentini, Oratorum, aliorumque interuentu procuratoribus persuaserunt, vt subsisterent: diploma Pontificis de Episcopis Italiæ interpretati, & in se erroris opinionem admittere, vt grauiora anteuerterent incommoda, contenti.

An Archiep. Moguntini procuratoribus suffragij in Concilio potestas esse debeat, ambigitur.

Ro-

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Legati Pontificis sententiã de ea re sciscitantur, suam etiam promentes.

Romam tamen, rei gestæ nuncio exposito, scripserunt, Pontificis sententiam, an vigente diplomate admittendi essent, sciscitati, ea deliberatione viam sibi sternere cupientes, quam in alijs sequerentur. Nam & durum ijs videbatur tanti viri *Procuratores* reijcere, qui magno religionis zelo atque ardore Catholicorum causam fouisset, ne tepidiorem deinceps redderent: &, si qui forte alij potentes in *Germania* Episcopi procuratores quoque suos mitterent, plus inde boni, quàm si ipsi *Tridentum* venissent, præuidebant. Ciuitatem enim eam tot hominum vix esse capacem, quot ii Principes, magna equitum caterua stipante secum aduehere soleant. Germanorum verò offensionem in primis vitandam, qui natura sunt suspiciosi, & maturè statuunt quid facto opus sit; atque in his maximè eorum, qui affectum suum in Pontificem testando de eo bene meruerint: quo in genere sit *Cocleus*, Episcopi *Eiestetensis* nomine iter iam ingressus, multis contra hæreticos scriptis adeo nobilitatus, vt pudendum sit, ei in Concilio suffragij locum denegare. fecit cum *Prorege Neapolitano* in hoc genere contentio, vt Pontifex determinatè non responderit. Illius enim iussu IIII. tantùm, omnium Episcoporum nomine *Tridentum* adituri per *Romam* transierant, illic procurationem suam celantes, & suo se nomine, alijs mox subsequuturis, proficisci dictitantes. Scripsit tamen ad Legatos vt humaniter procuratores exciperent, & benignis eos verbis, quoad ille aliter statuisset, detinerent. Etiam *Neapolitani*, cum *Tridentum* peruenissent, eodem tenore locuti, Pontifice licet ac Legatis dissimulantibus, atque ad vsque inchoati Concilij tempus, quid consilij sui esset, reticendum existimantibus.

Præsules Tridentini ad eius vrbis incommoda vitanda, secedēdi veniam petunt.

Sub finem Maij *Tridenti* erant XX. Episcopi, V. Generales Ordinum, & Auditor Rotæ, omnes expectatione Concilij defatigati. Ij aliorum prudentiam laudabant, qui non adeo præcipiti festinatione domo profecti, occasiones rebus gerendis opportunas minime anticipassent; à quibus illi alteri non sine ipsorum offensione, quod ad Concilium ita approperassent, *Cursores* dicti. Ideo legatos orant, vt duarum aut trium hebdomadarum tempus ipsis concederent, ad secedendum Venetias, aut Mediolanum, aut in alium locum, vbi Tridentinæ vrbis incommoda resarciant, inualetudinem, vestium necessitatem, aliaque eiusmodi causati. Verùm Legati reputantes quantum ea res existimationi Concilij posset officere, honesto sermone eos in officio retinebant, interdum negantes penes se esse, facultatem vrbe exeundi concedere; interdum spem facientes, Concilium intra paucos dies initium habiturum. Orator certè *Cæsaris Venetias* ad Legationem suam redijt, ægritudinem quidem prætendens, sed Legatos in dubio relinquens, vtrum *Cæsaris* mandatu, arte adhibita, an ocij pertæsus, eius oppidi incommodis vitatis, iter illud susceperit. Et quamuis *Ferdinandi* Romanorum Regis Legatos in Vrbe reliquerat ad Dei cultum promouendum; tamen quod ante suum reditum Concilium aperiri nollet, se breui reuersurum promisit.

Et Mendoza Orator Cæsareus Venetias redit.

Episcopi tenuiores in Synodo moræ impatientes.

Sub finem autem mensis sequentis, Episcoporum bona pars, alijs egestate, nonnullis alijs incommodis, prægrauatis, querimonias vltro citroque iactabant, discessionem cogitantes, atque excitato prope tumultu, ad *Franciscum Castel-altum Tridenti* gubernatorem, quem cum *Antonio Gineta*, *Ferdinandus* in locum suum substituerat, decurrentes. Ille Regis sui nomine Legatos sollicitat, vt Concilium auspicentur, proposito bono, quod eius celebrationem comitetur; & malo, quod ex procrastinatione oriatur. Ea res Legatos vehementer offendit: quòd diuersam á vero mentem ipsis affingeret, & Concilij dilationem, quæ Imperatori esset ascribenda, ipsis imputaret. Ac tametsi eam contumeliam dissimulare decreuissent, & verbis generalibus respondere, *Cardinalis* tamen *Montanus* temperare sibi non potuit, quin solita libertate respondens, in fine sermonis hortaretur eum ad *Didacum Mendozam* præstolandum, qui *Cæsaris* ac *Ferdinandi* mentem accuratius pernosset. Neque verò leuis erat operæ Præsules consolari, qui ociosam istam moram fastidiosè ferebant; inopes cum primis, nummorum, non verborum indigos. Itaque decretum à Legatis, Episcopis *Nobilis*, *Britonoriensi*, & *Chiozæ*, qui omnium maxime querebantur, Pontificis sumptibus, XL. Philippicos singulis dare: cumque metuerent, ne isthæc munificentia deinceps in exemplum traheretur, declaratum fuit, id ipsis in sub-

Horum inopiam Legati subleuant modica accessione.

subsidium dari; non autem in stipendium. Literis quoque Pontifici quid actum esset, significant, & copiosioris subsidij necessitatem commonstrant; sed simul, ne quid titulo certi stipendij cuiquam ex ijs detur, diligenter dispiciendum putant: ne Concilij Patres, stipendiarij Pontificis videantur; tum ne excusatio Protestantum, qui se Concilio non subijciunt; quòd clientibus Pontificis constet, ab hac liberalitate alimentum ac robur capiat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Sub hoc tempus *Cæsar Wormaciæ Archiepiscopum* Coloniensem citat, vt intra trigesimum diem ad se veniat, aut procuratorem mittat, & accusationibus respondeat: imperans, ne quid interim in religione & ritibus innouet; sed quæ innouata sint, pristinum in locum restituat. Iam ab anno M.D.XXXVI. *Hermannus Archiepiscopus Coloniensis*, Ecclesiæ suæ emendationem cogitans Concilium Episcoporum suæ ditionis coegerat, in quo decreta de religione facta. Eoque tempore liber de ea re editus, ab *Ioanne Groppero*, iuris Pontificij professore, qui ob operam Ecclesiæ Romanæ post nauatam, à *Paulo IV.* in Cardinalium societatem assumptus. Sed, siue illud reformationis scriptum, neque *Archiepiscopi*, neque *Gropperi* ipsius animo satisfaceret; siue alia iam *Hermannus* mente esset; ille anno M.D.XLIII. conuocatis clero, Nobilibus & præcipuarum ciuitatum prouinciæ suæ Legatis, aliam instituit reformationis formulam. Eam plerisque licet approbantibus, Ecclesiasticorum maior pars repudiauit, *Gropperi* potissimum auspicijs, qui reformationem tamen antea & suaserat, & pro virili sua parte promouerat. Postquam igitur *Clerus* Archiepiscopum rogasset, vt ab instituto desisteret, & vel Concilij generalis, vel Ordinum Imperij in conuentu decretum expectaret, nec horum ille precibus quicquam concederet, anno M.D.XLIIII. ad Pontificem maximum, atque ad *Cæsarem*, summum Ecclesiæ aduocatum, ac protectorem prouocarunt. *Archiepiscopus* vicissim, edito scripto causam prouocationis friuolam esse contendit; neque posse se, nisi præter officium faciat, ab incoepto desistere, quod ad Dei gloriam, & emendationem Ecclesiæ pertineat. Nihil esse sibi cum Lutheranis negotij, aut cum alijs; sed doctrinam eam, quæ cum sacris literis consentiat, vehementer probare. Itaque dum hinc *Archiepiscopus* emendationi instat, & *Clerus* repugnans denuo *Cæsarem* implorat, ille *Clerum* in patrocinium suum recipit, & *Archiepiscopum*, vti diximus, ad se citat.

Archiep. Coloniensis Cleri sui reformationem instituit.

Clerus ad Pontificem & Cæsarem prouocat.

Cæsar Archiep. ad se citat.

Huius rei nuncius cum *Tridentum* esset perlatus, Episcopis otio abundantibus, multi sermonis materiam suppeditauit. Legati Pontificis, & è Præsulibus, vt quisque nitidissimi esset sensus, *Cæsarem* increpare, quòd in causa fidei & reformationis Iudicis partes sibi sumeret: qui parcissimè loquebantur, eam actionem scandali & offensionis plenam dicere; neque debitum sibi honorem deferri, & quòd otio diffluerent, despectui passim haberi. Itaque existimabant necessitatem impositam declarandi se pro Concilio legitimè congregato habendos, & opus hoc verè diuinum memorabili aliquo facto auspicandum, nempe violatæ religionis dicâ, *Archiepiscopo* huic *Coloniensi*, *Electori Saxoniæ*, *Hassiæ Lantgrauio*, etiam *Angliæ Regi* scriptâ. Tantos paucorum dierum interuallum ipsis addiderat animos, qui non ita pridem se ad Concilium, velut in custodiam missos arbitrabantur. Verùm *Electoris Moguntini* suffraganei ad vehementē hunc ardorem demitigandum, monent, diligenter prius vt considerent, quanta hi Principes sint amplitudine, quamque potentibus populis ac ciuitatibus foederati: tum quid periculi sit cogere ipsos ad arctiorem cum *Rege Angliæ* coniunctionem, atque ad Germaniam maioris incendij flammis depopulandam. Et *Cardinalis* quidem *Tridentinus* ad eorum sententiam accessit. Verùm *Italiæ* Episcopi magni sese facientes, si forte Principem aliquem virum aggrederentur, putabant, se huiusmodi aliqua actione omnium oculos in se conuersuros, atque in lite bene inchoanda instituendaque omne esse momentum. Etiam sese mutuis hortatibus accendebant inuicem, anteacti temporis tarditatem diligentia celeritateque pensandam dicentes. Pontificem quoque esse obsecrandum, vt ad se mittat hominem fama atque eruditione spectabilem, qui contra reos fidenter declamitet: quod in Concilio Lateranensi à *Melchiore Baldassino* contra *Pragmaticam* factum, nihilo plus fore difficultatis in Principibus auitis possessionibus deturbandis rati, quàm in lite recte atque ordine secundum iuris formulam inten-

Ea citatio, Præsulibus Tridentinis, qui se spretos censent, bilem mouet.

Ii ad se ab contemptu vindicandos, magna moliuntur.

Et ad eam rem Leguleium aliquem duri oris, & frontis perfr. & de poscunt.

tentanda. Legati verò cùm animaduerterent ad plerasque occasiones istiusmodi *Doctoris* in Consilio præsentiam admodum esse necessariam, *Romam* ad Pontificem scripserunt, vt aliquem eam prouinciam suscepturum circumspiceret.

Eadem citatio Pontificem aduersus Cæsarem irritat.

Pontifex hac *Cæsaris* actione consternatus, pendebat animi, vtrum iniuriam hanc cum *Cæsare* expostulare, an vero demussare oporteat. facere expostulationem, quæ caritura esset effectu, non modò vanum iudicabat, sed impotentiæ quoque atque imbecillitatis suæ significationem. qua se vehementer commouebatur. Rursus animo voluens, quanti sua interesset, rem tantam non reticeri, decreuit verbis parcere, contrà quàm *Tridentini Patres* fecissent, & factis potius *Cæsarem* exasperare; quò illi deinceps querelam instituenti ex occasione respondeat. Itaque XVIII. Iulij eundem *Coloniensem Archiepiscopum* ille quoque citat, vt intra LX. diem veniat ad se; tum *Decanum*, & V. è præcipuis Canonicis: relictâ curiosis disputandi materiâ, quomodo *Archiepiscopus* possit sistere se corā duobus, eū ad se ob eandē causam, diuersis in locis, sed eodem tempore, citantibus. Item, quid spectet ad honorem *Christi* disputatio de foro competenti. Verum quid hîc successerit, & quis causæ huius fuerit euentus, suo loco dicendum.

Vnde Pontifex eundem Archiep. & clerum ad se Romam citat, ad eludendam Cæsaris citationem.

Cæsar solicitat Protestantes de auxilijs in bellum Turcicum. Il i vero prius sibi caueri petunt de pace religionis.

Vt autem ad id, quod Concilium proximè spectat, reuertamur, multa à *Cæsare* in Comitijs proposita fuere, quibus Protestantes adduci possent, ad auxilia aduersus Turcam contribuenda, nulla religionis facta mentione. Illi verò veterem cantionem occinentes respondent, se nihil posse statuere, nisi accepta priùs de pace firmiter seruanda cautione, sic vt, per conuocationem Episcoporum *Tridenti* factam, appellatione Concilij, pax non expirasse intelligatur, iuxta superioris conuentus decretum; sed palam declaretur, neque pacem interrumpi, neque ipsos constringi posse vllis Patrum Tridentinorum decretis. quòd huic se Concilio nunquam submittere statuerint, in quo Papæ, qui iamdudum eos damnauit, potestas omnis tribuatur. Imperator contrà aiebat, se eiusmodi pacem tribuere non posse, quæ decretis Concilij ipsos eximat, cuius authoritati omnes sunt subiecti. neque esse, quomodo se apud cæteros Reges atque Principes excuset, si solis Germanis liceat Concilio non parere, quorum causâ potissimùm sit indictum. Si idoneas ob causas illud non habent pro legitimo, veniant in Concilium, & causas eas cur suspectum habeant, promant. fore enim vt audiantur. si tunc videantur affici iniuria, posse tum demum recusari. alienum verò esse à viris probis, suopte ingenio duci ad suspicandum ea, quæ minime apparent, & coniecturam faciendo de ijs, quæ nusquam sunt, rerum futurarum molestias animo ante capere. Ad ea Protestantes, se non de futuris loqui, sed de anteactis: ipsorum religione à Pontifice, Pontificijsque clientibus, iam olim damnata, & in professoribus eius acerbissimè vindicatá. quamobrem non esse cur iudicium expectent, cuius euentum iam ante viderint. Aequum igitur esse, vt in Concilio ab vna parte stet Pontifex cum sectatoribus suis, siue Germanis, siue alijs; alteram vero partem constituant Protestantes. tum de modo procedendi atque ordine, arbitrium sit penes *Cæsarem*, Reges ac Principes; sed ipsa controuersia ex puro puto Dei verbo dijudicetur.

Pacem cuiusmodi Protestantes petunt, Cæsar non concedit.

Cuius generis Concilium protestantes postulant.

Neque verò ab ea sententia dimoueri poterant, etsi *Griniano*, *Galliæ* Regis Oratore vehementer Regis sui nomine eos obsecrante, vt Concilium approbare vellent, & interdum verba minacia ad terrorem inferendum adhibente; quæ, scilicet, illius Regis ministri, Pontificiæ causæ fautores, discedenti è *Gallia* legato dictauerant. Cæsarei autem, quò Protestantes haberent Concilio fauentiores, de eo in *Germaniam* transferendo proponunt, *Cæsare*, omnes ingenij neruos, vt Pontificem in eam sententiam pertrahat, intendere recipiente. Et quidem huic propositioni assentiuntur Protestantes; sed ea lege, vt, dum id impetratur, pax interim firma constituatur. Sed *Carolus Imperator* Pontificem nunquam assensurum certus, videbat ea via pacem illis dari perpetuam; eoque longe esse melius pace adusque proximum conuentum concessa, omnia in medio relinquere: quò eum adigebat necessitas, quòd inducias cum Turcis nondum pepigisset, à quibus ille bellum magis reformidabat. Deinde per occasionem colloquij quod instituerat, præuidebat non defuturas in posterum rationes, quibus ad assentiendum Tridentino Concilio constringerentur,

Protestantes Grinianum Oratorem Gallum non audiunt.

Cæsaris propositio de Concilio in Germaniam transferendo: cui nulla spes Pontificem assensurum.

gerentur, aut si recusarent, in eos tanquam contumaces bello decerneretur. Itaque IIII. Augusti finem Ordinum conuentui facit, & in mensem Ianuarium anni sequentis *Ratisbonæ* alium indicit, cui Principes ipsos, nisi valetudine detineantur, interesse cupiat. Etiam colloquium doctorum hominum conciliandis religionis dissidijs instituit, ex quaternis vtrinque doctoribus, qui collocutores sint, & binis iudicibus: idque Decembri mense inchoandum, vt ad conuentum Ordinum instructiores rebus ante bene præparatis veniant. Tandem superiorum annorum pacis edicta confirmat, & renouat: & modum pecuniæ in bellum Turcicum colligendæ præscribit. De progressu colloquij suo loco dicendum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Decretum Wormaciense, quo Conuentus Ratisbonam indicitur: & colloquium interim instituitur.

Protestantes *Wormacia* discedentes libello edito profitentur se *Tridentinum* pro Concilio non agnoscere, quod in *Germania* non sit congregatum, prout *Hadrianus* & *Cæsar* receperint. Neque promissi fidem præstare nisi iocularitèr electione *Tridenti*, quod, oppidum *Germaniæ* nulla ratione dici debeat, nisi forte, quia Tridentinus Episcopus Princeps sit Imperij; sed quod ad securitatem attinet, esse in *Italia*, & Pontifici non minus obnoxiam quam ipsam *Romam*. Neque se illud pro legitimo Concilio habere, in quo præsideat *Papa Paulus*; vbi per ipsius Legatos omnia proponuntur; in quo Iudices ipsi iureiurando ei obligantur. contra Papam institutam esse litem, eoque, cum litigator sit, iudicem esse non debere. Agendum prius fuisse de modo habendi Concilij, & de autoritate, cui innitatur.

Protestantes scripto profitentur suam à Concilio Tridentino alienationem.

Sed *Tridenti* iuxta ac *Romæ* odiosum fuit *Cæsaris* Edictum, tum quòd Princeps secularis causæ religionis sese immiscuerat: tum quod, etiamsi Concilium iam impenderet, ad aliud tribunal religionis controuersiam amandasset, Concilio veluti exauthorato. Tridentini Præsules vno omnes ore Edictum Cæsaris damnabant, Spirensi deterius affirmantes, Pontificis patientiam admirati, qui in illo se acrem & rigidum præbuisset, hoc verò etiam post indictum Concilium & congregatum tolerasset: claro, vti colligebant, argumento, moram, quæ fieret Tridenti, esse inanem, atque ipsis parum honorificam. Legati quidem quà poterant consolabantur eos, & persuadebant omnia à Pontifice ad bonum finem *Cæsari* permitti. Illi contra, affirmabant, quicumque esset finis, aut quicquid inde sequeretur, indelebilem labem & maculam non Pontifici solùm, sedique Apostolicæ, sed Concilio & Ecclesiæ imprimi. Neque fas eorum querelis resistere, adeò importunis precibus discedendi facultatem efflagitabant, alijs negotiorum molem & necessitatem; alijs corporis imbecillitatem, inualetudinemque causantibus. Et quamuis Legati abeundi gratiam nemini faciebant, præsumpta tamen spe veniæ nonnullis cotidie facessentibus, sub finem Septembris rari admodum permanserant. Itaque *Romæ*, vtcumque ex legatione Cardinalis *Farnesij* id futurum præuidebant; tamen postquam accidisset, in eam curam solicitiùs inuigilatum est. Videbant scopū *Cæsari* propositum à Pontificis mente longissimè abesse. Cæsarem enim, qui suspensa atque dubia omnia tenebat, apud Germanos rem factam habere; spe facta Protestantibus, si vellet, ne Concilium aperiatur, se curaturum: ijsdem rursum iniecto metu, se, quando commodum videbitur, Concilium contra ipsos aperturum. Et quidem certe nouas ille identidem occasiones ministrabat rebus in ambiguo retinendis, aut in longum extrahendis; interdum etiam proposita Concilij in alium locum translatione, nominatim in *Italiam*, aut ipsam *Romam*, quò Pontificem & Præsules Italos proposito suo haberet fauentiores, atque ad res procrastinandas paratiores.

Cæsar ob Edictum Wormaciense apud Tridentinos Patres male audit, iuxta ac Romæ.

Præsules Tridentini abitionem cogitant.

Cæsar de Cōcilio omnia vult esse suspensa.

Pontifex verò in has angustias adductus, nonnunquam decessorum institutum probabat, qui sentiebant Concilium omnino non esse conuocandum, & vecordiæ sese damnabat, qui in hoc negotio eo vsque processisset. ille tamen secum reputabat absq; grauissima offensione ac periculo se nō posse animi sui mentem prodere, & exiguum illum, qui *Tridenti* conuenisset, coetum dissoluere. certè liquidò perspiciebat, hæresibus extirpandis Concilium non esse, quemadmodum ille olim rebatur, vtile remedium; sed armis, aut hæreticæ prauitatis Inquisitione, id Italiæ bono longè meliùs efficiendum: quorum vtrumque Concilij expectatio iam remoretur. Etiam *Germaniæ* rebus Concilium magis officere quam prodesse videbat. Adhæc dubitare coeperat vtrum celebrando Concilium *Cæsari* dimidiata pars fructuum & Clientelarum

Pontifex, quid de Concilio statuendum habeat, animi anxius.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

rum è monasterijs *Hispaniæ* concedenda esset, prout animo designarat, nec ne. nisi faceret, *Cæsarem* sibi infensum expectabat: si faceret, alieniores à se Sedeque Apostolica in Concilij actionibus Præsules Hispanos, quod ipsorum esset, in alium conferri iniquo animo ferentes. Præterea, tum Regni Neapolitani Antistites ægerrimè laturos decimas soluere, & Concilij simul sumptus sufferre: tum *Galliæ* Præsules ijs accessuros, odio magis Imperatoris, quàm in ipsos caritate. Itaque de translatione Concilij coepit cogitationes capere, modò in *Germaniam*, quòd in conuentu *Wormatiensi* dudum agitatum meminerat, non transferretur. Huic enim rei nullis se conditionibus assensurum, ne centum obsidibus datis, aut totidem pignoribus interpositis, asseuerabat. sin verò in *Italiæ* locum aliquem penitiorem, magis feracem, opportunum, atque securum transferatur, tum omnia incommoda declinari posse credebat, quibus Concilium in præsentia esset obnoxium, quod pessimo rerum statu infinitis ac perpetuis detrimentis obuium velut, ad anchoras stabat, de die in diem subducendum. sed huic potissimum malo quod iam immineat, translationem mederi, quòd, cum ad eam temporis interuallum aliquod necessariò requiratur, futurum sit, vt in vnum idemque tempus Concilium Tridenti, & colloquium in Conuentu Ordinum Imperij religionis causa non concurrant: quorum vtriusque successus cum in incerto sit positus id permittere pessimi esse exempli, Sedique Apostolicæ tum periculosum, tum parum honorificum. Etiam translationem, Præsulum omnium desiderijs, qui facessere *Tridento* aueant, maiorem in modum satisfacturam. Istam Pontificis deliberationem quò Legati suo sibi tempore exequerentur, misit ad eos Diploma translationis datum XXII. Februarij, de quò paulo ante meminimus.

Bullam facultatis transferendi Cõcilii, Tridentum mittit.

Nec tamen hæ cogitationes aut totum Pontificem, aut adeò eximiè distinebant, vt non animo magis defigeretur in *Parmæ* & *Placentiæ* iure hæreditario in filium suum conferendo; quod quidem *Cæsari* pridem communicatum sub finem Augusti reddidit effectum: famæ prodigus, omnibus, interea dum de reformando Clero Ecclesiæ Comitia habentur, ipsum Cleri apicem, in filium damnabili copula editum principatus effundere indignantibus. Atque id facinus, vtcunque Cardinalium Senatui inuidiosum videretur, solum tamen *Ioannem Dominicum de Cupis* Cardinalem *Tranensem* cũ paucis aliquot habuit refragatores. Actioni quidem *Ioannes Vega Cæsaris* apud Pontificem Orator adesse recusauit; eandemque *Margarita Austriaca*, nepotis vxor parum gratam habuit: quod in maritum suum principatus eos vellet collatos, sibique nihil partum, sed *Camerini* ducatus titulum ademptum doleret. Ex eo Pontifex ad res Concilij animum conuertens, & difficultatibus ijs extricare se cupiens, quibus expositum erat, dum nec apertũ, nec clausum, sed Cæsaris vtilitatibus aduersum se opportunum permaneret; decreuit Episcopum *Casertanum* ad Imperatorem ablegare, qui illi ipsius nomine proponeret Concilij vel apertionem, siue inchoationem, vel ad tempus suspensionem, vel si id minus placeret, in *Italiam* translationem, vt honesto eo colore colloquio in Conuentu Ordinum futuro idoneum tempus concedatur; nisi quid aliud ipse malit, quod Ecclesiæ sit minus indecorum ac periculosum, quàm quod iam fiat, Concilio pendente, & Legatis Patribusque ridiculè otiosis.

Paulus P. P. famæ prodigus, Parmâ Placentiaque in filium collatis, omnium Ordinum odio flagrat.

Nuncius à Paulo de concilio acturus ad Cæsarem mittitur.

Ea quoque Legatio in varias incurrit difficultates. *Cæsar* enim cùm decreuisset neque suspensioni Concilij, neq; translationi assentiri; apertionem verò rebus etiam suis incommodam animaduerteret, nullum è tribus propositis penitus recusauit; sed quòd ipsi nihil aliud occurreret proponendum, varia incommoda omnibus, quæ Legatus proposuerat, objiciebat. Circa medium tandem Octobrem temperamentum reperit, nimirum, vt Concilium aperiatur, atque agatur de reformatione; doctrina verò atque hæreseon tractatione supersedeatur, ne Protestantes magis exasperentur. Qua re ex Nuntij literis intellecta, Pontifex intimis angebatur sensibus; conspicatus, inde victas Lutheranis manus dari, se verò authoritate sua spoliari: cui pendendum sit ex colloquio & Imperij comitijs, quibus de religione tractatio permittatur, cùm Concilio ea ipsi interdicatur. cæterùm ipsius vires sic debilitari, suis omnibus reformatione, quam intuant, perculsis; Lutheranis contrà robur & animos addi, toleratis, aut certè non damnatis eorum hæresibus. Itaque cum cerneret

Cæsar ab Nũcio nomine Pontifici. proposita non probans, aliam ei rerum expediendarũ rationẽ offert.

Ea vicissim Pontifici displicet.

ret fines sibi ac *Cæsari* propositos adeo pugnare ex diametro, vt conciliationis vix spes aliqua superesset, animi sui sensum celandum, atque vtilitatibus suis inseruiendum ratus, dissimulata ea, quam ex responso *Cæsaris* ceperat, offensione, continuò ad *Casertanum* rescribit; se, quò voluntati Imperatoris satisfaceret, decreuisse, primo quoque tempore Concilium aperire, & præcipere, vt actorum Concilij fiat initium; atque vt liberrimè, debito modo & ordine procedatur. Idque à Pontifice verbis ideo generalibus scriptum, ne palam faceret, quid primùm, quidue deinceps esset tractandum, quidque plane omittendum: quamuis ipse apud se constituisset, res religionis & fidei primùm ac præcipuè disceptandas esse, & rationem, si fortè aliquam reddere cogeretur, in promptu haberet, rem esse nunquam antehac vsitatam, atque cum existimatione sua ac Concilij plane pugnantem, de sola reformatione tractationem instituere. Quamobrem die vltimo Octobris de Senatus Cardinalium assensu scriptis *Tridentum* literis iubet, vt XIII. Decembris Dominica *Gaudete in Aduentu* Concilium aperiatur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Ad aperiendum tamen Concilium Pontificem impellit.

Quod exeunte Octobri aperiri iubet.

Ad hunc nuntium Tridentini Antistites ingentis lætitiæ manifesta signa dedere, superiorum temporum ignominia se defunctos arbitrati, quòd tam diutinam *Tridenti* moram absque vllo operæprecio fecissent. Verum id gaudium ne solidum esset, obortæ statim difficultates effecerunt, *Galliæ* Rege Antistites suos, qui solummodo tres erant, per literas in *Galliam* reuocante. Id Legati periniquo animo ferebant, quasi luculento indicio esset, *Galliæ* Regi atque regno Concilium non probari. Itaque omnes consiliorum machinas adhibent ad discessum eorum præpediendum. Alio rerum statu id à Rege mandatum dicunt: nunc verò alias literas expectandas, cognitis rebus præsentibus. Maximum inde scandalum oboriturum, & summam apud alias omnes gentes offensionem. Cardinalis etiam Tridentinus cum Præsulibus Hispanis ac Italis contra discessum ipsorum attestabantur. vnde is modus tandem adhibitus, vt solus Archiepiscopus *Rhemensis* abiret, qui Regem de Concilij statu faceret certiorem; alteri duo subsisterent; quod consilium Rex quoque re comperta probauit.

Præsules Galli de mandatu Regis sui domuitionem parant: è quibus vnus tantum dimittitur, duo manent.

Postremo die Nouembris, cum tempus aperiendo Concilio præstitutum appeteret, Legati, quod intelligerent ad tuendam sedis Apostolicæ authoritatem, diploma quod apertionem præciperet, legendum atque in tabulas publicas referendum, *Romam* dant literas ad Pontificem quanta potuit festinatione, vt tempori veniret. Et quidem, postquam XI. Decembris responsum cum diplomate accepissent, Legati in diem sequentem ieiunium & supplicationem indixerunt; factaque Præsulum omnium conuocatione, lectum diploma: ac de iis, quæ proxima sessione agenda erant, consultatum. Atque hîc Episcopus *Asturicensis* comiter monuit legendum in eo cœtu diploma quoque Legationis, quo Pontifex Legatis suis potestatem facit in Concilio præsidendi, vt eius agnitio esset, veluti aperta obsequij & submissionis ab vnoquoque sedi Apostolicæ debitæ confessio. Neque fere quisquam aderat, qui non id postulatum valde probaret. Legatus tamen *sanctæ Crucis* quò ista postulatio tenderet accuratiùs expendens, simulque reputans periculum esse, ne euulgata Legatorum potestate, certis eam limitibus cuperent circumscriptam, quamdiu vero reticeretur, ad libitum occasionibus accommodandam, subitò respondit, in Concilio Episcopos omnes vnum corpus constituere, neque minus necessarium omnium Antistitum diplomata inspicere, etiam eorum qui deinceps venturi essent, quod infinitum esset, vt eorum ab Sede Apostolica institutio ac potestas appareat. qua quidem responsione cùm omnium postulationi satisfecit, tum Legationis suæ dignitatem, in hoc inprimis positam, quòd nullis esset terminis definita, conseruauit.

Bulla Pontificia de Concilio aperiendo Roma Tridentum mittitur, & legitur palam.

Legati Bullam legationis, Patribus licet id flagitantibus legi non sinunt.

Ventum tandem ad XIII. Decembris diem, quo, *Romæ* Pontifex Iubilæo veniarum diplomate promulgato, exposuit, indictum à se Concilium sanandis vlceribus, à malesanis impiisque hæreticis in Ecclesiam inuectis: hortarique singulos, ad Concilij Patres piis precibus apud Deum adiuuandos: idque quò efficaciùs maiorique cum fructu fiat, agnoscenda omnibus peccata, triduum totum ieiunandum, atque eo supplicationes decernendas, & sanctissimum Sacramentum recipiendum,

Romæ Iubilæum diploma ob apertum Tridenti Concilium promulgatur.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

delictorum veniâ, omnibus, qui ad eam normam vitam suam instituerint, concessa. Eodem die Legati Episcopis XXV. indumentis Pontificalibus ornatis, tum Theologis, clero, populoque, tam peregrinis quàm incolis comitati, supplicationem solemnem ab Ecclesia Sanctæ Trinitatis, adusque primarium oppidi templum habuerunt: cumque eò ventum est, Cardinalis *Montanus* princeps Legatus, rem diuinam *Missâ*, quæ vocatur *Sancti Spiritus*, peregit, Episcopusque *Bitontinus* copiosam & elegantem habuit orationem. Ea finita, Legati admonitionem satis prolixam de scripto recitant ad Patres, cuius hæc summa. Quandoquidem tradita sit ipsis Præsules in decursu Concilij ex occasionibus admonendi prouincia, æquum esse in primo consessu eam rationem auspicari: sic tamen, vt omnia quibus alios erudiunt monita, ad sese cum primis pertinere intelligant, qui eadem cum ipsis conditione sint. Tribus igitur de caussis Concilium haberi; ad hæresim extirpandam, Ecclesiæ disciplinam in integrum restituendam, & pacem recuperandam. Ea vero præstari non posse, nisi ordo Ecclesiasticus vero internoque sensu afficiatur, triplicis huiusce calamitatis culpam in se potissimùm coniiciendam. Hæreseon, non quòd eas excitarint, sed quòd officiũ non fecerint in salutaris doctrinæ semine iaciẽdo, & enascẽte zizania euellẽda. Morum vero corruptelam esse adeo manifestam, vt omnes hoc intelligant, Clerũ & Pastores non corruptos modo, sed corruptores. Ob eas verò religionis & disciplinæ neglectæ caussas, tertiam à Deo plagã immitti, bellũ, foris Turcicum; domi ciuile & Christianum. Nisi ergo syncerè & ex animo delictũ suum quisq; agnoscat, frustra Concilium haberi, & frustra Spiritus S. gratiam implorari. Iustum esse Dei iudicium, qui ad hunc modũ ipsos verberet; sed pœnam esse mitiorem quàm pro merito. Istam verò Dei iracundiam agnitione delictorum mitigandam, imitandaque *Esdræ*, *Nehemiæ*, & *Danielis* exempla, qui sua suorumque peccata sunt professi. Magnum videlicet esse Dei beneficium, qui inchoandi Concilij dedit occasionem, vt Ecclesiæ damna restaurentur. Et quoniam non defuturi sint, qui præclaris conatibus sese opponant, pro ratione muneris sui hoc constantius esse pergendum: & quia Iudicum personam sustineant, ne quid dent affectibus cauendum, soliusque Dei gloriæ inuigilandum; Deo, Angelis, atque Ecclesia vniuersa in illius cœtus actiones attentis. Episcopos tandem ab Regibus ac Principibus missos monuerunt, vt illorum mandata fideliter ac diligenter procurarent: sed diuino cultui alia omnia posthaberent. His peractis tria leguntur diplomata, vnum de Concilij indictione datum anno M.D.XLII. alterum de Legatorum designatione, & tertium de Concilij apertura, quod in congregatione antea fuerat lectum. Tum *Alphonsus Zorilla Didaco Mendozæ* ab Epistolis, mandatum Imperatoris, quod ipse *Didacus* iam ante Legatis exhibuerat, denuo profert, vnà cum eiusdem literis, quibus absentiam suam per inualetudinem excusat. Legati respondent excusationem, quæ caussa sontica niteretur, admittendam. Mandato verò licet antea esset responsum, ad spam tamen Cæsareæ Maiestati reuerentiam testandam, paratos se illud iterum inspicere atque expendere, quo deinceps ei respondeatur.

Et Tridenti à Patribus supplicatio solemnis habetur.

Legatorum ad Patres Tridentinos commonitio.

Sessio I.

Ritus solemnes in hoc & cæteris Consessibus adhibiti.

Post hæc qui aderant omnes genibus pronis supplices, iuxta ritum libro Rituali Romanorum præscriptum, voce primùm submissa orant, sicut in consessibus fieri solet; deinde publicam precationem concipiunt *Adsumus Domine* &c. *Sancte Spiritus* &c. Præside Concilij alta voce reliquorum nomine præeunte. Decantatis dein Litaniis Diaconus legit Euangelium, *Si peccauerit in te frater tuus.* tum Hymno, *Veni creator spiritus*, item decantato, atque omnibus suis locis considentibus, Cardinalis *Montanus* Decretum ipse pronunciat interrogationis forma, sciscitatus, *Placeretne Patribus ad Dei gloriam, hæresum extirpationem, Cleri & populi Christiani reformationem, & hostium Christiani nominis extinctionem, decernere & declarare, sacrum Tridentinum & generale Concilium, incipere & inceptum esse.* Cumque omnes, Legati primùm, deinde Episcopi, tum reliqui Patres respondissent, *Placet*, iterum percunctatus est, *Cùm proxima sit celebritas Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & subsequantur aliæ festiuitates labentis & incipientis anni; placeretne primam futuram sessionem habendam esse septima die mensis Ianuarij?* cunctisque *Placet* respondentibus, *Hercules Seuerolus* Concilij Promotor, iussit Tabellionem publicum id in acta redigere.

Postremò

Postremò cantatur Hymnus, *Te Deum Laudamus*, & Patres depositis infulis Pontificalibus, resumptoque habitu vulgato, Legatos ad sua deducunt, Cruce prægestata. Hos ritus, quòd in cæteris consessibus adhibiti sint, commemorandos hoc loco duximus, vt deinceps eos repetere necesse non sit.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Germani atque *Itali* quid in primo hoc consessu, qui in tam multas incurrerat difficultates, actum esset, auebant cognoscere: Præsules verò, eorumque familiares qui *Tridenti* tum aderant, in se receperant, amicos suos facere certiores, quid illic rerum gereretur. Itaque ab ipso statim consessu exemplaria cùm admonitionis per Legatos, tum orationis per Episcopum *Bitontinum* factæ, quaquauersum volitant, & deinde typis committuntur. De quibus cuiusmodi fuerint hominum iudicia distinctiùs vt intelligatur, necesse est orationis illius capita summatim commemorare. Orationem suam exorsus est proposita Concilij necessitate, quòd à celebratione Concilij Florentini C. anni intercessěrint. neque alibi quàm in Concilio arduæ & difficiles de Ecclesia quæstiones agitari commodè possint. Quòd in Concilijs fidei Symbola sint facta, hæreses damnatæ, mores emendati, nationes Christianæ vnitæ, ad terram Sanctam recuperandam exercitus conscripti, Reges & Imperatores solio deturbati, & schismata extincta. Idcirco à Poetis Deorum Concilia decantata: & à *Moyse* proditum scripto, Decretum de homine creando, & de Gigantum linguis confundendis, voces fuisse Conciliorum. Religionem tribus constare, Doctrina, Sacramentis, & Charitate: hæc omnia Concilium flagitare. Corruptelas in singula horum inuectas: ijs restaurandis Papam *Imperatoris*, *Galliæ*, *Romanorum*, *Portugaliaeque Regum*, aliorumque Principum Christianorum fauore subnixum, Synodum indixisse, & Legatos mandasse. Tum longissima excursione in Papæ laudes facta, atque alia paulo breuiore in commendationem Cæsaris: Cardinalium etiam Legatorum singulis laudandis sumptâ à nominibus & cognominibus ipsorum commendandi materiâ, subiunxit, quandoquidem Concilium iam sit conuocatum, ad id, tanquam ad *equum Troianum*, omnibus esse confluendum. Dein Syluas & nemora *Tridentina* inuitat ad personandum non tota modò vicinitate, sed per totum terrarum Orbem, vt cuncti huic se Concilio submittant. Nisi faciant, tum meritò ijs exprobrandum, Papæ lucem *venisse in mundum, homines verò tenebras magis quàm lucem dilexisse*. De *Imperatoris* absentia, certe de *Didaci Mendozæ* Oratoris, qui eum saltem referret, valde indoluit. Cardinali verò *Madrucio* sortem eam gratulatus est, quòd in ipsius ciuitate Pontifex Patres vagos ac palantes congregasset. Ad Præsules conuersus dixit, non aliud esse aperire ianuas Concilij, quàm aperire portas Paradisi: vnde aqua viua descendat ad terram scientia Domini exsaturandam. Patribus itaque de emendatione solicitis cor aperiendum velut terram aridam ad irrigationem eam accipiendam. Si id cordi non habeant, *Spiritum Sanctum* nihilo minus aperturum illis os, sicut *Caiphæ* & *Balaam*, vt errante licet Concilio, Ecclesia sancta non erret, vtcumque illorum mentibus seductore Spiritu plenis. Ponendos etiam affectus, vt vere ab ijs vsurpari possit, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*. *Græciam*, *Galliam*, *Hispaniam*, & *Italiam*, aliasque orbis Christiani nationes ad solennes has nuptias inuitauit. Ad *Christum* tandem oratione versa, per intercessionem *B. Vigilij*, Tridentinæ vallis patroni Tutelaris, eum precatus est, vt Concilio fauere dignetur.

Capita orationis Episcopi Bitontini summatim recitantur.

Legatorum monitio pia, Christiana, modesta, Cardinalibus non indigna ab omnibus habita fuit: sed de Concione Episcopi longe diuersum fuit hominum iudicium. Vanitatis & ostentatæ facundiæ omnes hominem insimulabant: sed rerum periti verba Legatorum cum Episcopi dictis componentes, pugnantia dici reperiebant, & sententiarum alteram piam, alteram impiam existimabant. Verè enim & candidè à Legatis dictum, frustra inuocari Spiritum Sanctum, nisi animo syncera admissorum agnitione prius perpurgato. Episcopum contrà sentire, Spiritum Sanctum aperturum illis os, quibus Spiritus nequam cor ipsum possideat. Arrogantiæ etiam tributum, quod affirmaret, paucis qui aderant Præsulibus errantibus, vniuersam errare Ecclesiam, quasi non errassent Concilia ex DCC. Episcopis conflata; quorum tamen doctrinam Ecclesia repudiauerat. Nec deerant, qui negarent

Longe diuersa hominum de Legatorum commonitione, & Episcopi Bitontini oratione iudicia.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

id consonum esse Pontificiorum doctrinæ, qui Pontifici tantùm infallibilitatem concedunt, Concilio autem non nisi confirmationis Pontificiæ vigore. At Concilium æquiparare *equo Troiano*, machinæ fallacissimæ, atque insidiosissimæ, hominis putabatur parum prudentis, certè parum religiosi atque irreuerentis. Denique verba sacræ Scripturæ in alienum sensum detorquere, & quod de Christo doctrinaque ipsius dicitur, *Lucem à Patre venisse in mundum, homines verò tenebras luci prætulisse*, aliorsum rapere, tanquam Concilium, concilijque doctrina sit lux Pontificis orbi affulgens; quæ nisi recipiatur, tum vt merito dicatur, homines tenebras præ luce dilexisse, ista sanè homines iudicabant blasphemiam sapere, & ipsis sacræ Scripturæ verbis parcitum mallebant, ne quàm parui eam duceret, tam apertè proderet.

Legati qua forma in Cōcilio procedēdum esset nescij, de ea re Pontificis voluntatem perquirunt.

Inchoato in hunc modum *Tridenti* Concilio, neque Antistites, neque ipsi Legati Cardinales quid agendum esset satis intelligebant, aut quis modus in agendo tenendus. Itaque literas ad Pontificem Legati dederunt, ex quibus ille quid actum esset, cognosceret; atque ipsi vicissim quam ille animi mentem haberet, perspicerent; quas omnibus prope membris dignas attingi duximus. Significant primùm consessum proximũ postridie festi *Epiphaniæ* habendum: atque eum diem, neq; nimiæ festinationis, neque nimiæ procrastinationis, iure arguendum. Dari interim Pontifici satis idoneum temporis spatium ad significandum quomodo se gerere debeant in reliquis consessibus: quod factum vnicè cupiant. Et quoniam non modò singulis diebus, sed horis multa occurrant, de quibus cum ipso deliberandi, aut ab eo responsionem expectandi locus non sit, ideo se mandatum, quantum posset, speciale deposcere: In primis verò quo modo aut forma sit procedendum scire cupere? quæ proponenda, quæ statuenda? De rebus verò in Concilio tractandis, an à causis hæreseos sit incipiendum? & in his, vtrum vniuersim, an in specie, damnanda hæreticorum doctrina: an etiam hæretici nobiliores, an vtrumque? An Præsule aliquo articulum reformationis proponente, quem omnes vehementer expetant, is vnà cum articulo religionis tractari debeat, an antea, vel etiam post? Vtrum à Concilio populis & nationibus sit denunciandum iam cœptum esse, Principibus & Præsulibus eò inuitatis; ac fidelibus omnibus, ad vota pro fœlici eius successu facienda excitatis? an vero Pontifex pro suo munere id sibi velit assumere? Si à Concilio vel literæ sint scribendæ, vel ad literas scriptas rescribendum, quâ formâ, quoue sigillo sit vtendum? Item in decretorum extensione quæ forma sit adhibenda? Vtrum agnoscendum, an dissimulandum colloquium in *Germania*, & Ordinum Imperij conuentus? In procedendo, tam in consessibus constituendis, quàm in materia proponenda, festinatò an cunctanter sit pergendum? Significant, Præsulum nonnullos existimare suffragia per nationes colligenda: sese verò eam viã seditiosam ducere, & factionibus concitandis. *Italos* enim, qui & numero sint superiores, & sedi Apostolicæ magis addicti, quàm aliæ nationes, caussæ Pontificiæ nihil momenti allaturos, si paucorum *Gallorum*, aut *Hispanorum*, aut *Germanorum* suffragium tanti sit ponderis, quàm omniũ ipsorum. Subodorari etiam, propositum esse nōnullis, de Concilij ac Pontificis potestate cōtrouersiã mouere: quod quidē periculosũ videatur ad schisma inter ipsos Catholicos concitandum. Idque eò magis metuendum, quod in Congregatione XII. Episcoporum, vnanimiter omnes diploma facultatum Legatis à Pontifice concessum auebant inspicere; atq; id non nisi insigni artificio fuisse declinatum: neque adhuc intelligi, quomodo sit accipienda, aut quosque valere debeat ipsorum in Concilio præsidendi authoritas. Postulabant denique, vt equi celeres certis interuallis *Tridento Romã* disponerentur, vt singulis diebus atque horis internuncij ex occasionibus vltro citroque possent commeare. Item, vt de ratione præcedendi inter Principum Oratores aliquid decerneretur, & de pecunijs porro mittendis, quando bis mille aurei ante aliquot dies missi, in subsidium tenuium Episcoporum essent depensi.

In Congregatione diei XVIII. quid actum.

Hîc Præsules impensius instare, vt agendi fieret initium. Ea propter Legati, tum vt ipsis satisfacerent, tum ne otio torpere putarentur, ad diem XVIII. congregationem instituunt: qua tamen non aliud propositum, nisi de vitæ formula, vt sobriè viuant Episcopi, & famulos in officio contineant: multa dicta contra consuetudinem

Ro.

Romæ inprimis vsitatam, habitum Pastoralem in sacro solùm induendi, cætera secularis hominis vestitum sumendi: luxus in vestibus damnatus, perinde atque squalor & sordes. de ætate quoque ministrorum multus sermo, sed is ad proximam congregationem in diem XXII. reiectus. Interim tempore in huiusmodi ceremonijs moderandis consumpto, conclusum ante omnia necessariam esse animi reformationem. vnumquemque enim, qui sibi ponat ante oculos decorum illud, quod conditioni suæ conueniat, & populi ædificationem, facilè perspecturum, quid in se suaq; familia emendatione indigeat.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Pontifex de Concilio iam inchoato certior factus, è Cardinalibus & Aulicis suis nonnullos designauit, qui *Concilij Tridentini* negotijs incumberent, deque ijs caperent consilia. Communicatis itaque cum his Legatorum literis, ad earum capita in hunc modum responderi iubet. Eum esse rerum statum, vt adhuc constituere non possit de rebus in Concilio tractandis, aut de rerum ordine. Ad Synodum non attinere, Principes aut Præsules *Tridentum* inuitare, multoque minus populum, ad se pijs precationibus adiuuandos. Hoc enim à se diplomate *Iubilæi* abunde cautum: illud vero literis indicti Concilij prouisum. Neque esse necesse Synodum ad aliquem dare literas; quando id per legatos fieri melius possit communi omnium nomine scribentes. Quod decretorum extensionem spectat, hunc titulum præmittendum; *Sacrosancta Oecumenica & Generalis Synodus Tridentina præsidentibus Legatis Apostolicis.* De suffragiorum ratione, probare magis quod illi sentiant, quam vt nationatim ferantur. hanc enim formam nuperam esse, à *Constantiensi Concilio* introductam, deinde à *Basileensi* adhibitam, sed antiquitus minimè receptam: multoque laudabiliorem esse eam, quæ in vltimo Lateranensi obtinuit, quam vti optimam, ac maxime decoram, imitandam censeat ipsis, quibus facile sit exemplo tam recenti, quodque cesserit foeliciter, cuiuis obluctanti os obturare. De hæreticis vero damnandis, rebus inibi tractandis, alijsque quæ literis ipsorum comprehendantur, quid statuendum sit, suo tempore opportunè satis significaturum. interea de more Conciliorum in præludijs esse hærendum. Ipsis, qui Sedis Apostolicæ legati sint, locum eum pro dignitate tuendum, id valde studentibus, vt cum decoro omnibus satisfiat; sed de hoc cum primis laborantibus, vt Præsules honestæ libertatis, & reuerentiæ Sedi Apostolicæ debitæ metas non excedant. Et quoniam horum nonnulli ea premebantur inopia, vt sumptibus pares non essent, misit diploma, quo Antistites omnes Concilij decimarum solutione exemit, ijsdemque fructus omnes atque emolumenta per absentiam percipienda, ac si adessent, permisit. Etiam aureos bis mille dono dedit, subleuandæ Episcoporum egenorum necessitati, licet id publicè innotesceret non laborans; quod crederet, id non posse in aliam partem accipi, nisi vt benignum atque humanum Capitis Concilij in eiusdem membra officium.

Congregatio Cardinalium aliorumque Romæ instituitur, ad consultandum de ijs, quæ Concilium spectant, de quorum sententia Pontifex ad legatorum literas respondet.

Locus hic postulat, tum ob ea quæ iam dicta sunt, tum propter ea, quæ varijs occasionibus sunt infra dicenda, vt rationem ferendorum in Concilio suffragiorum, & eam quæ olim obtinuit, & quomodo ad formam hanc nostris temporibus familiarem peruentum sit, commemoremus. Vnius Ecclesiæ membra in vnum conuenire, ad ea, quæ doctrinam aut disciplinam Ecclesiasticam spectant, Deo aspirante tractanda, vtilissimum esse nemo negauerit; atque ab Apostolis in electione *Matthiæ*, ac VII. *Diaconorum* comprobatum: cui conuocationi apud nos respondent *Concilia Diocesana.* Sin verò è varijs locis ac procul dissitis Christiani cõueniant ad aliquid statuendum, celebre extat actorum Apostolicorum exemplum, cùm *Paulus* & *Barnabas*, alijque è *Syria Hierosolmis* conuenere cum Apostolis, & alijs discipulis, qui tum ibi commorabantur, ad controuersiam de legis obseruatione terminandam. Et quamquam videri possit nouarum Ecclesiarum Gentilium recursus ad Ecclesiam veterem Matrem, vnde fides ad ipsos deriuata (quæ consuetudo primis illis post Christum seculis diu obtinuit, atque ab *Irenæo* ac *Tertulliano* sæpe memoratur; eoque à solis Apostolis, Presbyteris, & fratribus Hierosolymitanis scriptum emanauerit) cùm tamen in eo conuentu non ij solum verba, verùm *Paulus* quoque & *Barnabas* fecerint, Concilium iure dici potest. Atque hoc exemplum secuti sunt, qui

Dissertatio de ratione suffragiorum in Concilio, tam olim, quàm recens recepta.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Concilia Christianorum proximis à Christo seculis, vt affectibus, ita ceremonijs ac formulis vacua, Spiritu S. præside regebantur.

qui successerant Episcopi, omnes Ecclesias Christianorum vnius Ecclesiæ loco, & Episcopatus omnes pro vno reputantes, cuius partem singuli tenebant, non tanquā sibi propriam ac peculiarem, sed ita vt in vniuersum ab omnibus regeretur; singulis tamen in ea Ecclesia regenda potissimùm occupatis, quæ ipsorum curæ speciatim esset demandata: sicut à *D. Cypriano* in aureo suo de vnitate Ecclesiæ libello piè admodùm proditum est. Quoties igitur particularis cuiuspiam Ecclesiæ necessitas exigebat, etiam in ipso persecutionum æstu, qui commodè poterant, in vnum conueniebant, vt incommodis surrepentibus occurrerent. quibus in coetibus, Christo Sanctoque Spiritu Præside, humanis affectibus segregatis, simul ceremonijs & formulis ordinarijs posthabitis, ad solam charitatis normam, quod maximè expediret, consultabant, statuebantque. Temporis vero lapsu, affectuum humanorum illecebris charitati admixtis, cùm illis reprimendis necessarium videretur formulam atque ordinem præscribere, ad vnum aliquem, qui cæteris in Concilio congregatis, aut eruditione, aut vrbis amplitudine, aut Ecclesiæ cui præerat, splendore, aut alia aliqua contemplatione antestabat, prouincia res proponendi, suffragia colligendi, totamque eam actionem gubernandi fuit delata. At posteaquam visum est Deo dare pacem fidelibus, Romanis Imperatoribus Christiana fide imbutis, quòd in doctrina, disciplinaque sæpiusculè pullularent controuersiæ, ambitione, alijsue prauis libidinibus hominum potentum, aut famigeratorum, sed factiosorum excitatæ, natum est aliud genus conuocationum Episcopalium, à Principibus, eorumue Præfectis ad turbas compescendas congregatarum. In his Principes, aut Magistratus, qui Episcopos conuocauerant, ipsi interuenientes actionem omnem gubernabant, proponentes, rerum tractationem moderantes, & controuersias in forma agendi obortas sententijs interlocutorijs determinantes, relicta tamen Patrum suffragijs principalis controuersiæ, quæ Synodo causam dederat, definitione. Atque hanc formam in Concilijs, quorum acta adhuc exstant, cernere est. Huius exemplum adduci possit colloquium inter Catholicos & Donatistas coram *Marcellino*, cum alijs plerisque. Sed vt Generalia tantùm Concilia attingamus, id videre est in Concilio Ephesino I. coram *Comite Candidiano* ad præsidendum ab Imperatore misso; & clariùs in generali *Chalcedonensi* coram *Martino* & Iudicibus ab eo designatis: in *Constantinopolitano Trullensi*, coram *Constantino Pogonato*, in quo Princeps ac Magistratus tanquam Præses imperabat quid esset tractandum, quis ordo seruandus, cui loquendum, cuiue tacendum esset; & difficultates inde nascentes aut terminabat, aut conciliabat. Atque idipsum in Generalibus Concilijs, quorum acta non exstant, factitatum à *Constantino* & *Theodosio* in I. Niceno & II. Constantinopolitano, illorum temporum Historici attestantur. Iis tamen temporibus Principes ac Magistratus non se immiscebant Episcoporum coetibus, à semetipsis conuocatis, in quibus (vti supra dictum est, vnus ex ipsis actioni præerat, & ex communi sententia decretum fiebat. Iam materia, qua de agebatur, quod interdum magnas non haberet difficultates, vno consessu pertractabatur: interdum ob multiplices de ea controuersias, iterum atque iterum agitabatur: vnde in eodem Concilio multæ erant Sessiones, siue consessus. Sed nullus dicis causa habebatur, aut ad ea solùm euulganda, quæ alibi essent disceptata ac digesta; verùm ad singulorum sententias perscrutandas. ita colloquia, discussiones, disputationes, aliaque quæ fiebant, aut dicebantur omnia Acta Concilij vocabantur. Enimuero nouitia est, & antiquitus vix recepta, quæ *Tridenti* iam inualuit opinio, vt Decreta tantummodo Acta sint Concilij, eaque sola publicum aspiciant: cùm apud veteres omnia omnibus communicarentur. Aderant quidem Tabelliones, qui suffragia colligebant. sed si forte ex Episcopis vnus animi sui sensum exposuisset, atque è cæteris nemo homo contradiceret, tum Episcopum illum nominatim non designabant, tantùm scribebant in genere, *Sacrosancta Synodus ait*. Et si idem multi affirmarent, scribebatur, Episcopi acclamarunt, aut affirmarunt: eaque sic dicta, definitionum loco habebantur. Sin in contrarium aliquid diceretur; pugnantes opiniones, nec non auctorum nomina scriptis mandabantur: Iudices vero aut Præsides decidebant litem. Pro humani ingenij imbecillitate quandoque accidebat, vt ab aliquo aliena, nec ad rem pertinentia dicerentur,

Dein Principes Episcopos conuocant, & vel per se, vel Præfectos suos Conciliorum actiones moderantur.

Ita tamen vt Coetibus merè Ecclesiasticis, quos soli Episcopi conuocabant, non se immiscerent.

Acta Conciliorum olim non solum Decreta, sed quæ gerebantur omnia.

tur, sed charitas, quæ fratrum defectus tolerare iubet, facile operimentũ obducebat. Interdũ ex ea prouincia in qua Conciliũ celebratur, aut è vicinis plures accurrebant Episcopi; sed absq; æmulatione, omnibus ad obedientiam præstandam, quàm ad leges alijs præscribendas magis intentis. Porro Imperio Occidentis ab Orientali diuiso, huiusmodi veterum Conciliorum vestigia quædam permanserant in Occidente, & exempla videre licet in *Gallia* & *Germania* sub *Caroli Magni* successoribus, & in *Hispania* sub *Gotthorum* Regibus aliquam multa. Tandem exclusis penitus à rerum Ecclesiasticarum tractatione Principibus, desijt vsum habere hoc genus Conciliorum, & permansit alterum illud solum, ab ipsis Ecclesiasticis conuocatum, quod prope totum in se Romanus Pontifex deriuauit, missis eò, vbi haberi debebat, suis ad præsidendum Legatis; etiam arrogata sibi ante aliquot secula ea potestate, quæ Imperatorum Romanorum fuerat, Concilia ex vniuerso Imperio conuocandi, & vbi coram adesset, per se præsidendi; si abesset, per Præfectum, qui suo nomine præsideret, & negotium omne moderaretur. Vbi verò demptus esset Ecclesiasticis in Synodo congregatis Principis secularis metus, qui eos antea in officio continebat, ipsisque ad secularia & mundana in primis respicientibus (vnde malorum omnium origo) multa ineptè ac parum decenter fierent, occoeperunt res omnes secreto & apud paucos digerere, atque ordinare, quò in publico deinde Consessu decorum melius obseruaretur. atque ea proximis temporibus fuit Conciliorum forma, nimirum, vt præter publicas Sessiones, essent Congregationes paucorum, ad res in formam & ordinem redigendas selectorũ. quod si quando rerũ tractandarum copia implicarentur tum singulis rebus suam quamq; congregationem designabant. Verum, cùm ne id quidem incommoda præuerteret, cæteris, qui his congregationibus non interfuerant, in publico Consessu ob priuatas suorum rationes, repugnantibus, & in contrarium multa obiectantibus, factum est, vt præter peculiares istas congregationes, vna generalis ante consessum haberetur, in qua omnes adessent. Atque hanc actionem, qui de ritu antiquo syncere iudicauerit, Concilij Actum propriè veréque dixerit: siquidem, quæ sequitur Sessio, rem actam agens, nihil addit nisi puram putam ceremoniam. Ante annos centum, aut plus paulò, orta inter diuersarum nationum Episcopos suis commodis intentos, competitione, iis, qui è Prouinciis procul remotis pauci numero aduenissent, se ab aliis, qui prope abessent, numero vinci indignantibus visum est ad æqualitatem constituendam necessarium, vt vnaquæque natio seorsim congregata, suorum suffragiis collectis determinationem institueret: dein non ex singulorum hominum, sed ex plurium nationum suffragiis res in vniuersum definiretur. Atque ea ratio in *Constantiensi* & *Basileensi* Conciliis obtinuit: iis quidem temporibus admodum opportuna, cum vacante Sede, summa libertate omnia gerebantur: sed Tridentinis rebus parum commoda, quæ Concilium Pontifici obnoxium flagitabant. Neque aliam ob caussam Legati Cardinales *Tridenti*, aut Curiales *Romæ*, de forma procedendi, deque qualitate & authoritate Præsidum, adeo impensè laborabant.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

In Conciliis conuocandis & celebrandis solus nunc regnum obtinet Pontifex Romanus.

In quibus variè Congregationes & Sessiones.

Congregatio generalis cuiusmodi.

Suffragia in Conciliis aliquando nationatim lata.

1546.

Cum ad Legatorum literas Pontifex *Roma* respondisset, habita congregatione die V. Ianuarij anno MDXLVI. Cardinalis *Montanus* salute omnibus dicta, ac fausta omnia Pontificis verbis precatus, diploma iam memoratum de Episcopis decimarum solutione eximendis, legendum curat. Tum Legati tres, tribus per vices præconijs, propensam Pontificis erga Patres voluntatem dilaudant. Hispanorum tamen aliqui eam Papæ benificentiam damno magis, quã emolumento esse dicebant, quod eâ semel admissâ viderentur agnoscere, Pontifici fas esse, Ecclesijs tributa ad voluntatem imponere; neque penes Concilium esse, vel ea prohibere, vel eos qui iniuriâ grauantur, oneribus liberare. quæ oratio non solùm Legatos grauiter offendit, sed verbis mordacibus & amarulentis reiecta est. Præsulum alij petiere, vt ea munificentia, non ad Antistites solos, sed ad eorum familiares, atque ad omnes omnino, qui Concilio interessent, pertineret. Ordinum quoque Monachalium Præpositi eiusdem exemptionis ius sibi deberi affirmabant, propter impensas à Monasterijs suis in fratres, quos vnà secum ad Concilium adduxerant, erogandas. *Catalanus Triuultius* Episcopus *Placentinus*, qui ante biduum eo venerat, publicè questus est, se cùm ab

Breue Pontificium de Episcopis eximendis solutione decimarum: quod alii ad se quoque extendi petũt.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Mirandula prope abesset, à viarum insessoribus spoliatum: eoque in Concilio decretum fieri postulabat contra eos, qui Episcopis, alijsue ad Concilium tendentibus molestiam exhiberent. Legatis hoc postulatum cum superioribus illis de decimarum exemptione iunctim expendentibus, quòd viderent quantum Pontificis interesset, Concilium eiusmodi sese rebus immiscere, aut ad suam potentiam ostentandam aliquid edicere; immò hoc ipsum esse, in Ecclesiasticæ Hierarchiæ arcana inuadere, callidè declinanda existimarunt, quasi nouitatem redolentia, & nimium sui studium: cum Pontifice interim se acturos polliciti, vt eorum securitati in posterum prospiceret, & de Præsulum familiaribus ac fratribus curam non negligeret. Sic omnia conquieuerunt.

His præmissis cùm ad actiones Concilij deinde eundum esset, Cardinalis *Montanus*, modum in vltimo Concilio *Lateranensi* cui ipse Archiepiscopi *Sipontini* titulo interfuit, seruatum exponens, refert, quòd eo tempore de *sanctione Pragmatica* Galliæ, de schismate contra *Iulium* II. introducto, & bello inter Principes Christianos ageretur, tres Præsulum designationes factas, qui tria illa pertractarent, vt congregationum singulis in vno solo capite occupatis, singula accuratiùs disceptari possent. Decretis vero in formam redactis, Congregationem generalem habitam, in qua vnoquoque suffragium suum ferente, si quid in ijs decretis esset immutandum, emendabatur in eum modum, vt in Sessione omnia summa concordia & decoro peragerentur. Cum autem in hoc Concilio longè plura ab ipsis essent tractanda, Lutheranis nullum non lapidem ad euertendum fidei ædificium mouentibus; necessarium videri, argumenta diuidere, & singulis discutiendis peculiares congregationes assignare; formandis etiam decretis in congregatione generali mox proponendis, nonnullos seligere. atque vti omnibus liberum sit animi sui sententiam apertè promere, sibi alijsque Legatis esse constitutum, in ea Congregatione proponentis partes solùm sibi sumere, suffragium autem non nisi in consessibus edere. Omnibus itaque cogitandum quæ necessariò tractari debeant, vt post proximum consessum ipsam rem aggrediantur.

Card. Montanus in forma rerum in Concilio tractandarum Concilij Lateranensis exemplum imitandum proponit

Se vero in præsens, modò ipsis ita videatur, proponere, vt in consessu euulgetur decretum, de Præsulum vita *Tridenti* Concilij tempore Christianum in modum conformanda. Quòd verò decretum illud præ se ferebat, hunc titulum *Sacrosancta Synodus*, sicuti *Romà* fuerat præscriptum, Antistites Galli instant addendum titulo, *Ecclesiam vniuersalem repræsentans*: quam opinionem plerique omnes Episcopi assensu suo confirmarunt. At Legati secum reputantes hunc titulum in *Constantiensi* & *Basileensi* Concilijs tantummodo vsitatum; ea vero imitando, & memoriam eorum renouari, & authoritatem confirmari, & fenestram aperiri admittendis ijs difficultatibus, quibus Ecclesia Romana eo tempore conflictabatur: Tum aduertentes, etiam post adiecta ea verba, *Ecclesiam vniuersalem repræsentans*, potuisse nonnullis venire in mentem, quæ continuò sequuntur verba itidem adiungenda (*quæ potestatem immediatè à Christo nacta est, cui vnusquisque, etiamsi Pontificia dignitate, obidire tenetur*,) strenuè sese opposuerunt, & (sicut ab ipsis Romam perscriptum est) expressis verbis obstiterunt; veras huius facti causas Patribus non explicantes, sed ea verba velut turgida & inuidiosa, & ab hæreticis in sequiorem sensum facilè detorquenda, criminati. Egerunt etiam cum singulis primùm astutè, deinde apertè ac libere, professi, se nunquam id permissuros; arcanum animi sui sensum vtique celantes. Motus tamen ille mox quieuit, Gallis licet, & alijs nonnullis in sententia persistentibus.

De Titulo Synodi Decretis præfigendo controuersia.

Suffulciendæ vero Legatorum caussæ non leue adminiculum apportauit *Ioannes Salazar* Episcopus *Lancianus* natione Hispanus; Is primis Ecclesiæ Conciliis propter antiquitatem & Patrum sanctimoniam summopere laudatis, titulum ab illis receptum censuit imitandum. Eum autem esse simplicem, sine repræsentationis, authoritatisue, quæ, quantaue Synodo competat, mentione. Verùm quod continenter subiecit, Legatis non adeo fuit acceptum. Addidit enim illorum exemplo omittendam Præsidum nominationem, nulli è veteribus Concilijs vsurpatam; in *Constantiensi* verò primùm coeptam, mutatis sæpiusculè propter Schisma Præsidibus. quod si imitandum habeant, *Cæsaris* etiam Oratorem nominatim designandum; quod in illo

Præsidum nominatio in decretis Cõcilij, Constantiensi Concilio primùm coepta.

illo *Rex Romanorum*, quique vnà erant Principes nominati. Hunc autem fastum ab humilitate Christiana esse alienissimum. Repetitis dein nonnullis ex oratione, quam Cardinalis *Sanctæ Crucis* XII. Decembris habuit, concludebat, nullam Præsidum mentionem faciendam. Ea propositio Legatos magis quàm superior commouit. Cardinalis tamen *Montanus* subito rèspondit, Conciliorum, pro occasionum, temporumque varietate diuersum esse stylum: anteactis seculis Papam Ecclesiæ Caput semper agnitum, neque à quouis Concilium vnquam ea lege expetitum, vt à Pontifice non pendeat: quod nunc *Germani* nimis hercle impudenter deposcunt. hæreticæ itaque temeritati fortiter reluctandum, Concilioque declarandum, se cum Capite suo Pontifice Romano firmiter esse coniunctos, etiam facta Legatorum ipsius mentione. Sed multis de ea re verbis habitis, cùm videret facilius causam suam deflectendo de via sustentari posse, quàm persuaderi, ad alia transeundum curauit. Ipsum Decreti tenorem omnes probabant. sed cùm ad eam clausulam ventum esset, qua iubentur omnes pro Papa, Imperatore & Regibus vota apud Deum interponere, Antistites Galli instabant Regem *Galliæ* singillatim nominandum. Cardinalis *Sanctæ Crucis* id non improbabat, sed addidit, alios pariter Reges suis locis nomine designandos: quod & longum futurum sit, & propter frequentes de loci prærogatiua contentiones periculosum. Illi contra affirmant Pontificem in suo de Concilio indicendo diplomate, *Cæsaris* & *Galliæ* Regis tantùm meminisse; id exempli ad imitationem proponendum, & vtrumque vel nominandum, vel omittendum. De ea re Legati deliberandum censent, & se singulis satisfactum cupere significant.

Die VII. Ianuarij Præsules omnes more consueto vestiti in domum principis Legati conueniunt, inde Cruce prægestata ad templum oppidi primarium tendunt. Ex agro Tridentino in oppidum trecentos pedites conduxerant, alios hastis, alios sclopetis armatos, cum pauculis equitibus, qui ex vtroque latere viæ publicæ à domo vsque ad templum ordine dispositi stabant. Legatis verò cum suis in templum ingressis, milites in forum congregati fistulas displodunt, & ne quid Consessum interturbet, ibidem excubant. In eo Consessu sedebant præter Legatum & Cardinalem Tridentinum IIII. Archiepiscopi, XXVIII. Episcopi, III. Abbates Congregationis Cassinensis, & IIII. Præpositi Monachorum. ex quibus XLIII. Concilium illud Generale constabat. Ex Archiepiscopis duo erant veluti personati, qui Ecclesias, quarum titulis honoris tantùm ergò à Pontifice ornabantur, nunquam oculis suis viderant, *Olaus Magnus Vpsalensis* in *Suecia* Archiepiscopus, & *Robertus Venantius* Scotus, Archiepiscopus *Armacanus* in *Hibernia*, qui licet oculis parum prospiceret, hominis tamen equis meritoriis expeditissimè iter facientis commendationem meruit. Duos hos Pontifex *Romæ* aliquot annos eleemosyna sua sustentarat, *Tridentumque* nunc augendo numero mandarat, à Legatis pendere iussos. Præter hos XX. Theologi in loco Consessus stabant. Orator verò Regis Romanorum, & Procurator Cardinalis Augustani in scamno Oratoribus designato considebant, & iuxta eos X. è regione circumiecta nobiles à Cardinale Tridentino selecti. Missam celebrauit *Ioannes Fonseca* Episcopus *Castrimarinus*: concionem autem habuit in Missa *Coriolanus Martiranus* D. *Marci* Episcopus.

Missæ ceremonia peracta, Præsules infulati lætanias atque orationes, sicut primo Consessu, concepere. Post eas omnibus considentibus, Episcopus, qui Missam celebrarat, suggestum conscendens, diploma suprà memoratum legit, de procuratoribus absentium ad suffragia ferenda non admittendis: neque alterius meminit, quo Germanorum Antistitum procuratores excipiebantur. Deinde decretum ipsum recitat, quo *Synodus omnes & singulos Christi fideles, in ciuitate Tridentina congregatos exhortatur, in timore Domini ambulare, necnon quotidie pro pace Principum Christianorum, & vnitate Ecclesiæ priuatim orare. Episcopos verò & quoscunque alios in ordine Sacerdotali constitutos, Concilium celebrantes, vt quolibet saltem die Dominico sacrificium Missæ peragere satagant, pro Papa, Imperatore, Regibus, & cæteris, qui in sublimitate constituti sunt, obsecrationes facientes: vt saltem singulis sextis ferijs ieiunent, & eleemosynas pauperibus erogent, sobrietatem in mensa seruent, ac familiares suos instruant atque erudiant.*

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

An de Galliæ Rege in Decreto, æquè ac de Cæsare mentio nominatim facienda controuersia.

Sessio II.

In qua Patres duntaxat XLIII.

Atque ex his nonnulli Archiepiscopi Titulares tantum.

Sessione II. Pontificis diploma de procuratoribus absentium legitur, & Decretum de modo viuendi aliisq; in Concilio seruandis recitatur.

Paulus. 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

ant. Insuper hortatur omnes, atque eos præsertim, qui sacrarum literarum peritiam habent, vt sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimùm vijs & modis hæreses extirpari queant; atque vt in sententijs dicendis in Sessionibus, immodestis vocibus non perstrepant. Quod si fortè contigerit aliquos debito in loco non sedere, aut sententiam proferre, aut congregationibus interesse, nulli propterea præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur. Lecto decreto Patres interrogati respondent, *Placet.* Galli autem asserebant, se titulum eum adeo imperfectum non approbare, sed additamentum illud *Vniuersalem Ecclesiam repræsentans* deposcere. Proximus tandem Consessus in diem IIII. Februarij indictus; Patresque dimissi, posito amictu Pontificali, vestiti vt vulgò, Legatos domum comitantur eodem ordine, quo templum petiere. Idem ordo in reliquis Consessibus seruatus.

Legati in Cõgregatione querimoniam habent de iis, qui in Sessione, loco adeo publico, de titulo Synodi litem mouerant

Post eam Sessionem Congregatio nulla habita vsque ad XIII. diem Ianuarij. *Petrus* enim *Paciecus* Episcopus *Gienensis* in Patrum purpuratorum ordinem nuper assumptus, congregationi interesse discupiebat, quòd in ea prouidendum esset, ne in Consessu vlla, vti prius, euenirent incommoda; sed cùm Româ pileum Cardinalitium expectaret, sine eo publico cœtui vt adesset, ceremonia non permittebat. Congregatione conuocata, Legati de iis quiritantur, qui Consessus die, titulo Decreti se opposuerant; ostendunt, quàm indecorum esset, loco publico opinionum varietates conspici: congregationes idcirco institutas, vt quisque in loco seductiori sententiam suam possit promere, quò deinceps in id quod propalandum esset, omnes concorditer consentiant: neque alia re hæreticos magis consternari, & Catholicos in fide constanter tuenda confirmari, quàm consensionis opinione: Concilio verò nullum titulum adeo conuenire, atque eum, quo Pontifex in diplomate conuocationis, totque aliis vsus sit, Oecumenici & Generalis; cui superuacaneum sit repræsentationis mentionem adiicere. Libros enim refertos esse documentis, ex quibus clarum euadat, quid sit, quidue repræsentet eiusmodi Cõcilium legitimè & indictum, & inchoatum. si opponere pergant, hac via prodere, se de authoritate sua dubios & incertos, & Concilium hoc aliis æquiparare velle, quorum Patres cum se legitima potestate defectos cognoscerent, titulo auctiore, verborumque supplemento defectum eum sarcire pensi habuerunt (*Basileense* & *Constantiense* denotabat) eoque, vti firmum quid tandem statuatur, ad suffragia deueniendum.

Vnde de Titulo controuersia renouatur.

Cardinalis Paciecus suffragari exorsus, dixit Concilium multifariis titulis esse ornatum, quiquidem omnes si singulis occasionibus adhiberentur, præfationem ipso corpore decreti fore verbosiorem. Verùm, sicut Imperatores multorum Regnorum ac ditionum Domini, in edictis suis eum plurimùm adhibent titulum, à quo edictum illud accipit vigorem, & sæpenumero nullo adiecto titulo nomen tantum suum edicto præmittunt: ita in hoc Concilio pro rerum, quæ tractantur, varietate, hoc aut illo titulo vtendum, prout Concilij authoritas fuerit manifestanda. nunc verò, cùm in præparatoriis solummodo versentur, nullum omnino videri necessarium. Post hunc *Episcopus Feltrensis* dixit, Protestantes eiusmodi Concilium deposcere, in quo liceat ipsis suffragium in rebus determinandis interponere. quòd si in Titulo Cõcilium dicatur Ecclesiam Vniuersalem repræsentare, inde statim argumentaturos, omnibus Ecclesiæ ordinibus suffragium in Concilio permittendum. cumque duo sint, Ecclesiasticus & secularis, Ecclesiam debito modo non repræsentari, Laicis exclusis. Sed & illi ipsi, qui in Consessu simplici titulo vtendum putabant, titulum eum supplendum censebant. At *Diui Marci Episcopus* aiebat Laicis admodum impropriè Ecclesiæ appellationem tribui. Canonum enim sanctionibus constitutum, nullam ipsis competere imperandi authoritatem; solam obsequij necessitatem relictam: idque vnum esse ex iis, quæ in hoc Concilio sint decernenda, nempe, secularibus humiliter admittendam eam fidei doctrinam, quam Ecclesia præscripserit, de ea autem minimè disputandum, aut vlteriùs cogitandum. Ea propter vtendum iis verbis, *Synodus Eccl. Vniu. repræs.* vt Seculares intelligant, se non esse Ecclesiam; sed ab illis Ecclesiæ vocem audiendam, eique parendum. Ita multis vltro citroque dictis, hoc modò statutum, vti proximo Consessu, quemadmodum superiore, non alius, quàm simplex titulus adhiberetur.

Ea

Ea re peracta, quòd instarent Præsulum aliquot, vti rem ipsam aggrederentur, Legati vt illorum desideriis facerent satis, de tribus capitibus Pontificis diplomate comprehensis cogitandum proposuerunt, hæresum extirpatione, disciplinæ emendatione, & pacis publicæ stabilimento; quo modo in eorum tractationem ingrediendum, quæ via tenenda, & quemadmodum procedendum: Deumque rogandum, vt lucem omnibus affundat, quò quisque in prima congregatione, quid sui sit consilij aperiat. Exhibita etiam fuere aliquot Episcoporum absentium mandata, quorum excusationibus exanimandis, & in eadem congregatione exponendis delecti Archiepiscopus *Aquensis*, Episcopi *Velitrensis*, & *Astorgensis*.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Legatorum propositio de modo ac via, quâ III. summa rerum in Concilio agitandarum capita tractanda sint.

Die proxima Legati per literas Pontifici nunciant, illam accessionem ad Titulum *Eccles. Uniu. repræs.* adeo esse popularem, gratamque omnibus, vt in quæstionem facile reditura videatur. cupere itaque voluntatem ipsius habere perspectum, vellet ne ipsos in abnuendo persistere, an verò multorum postulatis id indulgere; in decretis potissimùm, quæ maximi sint momenti, vtpote in hæresibus damnandis, & similibus. Deinde, se Præsulum rogatu proposuisse, vt proxima congregatione tractatio generalis rerum essentialium institueretur: tempore tamen idoneo interiecto, quò Beatitudinis suæ voluntas liquidò intelligatur. Nunciant porro Cardinalem *Paciecum* certiorem factum, *Cæsarem* plerisque Episcopis Hispanis, eruditione, vitæque integritate spectatis, præcepisse, vt Concilium adeant. Videri itaque necessarium vt ipse X. vel XII. mittat Antistites, qui cùm ipsi sint fideles, tum alijs dotibus spectabiles; vt augescente Transalpinorum numero, non desint ex Italis, qui doctrina ac probitate præcellentes, non dubitent cum illis congredi. in his enim qui Concilio intersint, & Pontifici optimè cupiant, aut eruditionem, aut prudentiam desiderari. cæteros verò, qui plus alijs sciant, aut sapiant, sensu suo abundare, neque esse satis tractabiles.

Legati per literas tria Pontifici significant, vt de his, quid ille sentiat, intelligāt.

Cùm proxima congregatione XVIII. Præsules conuenissent, quorum opiniones de tribus illis capitibus supra propositis erant exquirendæ, sententijs variatum est, quæ IV. discrepantes fuere. Qui ad *Cæsarem* inclinabant, in hac fuerunt sententia, fidei dogmata nullo cum operæ positæ pretio posse tractari, antequam Pastorum vitia, vnde hæreses prognatæ, commoda reformatione auferantur. Neque enim vnquam fidem adhibitum iri doctrinæ, quam Ecclesiastici, aut de cathedra prædicaturi, aut alibi affirmaturi sint, priùs quàm scandalum desinat, quod ex deformatis deprauatisque Ecclesiastici Ordinis moribus iam inueterauit; omnibus, scilicet, persuasis, in Pastorum facta, non in verba intuendum. Nec ex priscis illis Concilijs exemplum esse capiendum, in quibus vel non ea fuerat, quæ nunc viget, morum corruptela; vel certè, vti nunc, hæresibus non dederat occasionem. Nam, dum emendationis actio protollitur ac procrastinatur, id satis euincere, vitam Ecclesiasticorum esse inemendabilem.

IV. opiniones diuersæ super eo, quid primo loco in Concilio tractandum. I. Cæsareorum, de reformatione agendum.

Ex alijs pauculi aliquot iudicabant à fidei capitibus sumendum initium; deinde ad reformationem morum pergendum. fidem enim esse vitæ Christianæ basim ac firmamentum: à fundamento autem, non à tecto incipere ædificij structuram: immo grauius delinquere, qui aberret à fide, quam qui humanitus in alijs peccet actionibus: ideoque caput de hæresibus extirpandis, in diplomate Pontificio principem tenere locum.

II. paucorum, à fide & doctrina ordiendum.

Tertia sententia fuit, duo hæc capita fidei & reformationis non esse inuicem disiungenda. Nullum enim esse dogma fidei, quod non abusus aliquis suus consequatur: neque abusum quemuis esse, qui non secum trahat dogmatis alicuius sinistram interpretationem, aut sensum sequiorem; quare simul ac semel esse tractanda. Itaque cum ad hoc Concilium omnes oculos conuertant, & rebus fidei, iuxta ac morum, remedia inde expectent, multò meliùs omnibus iri satisfactum, si vtraque iunctim, non per vices tractentur; maximè, quòd à Cardinale *Montano* fuerat propositum, diuersos diuersis rebus tractandis posse designari. Id verò eo magis festinandum hoc tempore, quod Christianis secura pace fruentibus valde pretiosum sit, nec inerti otio perdendum, omnibus, quæ serus vesper impedimenta secum aduehere possit, incertis. In hoc etiam cunctis elaborandum, vt, quò possint, in arctum Concilij tem-

III. doctrinā & mores non disiungendæ.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

tempus contrahant, ne Ecclesiæ diu Pastoribus suis destituantur; tum alijs incommodis deuitandis. quibus verbis innuere putabatur, ea posse interuenire, si Concilium longo tempore continuauerit, quæ Pontifici, Curiæq; Romanæ molestiam allatura sint.

IV. Gallorũ, de pace firmãda præ omnibus cogitandum.

Postremo non deerant nonnulli, & in his Antistites *Galliæ*, qui caput de pace stabilienda primò ac præcipuè tractandum censerent; quique dicerent, *Imperatori*, *Regi Christianissimo*, alijsque Principibus per literas agendas esse pro conuocato Concilio gratias; rogandosque, vti eidem fœliciter continuando pacem velint firmare, & Oratoribus ac Præsulibus missis bene cœptum promouere. Lutheranos etiam scriptis ad eos literis benignè, & pro Christiana charitate inuitandos, vt ad Concilium venire non absistant, & suam cum cæteris Christiani nominis cultoribus coniunctionem testari. Legati omnium opinionibus auditis, & prudentia dilaudata, respondent, quia deliberatio ea esset grauissima, & sententiæ discrepantes, & iam serum diei, se, quod à singulis dictum erat, diligenter consideraturos, atque in prima congregatione capita, vt de ijs statuatur, propositiuros.

Duæ Patrum Congregationes in singulas hebdomadas instituuntur.

Interim statutum vt sine alia indictione singulis hebdomadis bis congregationes habeantur, diebus *Lunæ* & *Veneris*. Archiepiscopus etiam *Aquensis Regis Christianissimi* nomine, à quo literas acceperat, Synodum salutauit; atque ipsum, breui Oratorem, ac multos Antistites è Gallia ad Concilium missurum promisit. ita huic congregationi finis impositus.

Legati orant Pontificem, vt quid suæ voluntatis sit, significet, idq; quia maturato opus sit.

Legati Pontifici significant, se quæ supra commemorata sunt, prætexuisse, ad protollendam rerum propositarum determinationem; veram autem causam fuisse, vt tempus tererent interim, dum ab eo mandata expectantur, quibus ordinem & rationem tractandi ipsis præscribat. Obsecrare igitur denuo, vt voluntatem suam ipsis patefaciat, atque ante omnia id pensi habeat, non esse è re Sedis Apostolicæ Concilium extrahere iam semel apertum, modò contrahi possit. Se necessitate adactos, ad duas congregationes singulis septimanis instituendas, vt Præsules distineant, & res nouas moliendi occasionem illis adimant. Inde verò futurum, vt negotijs hoc magis premantur; eòque non minus esse necessarium, vt *Romæ* ratio ineatur, ad ea quæ proponuntur, non lentè, sicut ante factum est, sed confestim, & sine mora respondendi, & veluti de manu in manum quid peragendum habeant, certiores faciendi: etiam, quæ euentura videbuntur, cogitatione, quantum potest, antecapienda. Et quoniam non semel scripserint, multos inopes Episcopos interesse Concilio, spe ac pollicitationibus, siue Beatitudinis suæ, siue *Cardinalis Farnesij* illectos, iam iterum monere, his esse prospiciendum: totaque via errare, qui putent, eos ita parcè ac tenuiter *Tridenti*, atque *Romæ* sustentari posse. *Romæ* enim, cùm nulla authoritate sint, vitam humilem, & alijs obnoxiam tolerare; in Concilio autem maiores sibi animos sumere, & crescente existimatione, rem quoque auctiorem expectare. Huic rei prouidere si minus pensi sit, longe satius esse loco eos mouere, quàm ibi detinere, vbi tædio & displicentia conditionis suæ laborent. Actionem enim eam ad optatum finem nunquam perducendam, absque sumptu & diligentia.

Atq; vt Episcopos tenues vel pecunia subleuet, vel loco moueat.

Pontifex magis in bellum, quàm in Concilium cogitatione intentus.

Mirum equidem videri possit, Pontificem altissima prudentia virum, & longo vsu, administrandi scientissimum, tam serijs suorum precibus rogatum, duobus capitibus tanti momenti, tamque necessarijs responsum tamdiu distulisse. Verùm Pontificis cogitationes in Concilio magnopere defixæ non fuerant, illæ bellum magis respiciebant, ad quod Cardinalis *Farnesius* anno superiore *Cæsarem* concitarat. Neque verò aut ille continere sese potuit, quin suo se indicio proderet; aut *Cæsar*, vt Concilium procederet, instabat, quandoquidem, quòd iam apertum esset, ipsius proposito satisfaciebat.

Præsules Cæsarei ab reformatione incipiendum contendunt: quibus Legati refragantur.

Iam Præsules, qui Ecclesiasticorum emendationem ante dogmata fidei in Synodo tractandam existimabant, ministrorum *Cæsaris* ope, in suas partes reliquos adducere conabantur. cumque ea res perdifficilis non esset, quòd ab omnibus eo magis expeteretur, quo minus euenturam credebant, in tantum excreuit eorum numerus, vt Legati, quo se verterent, vix satis perspicerent. Itaque tam sua, quàm fautorum sedu-

ſedulâ operâ in contrarium clàm primò adnituntur: tum in ipſa congregatione, in qua aderant XXII. Legati tres, alius poſt alium, omnes ingenij machinas admouent, ad ea quæ in gratiam reformationis afferebantur, ab ipſis fundamentis labefactanda. Magnam vero dedit impreſſionem ratio petita à verbis *Cæſaris* in Conuentu Ordinum Imperij *Wormaciæ* Maio proximè ſuperiori, cum diceret, ſibi videndum quem progreſſum Concilium eſſet facturum in dogmatis definiendis, & materia reformationis; alioqui ſe indicturum alium Ordinum conuentum, in quo diſſidia religionis componantur, & abuſus emendentur. Vnde colligebant, niſi dogmata tractentur, Colloquium & Conuentum futurum maximam ſermonis hominum celebritatem conſecutura. neq; deinceps iure impedimentum aliquod poſſe afferri, cur in Germania de religione non agatur, cum in Concilio ea actio repudietur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciſcus 1.

In ea congregatione potens quidam & opulentus Præſul oratione meditata oſtendit ad emendationem morum ante omnia reſpiciendum, deformitate omnium Cleri membrorum vehementer exaggerata; ſimul inculcato, niſi vaſa noſtra perpurgentur, Spiritum Sanctum in nobis habitare non poſſe, ideoque nec rectum de rebus iudicium vnquam ſperandum.

Patres ipſos Synodi cumprimis reformandos, vt iudicio limatiori decernant.

Cardinalis autem *Sanctæ* Crucis, ſumpta inde loquendi occaſione, dixit, rationi eſſe admodum conſentaneum, vt ij, quibus Concilij tractatio eſt præ manibus, reformationem ſui omnino non differant: ſed quia id in promptu ſit, factuque facillimum, è veſtigio tentandum; dogmatis fidei, quæ & intricata ſint, & multam requirant diſquiſitionem, non ideo omiſſis aut retardatis. Præſulem illum, qui de re adeo ſancta, optimique exempli coetum monuerat, eximie laudauit. tum, quòd initio à ſe ipſis facto, reliquos omnes emendare longè eſſet facilius, vt factis magis, quàm verbis propenſionem ſuam demonſtrarent, efficaciſſimè hortatus eſt. Atque eam opinionem, etiam qui probabant permulti, ſequuti non ſunt: quòd dicerent reformationem debere eſſe vniuerſalem, neque tempus in ea re ſola amittendum. Itaque in hanc omnes, duobus exceptis ſolis, ſententiam deſcenderunt, articulos religionis, & caput reformationis pari paſſu tractanda; tum quod ex æquo ab omnibus deſiderentur, neceſſariaque iudicentur; tum quod in diplomate Pontificis ſimul proponantur. Huic etiam ſententiæ Legati aſſenſi ſunt, vtcumque de fide magis quàm emendatione tractatum cuperent: ſed tantus eos inceſſerat metus, ne de ſola reformatione agere cogerentur, vt coniunctā vtriuſq; tractationē ſolidæ victoriæ loco ducerent. Videbant præterea periculo plenū, emendationē intactam relinquere, & Patribus vniuerſis, cunctiſq; orbis Chriſtiani prouincijs eam vnanimiter depoſcentibus refragari: neque ſine graui ſcandalo atque infamia id attentari. Quòd ſi Curiæ Romanæ parum fuerit gratum, cum huic ſe opinioni neceſſitate impulſi permiſerint, non eſſe, cur de alijs, quàm de ſemetipſis iure conquerantur, qui literis toties ſolicitati non reſponderint, nec, quid agendum eſſet, in mandatis dederint.

De patrum ſententia decernitur, fidei dogmata, & reformationis capita ſimul tractanda.

Decretum deinde de literis ad Papam mittendis, quibus de indicto apertoque Concilio ei gratias agerent, ipſius fauorem in eodem tuendo ſubmiſſe peterent, obſecrarentque, vt de pace conſeruanda, mittendiſque ad Concilium Legatis, cum Principibus Chriſtianis ageret. Statutum, etiam ſcribere ad *Imperatorem*, *Galliæ Regem*, *Romanorum*, *Portugalliæ*, alioſque Reges Catholicos, de pace tuenda, legatis mittendis, Præſulibus ſuis monendis, vt ipſi Synodo adſint; & prouidendo, vt itinera ſint tuta, nec latronibus infeſta. Literis his ſcribendis deſignatus Epiſcopus *D. Marci*, quia proxima congregatione legendæ erant, & obſignandæ.

Et agendas Pontifici de Concilio gratias, Principeſque eo literis inuitandos.

Legati interim duo capita proponunt Patribus conſideranda, de quibus ad ſuffragia deueniendum ſit; vnum, an Conſeſſu proximo decretum ſit pronuntiandum, de fidei & reformationis capitibus vno eodemque tempore pertractandis: alterum, in ſeligendis, tractandis, & examinandis duobus illis capitibus, quâ viâ ſit procedendum. Scilicet his propoſitis Legati putabant ſe, & eorum importunitate liberatos, qui in ſingulis congregationibus materiale aliquid ſtabiliri flagitabant; & exploratum item feciſſe, quàm valde Præſulibus ſatisfactum cupiant.

II. capita, de quibus decernendum.

Quæ proximè ſecuta eſt Congregatio, in legendis literis, quas formandas præceperant, conſumpta. ſimul in diſputando de ſigillo, quo obſignandæ erant: alijs pro-

De Sigillo, quo Synodi literæ obſignandæ.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

ponentibus,vt sigillo Synodo peculiari plumbeo obsignarentur, cuius vnum latus Spiritum S. in forma columbæ repræsentaret; alterum, Synodi nomen insculptum haberet; aliis, alias formas, sed quæ omnes speciosi aliquid præ se ferrent,commemorantibus. Verùm Legati, quibus aliter Româ imperatum erat, postquam Patres ea de re disseruissent,eos facilè ab instituto dimouerunt, asseuerantes, & fastuosum id esse,& tempus extrahere; quandoquidem necessariò Venetias esset aliquis ablegandus ad modulum formandum; nec Tridenti reperiretur vllus artifex huic operi idoneus. Deinde accuratiùs de ea re postmodùm esse cogitandum; nunc verò necessitatem literarum expediendarum impendêre, quod nomine ac sigillo principis Legati commodè fieri possit: de cætero Congregatione sequenti statuendum.

De II. capitibus supra memoratis opiniones variæ.

In qua cùm de duobus capitibus supra propositis ageretur, atque super primo capite duæ essent opiniones: vna, quæ censebat decretum formandum, & euulgandum: altera, satius esse libertatem pro rerum opportunitatibus statuendi sibi reseruare, quàm decreti authoritate necessitatem sibi imponere; vtrâque reiectâ, media via placuit, nimirum, vti mentio tantùm fieret, Synodum duabus istis de causis potissimùm conuocatam; neque vlterius pergeretur. De altero autem capite maior pars in hac fuit sententia; cùm ad hæresin Lutheranam damnandam conuenissent, ordinem Confessionis ipsorum sequendum. cui opinioni ab ijs est contradictum, qui dignitatem Synodi abiici ac prosterni existimabant, si Colloquiorum in Germania habitorum rationem imitarentur. Et quoniam de primis duobus Augustanæ Confessionis capitibus, quorum alterum est de Trinitate, alterum de Incarnatione, Protestantibus cum Catholicis in substantia conueniat,(licet modus exprimendi sit nouus, & in scholis inusitatus) vbi Synodus ea approbauerit, & eorum existimationi aliquid adiectum, & in damnatione reliquorum sibi præiudicatum iri arbitrabantur: sin vero Synodus ea neque probando, neque damnando,verbis non illius Confessionis,sed inter scholasticos receptis,aut alijs expresserit, esse tamen à nouis disputationibus & schismatis periculum.Legatis,quibus non aliud erat propositum, quam absumere tempus,eæ rerum difficultates maiorem in modum placebant; easque opportunis hinc inde suppeditatis alimentis studiosè illi focillabant.

Cum tempus Sessioni præstitutum appropinquaret, & nullum Roma responsum afferretur,Legati quid agerent nescij,in salebra hærebant.Si Consessum eum,perinde atque superiorem in ceremonijs transmitterent, de existimatione sua actum putabant. Sin verò materiæ cuiuis tractandæ viam patefacerent, id periculo non vacare iudicabant;quibus scopus ad quem collimarent,nondum esset præfixus. Si decretum in formam redigeretur,de materia fidei, & reformationis simul tractandis, prout superiori congregatione constitutum erat,in eo minimum esse periculi videbatur.& tamen hîc & necessitas obligandi obijciebatur, & in conuocatione terminandi eius, quod à Pontifice vix esset definitum. In hoc luto hæsitantibus proponebatur, vt decretum confieret dilatorium, hoc quæsito colore, quod complures Præsules iter ingressi,breui expectentur.Cardinalis *Polus* considerandum monet,annon, sicut in priscis omnibus Concilijs publicatum fuit fidei Symbolum,in hoc quoque Consessu Ecclesiæ Romanæ Symbolum debeat euulgari. Statutum tandem,decretum cum titulo simplice formare, & in hoc commemorare, de religione & reformatione agendum, verbis adeo generalibus,vt ad omnem occasionem possit accommodari: Symbolum etiam recitandum & transmittendum.Tum decretum aliud faciendum, de rebus aliis ad sequentem Consessum reiiciendis, ob hanc causam, quod Præsulum alij sint ad iter accincti, alij iter iam ingressi: & ne ad eiusmodi temporis angustias denuo redigantur,diem sequenti Consessui,quantum potest,longissimum esse dicendum, modò vltra Paschatis festum non differatur.

Card. Polus mentionem inijcit de Symbolo fidei euulgando.

Episcopi Bitontini in contrarium sententia.

Decretum ita formatum Legati cum Præsulibus, quibus plurimum confidebant, communicant: in quibus Episcopus *Bitontinus* existimabat, Consessum, qui habeatur ad recitandum Symbolum, ante mille ac ducentos annos stabilitum, & ex eo tempore perpetuò creditum, ac iam nunc ab omnibus vsquequaque receptum, & æmulis fore derediculo,& iniquis aliorum sermonibus occasionem daturum. Neque enim

enim id fieri imitatione Patrum, qui, vel Symbola contra hæreses ab ipsis damnatas composuerunt; vel priora, contra hæreses damnatas facta, ad authoritatem eorum augendam repetiuerunt, aliqua elucidatione apposita; vel ad eadem reuocanda in memoriam, & contra obliuionis iniuriam obfirmanda. Nunc autem nullum Symbolum nouum componi, nullam explanationem apponi. pondus verò authoritatis maioris addere, neque esse huius Synodi, neque seculi. reuocare in mentem, quod in omnibus Ecclesiijs singulis hebdomadis recitetur, & in recenti omnium memoria vigeat, superuacaneum videri, & affectatum. Symbolo fidei conuictos quidem olim hæreticos, sed eos qui contra Symbolum in fide errabant: contra Lutheranos frustra adhibendum, qui idipsum nihilo minùs, quàm Catholici credant. Si huius apparatus ostentatione facta, symboli nullus est contra nostri temporis hæreses vsus; tum omnes id factum interpretaturos ad homines inescandos aut ludificandos; quasi non audeant dogmatis, aut non cupiant reformationi medicam manum admouere: Suadebat igitur, dum Præsules expectantur, differendum, atque ita Consessum transmittendum. *Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.*

Episcopus *Chiozæ* ad hæc addidit, rationes in decreto allatas posse ab hæreticis in fauorem suum vsurpari. Symbolum enim, si ad infideles conuertendos, hæreticos expugnandos, & fideles confirmandos valeat, tum dicturos, se ad alia, quam quæ symbolo contineantur, credenda, neutiquam cogendos. Has tamen rationes Legati, non adeo firmas ducebant, quam contrariam, actum scilicet de ipsorum existimatione, nisi decretum fieret. Itaque inclinatis in hanc partem animis, & nonnullis Decreti verbis ex Præsulum sententia emendatis, decretum in congregatione Calendis Februarij proponitur; de quo multis sermonibus vltro citroque habitis, à maiori parte approbatur: alijs licet reclamantibus, ac liberè inter se post cœtum dimissum dictitantibus, hunc esse laborum in negotio totos viginti annos positorum fructum, quòd ad audiendum *Credo*, dum recitatur, conuenerint. Item Episcopi Oscensis.

Die quarto mensis, qui Consessui destinatus, eadem qua prius solemnitate & comitatu ad templum oppidi itum est. Ibi rem diuinam peregit *Petrus Tragliauia* Archiepiscopus *Panormitanus*, concionem habuit *Ambrosius Catarinus Senensis* Monachus Dominicanus, & decretum perlegit *Archiepiscopus Turitanus*, cuius hæc fuit summa. *Synodum considerantem magnitudinem rerum tractandarum, præsertim earum, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis continentur; omnes & singulos hortari, vt confortentur in Domino, & armaturam induant spiritualem. Atque vt pia eius solicitudo principium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, decernere præmittendam esse Confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secutam, qui sacratioribus Concilijs hoc scutum contra hæreses in principio suarum actionum opponere consueuere: quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, & hæreticos expugnarunt; in quo omnes, qui Christum profitentur, necessariò conueniunt.* Dein Symbolo verbatim sine aliqua additione recitato, Archiepiscopus Patres sciscitatur an Decretum placeret. cumque omnes affirmatiue respondissent, nonnulli conditiones & clausulas non magnæ rei apponendas censebant; sed id Cardinali *Montano* mirum in modum displicebat, qui pati non poterat, vt in Sessione ad particularia descenderetur: veritus, ne vbi de rebus magnis & momentosis esset agendum eàdem contradicendi licentiâ sumptâ, grande aliquod incommodum inde proficisceretur. Post hæc lectum alterum decretum de Consessu proximo in diem VIII. Aprilis indicendo, tam diutinæ moræ causâ *in Prælatos absentes reiectâ, quorum alij itineri accincti, alij in via sint. tum quod omnia ab ipsa sacra Synodo decernenda eo maioris apud omnes existimationis videri possunt, quo maiori Patrum præsentia consilioque fuerint corroborata: non differri tamen interim examinationem & discussionem eorum quæ ipsi Synodo discutienda & examinanda videbuntur.* Sessio III. Decretum de Symbolo fidei. Decretum alterū de indictione futuræ Sessionis.

Iam Curia Romana, cui formidabile erat solum reformationis nomen, magnam ex eo cepit voluptatem, quòd Concilium præludijs detineri intelligeret, cum tempus idonea remedia allaturum sperarent. Etiam aulicorum nonnulli, quibus pro oblectamento esse solet, aliorum famæ petulanti lingua obtrectare, in Patribus Concilij, perinde atque in alijs sueuerunt, genuinum frangere gestiebant, clancularijs sed Aulici Romæ Patribus Concilii Tridĕtini de Decretis suis illudunt.

mor-

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

mordacibus dictis (*Pasquinatas* vocant) editis; alijs, Patres Tridentinos de nobilissimo decreto & Concilio generali non indigno collaudantibus: alijs, vt respicerent se, suaque bona, probitatem videlicet suam & doctrinam nossent, hortantibus.

Legati quid vltima Sessione factum Pontifici significat, item quid sibi optimum factu videtur.

Legati, dum Pontifici eorum quæ vltimo Consessu gesta essent, rationem reddunt, simul nunciant, admodum esse difficile his obluctari, qui in titulo Synodi adiectam cupiant *Ecclesiæ vniuersalis repræsentationem*, sed eam difficultatem ipsis necessario esse superandam. Alterum vero se præstare omnino non posse, vt Præsules diutius in officio contineant, nisi caput aliquod materiale, & quod momentum in se habeat, tractandum proponatur: ideoque mandatum toties flagitatum, quo præscribatur ordo & formula rerum agendarum, absque cunctatione mittendum. Sibi quidem optimum videri de scriptura sacra tractationē instituere, maximè in ijs capitibus quæ Lutherani controuertunt; & abusus in Ecclesiam in ea re inuectos excutere: quibus tractandis, omnibus satisfactum, neminem offensum iri putent. tantùm quid sui sit consilij per literas significet, cum & temporis satis sit ad eam disquisitionem, & occasiones non defuturæ videantur, ad res vsque ad initium Quadragesimæ extrahendas.

Elector Palatinus ditionis suæ Ecclesias reformat.

Verum isthæc Concilij celebratio ad res Pontificis in *Germania* promouendas nihil contulit. Anni enim eius principio *Elector Palatinus*, integram coenam Domini, calicisque communionem suis permiserat: preces item publicas lingua populari, coniugium sacerdotum, aliaque alijs locis in religione reformata. Et quamuis ij, quos *Cæsar* conciliandis religionis dissidijs ad Colloquium designarat, *Ratisbonam* venissent, & præter hos Episcopus *Eicstatensis*, ac *Comes Fustembergius*, futuri Colloquij Præsides, suspicionum tamen recentibus causis vtrimque obortis, Catholicisque ad omnes occasiones intentis, & diuersæ factioni iustam suspicandi materiam præbere, & inanem sibi affingere, absque vllo fructu conuentus ille dissoluitur.

Id Patres Tridentinos male habet, sed nuntio de Lutheri morte, & soluto colloquio pensatur.

Dein ad diem XVIII. Februarij. *Martinus Lutherus* è vita discedit. quarum rerum nuntio *Tridentum Romamque* perlato, non tam mutata in Palatinatu religione indoluerunt, quàm gauisi sunt obitu *Lutheri*, & parum foelici Colloquij successu. In colloquio enim, quod Concilij quodammodo æmulum ipsis Patribus videatur, si concilatio aliqua dogmatum facta fuisset, quomodo eam postmodum in Concilio repudiarent, non satis perspiciebant. sin vero eam admisissent, tum metuebant, ne Concilium aliunde leges accipere crederetur. certe id colloquium, cui *Cæsaris* administri interessent, cum Concilij ac Pontificis existimatione consistere vnà posse inficias ibant. Magna quidem Patribus Tridentinis, & Curiæ Romanæ accensa spes eius morte, qui in oppugnanda Ecclesiæ Romanæ doctrina, & ritibus, plurimarum palmarum homo fuisset, schismaticorum primipilus, & nouitatum architectus: idque fatum, foelicem Concilio successum portendere hoc magis augurabantur, quod per *Italiam*, secundo rumore, multis prodigiosis, fabulosisque circumstantijs comitatum diceretur, quas illi miraculo, & Numinis vindictæ tribuebant: licet ei morienti, re vera non aliud acciderat, quàm hominibus LXIII. ætatis annum agentibus (climacterico enim obierat) vsuuenire solet. Sed quæ deinceps ad nostra vsque tempora sunt consecuta, satis superque testatum reliquerunt, mutationis tantæ causas alias fuisse multo potentiores abstrusioresque, *Lutherum* verò tantūmodo ministrum.

Vbi *Cæsar Ratisbonam* venit de abrupto Colloquio grauissimè questus est, literis etiam ea de re in *Germaniam* dimissis: quæ tamen ab ijs risu acceptæ fuerant, quibus nimio plus erat exploratum, abitionem collocutorum ab *Hispanis*, monachis, & Episcopo *Eicstatensi*, quem ipse eò miserat, inprimis profectam. Neque adeo difficile, vbi actores pernoris, vnde suum motus ille habuerit principium, diuinatione assequi.

In Conuentu Ratisbonæ electores Pontificii atque Episcopi Concilium Tridētinum approbant.

Sed prouidus Imperator ex vna eademq; re Pontifici & Patribus Concilij satisfaciēdi, & Protestantibus succensendi ansam captabat: quod ipsum euentu cōprobatum. Iisdem enim querimoniis in Ordinum conuentu iteratis, cum in pacandæ *Germaniæ* rationes etiam adhuc inquireretur, *Moguntini* & *Treuirensis* Electorum Legati, à reliquorum Septemuirorum Legatis (ipsi enim Electores aberant) secessionem facientes, Episcopis se iungunt, reque deliberata, *Tridentinum Concilium* approbant, *Cæsarem*

sarem vt illud tueatur orant, atque vt Protestantibus persuadeat eò venire, Synodique cognitioni se permittere. Protestantes verò refragati contra contendunt, Tridentinum Concilium vacare conditionibus in Imperij Comitiis toties promissis: vt pax constituta seruetur obsecrant, atque vt controuersiæ de religione, in legitimo *Germaniæ* Concilio, vel Imperij conuentu concilientur. Sed personâ abiectâ, quid animi haberet *Cæsar* tum apparuit, cum belli apparatus diutius celari non posset; de quo suo loco dicetur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

Literis Tridento scriptis à Pontifice diligenter consideratis, cum hinc animo perlustraret incommoda, quæ impendebant, dum Concilium, Episcopis qui adessent, renitentibus, in anchoris (vt ipse loquebatur) hæreret: illinc verò reputaret detrimenta, quæ ex reformatione inchoata poterant exoriri: videretque necessariò fortunæ aliquid permittendum; quòd humana prudentia non aliud suadeat, nisi euitare maius malum, statuit rescribere Legatis, vt iuxta id, quod ipsi proposuerant, in agendo progrederentur. hoc studiosè tenentes, ne, aut in materia fidei nouis difficultatibus ianuam aperirent; aut rem aliquam inter Catholicos controuersam definirent: in materia verò reformationis non nisi pedetentim procederent. Legati, qui in congregationibus hactenus generalia tantùm tractauerant, procedendi facultatem à Pontifice nacti, in congregatione XXII. Februarij habita proponunt, primo fidei fundamento iam stabilito, proximum esse, vt ad aliud, quod quidem latius pateat, deueniatur, nempe sacram Scripturam. in quo argumento, & dogmata esse cum Lutheranis controuersa, & abusus notabiles, qui emendationem necessario requirant: idque eo numero, vt, quod ad proximum Consessum suppetit temporis, quantumque illud est, remediis excogitandis vix sufficiat. Varij dehinc super hac materia tam à Legatis, quàm à cæteris Patribus habiti sermones, & controuersiis, & corruptelis in medium adductis.

Pontifex Legatis tandem permittit, vt, quod ab ipsis propositũ de Sacra Scriptura in Concilio agatur.

Theologiæ Doctores, qui circiter XXX. & pene omnes Monachi, Concilio aderant, non alium in Synodo vsum hactenus habebant, nisi forte diebus festis pro concione, Concilij, aut Pontificis laudes apud populum decantandi, aut certe cum Lutheranis absentibus vmbratili pugna velitandi. Nunc verò, cùm dogmata controuersa definienda viderent, & abusus hominum literatorum magis, quàm aliorum corrigendos, animos sibi sumebant, aliquo se loco, & numero fore conspicati. Et quidem præceptum fuerat, vt capitum doctrinæ contrauersorum articuli cum fide orthodoxa pugnantes è Lutheranorum libris colligerentur, & darentur Theologis, qui, eisdem diligenti studio examinatis, opiniones suas singuli promerent. dein materiâ ad eum modum præparatâ, decreta formarentur, quibus in congregatione propositis, & à Patribus diligenter excussis, pro ratione suffragiorum illud stabiliretur, quod in Sessione postmodum esset euulgandum. Quod autem abusus spectabat, vt singuli, quod emendatione dignum videretur, cum remedio maxime idoneo proferrent.

Theologi mirificè sibi placent, in suo puluere decursuri.

Ordo præscribitur in rerum tractatione pòst seruandus.

Articuli ad doctrinam pertinentes, è Lutheri libris desumpti, erant huiusmodi.

Articuli de sacra Scriptura è Lutheri scriptis petiti.

I. Doctrinam vniuersam fidei Christianæ necessariam, Sacræ Scripruræ libris comprehendi: & figmentum esse humanum, traditiones non scriptas, tanquam à Christo atque Apostolis Ecclesiæ relictas, ad nos verò continua Episcoporum successione deriuatas, adiungere; immo sacrilegium esse, eandem ipsis authoritatem cum veteris ac noui Testamenti libris tribuere.

II. Inter *Veteris Testamenti* libros non alios recensendos quàm qui in *Canone Iudæorum* sint; nec in *Nouo Testamento* hos sex: Epistolam, quæ *D. Pauli* nomine circumfertur *ad Hæbreos*, *D. Iacobi II. D. Petri II. D. Ioannis III.* & vnam *D. Iudæ*, Item *Apocalypsin*.

III. Ad verum ac genuinum sacræ Scripturæ sensum eruendum, aut ad ipsa verba citanda, necessario recurrendum ad contextum eâ linguâ, qua primùm fuit conscripta: vulgatam verò Latinam versionem reiiciendam, vt erroribus refertam.

IIII. Sacram Scripturam facillimam esse & admodum perspicuam; atque ad eius intelligentiam neque glossam, neque commentarios esse necessarios, sed sufficere Spiritum ouicularum Christi.

V. Ap

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

V. An contra omnes hos articulos Canones cum Anathematis sint formandi.

De I. articulo. Fidem Christianam habere traditionem pro fundamento.

De duobus primis articulis à Theologis in IIII. congregationibus abunde tractatum. De primo quidem conuenit inter omnes, fidem Christianam, partim Sacrâ Scripturâ, partim traditione contineri: multumque temporis positum in citandis è *Tertulliano locis*, qui traditionis sæpe meminit: item ex *Irenæo*, *Cipriano*, *Basilio*, *Augustino*, aliisque. Nonnullis placuit addere, vniuersam doctrinam Catholicam pro fundamento habere traditionem, quia ipsi Scripturæ non creditur nisi propter traditionem. Sed quomodo materia hæc esset tractanda, aliquamdiu dubitatum est.

Lunelli opinio, de Ecclesia, Scripturæ firmamento priùs agendum.

F. Vincentius Lunellus Ordinis Franciscanorum, in ea fuit opinione; cùm in Sacra Scriptura & traditionibus fidei fundamenta sint iacienda, de Ecclesia tanquam firmamento nobiliore prius esse agendum: tum quòd Scripturæ authoritas inde pendeat, iuxta celebre illud *Augustini* dictum, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret authoritas*; tum quòd traditionum nullus esset vsus, nisi eâdem Ecclesiæ authoritate niterentur. Controuersia enim nascente, an aliquid traditione valeat, eam quæstionem Ecclesiæ vel testimonio, vel definitione necessariò decidendam. Posito autem semel hoc fundamento, quòd Christiani omnes Ecclesiæ credere teneantur, huic sine periculo posse inædificari. Porro in hoc certamine eorum castra præsertim sequenda, qui in hostilem aciem validissimam fecerint impressionem, vtpote *Siluestri Prieriæ*, & *Eckij*, quibus telum acerrimum, authoritas Ecclesiæ: absque quo debellandis Lutheranis nullum sit satis exitiabile. Rem esse ab instituto alienissimam, in iaciendis doctrinæ Christianæ fundamentis illud omittere, quod præcipuum sit, aut prope vnicum, certe eiusmodi, sine quo cætera non subsistant. Hæc *Lunelli* opinio suffragatores non habuit: quod in easdem cum aliis difficultates incurreret; hæreticorum synagogis, veræ Ecclesiæ nomen, cui ille tantam authoritatem tribuebat, sibi vendicantibus. Alij verò illud tanquam compertissimum, & indubitatum tenentes, Ecclesiæ appellatione Ordinem Ecclesiasticum, magis propriè verò Concilium, eiusque caput, Pontificem intelligendum, dicebant, authoritatem Ecclesiæ habendam pro iam determinata: si de ea in præsentiarum agatur, tum demonstraturos, vel de ea fuisse dubitatum, vel noua aliqua luce nuper illustratam; neque ex quo fuit inter Christianos Ecclesia, antiquissimam perpetuò creditam.

Quæ reiecta, ne Ecclesiæ auctoritas in dubium vocetur.

Dissertatio Marinari, de Verbo Dei scripto, & non scripto.

F. Antonius Marinarus Ordinis Carmelitanorum, à traditionum mentione omnino abstinendum censuit, atque in hac materia ad decisionem primi articuli, prius constituẽdum, vtrum quæstio facti sit an iuris; id est vtrum doctrina Christiana duabus constet partibus, vnâ, quæ diuina voluntate fuit scripta; altera, quæ eadem voluntate, vetita est scribi, viua tantùm voce docenda: an verò vniuerso doctrinæ corpori per accidens euenerit, vt quæ tota fuerit publicitus prædicata, eiusdem aliqua pars scripto consignata non fuerit. Esse enim exploratissimum, Maiestatem Diuinam, cùm veteris Testamenti legem promulgaret, existimasse necessarium, eam scripto tradi; eòque suo digito Decalogum tabulis lapideis inscripsisse, atque iussisse vt in scrinium ex fœdere reponerentur, quod inde dictum *Arca fæderis*. Præcepisse etiam Moysi non semel, vt in libro mandata scriberet, eorumque exemplar iuxta scrinium asseruaretur, ac Regi vnum daretur, quod assidue euolueret. At in lege Euangelica non idem obtinuisse; quam Dei filius cordibus inscripsit, vt ad eam neque tabulis, neque arcâ, nec libro opus sit. Immo Ecclesiam fuisse perfectissimam, priusquàm Sanctorum Apostolorum vllus scripsisset: neque Ecclesiam Christi perfectione vlla carituram, etiamsi nihil vnquam scripto fuisset mandatum. Verùm, quemadmodum Christus Noui Testamenti doctrinam cordibus insculpsit, ita, vt scripto traderetur non vetuisse. quod in falsis quibusdam religionibus sancitum est, quarum mysteria, neque propalare, neque scriptis prodere fas, sed voce tantum tradere. Itaque certissimum esse, quod Apostoli scripserint, & ore tenus edixerint, pari esse authoritate: quorum vtrumque eiusdem Spiritus Sancti instinctu fiat. Eum verò spiritum, qui Apostolis adfuerit, quique eos in scribenda & prædicanda veritate direxerit, non posse dici vetuisse eos ne scriberent, vt doctrinam tanquam mysteriosam

ſam tegerent. Vnde duo genera articulorum fidei non eſſe diſtinguenda, quorum alij ſcripto euulgati, alia ſola voce communicari iuſſi. Addebat inſuper, ſi quis contrariam opinionem tueretur, duas ei maximas difficultates ſuperandas: vnam in differentia inter verbum ſcriptum & non ſcriptum explicanda; alterã,in declarando, quomodo Apoſtolorũ ſucceſſores illud ſcripto mandarint, quod à Deo ſcribi vetitũ fuerit. Deinde non minus arduũ eſſe atque difficile alteram opinionẽ tueri,ſcilicet,per accidens factum eſſe, vt quædam ſingularia ſcripto non ſint commiſſa; quandoquidem illud valde derogaturum ſit prouidentiæ Diuinæ, in Apoſtolis ad Euangelij doctrinam componendam dirigendis. Concludebat itaque non minus periculoſum eſſe materiam hanc pertractare, quam inter *Scyllam* & *Charibdin* nauigare, longeque ſatius eſſe imitari Patres, qui hunc locum tanquam ſcopulum ſemper præteruecti, eum nunquam attigerunt, niſi premente neceſſitate, ſic tamen vt inter traditiones & verbum Dei ſcriptum articulum competitionis nunquam formarint. Neque ad eam quæſtionem in præſens determinandam vlla adduci neceſſitate, quando Lutherani, vtcumque alio ſe, quàm ſcripturâ, iudice conuincendos negent, formalem tamen de hoc articulo controuerſiam nullam inſtituerint: conſultumque videri, ijs ſolis inſiſtere controuerſijs, quas illi moueant,nec alias in medium adducere, cum maiori ſchiſmatis inter Chriſtianos periculo.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciſcus 1.

Hæc Carmelitæ opinio paucis arridebat, certè Cardinalis *Polus* aſperioribus eam verbis excipiens, dixit digniorem eſſe colloquio *Germaniæ*, quam Eccleſiæ Concilio vniuerſali. Hic enim ſinceram veritatem ſolum contemplandam: illic rerum conciliationem potiſſimùm ſpectari, cum veritatis etiam præiudicio. Ad Eccleſiam autem conſeruandam omnino eſſe neceſſarium, vt Lutherani aut vniuerſam Eccleſiæ Romanæ doctrinam admittant; aut eorum errores quam plurimi detegantur: quo magis perſpicuum omnibus euadat, omnem concordiæ cum ipſis ſpem eſſe deploratam. quamobrem ſi nullam ipſi ſuper traditionibus controuerſiam inſtituerint,eam nunc eſſe formandam: atq; cùm eorũ opiniones eſſe damnandas,tum declarandum, doctrinam eam non ſolùm abeſſe à veritate, vbi ex profeſſo ei contradicit, ſed in omnibus alijs quoque ſui membris ac partibus; adeoque incumbendum damnandis omnibus, quæ ex eorum ſcriptis elici poſſunt, ineptijs, ac erroribus. vanum porro eſſe metum incidendi in *Scillam* aut *Charibdin*, ex captioſa illa ratione allata, quam qui attendat,nullam prorſus eſſe traditionem facilè inde euicerit.

In Marinari ſententiam Cardinal. Polus acriter inuehitur.

Secundo articulo omnes hactenus aſſenſi ſunt, veterum exemplo, librorum Canonicorum catalogum conficiendum, cui inſerantur omnes, qui in Eccleſia Romana lectitantur, etiam ij veteris Teſtamenti libri, qui à Iudæis non recipiuntur; quod factum in Concilio *Laodiceno Innocentio* I. Pontifice, & in III. Concilio *Carthaginenſi*, *Gelaſio Papa*. De modo autem IV. opiniones fuere. Nonnulli volebant duplicem ſeriem fieri; in vna eos ſolos collocari, qui ſine controuerſia ſemper eſſent pro Canonicis habiti: in altera verò eos, qui aliquando reiecti; aut de quibus eſſet dubitatum. Ijque dicebant, etiamſi à nullo ſuperiore Concilio, aut Pontifice id factum fuiſſet, eam tamen fuiſſe omnium mentem. *Auguſtinum* enim ea vti diſtinctione, cuius authoritas confirmatur in Canone *In Canonicis*. Item *D. Gregorium*, qui poſterior *Gelaſio*, ſuper *Iobo* ait, libros *Machabæorum* ad ædificationem conſcriptos, licet Canonici non ſint. *Aloiſius Cataneus* frater Dominicanus affirmabat iſtam diſtinctionem à *D. Hieronymo* factam, pro regula & norma Eccleſiæ receptam, ad canonem Scripturarum conſtituendum: ad id citans *Cardinalem Caietanum*, qui ipſe libros ad eum modum diſtinxerat, ſequutus *D. Hieronymum* tanquam normam certiſſimam ab Eccleſia nobis relictam; etiam cum ad *Clementem VII.* Papam ſcripſit, miſſa ad eum ſua in libros Hiſtoricos veteris Teſtamenti expoſitione. Alij triplicem ſeriem librorum conſtituebant. I.am eorum, qui pro diuinis ſemper eſſent habiti. II.am eorum, qui olim eſſent controuerſi, ſed vſu Eccleſiæ Canonicam authoritatem obtinuiſſent: quo in numero ſint VI. libri noui Teſtamenti, *Epiſtolæ* & *Apocalypſis*; & particulæ aliquot Euangeliſtarum. III.am eorum, de quibus nihil certi definitum eſſet, VII. ſcilicet veteris teſtamenti, & capita quædam *Danielis* & *Heſter*. Alij putabant longe melius, nullam adhibere diſtinctionem, ſed ad exemplum Concilij

II. articulus de libris Canonicis.

De forma Catalogi IV. opiniones.

I. opinio.

II.

III.

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus. 8. Franciscus. 1.

cilij *Carthaginensis*, & aliorum, catalogum librorum ponere, nec quicquam vltra addere. Alia denique opinio fuit, vt libri omnes, in omnibus sui partibus, prout habentur in Biblijs latinis, Diuina, ac pari authoritate esse demonstrentur. Liber autem *Baruch* magis sollicitos habuit; quæ neque inter *Laodiceni* aut *Carthaginensis* Concilij libros, nec in Pontificum Romanorum catalogo recensetur: atque tum eam ob causam, tum quod principium eius non reperitur, eliminandus videbatur, nisi obstitisset, quòd in Ecclesia lectio inde aliqua interdum delibatur. quæ ratio satis valuit ad congregationem in illius fauorem flectendam, multis antiquitus *Ieremiæ* partem habitum, eique apponendum affirmantibus.

IV. De Libro Baruch.

Dignitas Synodi, Episcopi, qui Concilio aderat, in ius citatione, & sacrarum censurarum denunciatione violata.

In Congregatione die Veneris V. Martij habita, nunciatum est, Pensionarios Episcopi *Bitontini* congiarij annui solutionem *Romæ* flagitare; atque ob id non solutum, Episcopum coram *Auditore Rotæ* citasse, contendentes, vt excommunicationis aliarumque censurarum denunciatione iuxta eius Curiæ stilum ad pecuniam eam pendendam cogatur. Episcopus ille sortem suam deplorans, ingenuè confitebatur, pensionarios suos non iniuriâ quiritari, verùm id non sua culpa fieri, qui necesse habeat, quamdiu Concilio intersit, sexcentos ad minimum aureos quotannis expendere; pensionibus autem detractis quadringentos tantùm illi superesse, adeoque esse necessarium, vt ducentis exoneretur, vel aliunde subleuetur. Præsules tenuiores, in communi causa, operam ei suam libenter commodant, & facti indignitatem verbis ingentibus exaggerantes aiunt, rem esse ei coetui probrosam, pati, vti Curiæ Romanæ administer censuris suis vtatur contra Antistitem, qui Concilio intersit: monstri simile esse, vt hoc facto omnes intelligant Concilium haudquaquam esse liberum. splendori illius coronæ aliter consultum satis non esse, nisi Auditor ipse *Tridentum* citetur, aut certe aliâ viâ facinus hoc nefandum sic persentiscat, vt Synodo sua constet dignitas. Alij porrò ibant, istam pensionum impositionem planè damnantes. Aequum esse dicebant, & olim receptum, vt Ecclesiæ opulentæ tenues subleuent; caritate scilicet adducti, non vi adacti: sed non eum in modum, vt sibi ipsis necessaria adimant. eam enim D. *Pauli* Doctrinam. Verùm, vt Antistites inopes de dimenso suo, quod ipsis sustentandis vix sufficiat, cogantur demere, quod in diuites conferant, id quidem haud esse tolerabile. immo caput esse, de cuius reformatione in Concilio sit agendum, rebus ad veterem & vsum vere Christianum reuocatis. Sed Legati animis perlustrantes, quàm iustæ essent hæ querimoniæ, & quo tendere possent, vt animorum iste timor resideret, polliciti sunt Romam scribere, quò tum lis hæc in iudicio conquiesceret, tum Episcopo non deesset, vnde in Concilio dignitatem tueretur.

Impositio pensionum Episcopis odiosa.

Congregatio habita die Hilariorum.

Facto à Theologis fine dicendi, dies mensis VIII. proximæ congregationi habendæ dictus, idque extra ordinem, non tam vt decreto super articulis, de quibus iam disputatum erat, stabiliendo finis imponeretur, quàm ad decorum seruandum; Patribus eo die, qui apud vulgum *Hilariorũ* est, & fescenninis festiuitatibus profanari solet, rebus serijs ac Synodalibus intentis. In ea de communi assensu statutum, vt traditiones eadem cum verbo Dei scripto authoritate essent.

III distinctæ opiniones de forma catalogi librorum S. Scripturæ.

De contexendi autem librorum sacræ Scripturæ catalogi forma III. distinctæ erãt Theologorum opiniones, vna, singulorum librorum mentionem non faciendam: altera Catalogum in III. series distinguendum. Tertia, in eodem omnes catalogo, quippe qui eadem essent authoritate, ponendos. Mandatum itaque vt tres scedulæ conficerentur, & in sequentem congregationem singuli diligenter expenderent, quæ è tribus accipienda esset. Ea licet in diem XII. dicta, eo tamen die habita non est propter aduentum *Francisci Toletani*, Oratoris Cæsarei, qui ab Imperatore *Didaco Mendozæ* febricitanti collega datus, vt Concilio adesset. Ei aduenienti Episcopi complures & Cardinalium familiæ obuiam iuerunt.

Franc. Toletanus Cæsaris Orator Tridentum venit.

Vergerius inquisitoris calumnijs oppressus opem Cõcilij frustra implorat.

Eodem tempore *Tridentum* quoque venit *Paulus Vergerius* sæpe nobis antea dictus, non tam Synodi augendæ studio, quàm vitandæ populi sui offensioni, quam aduersus eum *Annibal Grisonius* Inquisitor concitarat, sterilitatis olearum, vinearum, & segetum superioribus annis causâ in eum tanquam hæreticum coniectâ. Ille, cùm nuspiam propter inimicorum delationes pro dignitate posset consistere, in Concilio

cilio oportunitatem expectabat sui purgandi à calumniis monachi Inquisitoris, qui illum pro Lutherano criminabatur, non in *Istria* solùm apud suos, sed etiam apud Pontificem, & Pontificis apud Venetos Legatum Episcopum *Beneuentanum*. Quare audita, Legati nullum ei tanquam Præsuli in consessibus suis locum ante tribuendum putabant, quàm Romam profectus apud Pontificem causam suã egisset, eiq; innocentiam suã probasset; grauius etiam aliquid in eum decreturi; nisi veriti essent suspicionem inde Germanis orituram, quasi Concilium minus esset liberum. Itaque *Tridento*, vbi parum dignè habitus, facessens, de *Iustinopoli* Episcopatus sui sede repetenda capit consilium, tumultum illum popularem resedisse existimans: verùm cum *Venetias* peruenisset, ne eò reuertatur Pontificis Nuncius mandat, cui *Roma* perscriptum erat, vti *Vergerio* dica scriberetur. Exinde siue indignatione, siue metu perculsus, siue quid aliud esset, post paucos menses Italia discessit.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Vide Episcopatu suo exclusus, ex Italia ad Rhætos migrat.

Die XV. tribus formulis, quas modo diximus, propositis, vnaquæque suos habuit propugnatores, tertia tamen à pluribus approbata. In sequentibus Congregationibus de alijs articulis à Theologis disputatum; sed de III. præsertim, de Latina sacræ Scripturæ versione multa fuit altercatio inter paucos, qui Latinè optime, Græcè verò mediocriter scirent, & alios qui nullâ linguarum cognitione imbuti. *F. Aloisius Cataneus* asseuerabat, ad illius articuli determinationem nihil afferri posse magis appositum, aut horum temporum occasionibus magis accommodatum, quàm iudicium Cardinalis *Caietani*, in Theologia celebratissimi, qui à pueritia huic studio deditus, miri ingenij foelicitate, & labore indefesso inter sui seculi, & superiorum aliquot seculorum Theologos familiam meritò duxit; cui in doctrina cedere, & à quo edoceri, neminem eorum qui adsint Præsulum, aliorumue Doctorum pudere debeat. Cardinalem hunc, cùm anno M.D.XXIII. Legatus in *Germaniam* proficisceretur, sedulò peruolutantem qua ratione, qui ab Ecclesiæ tramite exorbitassent, possent in viam reuocari, aut hæresiarchæ errorum conuinci, huic malo vnicum reperisse remedium, contextus sacræ scripturæ in ea lingua, quâ primùm fuit conscripta, intelligentiam ad literam. Eaque gratia, reliquũ vitæ suæ tempus, nempe totos XI. annos, vni sacræ scripturæ studio impendisse, nõ Latina versione, sed ipsis fontibus, in veteri Testamento, textu Hebræo; in nouo Testamento, Græco, diligentia sua expositis & illustratis. Et quoniam nullam ipse earum linguarum cognitionem habebat, in vtraque lingua peritorum operam adhibuisse, qui textum scripturæ verbum è verbo redderent, vt ex ipsius operibus in sacros libros scriptis apparet. Bonum illum Cardinalem dicere solitum, intelligere textum latinum, non esse intelligere verbum Dei, quod errare non potest; sed vocem interpretis erroribus obnoxiam. Ab *Hieronymo* verissimè dictum, Donum prophetandi, & libros Sacrosanctos conscribendi proficisci à Spiritu Sancto; sed eosdem libros in aliam linguam transferre esse humanæ peritiæ opus. queribundusque vouebat ex animo, vti superiorum seculorum Doctores eam rationem tenuissent: tum enim hæreses Lutheranas locum non fuisse habituras. Addidit *Cataneus*, nullam translationem posse probari, nisi repudiato Canone, *vt Veterum* d. IX. qui censet, veteris Testamenti *fidem de Hebrais voluminibus examinandam; noui verò, normam græci sermonis desiderare*. Qui vnicam interpretationem pro authentica agnoscat, ei *D. Hieronimum*, aliosque omnes interpretes; damnandos. ea enim semel agnita, nullum esse aliarum, quæ non sint authenticæ, vsum: frustraque incerta atque infirma proferri, debellandis hostibus, vbi firma habentur, quæque certam spondeant victoriam. Illud cum D. *Hieronimo* & *Caietano* pro comperto tenendum, nullum esse interpretem, qui non possit errare, quantamcumque adhibeat industriam, ne ab originali deflectat. neque minus certum, si Sancta Synodus vnam aliquam interpretationem ad genuinum contextum examinare & emendare contendat, Spiritum illum Sanctum, qui in rebus fidei Synodis præsidere solet, Patribus Concilij in eo opere sic adfuturum, vt ab errore non sit metuendum: atque eiusmodi versionem sic examinatam, ac probatam, pro authentica meritissimò habendam. Se verò non eâ esse confidentiâ, vt absque istiusmodi examine versionem audeat approbare, aut Spiritus S. præsidium sibi polliceri,

III. articulus de Sacræ Scripturæ versione.

Illustre Card. Caietani de sacri contextus veritate, & versionis incertitudine iudicium.

Cataneus editionem aut interpretationem vulgatã à Synodo emendatam cupit.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

nisi Sancta Synodus ita statuat: maximè, quòd in Apostolorum Concilio sedulam disquisitionem præcessisse obseruet. Verùm cùm hoc opus, hic labor annorum Decades requirat, neque temere suscipendus sit, sibi quidem consultissimum videri, res eo, quo mille ac quingentis annis fuerunt, statu relinquere; atque, vt Latinæ versiones ad originalium contextuum veritatem probentur, tanquam ad Lydium lapidem.

Dissertatio Theologorum in contrarium, vulgatam versionem esse authenticam.

At Theologorum pars maior contra disserebat, eam versionem, quæ retroactis temporibus in Ecclesijs lectitata, & in scholis recepta fuisset, pro diuina, authenticaque in omnibus sui partibus necessariò habendam: alioqui victas manus Lutheranis dari, atque infinitis hæresibus perpetuisque per orbem Christianum tumultibus ianuam aperiri. Doctrinam enim Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, aliarum omnium magistræ, à Pontificibus Romanis, & scholasticis Theologis in aliquo sacræ Scripturæ loco, magna sui parte esse fundatam. potestate verò vnicuique facta in loci eius versionem inquirendi, vtrum proba sit nec ne, vel cum alijs interpretibus, eam comparando, vel contextu Hebræo & Græco consultis; tum nouos hosce Grammaticastros omnia interturbaturos, sibi solis iudicium & arbitrium in rebus fidei arrogaturos: denique in vicem Doctorum Theologiæ & Canonici iuris, ad dignitates Episcoporum, & Purpuratorum patrum, præ alijs omnibus, literatores hosce assumendos. Præterea, non esse, quòd Inquisitores in Lutheranorũ prauitatem vltra inquirant, nisi Hebraicè & Græcè calleant. Reos enim protinus responsuros, in contextu non ita se habere; aut versionem parum esse fidelem. Ita, dum grammatista quilibet nouitates suas, cerebrique deliria, vel malitiosè, vel propter Theologiæ ignorationem pro fidei dogmatis venditat, eaque dummodò linguarum vel apice vno grammatico confirmentur, perbene fundata putat, nullum controuertendi finem facturos. Neque nunc obscurum cuiquam esse, ex quo *Lutherus* Biblia transferre coeperit, quam multiplices ac pugnantes versiones prodierint, ad perpetuas tenebras merito suo damnandæ: quã sæpe ille idem *Martinus* translationes suas immutauerit, vt nulla Bibliorum versio denuo excusa sit, sine insigni aliqua mutatione, non vnius alteriusue, sed centum vna vice locorum. quæ quidem licentia si vniuersè permitteretur, futurum, vt Christiani, quid credendum sit, non intelligant.

Quippe Spiritus instinctu conscriptam.

His rationibus multorum cum applausu exceptis, alij addebant, cùm Diuina prouidentia scriptum authenticum dederit Iudæorum Synagogæ, & testamentum nouum authenticum Græcis, de Ecclesiæ dignitate plurimum derogare, qui credat Romanam Ecclesiam, Deo cæteris magis dilectam, absque beneficio tam singulari relictam: imo dubium non esse, quin idem ille Spiritus S. qui libros sacros dictauit, eam etiam translationem sacrorum librorum, quæ ab Ecclesia Romana accipenda esset, dictauerit. Nonnullis arduum videbatur, Prophetam aut Apostolum dicere, qui librum modò transtulisset: eoque assertionem eam temperandam putarunt hac mitigatione, si spiritu Prophetico aut Apostolico esset præditus, certe spiritu, qui non longo interuallo proximus esset, haud dubiè inflatus. Quod si quis Diuini spiritus instinctum non nisi grauatè interpreti concedat, Concilio tamen eundem neutiquam denegandum; adeoque post vulgatam editionem approbatam, & anathema contra eos intentatum, qui eam pro authentica minime habent, errorum omnium fore expertem, non vi spiritus illius, qui versionem conscripsit, sed virtute Spiritus Synodi, qui pro authentica eam approbauit.

Saltem approbante eam Synodo.

Contra disputatur nullam versionem contextui originali æqui parandam.

Isidorus Clarus Brixianus, Abbas Benedictinus, in hoc studio apprimè versatus, narratione historica opinionem hanc hominum animis eximere conatur, affirmans, in Ecclesia primitiua permultas fuisse Græcas veteris testamenti translationes, quas distinctas in sex columnas, Origenes collegit in vnum volumen. Harum præcipuam vocari *Septuaginta*, ex qua variæ in linguam Latinam versiones petitæ, quemadmodum è Græcis noui Testamenti libris variæ etiam desumptæ; inter quas ea, quæ vocatur *Itala*, est maxime recepta, in Ecclesia legi solita, & à D. *Augustino* præ cæteris omnibus approbata: sic tamen vt procul dubio contextus græci sint præferendi. D. verò *Hieronimum*, linguarum, vti omnibus compertum est, callentissimum, cum

obseruaret

obseruaret veteris testamenti versionem à veritate Hebraica deflectere; partim interpretis Græci, partim Latini vitio, vnam è lingua Hebraica immediatè petitam edidisse, & alteram noui testamenti versionem ad veritatem Græci contextus emendasse. Eam translationem, propter nominis celebritatem, quâ tum temporis erat *Hieronymus*, à permultis acceptam fuisse, ab alijs vero errorum antiquitatis tenacioribus, & à nouitate magis alienis, aut (vt ille dolens querebatur) gloriæ suæ æmulis reiectam ac repudiatam. verùm victâ post aliquot annos inuidiâ, illam *Hieronimi* versionem à Latinis omnibus acceptam, sic vt vtraque in vsu esset, vetus & noua vulgò nuncupatæ. D. *Gregorium* scribentem ad *Leandrum* in *Iobi* Historiam, testari, Sedem Apostolicam vtramque recepisse: se verò in illius libri expositione, nouam, quòd ad Hebraicum contextum proximè accederet, sibi sequendam delegisse: in citationibus autem locorum interdum hanc, interdum illam versionem adferre, prout ad propositum suum alterutra maximè faciat. Sequutis temporibus è duabus his vnam factam, partim nouam, partim veterem, pro occasionum varietate; cui nomen inditum Editionis vulgatæ. Psalmos omnes dicebat esse veteris versionis, quòd, cùm in templis quotidiè decantarentur, mutari non possent. Prophetas omnes minores, nouæ: maiores, ex vtraque permistos. Esse certissimum, diuina hæc omnia voluntate ac destinatione accidere, sine qua nihil succedat. neque tamen ideo dicendum, peritiam, supra humanam hìc interuenire. *D. enim Hieronimum* palam profiteri, nullum interpretem Spiritu Sancto afflante locutum. Cum autem editio quam præ manibus habemus, magna parte illius sit, nimium esse, Diuini Spiritus adminiculum ei tribuere, qui affirmet & cognoscat eundem sibi deesse. Ideo nullam translationem, cum sacro contextu lingua originali æquiparandam. Quamobrem in hac se esse opinione, editionem vulgatam alijs omnibus anteponendam; approbandamque, modo ad textum originarium corrigatur: eâ vero emendatâ, vt & aliæ omnes extinguantur, & ne quis aliam in posterum edat, seuero edicto prohibendum. Sic omnia incommoda ex nouis interpretationibus profecta, quæ acri iudicio viri in congregationibus obseruarunt, & reprehenderunt, breui tempore desitura.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Vulgatam vero è duabus, veteri & noua concinnatam.

Ideo neque de Spiritus afflatu gloriari posse.

Et emendationem necessario requirere.

F. *Andreas Vegius* Ordinis Franciscanorum, medium inter istas opiniones iter calcans, Hieronimi quidem sententiam probabat, dotem interpretis, non esse spiritum prophetiæ, aut aliud donum speciale diuinum, quod efficiat vt ille errare non possit in interpretando. laudabat item eiusdem, & simul D. Augustuini opinionem, de translationibus ad contextus in lingua originali emendandis: sed addebat, cum his opinionibus non pugnare quod dicitur, Ecclesiam habere Editionem Latinam vulgatam pro authentica. Id enim hoc sensu accipiendum, in ea versione nullum esse errorem fidei aut morum; non autem intelligendum de singulis apicibus, & propriis verborum enunciationibus: quod fieri non possit, vt omnes vnius linguæ voces migrent in aliam absque significati cum restrictione, tum extensione, & sine metaphora, alijsq; figuris. Editionē certe vulgatam spatio mille annorum, ac supra ab vniuersa Ecclesia examinatam. eo tempore compertū, nullū inibi aut in fide aut moribus esse errorem: hoc loco & numero in priscis illis Concilijs habitam & receptam: eodem pretio hoc seculo habendam, approbandamque. Posse quidem eam dici declararique authenticam hac mente, vt cuiuis fas sit eam legere sine periculo; non vt diligentiores quique per eam vetentur è fontibus Hebraicis & Græcis sitim suam explere: sed vt tot integræ translationes, quæ confusonem in Ecclesia pariunt, arceantur.

Vtriusque opinionis conciliatio.

Circa articulum de sensu Sacræ scripturæ, doctrina à Cardinali Caietano olim tradita, diuersimodi sermonibus dedit occasionem. Ille enim docebat, quod ipsum facto quoque comprobauit, nouum aliquem scripturæ sensum, quando cum textu concordat, & neque cum alijs scripturæ locis, neque cum fidei doctrina pugnat, reijciendum non esse, vtcumque torrens Doctorum ad alium sensum confluat. Deum enim scripturæ sensum solis priscis Doctoribus non alligasse. alioqui nihil aliud aut huius æui, aut posterioris scriptoribus relictum, quàm vt ab alijs scripta exscribant in suos libros. Quam Caietani opinionem Theologorum Patrumque alij probabant, alij impugnabant.

Articulus IV. de scripturæ sensu.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Tyrannidem videri, Theologos Doctorum prisci æui interpretationibus astringere.

Horum primis tyrannis quædam spiritualis videbatur, interdicere fidelibus, ne ingenij sui vires exerceant pro modulo donorum, quæ Deus ijs elargitus est: neque id aliud esse, quam vetare, ne talentum à Deo concessum in mercimonium spirituale, vti decebat, erogetur. Contra, homines ad sacrarum literarum lectionem quibusuis illecebris prolectandos, quibus, qui voluptatem eam auferat, quam nouitas afferre solet, omnibus odiosas & inuisas redditurum; eamque coactionem in angustias, facilè studiosos inuitaturam, ad animum alijs scientiarum generibus applicandum, & à sacris literis auertendum, adeoque ad omnem pietatis curam studiumque abijcienda. Istam spiritualium donorum varietatem ad Ecclesiæ perfectionem pertinere. Imo legendis veterum Patrum scriptis non modò magnam opinionum diuersitatem, verùm contrarietatem quoque conspici; sed quæ cum arctissima charitate sit coniuncta. Quorsum autem huic seculo non eadem libertas permittatur, quam superioribus seculis homines magno spiritualis boni prouentu retinuerunt? Scholasticos Theologos, etsi de sacrarum literarum sensu non controuertant, crebra tamen & non minus periculosa inter se de religionis capitibus fouere dissidia. Itaque satius esse imitari veteres, qui Scripturæ interpretationem angustis finibus non concluserunt, sed liberam reliquerunt.

Arguitur contra, expositionum multiplicitate popularem augeri licentiam.

Qui contrariam sententiam tuebantur, disserebant licentiam popularem maiorem in Ecclesiam perturbationem inuehere, quàm ipsam tyrannidem: ideoque his præsertim temporibus effrænata hominum ingenia cohibenda; alioqui nullum fore contentionum finem. Priscis quidem seculis permissum in sacræ Scripturæ libros commentarios scribere, necessitate id postulante, quòd paucæ essent expositiones Bibliorum; & nullo, sicuti hoc sæculo, impendente turbarum metu ab hominibus, vitæ sanctimonia, ingenijque moderatione spectatis. Scholasticos igitur Theologos, cum viderent nullam esse in Ecclesia aliarum interpretationum necessitatem, & Scripturam non modo sufficienter, sed etiam copiosè explicatam, aliam rerum sacrarum tractandarum rationem iniuisse. cumque viderent homines ad disputandum suopte ingenio procliues, satius duxisse, distinere eos potius excutiendis *Aristotelis* effatis & rationibus, atque interim verbo Dei cultum & reuerentiam debitam conseruare; cui plurimum decedat necesse est, quando illotis vulgi manibus tractatur, aut curiosis, tanquam materia exercitandis ipsorum ingenijs, propinatur. Atque hæc sententia eo confidentiæ processit, vt *F. Ricardus de Mans* ordinis Franciscanorum non erubesceret dicere, fidei dogmata operâ scholasticorum in præsens sic esse enucleata, vt in posterum ex scriptura ea addiscere nihil esset opus. Eam olim in Ecclesia legi, & in scholis addisci solitam ad populum instituendum. nunc vero in Ecclesia lectitari, vt orare doceat solum, qui vnicus debet esse illius vsus; non autem vt addiscatur. atque eum esse cultum ac venerationem à singulis verbo Dei debitam. Illud verò omnino prohibendum, ne quis discendi studio scripturam legat, nisi qui in Theologiæ Scholasticæ doctrina prius sit institutus. apud eos enim qui in sacris literis versantur, Lutheranos maximos facere progressus. quæ sententia fautores etiam suos habuit.

Ferreum os Monachi, fidei dogmata, non ex scriptura, sed ex scriptis Scholasticorũ addiscenda asseuerantis.

II. Mediæ opiniones superioribus conciliandis.

Inter has opiniones duæ mediæ incedebant; vna, Sacræ Scripturæ intelligentiam, non ad solos Patres restringendam; quòd illorum sensus, vt plurimùm sint allegorici, rarenter autem literales. qui verò literam sequuntur, sæculo suo se accommodant; sic vt ea expositio ætati nostræ minimè quadret. Scitè enim dictum à *Cardinali Cusano* præstantis doctrinæ & probitatis viro, scripturarum intelligentiam tempori aptandam, easque secundum morem vsitatum exponendas. eò mirum non videri, si Ecclesiæ vsus eundem scripturæ locum diuersimode diuersis temporibus interpretetur. Neque alio sensu accipiendum vltimum Concilium *Lateranense*, quando statuit scripturam secundum Doctores Ecclesiæ, aut sicut longa consuetudo approbauit, explicandam. Concludit, nouas expositiones non vetandas, nisi cùm à sensu sæculi dissentiunt.

Prior sententia, nouas expositiones non vetandas, quæ à vulgato seculi sensu non abeunt.

Altera sententia, interpretationes permittendas quæ cum norma fidei & morum non pugnant.

At *F. Dominicus Soto* Dominicanus materiam fidei ac morum ab alijs omnibus distinguens, dicebat in illa sola æquum esse vt ingenia omnia intra limites iam positos contineantur: in alijs vero nihil esse incommodi cuique permittere, vt salua pietate caritateque

cantateque in suo abundet sensu. Non fuisse Patrum mentem, ipsorum imitandorum necessitates alijs imponere, nisi in ijs, quæ necessariò credenda, agendaque essent. Neque decretum Pontificibus Romanis, quoties in Decretalibus suis aliquem Scripturæ locum in vnum sensum interpretantur, eum in Canonem ita referre, vti fas non sit ea verba in alium sensum accipere, etiamsi ratio id suadeat. Ea quoque mente fuisse *D. Paulum*, cum dixit vtendū prophetia, hoc est, Scripturæ interpretatione secūdum rationem fidei, id est facta interpretationis ad articulos fidei relatione. absq; qua distinctione fuisset, in grauia incommoda itum esset, propter contrarietates, quæ in diuersis expositionibus veterum Patrum reperiūtur; quarum vna alteri refragatur.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

His tametsi propositis difficultatibus, in congregatione Patrum de consensu prope omnium probata editio vulgata, in Præsulum animos vehementi inde impressióne facta, quod dicebatur, Grammaticos Episcoporum ac Theologorum instituendorum potestatem sibi arrogaturos. Et quamuis nonnulli affirmarent, satius esse propter rationes à Theologis allatas, caput illud in præsens omittere, secus tamen decretum est: Illudque propositum, vt editione hac iam approbata, Synodus vellet iubere eam prælo committi & emendari, atque exemplar aliquod efformari, iuxta quod excuderetur. De communi igitur assensu: delecti sex, qui emendationi sedulo incumberent, vt ante exitum Concilij in lucem prodire posset, reseruata interim facultate augendi numerum correctorum, si ex iis qui essent venturi, quis inueniretur ad eam prouinciam capiendam idoneus.

Editio vulgata probatur, eique emendandæ sex de cōmuni assensu assignantur.

Verùm cùm ad suffragia super quarto articulo ferenda ventum esset, Cardinalis *Paciecus* dixit Sacram Scripturam à tot tamque præclaris eruditione & probitate viris explicatam, vt nihil addi possit; hæresesque omnes inde natas, quod Scripturæ noui sensus affingantur. Esse itaque necessarium petulantiam ingeniorum nostri sæculi retundere, & efficere, vt antiquis Patribus & Ecclesiæ se regendos permittant. quod si alicui singularis spiritus oboriatur, cogendum eum vt sibi sapiat, neque animi sui sensu euulgato aliis negotium facessat. Atque in eam sententiam ab omnibus pene itum est.

Card. Pacieci de IIII. articulo suffragium, in quod omnes eunt.

Congregatio habita die XXIX. in V. articulo fuit consumpta, Theologis nihil definientibus, sed ad voluntatem Synodi, cuius est sanctiones condere, rem referentibus: patribus etiam in incerto fluctuantibus. Videbant enim, si anathema in Decreto omnino omitteretur, decretum illud non esse fidei, & ordinem non ita pridem institutum, de duobus capitibus fidei ac morum simul tractandis, in ipso statim principio infringi. Rursus vnumquemque hæreseos damnare, qui editionem vulgatam Bibliorum in peculiari aliquo loco, atque eo forsitan non adeo magni momenti non admittat; aut qui præ iudicij imbecillitate aliquod cerebri sui commentum super Scripturæ loco in publicum emittat, nimis arduum strictumque videbatur. Post multam ergo disceptationem hoc temperamentum adhibitum, vt primum Decretum formaretur, atque in eo, ea modò comprehenderentur, quæ libros sacræ Scripturæ & traditiones spectant, & propterea illud anathemate confirmaretur. Dein vt in secundo decreto, quod ad reformationem pertinet, omisso anathemate ea solum continerentur, quæ Scripturæ editionem, eiusque sensum tangunt, quo decretum illud tot ineptis & absurdis interpretationibus medeatur.

Articulus V.

Priori Sessionis huius decreto Anathema apponitur; posteriori nullum.

Præter hunc abusum restabant alij, quorum magnam manum collegerant, vt est ingenium humanum, natura sua debile & superstitioni deditum, oppidò quam procliue ad abutendum rebus sacris, non solum præter, sed etiam contra id, ad quod à principio institutæ fuerunt. De incantationibus primo loco dictum, quibus sacra verba adhibentur, tum in thesauris reperiendis, tum in rebus lasciuis ac voluptuosis patrandis, tum in illicitis impetrandis: iisque malis tollendis proposita remedia. Ad hoc incantamentorum caput referebant nonnulli Euangelia secum deferre, aut sacrosanctum Dei nomen vsurpare, vel præuertendis curandisue ægritudinibus, vel malis & infortuniis auerruncandis, vel rebus prosperis procurandis. nec minus impium, ad hos ipsos effectus producendos eadem legere, aut in chartas reponere, addita temporum obseruatione. Tum his adnumerabant celebrationem Missarum in quibusdam regionibus super ferro ignito, super aquis feruentibus, aut frigidis, aliis-

Abusus plerique verborum S. Scripturæ: quorum primus in incantationibus.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

que purgationum vulgarium modis: & Euangelij recitationem super armis, vt iis aduersus hostes nocentioribus vtantur. Item incantationes canum ne mordeant, serpentum ne lædant, aliorúmque animalium agris, satisue noxiorum, etiam tempestatum, & similium, quæ sterilitatem terris important. Quæ quidem omnia, tanquam rerum sacrarum impios abusus, plerique non damnanda modo & vetanda, sed seueriter castiganda censebant. Neque deerant tamen qui contra dissererent, & quæ illi velut impia ac superstitiosa damnabant, horum quædam non tolerabilia solùm, minimeque damnanda, sed licita, pia, ac religiosa contenderent. nec dissimilis controuersia fuit de verbo Dei diuinationibus & sortilegiis adhibendo, cùm schedulæ extrahuntur inscriptæ versibus sacræ Scripturæ; aut verò aperto Bibliorum libro euentus obseruantur. Omnium sententiis damnatum sacræ Scripturæ verbis vti in famosis libellis, & criminosis scriptis: etiam sermo habitus de tollendis Romæ Pasquinatis. qua in re affectum suum comprimere ægrè potuit Cardinalis *Montanus*, dum remedium vehementiùs vrget; qui ipse licet ingenio liberrimus, atque ad vrbanitatem à natura compositus, aulicorum tamen dicteriis sæpenumerò ostendebatur. Omnes vno ore dicere, verbum Dei non posse tanta, quanta ei debetur haberi reuerentia: ideo nec satis decorè adhiberi laudandis hominibus quantumuis excellentibus, etiam Principibus aut Præsulibus; & in genere omnem eius in rebus inanibus vsum esse crimini affinem: sed Concilium ea re non distinendum, quod non ea gratia conuocatum sit, vt defectibus omnibus prospiciat. Neque verò absolutè prohibendum, ne verba sacræ Scripturæ ad res actionesque humanas applicentur. Diuum enim *Antoninum* in Historia sua neque Legatos Siculos damnasse, qui à *Martino IIII.* Pontifice in Consistorio admissorum veniam suppliciter petentes, Legationem suam Scripturæ verbis tertium iteratis exposuerunt, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis:* Neque Pontificis responsionem, qui totidem vicibus replicauit illud, *Aue Rex Iudæorum, & dabant illi alapas:* Lutheranos itaque malitiam suam prodere, dum Episcopum *Bitontinum* reprehendunt, quòd pro concione in Consessu publico diceret de ijs, qui Concilium non agnoscerent, illud posse vsurpari, *Papæ lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Tot congregationes in hoc consumebantur, tantumque augescebat abusuum numerus, & remediorum propositorum infirmitas tam liquido apparuit, vt communis opinio huc inclinaret, peculiarem abusuum mentionem non esse faciendam; neque ad remedia idonea, aut pœnas particulares descendendum: sed verbis generalibus prohibendos, & pœnas Episcoporum arbitrio permittendas. De corruptelis quoque Typographiæ multo sermone non erat opus, cunctis sentientibus frænum typographis imponendum, iisque vetandum, ne sacrum quid prius excudant, quàm publicè approbetur. huic verò rei illud sufficere, quod vltimo Concilio Lateranensi esset decretum.

Quorundam abusuum vindices & assertores.

Alius abusus in famosis libellis.

Item in hominibus laudandis.

Verba Scripturæ ad actiones ciuiles detorta.

De abusu Typographiæ.

Verùm de lectionibus & prædicationibus magnæ statim obortæ controuersiæ. fratres enim *Regulares*, tam Pontificum priuilegijs, quàm continuata CCC. annorum possessione sibi solis palestram hanc vendicantes, in qua tam diu desudassent, in ea retinenda neruos omnes intendebant. Præsules verò, quòd proprie sui esset muneris, id à fratribus occupatum, sibique ademptum affirmantes, in integrum restitutionem postulabant. Atque cum hic certamen cerneretur non de opinionibus, sed de emolumentis, ab vtrisque præter rationes effectis etiam adhibitis; & periculum esset, ne fieret per hæc dissidia, vt in Consessu nihil statueretur, Legati ad aliam Sessionem hæc duo capita reijcienda censuerunt. Interea iuxta ea in quæ assensum erat, decreta duo conficiuntur, & in vltima congregatione recitata approbantur, adiectis, ad caput de editione vulgata, nonnullis exceptionibus. In fine autem congregationis Cardinalis *Montanus*, omnium doctrina prudentiaque summopere collaudata, monuit eos, vt in publico Consessu decoro religiose seruato, vnum cor, eandemque animam ostenderent, rebus controuersis iam ante in congregationibus satis superque exagitatis. Cardinalis quoque *Sanctæ Crucis* finita congregatione, ijs, qui vulgatæ editioni refragabantur, in vnum vocatis significauit, nullam ipsis esse querimoniæ causam, cum libertas relicta esset tum editionis

Inter fratres Regulares & Prælatos de legendi prædicandique munere grauis controuersia.

nis illius emendandæ, tum ad contextus primigenios recurrendi: neque aliud vetitum, quam errores fidei ei tribuere, quorum nomine planè foret reijcienda.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Iam octauo die Aprilis, qui Consessui destinatus, Missam Spiritus S. celebrauit *Saluator Alepo* Archiepiscopus *Turritanus* in *Sardinia*, concionatus est *Augustinus Aretinus*, Generalis Seruorum; post sumpta autem indumenta solemnia, & litanias, precesque peractas, decreta legit ille ipse Archiepiscopus. Primi Decreti hæc summa fuit: *Synodum proponentem sibi ante oculos conseruationem puritatis Euangelij, quod Prophetæ promiserint, Christus ipse promulgauerit, Apostoli denique salutaris omnis veritatis, morumque disciplinæ fons prædicauerint: simulque perspicientem, veritatem hanc & disciplinam contineri libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ab Apostolis acceptæ ab ipsius Christi ore, & à Spiritu sancto dictata, quasi per manus traditæ Ecclesiæ sunt: Orthodoxorum Patrum exemplo, omnes libros tam veteris, quam noui testamenti, necnon traditiones tam ad fidem, quàm ad mores spectantes, ab ore Christi profectas, vel à Spiritu Sancto dictatas, & in Ecclesia Catholica continua successione conseruatas, pari pietatis affectu & reuerentia suscipere.* Dein sacrorum librorum indice adscripto, infert, *Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit; quiue sciens & prudens ante dictas traditiones contempserit, anathema esse.* Id ideo fieri, *vt omnes intelligant, quibus fundamentis, in confirmandis dogmatis, & instaurandis in Ecclesia moribus, Synodus sit vsura.* Secundi item Decreti hæc fuit summa. *Vulgatam editionem Bibliorum, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habendam; neminiq, vt eam prætextu quouis reijcere audeat, præsumendum. Sacram Scripturam, contra eum sensum, quem semper tenuit Sancta mater Ecclesia, aut contra vnanimem consensum Patrum, minimè esse interpretandum; etiam si huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra fecerint ab Ordinarijs puniendos. Eam ipsam veterem & vulgatam editionem quàm emendatissimè imprimendam. Vt nulli liceat libros de rebus sacris sine nomine authoris aut imprimere, aut vendere, aut apud se retinere, nisi ab Ordinario prius fuerint probati, eaque approbatio in fronte libri authentice appareat sub pœna anathematis, & mulcta in Canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita. Vt nemo audeat Sacræ Scripturæ verba vsurpare ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, incantationes, diuinationes, sortes, & libellos famosos: vtque omnes huius generis temeratores ad Episcoporum arbitrium coerceantur.* proxima tandem Sessio in XVII. Iunij diem indicitur.

SESSIO IV. Decreti prioris summa, de Canonicis Scripturis.

Decreti alterius summa, de Editione & vsu sacrorum librorum.

Aderat tum temporis *Franciscus Toletanus Cæsaris* Legatus, cuius, & alterius item Oratoris *Didaci Mendozæ* absentis mandatum à Secretario Concilij lectum. Ille cum Patres Imperatoris verbis principio salutasset, subiunxit: Omnibus esse compertum, *Cæsarem* nihil Imperatorio fastigio ducere dignius, quàm Christi gregem non solum ab inimicorum iniurijs protegere, sed tumultibus etiam & seditionibus liberare: eoque periucundum accidisse *Cæsari* eum diem, quo Concilium Pontifex inchoauit. Quam occasionem rei bene gerendæ, potestatis authoritatisque suæ fauore prosequi cum decreuisset, è vestigio *Mendozam* eò misisse; quòd ille valetudine ne munus legationis obire posset, impediatur, se collegam datum esse. Hoc nunc solum superesse, communibus vt votis Deum obsecrent, Concilium vti fortunare dignetur; atque, quod est rei caput, hanc Pontificis & *Cæsaris* consensionem perpetuam esse velit, ad Euangelicam veritatem confirmandam, pristinam puritatem Ecclesiæ restituendam, & lolium, aliaque noxia ex agro Dominico euellenda. Responsum à Legatis Concilij nomine, ipsius aduentum esse Synodo pergratum, tum ob cultum eum, quem *Cæsari* debeant, tum ob fauorem, quem ipsius verbis Concilio promittat. Etiam ipsius personam se animitus amplecti, de cuius synceritate & religione plurimum confidant; & mandata *Cæsaris*, prout æquum est, admittere. Dolere sibi valde de collegæ ægritudine; sed de *Pontificis* & *Cæsaris* concordia Deo gratias agere, eumque obtestari, vt præclaros vtriusque conatus, ad Christianæ religionis incrementum & Ecclesiæ pacem secundet. His solita ceremonia peractis, sessio illa finem habuit: cuius Decreta derepente Romam missa, & non multo post typis commissa.

Francisci Toletani Oratoris Cæsarei in Synodo oratio.

Synodi responsum.

In *Germaniam* vbi peruenere, magnam sermonibus materiam suppeditarunt. Nonnullis

Germanorum de Sessionis huius decretis iudicium.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Item de his qui Decretorum auctores.

nullis audax incœptum videbatur, V. Cardinales, & XLVIII. Episcopos, præcipua religionis capita hactenus indecisa, leui brachio definire, authoritate Canonica libris antea incertis & Apocryphis data; translatione, quæ à textu originario deflectit, authentica facta; modo etiam præscripto ad quem sensus verbi Diuini sit extendendus, aut restringendus. In his tamen Præsulibus non temere reperiri aliquem præcellentis doctrinæ laude insignem. Leguleios esse aliquot, in iuris professione doctos, sed religionis non admodum intelligentes. perpaucos Theologos; eosque eruditione infra vulgus Theologorum. Plerosque omnes Nobiles, aut Aulicos. Ex ijs qui aliqua sint dignitate, aliquos esse titulares tantum, sed Episcopos magnam partem esse ciuitatum adeo minutarum, vt si quisque populum cui præest, referat, vix omnes millesimam Orbis Christiani partem repræsentent. Sed è *Germania* præsertim ne vnum quidem adesse Episcopum, vnicumue Theologum. In tanto numero ne vnum quidem potuisse reperiri? Cur ex ijs qui colloquio interfuerunt, & capita controuersiarum melius alijs intelligunt, nemo vnus ab Imperatore adesse iussus? Inter Præsules *Germaniæ* vnum Cardinalem *Augustanum* Procuratorem misisse, eumque non Germanum, sed Allobrogem. Procuratores enim Cardinalis & *Electoris Moguntini*, audita Principis sui morte, ante duos menses discesserant.

Decreti partē de Traditionibus esse imperfectam.

Alii dicebant ea, quæ definita essent, non tanti esse, quanti videbantur, momenti. In capite enim de traditionibus, quod erat præcipuum, nihil tanto dignum hiatu decretum. Cui enim bono iuberi traditiones ab Ecclesia, recipi, nisi simul ostendatur, quæ traditiones sint recipiendæ, aut earum internoscendarum ratio aliqua proponatur? Deinde, non tam præcipi decreto de ijs recipiendis, quàm vetari ne quis sciens prudensque eas aspernetur: adeo vt qui reuerenter ac modestè omnes reijciat, Decretum infringere non videatur. Nec deesse inter ipsos Romanæ Curiæ asseclas, qui nec Diaconissarum ordinationem admittant; nec populo ministrorum electionem permittant; quam institutionem Apostolicam supra octingentos annos in Ecclesia continuatam constat: neque ipsam calicis communionem, licet à Christo institutam, ab Apostolis commendatam, ab vniuersa Ecclesia ante ducentos annos semper piè obseruatam, & adhuc ab omnibus Gentibus Christiani nominis, nisi à Latina firmiter retentam. quam nisi Traditionem agnoscant, quid aliud eo nomine sit indigitandum, non liquere. Quod verò editionem vulgatam pro authentica declarent, cum propter exemplarium varietatem, quæ ea sit, non satis intelligatur, rem nihilo magis factam habere. Sed qui istud obiectabant, nesciebant, scilicet, à Concilio iam designatos, qui vnum exemplar emendatum pro vera editione vulgata stabilirent; quod quidem cur effectum non sit infrà suo loco memorabitur.

Et Decretum alterum de Editione vulgata.

Pontifex ad res Concilij serio animum applicans Legatis III. iniungit arctè tenenda.

Iam Pontifex, cum *Romæ* Consessus Decreta conspicatus esset, rerum tractatarum grauitate considerata, cum animo suo statuit Concilij negotium pensius habere, quàm hactenus habuisset. Itaque aucto Cardinalium & Præsulum numero, quibus *Romæ* inspectionem & curam rerum Concilij demandarat, de ipsorum sententia Legatos suos de tribus rebus monendos censuit. Primùm, ne in posterum decretum vllum in consessu promulgarent, priusquam illud sibi *Romæ* communicassent: atque vtcumque nimia cunctatio in procedendo esset vitanda, cauendam certè multo magis festinationem; per quam fieri posset, vt, & de rebus non satis consultis, & concoctis aliquid statuatur; & tempus vix suppeteret, ad mandata de eo, quod in Concilio proponendum, deliberandum, concludendumque esset, Româ accipienda. Deinde, ne in capitibus non controuersis tempus consumant, quod vltimo consessu fecisse videbantur, de ijs disserentes, de quibus, quòd principia sint indubitata, inter omnes conueniat. Denique ne vnquam, quacunque de causa, ad disputationem de authoritate Papæ veniatur.

Legati ad singula accuratè respondent.

Quibus Legati respondent, se ad ipsius iussa patranda paratissimos. Sibi tamen videri non leuem inter Catholicos & Hæreticos de rebus definitis esse controuersiam. aliqua enim vtriusque Testamenti scripta à tertio Concilio *Carthaginensi*, ab *Innocentio* I. & *Gelasio*, & in VI. *Synodo Trullensi*, & à Concilio *Florentino* recepta, ab Hæreticis in dubium vocari: atque quod est deterius, à quibusdam Catholicis & Cardinalibus. Præterea, Traditiones non scriptas à Lutheranis oppugnari, quas sum-

summa ope abolere nituntur; hoc posito, omnia quæ sunt ad salutem necessaria, esse verbo Dei scripto comprehensa. Quamobrem, vtcunque duo hæc capita sint principia, esse simul conclusiones; idque & maxime controuersas, & ex omnibus, quæ in Synodo determinandæ sint, consideratione dignissimas. Hactenus quidem nullam occasionem oblatam loquendi de authoritate Pontificis, aut Concilij, nisi vbi de titulo Synodi actum, vt ei adderetur, *Ecclesiam vniuersalem repræsentans.* Quam additionem licet multi adhuc flagitant, sibi tamen decretissimum esse, eam quantum potest, declinare. Quod si cedere cogantur, hoc saltem instanter petituros (quod negatum iri non existimant) vt modus repræsentationis exprimatur, nempe mediante capite suo, non aliter: vnde accessio potiùs, quàm iactura speratur. Cæterum, cùm ex certissimis indicijs obseruent plerosque omnes è Synodo maxima Pontificem prosequi reuerentia; quamdiu inter illum qui caput est, & corpus Concilij vnio permanebit, quod eousque expectandum est, dum in reformatione stabilienda consentiunt, nullam esse causam cur animo securo non sit, aut de authoritate sua quæstionem metuere debeat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Post hæc Pontifex *Hieronymum Francum* Nuncium ad Heluetios misit, datis ad *Sedunensem* & *Curiensem* Episcopos, & ad *Abbatem Sancti Galli*, aliosque illius Nationis Abbates literis. Iis significauit, vocatis ab se ad Concilium generale Tridentinum omnibus Christiani orbis Prælatis, æquum esse, vt ipsi, qui Ecclesiam Helueticam repræsentant, eò veniant. Eius nationis populum, sibi esse præ cæteris charum, qui sint tanquam Sedis Apostolicæ filij peculiares, & libertatis Ecclesiasticæ propugnatores. *Tridentum* iam venisse frequentes ex *Italia*, *Gallia*, & *Hispania*, & numerum quotidie augescere. non esse itaque decorum, ipsis, qui adeo sint vicini, longinquiores præuertisse. gentem eam magna sui parte contaminatam hæresibus, eò magis indigere Concilio. Imperat tandem per eam, qua obligati tenentur, obedientiam, iurisiurandi vinculo firmatam, sub poena legibus præscripta, vt nulla mora interposita eò se conferant: cæteris quæ dicenda essent, ad Nuncium suum remissis.

Pontifex per literas Episcopos Heluetiæ ad Concilium inuitat.

Multis autem ac vehementibus *Cleri* & *Academiæ Coloniensis* (quibus accesserant *Leodiensis* & *Vltraiectinus* Episcopi, & *Academia Louaniensis*) petitionibus aduersus Archiepiscopum, & Electorem *Coloniensem*, datum, vt definitiuâ Pontificis sententiâ ille extra Ecclesiæ communionem eiectus, Archiepiscopatu, cæterisque omnibus Sacerdotijs & priuilegijs Ecclesiasticis cedere iuberetur: populus verò ipsius ditioni subditus, iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur, solutus, parere ei vetaretur. Id factum, quod incurrisset in censuram diplomate *Leonis* X. contra *Lutherum* eiusque socios editam, quippe doctrinam professus, tutatusque, quæ cum regulis Ecclesiasticis, Apostolorum traditionibus, & consuetis in Ecclesia Christianæ religionis ritibus pugnaret. Eaque sententia *Romæ* post typis fuit excusa. Altero etiam diplomate edictum, vt in vniuersum *Adolpho Comiti Scauemburgensi*, iampridem ab Archiepiscopo in coadiutorem assumpto, parendum habeant.

Pontifex Electori, Coloniensi Episcopatu, & Sacrorum communione interdicit.

Et quamuis Pontifex *Cæsarem* crebris hortatibus vrgeret, vt eam sententiam exequeretur, ille tamen nouitatem eam rebus suis parum opportunam existimauit, quod futurum videret, vt Archiepiscopus, quem ipse, quòd debitam sibi obedientiam hactenus præstitisset, pro eo loco ac dignitate semper habuerat, Protestantibus foederatis se mox esset coniuncturus. Vnde nulla habita ratione sententiæ Pontificiæ, ex eo tempore cum eo tanquam Præsule egit, scriptoque eum honorificè compellauit. Quæ res Pontificem intimis angebat sensibus. Sed cum nullum ei rei remedium conspiceret, & parum prudentis iudicaret iracundiam vanam sine viribus prodere, offensionem hanc ad cumulum aliarum, quas à *Cæsare* se accepisse putabat, iniuriarum, adijciendam censuit. Sed & hæc à Pontifice in Archiepiscopum lata sententia alium quoque periculosum effectum produxit. Protestantes enim inde sumpta occasione firmabant in hoc animum, Concilium non ob aliud indictum, nisi ad illos illaqueandos. Nam si controuersa fidei dogmata in Concilio essent examinanda, qua fronte posse Pontificem, ante Synodi determinationem de ijs ferre sententiam, ac per eam Archiepiscopum hæreseos damnare? Inde plus satis esse perspicuum,

Eum tamen Cæsar loco pristino habet.

Sententiâ in Coloniensem latâ Protestantes fiunt à Concilio alieniores.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

ſpicuum, fruſtra adituros ſe Concilium, in quo dominetur Papa, qui ſi velit, diſſimulare non poſſit, ſe habere ipſos pro iam damnatis. Illud quoque inde eluceſcere, Concilium apud ipſum Pontificem non magna exiſtimatione eſſe. quippe, qui ſolus poſt Concilium inchoatum de eo ſtatuerit, quod ad omnes ſpectabat, nulla eius parte Synodo communicata. Hæc nimirum Elector Saxoniæ per Legatos ſuos *Cæſari* ſignificanda curauit, hoc adiecto, cùm mens Pontificis tam liquidò poſſit diſcerni, iam tempeſtiuum eſſe, quieti *Germaniæ* Synodo nationali proſpicere, aut certe res religionis in Conuentu ordinum Imperij ſeriò & accuratè tractare.

Quid Seſſione proxima tractandum, controuertitur.

Verùm, vt ad ea, quæ in Concilio geſta reuertamur, duo ſupererant capita, reliqua ex ijs, quæ ſicut dictum eſt, ante vltimam Seſſionem fuerant tractata: de lectionibus ſacræ Scripturæ, & verbi Dei prædicatione. Quare de ijs actum prima Congregatione. Sed à Legatis propoſitum etiam, vt, quoniam dogma fidei ſimul eſſet tractandum, de peccato Originali ageretur. Huic verò propoſito refragabantur Præſules Hiſpani, affirmantes materiam eſſe ſatis copioſam ad Patres vno Conſeſſu diſtinendos, ſi abuſus in prædicatione & lectione verbi Diuini commodè reſarciantur. Et quoniam ad eam ſententiam acceſſerant Præſules Itali, qui à *Cæſare* pendebant, Legati eos Cæſareanorum miniſtrorum impulſu ad id adductos non temere ſuſpicabantur: eoque rem omnem per literas Pontifici renunciant. Cum verò ille reſcripſiſſet, ab ijs lento gradu progrediendum, dum ille cum ſuis quid eſſet ſtatuendum, deliberat, Legati interim tempus omne vſque ad feſtum Paſchatis, artificioſam abhibentes diligentiam, in eorum quos diximus, abuſuum parte aliqua emendanda collocant, neque quid ſibi eſſet animi in pertractãda de peccato originali controuerſia, omnino explicant.

Franc. Toletanus Cæſaris verbis inſtat vt non de fide, ſed de reformatione ſola agatur.

Paſchali verò celebritate peracta, reſpondit per literas Pontifex in dogmate fidei propoſito eſſe pergendum. Quod vbi Cæſareus Orator die II. Maij reſciuit, Legatos primùm pertentat, multoque vſus dicendi artificio, interdum ſuadendo, interdum quid ipſe ſentiat de materia reformationis proſequenda proponendo, interdum vt ipſorum mentem eliceret ſuaſiones ſuas obliquando: ſed cùm id minùs ſuccederet, rem ipſam aperte profeſſus eſt, datis à Cæſare literis ſibi imperatum, curaret diligenter, ne adhuc in Synodo de fidei dogmatis, ſed reformatione ſolùm ageretur. A Legatis multa in contrarium diſſeruntur, illud præſertim: & diplomate Pontificis mandatum, vt fidei & emendationis capita ſimul proponantur; & Concilij ipſius decreto ſancitum, vt pari paſſu pertractarentur. adhæc, ſcripſiſſe ſe dudum ad Pontificem, octo poſt Paſcha diebus, ſe caput illud inchoaturos. Poſt multos de ea re hinc inde ſermones, cùm Legati tandem dixiſſent, à Pontifice ſic imperatum, cui ex officio parere teneantur; Toletanus reſpondit, fidelibus miniſtris ex officio incumbere, amicitiam inter Principes ſartam tectam conſeruare; & nonnunquam alterum mandatum, ac poſteriores cogitationes expectare. Id illi quidem non negabant, ſed iniquum eſſe aiebant, id ab ijs flagitari, quod ſaluo honore concedere nequeant. Hæc ad Pontificem referunt, ſimul, ſignificaſſe ipſis Cardinalem Tridentinum, ſi articulus de peccato originali in Synodo proponeretur, id Cæſaris ingratijs futurum. Viſum quidem ſibi, qui hinc pacis & concordiæ cupiant eſſe adminiſtri, inde verò Beatitudinis ſuæ dicto audientes, nuncium hunc, quanta poſſet feſtinatione mittere, orareque, vt errare eos non patiatur. Decreuiſſe enim, ni contra moneat, quod, nouiſſimè præceperit, ſequi: & tum Franciſco Toletano, tum Cardinali Tridentino perſuadere, articulum de peccato originali non vltrà in Germania controuerſum, ſed confeſſum: quod ex vltimo colloquio Ratiſbonenſi clarum fuerit; in quo, Cæſaris mandatu, de iuſtificatione ſermo coeptus haberi. Ad deliberandum autem, quò temporis abunde ſit, certum eſſe ſibi, quot honeſte poterunt dies, in reliquijs poſtremi Conſeſſus perſequendis ponere.

Legati, cum aſſentiri pernegaſſent, Pontificem conſulunt.

Congregatio habetur ad ſtatuendum de commoda forma procedendi.

Congregatio vna hoc ſolùm nomine inſtituta, vt forma præſcriberetur, ſecundum quã in doctrina fidei, iuxta atq; in materia reformationis, magis ordinatè quàm antehac Synodus procederet. In ea viſum duo genera congregationum diſtinguere, vnum Theologorum, qui de rebus fidei propoſitis differerent; quorum opiniones ab vno è publicis Synodi Tabellionibus ſcripto exciperentur. vbi verò ab

his

his ipsis de reformatione ageretur, tum præter Theologos, Canonistas censebant introducendos: easque congregationes in Legatorum præsentia habendas; sic vt omnes Patres, quibus audiendi libido, ijs interesse possent. Alterum genus Congregationis constabat Prælatis, qui capita siue doctrinæ, siue reformationis, in formam redigebant: quæ quidem examinata, & secundum opinionem maximè communem in ordinem digesta, in Congregatione generali erant proponenda, vt singulorum suffragijs auditis de assensu plurium Decreta proxima Sessione promulganda firmarentur.

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

II. Genera Congregatio-nũ instituun-tur.

Iuxta hunc ordinem actum de lectionibus & concionibus. Et licet Decretis formandis reformandisque variæ fierent perscriptiones, nulla tamen reperta, quæ satis omnibus arrideret: quod hinc Præsules (quorum valde intererat) omnia cuperent ab authoritate Episcopali pendere, neque aliquem ab ipsorum Iurisdictione esse immunem: illinc verò Legati saluas vellent immunitates à Pontifice datas Academijs & fraterculis mendicantibus. Creditum quidem, re multis disputationibus agitata, in congregatione decimo Maij habenda, omnes conciliatum iri: sed res in contrarium recidit. Etsi enim congregatio ad noctem vsque extracta est, nihil tamen determinatũ in quibusdã capitibus, propter opinionum inter ipsos Præsules varietatem: in alijs, quod Legati dissentiebant ab opinione vniuersali, de tollendis, aut certè moderandis priuilegijs. Contra Episcopos obijciebatur, proprijs eos vtilitatibus magis, quàm ratione moueri: nullam habere rationem præiudicij quod creetur inde Regularibus: nimis audaciter suscipere Conciliorum anteactorum emendationem, & admoliri manum priuilegijs à Papa concessis. Neque modò non conueniebat inter eos propter opinionum diuersitatem, & quòd Episcoporum valdè interesset; verùm etiam, quod, qui *Cæsaris* rebus studebant, de industria moras necterent, vt ad dogmata non veniretur. Nec omnino displicebat Legatis tempus ad eum modum transmittere, quibus decretum erat, nisi responsione ea, quam *Roma* expectabant, illis interdiceretur, ad propositionem dogmatum protinus venire, & quicquid inde euenturum esset, à se omnem iustæ reprehensionis maculam amoliri.

Lis inter Præsules, & fratres regulares de legendi concionandique munere redintegratur.

Sed vt aliquis tandem esset agendi finis, Legati iubent summarium opinionum, quas Theologi & Canonistæ in diuersis præcedentibus cõgregationibus protulissent, recitari. Ex eorum enim suffragijs, quæ prolixa erant, seligendum curauerant, quod ad rem maxime faciebat; vt eo examinato, sententiam quisque suam proferret. At *Bracius Martellus* Episcopus *Fesulanus*, audito, summarium esse legendum, oratione perpetua disseruit in contrarium: esse necessarium, vt congregatio generalis omnium suffragia, et suffragiorum rationes omnes intelligat; non autem collectanea, & summulas audiat. Imo verò in amplificanda Concilij authoritate, & necessitate omnia inibi copiosè explicandi ad animos informandos; & commemorandis rursus incõmodis, quæ euentura essent, si vel pauculi deliberationũ essent arbitri, aut decreta aliunde manarent, tam multa dixit, tamque meditatè, vt Legati ea ratione vehementer commoti, Episcopum affectatâ quidem modestiâ, sed satis acriter increpuerint, & congregationem mox dimiserint.

Alia controuersia, an summaria suffragiorum tãtùm in Congregationibus recitanda.

Postridie eius diei Legati ab Episcopo deposcunt exemplar orationis à se habitæ. Eam *Romam* missam irreuerentiæ & seditionis insimulant. Episcopum à se modestè reprehensum & acriter fatentur, sed in eo pro meritis coercendo fuisse porro progressuros, nisi disputationem amarulentam reformidassent, quæ scissuræ occasionem datura esset. Non esse tamen impunè dimittendum, ne impunitas ad idẽ, aut quid deterius in alia congregatione audendum esset illecebra: sed aliqua ratione procurandum, vt *Tridento* facessat; simul vt Episcopus *Chiozæ* illi non adsimilis licet in alio genere, eodem non reuertatur. Episcopus hic statim a Sessione *Tridento* discesserat, obtentu quidem valetudinis, sed re vera, quòd se parum gratiosum apud Legatos videret, etiam forte periculo obnoxium. quippe, qui F. Antonij Marinari sententiam propugnans in materia traditionum, asperioribus à Cardinale Polo verbis esset exceptus, & coactus queri, Concilium non esse liberum. Neque contenti his Legati, vt Episcopum *Fesulanum* magis affligerent, & rem integram seruarent, ad nutum Pontificis, & nuncium *Româ* expectatum, vel prosequendam, vel dissimulandam,

Legati ad Põtificem deferunt Episcopos Fesulanũ & Oscensem ob sermonis libertatem.

Car-

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Cardinalis *Montanus* proxima congregatione ei denuo insultans dixit, se in præsens eum relinquere, vt rebus suis consulat, cum ipse rebus maioris momenti distineatur.

Ad vtrasque Legatorum literas Pontifex respondet, & quid tractandum præscribit.

De duobus Episcopis Pontifex *Romæ* respondit, se in tempore oppotuna remedia daturum. De rebus verò tractandis, minimè sibi esse sequendas Principum voluntates, nisi Synodum velit magis tumultuosam, ac definitiones Concilij & longiores & difficiliores: singulis eam partem, quæ ipsis minus placet, interpellantibus, & difficultates in vna re obiectantibus, vt ad aliam ipsis gratiorem deueniatur. Itaque rebus alijs relictis, tractationi de peccato originali manum esse admouendam, sed diligenter cauendum, ne excusationem eam prætexant, quam apud *Cæsaris* Oratorem adhibere instituerant, nempe, articulum de peccato originali in *Germania* non esse controuersum; quin verbis potius vtendum generalibus, & quæ omnem erga *Cæsarem* obseruantiam testentur.

Quid item omittendum.

Iisdem præterea districtè imperauit, ne, de emendanda editione vulgari amplius verba facerent, quoad congregatio eorum, qui Romæ rebus Concilij examinandis designati erant, de modo, quem tenere deceat, deliberassent. Quibus mandatis exequendis Legati cum statuissent de peccato originali tractationem aggredi, duobus diebus continuis congregationes habuerunt, vt illa duo capita de lectione & prædicatione prius absoluerent, quàm innotesceret publicè materiam fidei esse tractandam: ne, capitibus illis nondum decisis, Cæsarei ministri occasionem inde arriperent Synodi ab instituta tractatione dimouendæ. Curarunt etiam ab ijs, qui editioni vulgatæ emendandæ selecti fuerant, omnia super hoc argumento scripta in vnum comportari: mandaruntque, vt, quoad aliter esset præceptum, vltra non procederent. Ea, scilicet, erat libertas Concilij à Pontificis voluntate pendentis, in rebus cœptis omittendis, & nouis inchoandis.

Episcoporum in fratres prędicatores inuectiua oratio

In lectione & prædicatione tractandis, Episcopi in vniuersum, Hispani verò potissimum conquerebantur, quod cum à Christo præceptum esset, vt in sua doctrina populus erudiatur; idque non aliter fiat, quàm in Templo prædicationibus, & publicis apud eos, qui talium doctrinarum sunt capaces, prælectionibus; cumque, vt de idoneis instituendo populo hominibus prospiciatur, cura inspiciendi in homines his ministerijs præpositos, ad Episcopos propriè pertineat; Apostolis ita primitus instituentibus, & Sanctis Patribus ad eam rationem sese conformantibus: totum tamen hoc, quantumcumq; est muneris, priuilegiorum concessione Episcopis sit prorsus ademptum, vt ne reliquiæ quidē supersint: eamque esse causam, cur omnia in peius ruant, mutata Christi ordinatione. Academias iam immunitatem habere, vt Episcopus, quid doceant, scire nequeat. concionandi ius fratribus mendicantibus priuilegio taliter concessum, vt Episcoporum Legibus soluti, illis in sua inspectionem non permittant; Episcopi vero Pastoralis officij parte præcipua destituantur. E contrario, qui antiquitus instituti deflendis duntaxat hominum noxijs; quibus, expressis & seueris denunciationibus vetitum docere & concionari; eos sibi solis id muneris arrogasse, aut datum, veluti peculij sui possedisse, grege interim & pastorem, & mercenarium desiderante. Circumforaneos enim prædicatores, qui ex vna ciuitate in aliam discursitant, neque necessitatem populi, neque animorum captum, multoque minus docendi atque ædificandi opportunitates iuxta intelligere, atque proprium pastorem; qui vnà cum grege perpetuò viuens, eius necessitates & infirmitates habet exploratas. Adhæc, finem huiusmodi concionatoribus propositum, non esse ædificationem populi, sed vt suo vel Conuentus sui bono eleemosynas eliciant, quas dummodo amplas consequantur, salute animarū posthabita hoc vnum spectare, quomodo delectando, assentādo, & hominū affectibus obsecundando rem suam faciant auctiorem: populo interim pro Christi doctrina nouitatem, aut certe vanitatem addiscente. In hoc albo fuisse Lutherum, qui quidem si in cellula sua hærens, ploratibus & lamentis se dedisset, Ecclesiam Christi in tam deplorando rerum statu non futuram. Multo manifestiorem esse Quæstorum abusum, Indulgentias venales circumferentium: à quibus, quæ annis superioribus emanarint scandala, sine lacrymis vix posse commemorari. hoc certe omnibus esse notissimum, non aliò tendere omnes eorum conciones & adhortationes, nisi ad populum pecunia emungendum.

His

His malis vnicum supereſſe remedium, vt priuilegia hæc omnia & exēptiones tollantur, Epiſcopis verò reſtituatur cura docendi, concionandi, & ſibi in ſocios & adiutores deligendi eos, quos eo munere non indignos, ſed ad aliud obeundum charitatis ſtudio accenſos perſpexerint. *Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciſcus 1.*

Contra hos Regularium Generales alijque diſſerebant, neglecto ab Epiſcopis & Curionibus paſtoris officio in eum modum, vt compluribus ſæculis, neque templa ad populum concionibus, neque ſcholæ doctrinâ Theologiæ perſonarent, Deum mendicantium ordines excitaſſe reſarciendis functionum neceſſariarum defectibus, quas ipſi haudquaqnam inuaſerint, ſed ſupremi Paſtoris conceſſione obtinuerint. Eius cum potiſſimùm interſit paſcere gregem Domini, iniuriâ illud affirmari, quos ipſe ſuffeciſſet ſupplendis eorum defectibus, qui curam eius gregis, ad quam ex officio tenebantur, abieciſſent, in alienam meſſem falcem immiſiſſe. immo potius dicendum, niſi ipſi charitate & amore officium illud præſtitiſſent, Chriſtiani nominis veſtigium vix fuiſſe ſuperfuturum. Iam ex quo trecentos annos & ſuprà, pio huic operi cum manifeſto hominum bono vacauerint, & bonæ fidei à ſummo Paſtore Romano Pontifice donationis titulo, longiſſimique temporis præſcriptione, functiones eas ſui iuris fecerint, non eſſe, quod Epiſcopi litem ipſis moueant, aut priſci temporis vſum obtendant recuperando huic officio, quod illi tot ſæculis vltro deſeruerint. Studium enim illud rei amplificandæ, ſuo, monaſteriumue ſuorum emolumento, quod obijcitur, meram eſſe calumniam, quando ex eleemoſynis præter victum & veſtitum nihil ſibi acquirant: quod eſt reliquum, in Dei cultum, in Miſſas, aut in ædificia, & Templorum ornatum expenſum, populi commodo & ædificationi cedere, non proprijs vtilitatibus inſeruire. Officia igitur ab eorum Ordinibus ſacroſanctæ Eccleſiæ & ſtudio Theologiæ impenſa, quæ extra clauſtra Monachorum non temere reperiuntur, ſuo merito depoſcere, vt id muneris ipſis continuetur, cui obeundo non facilè deprehendantur alij adeo idonei. *Fratres Regulares ius ſuum prædicandi fortiter propugnant.*

Legati ab vtriſque ſolicitati de conſilio intimorum ſtatuunt Pontificem commonefaciendum; & reſponſum Roma expectandum. Re autem à Pontifice ad congregationem relatâ, ſtatim obſeruatum, quò Epiſcoporum deſideria pertingerent: nempe vt in ſua quiſque dioceſi Papæ ſibi partes ſumere. Sublato enim priuilegio, & immunitate Pontificia, cunctiſque pendentibus ab Epiſcopis, nemine autem à Pontifice, idoneas cauſas proficiſcendi Romam mox defuturas. Antiquiſſimis temporibus Pontifices Romanos primatui à Chriſto ſibi conceſſo, conſeruando, Palladij loco, & principalis arcani habuiſſe, Epiſcopos Archiepiſcoporum, Abbates Epiſcoporum I. dictione eximere, vt certas ita habeant perſonas ſibi ipſis defendendis obligatas. Poſt annum DC. primatum Sedis Apoſtolicæ à Monachis Benedictinis, qui immunes eſſent, propugnatum: dein à Cluniacenſi, & Ciſtercienſi, & alijs Monachorum congregationibus; vſque eo, dum Deus Ordines fratrum mendicantium excitauit, à quibus ad hoc vſque tempus eſt defenſus. Priuilegia igitur eorum qui auferenda contendat, eundem Pontificatum directè oppugnare, non Ordines Monachorum. qui immunitates tollat, eundem Curiam Romanam apertè deprimere cum nulla alia ratio ſit Epiſcopos, qui ſibi nimium arrogent, in officio continendi. Pontifici itaque & aulæ Romanæ neceſſitatem impoſitam ſuſtentandæ Monachorum cauſæ. Sed vt in Concilio omnia molliter & moderatè procedant, neceſſarium quoque exiſtimarunt, ſuum hoc inſtitutum celare, & Legatis reſcribere, vt quacunque poſſent ratione Ordinum Regularium ſtatum tuerentur; ſimul Epiſcopis perſuaderent temperamentum rebus adhibendum, omninoque cauendum, ne nimia ambitione ſciſma in Eccleſiam introducant, quando fratrum iam numerus immaniter adoleuit, & maxima ſint apud populum exiſtimatione. Aequum certè eſſe, vt Epiſcopis aliqua ratione ſatiſfiat, ſed cogitandum ipſis, qua via fratribus quoque conſulatur. De queſtoribus quidem ſi premantur, quidlibet concedendum, ſed de fratribus nihil ſtatuendum, niſi re cum Ordinum præpoſitis prius deliberatâ: neque eò vſque vnquam indulgendum Epiſcopis, vt fratrum priuilegia aboleantur. Idem porro de Academijs ſtatuendum, quas iuxta atque fratres Pontifex à ſe, non autem ab Epiſcopis neceſſariò pendere cupiat. *Pontifex conſultus rem refert ad Congregationem Romæ. illi verò ad Romanam Curiam ſuſtentandam Epiſcopos depreſſum eunt.*

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Prælectiones sacras in Ecclesijs Cathedralibus & Monasterijs restituendas.

Hæ literæ cum Tridentum peruenissent, erant in Concilio qui tres sibi diuersos fines proponerent. aliorum enim, qui super hoc argumento aliquid in medium adducebant, quod nec in fratrum fauorem faceret, nec eorum immunitates oppugnaret, ratio prope nulla habita. De prælectionibus igitur à nonnullis propositum, veterem consuetudinem instaurandam, cum Monasteria & Canonicorum cœtus nihil aliud essent, quàm collegia & scholæ, quorum, in plerisque Cathedralibus Ecclesijs reliquiæ adhuc extant, vbi in Scholasticum, qui caput est lectorum, dignitas cum præbenda confertur: licet id muneris his temporibus non exerceant, immo ei obeundo prorsus inidonei sint, quibus ea dignitas defertur. Et quidem certe statim Patribus visum non minus honestum, quàm vtile Ecclesiæ, in Ecclesias Cathedrales, perinde atque in monasteria eiusdem modi rerum sacrarum prælectiones inferre. Neque in Cathedralibus difficultatem magnam res habitura videbatur, eius exequendæ curâ Episcopis demandatâ: per vero difficile, de monasterijs idipsum statuere. Nam vt Episcopi horum quoque inspectores essent, id scilicet Legati repudiabant, etsi non de mendicantibus, sed solis Monachis ageretur, ne ianuam aperirent attingendis priuilegijs â summo Pontifice concessis. *Sebastianus* tamen *Pighinus* Auditor Rotæ mediam hîc viam reperit, vt ea quidem prouincia Episcopis traderetur, sed ab Apostolica Sede delegatis. Quæ quidem solertia hoc magis placuit Patribus, quod factâ Episcopis gratiâ, Pontificio priuilegio nihil decedebat: Episcopo, non sicut Episcopo, sed veluti à Pontifice suffecto eam inspiciendi curam suscipiente. Atque eâdem viâ aliæ etiam difficultates conciliatæ. vna, in authoritate concedenda Metropolitanis in Parochias Monasterijs vnitas, sed nulli Diocesi subditas. altera, in facienda potestate Episcopis animaduertendi in Prædicatores immunitatem habentes, vbi delinquunt. Idem quoque temperamentum in decretis sequentium Sessionum magno fuit vsui.

Acumen auditoris Rotæ, vt Episcopi sint inspectores Monasteriorum, sed vti à Pontifice delegati.

De prælectionum Theologicarum materia.

A Canonistis etiam propositum, hisce temporibus parum conuenire Scholasticorum subtilitatem: qui omnia in quæstionem vocant, atque in rebus naturalibus ac philosophicis, quàm in diuinis lubentius versantur. Nouas enim istas, de quibus agitur, prælectiones, ideò introducendas, vt in ijs agatur de Sacramentis, & de authoritate, potestateque Ecclesiastica, sicut magno Ecclesiæ bono fecerant *Turrecremata*, *Augustinus Triumphus*, postque eos *D. Antoninus*, alijque. fratribus vero contradicentibus & illam doctrinam, nihilo minus quàm hanc necessariam asserentibus, hic modus rebus temperandis adhibitus, vt prælectiones fierent ad sacram Scripturam interpretandam: dein, vti ad ipsius contextus qualitatem, & auditorum captum materia applicaretur.

Legati primum Episcopos, dein Regulares artibus ac blanditijs ad conciliationem solicitant.

Ventum deinde ad decretum de concionibus stabiliendum, post multos ea de re in congregationibus plerisque habitos sermones. atque ad exsuperandas officijs difficultates, Legati, Præsulum, quibus plurimum fidebant, operâ, Episcopos Italos in suam sententiam pellicere adnitebantur. Exponunt, quantopere teneantur ob Italici nominis decus, dignitatem Pontificiam tueri, cuius authoritas iam periclitetur iniecta priuilegijs manu: quantumque à Pontifice & Legatis possint expectare, ipsorum voluntate ad id, quod est æquum, iustumque accommodata, fratribusque ea possessione, quam, tam longo tempore tenuerunt, minime exclusis. Admodum esse periculosum, tot homines literatos negligere his temporibus; quibus hæreses Ecclesiam exagitant. auctam iam authoritatem Episcopalem, concessa ipsis facultate Prædicatores approbandi, aut reijciendi, quando extra Ecclesiam monasterij sui concionantur. cùm verò in ea conciones habent, imperando, vt Præsuli debitum obsequium, implorata ante omnia ipsius benedictione, recognoscant. Episcopis datum in Prædicatores hæreticos animaduertere; ijs vero qui vitæ impuritate alijs offensioni sint, concionandi munere interdicere. His in præsentia acquiescendum, dum ex occasionibus alia indies addantur. Quibus suasionibus tam multos ex Episcopis in verba sua pertraxerant, vt de decreto legibus his stabiliendo haudquaquam dubitarent. Alius tamen restabat scrupulus, quòd ab his conditionibus Ordinum Præfecti & fratres essent alieniores, quos offendere neque erat tutum, & ab ipso Pontifice nominatim vetitum. Ijs ergo ostendunt, quod Episcopis concedebatur, iustum

iustum esse & necessarium, sibique imputandum, qui huic rei occasionem suppeditassent, priuilegijs suis vltra honesti lineas dilatatis. Monitis item Episcopis vt modestè se gererent, neque fratribus iustam querelarum materiam præberent, Ordinum præpositi omnes conticuerunt.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1

Lutheranorũ opiniones de peccato originali eodem consessu damnandas esse proponitur.

Iam quod in eodem Consessu constitutum erat Lutheranorum opiniones de peccato originali damnare, affirmabant Legati, iuxta ordinem ab initio propositum de duobus capitibus simul tractandis, dogma aliquod fidei iam excutiendum, neque aliud esse opportunius; quippe de quo selectos habeant articulos è doctrina Protestantium delibatos, quos par sit exhibere Theologis in Congregationibus examinandos, an pro hæreticis sint damnandi. Cardinalis *Pacietus* sibi videri ait, Concilium non ob aliud dogmatum fidei tractationem instituisse, nisi ad Germanos è diuerticulo in viam reducendos, qui verò id parum tempestiuè consectetur, non modo finem destinatum non assequuturum, sed in maiorem perturbationem omnia coniecturum. Quæ porro sit agendi tempestiuitas, id Tridenti sciri non posse, nisi ab ijs, qui ad clauum in Germania sedent, atque ex singularum rerum notitia punctum temporis medicamento huic Germanis propinando maxime opportunum, probissimè intelligunt. Sui consilij esse, præ alijs omnibus principalium illius nationis Præsulum sententiam per literas exquirere, aut Nuntium Apostolicum de ea re cum Cæsare colloqui. Atque ad eam sententiam accedebant Antistites omnes Cæsarei, adnitente ipsius Oratore. At Legati, vtcunque iudicium ipsorum laudarent, & ad Nuntium scripturos se promitterent, tamen ne amitterent tempus, articulos interim à Theologis discutiendos arbitrabantur. Quod quidem Cardinalis, & alij Legatis indulgendum putabant, multas difficultates oborituras sperantes ei negotio disturbando retardandoue: nec valde reluctabatur Orator Toletanus, dummodo æstatem transigerent, antequam ad determinationem veniretur. Articuli porro huiusmodi erant.

I. Adamum transgressione mandati iustitiam amisisse, in iram Dei & mortem incurrisse, in anima & corpore deteriorem euasisse, nullum tamen peccatum ab eo in posteros transmissum, sed pœnas modò corporales.

II. Peccatum Adami dici originale, quod ab eo in posteros deriuetur, non transmissione, sed imitatione.

III. Peccatum originale esse ignorantiam, aut contemptum Dei, aut certe esse sine timore, sine fiducia in Deum, & sine amore Diuino, cum concupiscentia prauisque desiderijs; atque in vniuersum deprauationem totius hominis in voluntate, in anima, & corpore.

IV. Esse in infantibus à natura ipsorum corrupta propensionem ad malum: adueniente autem vsu rationis, gigni odium rerum diuinarum, & ingurgitationem rerum terrestrium: idque esse peccatum originale.

V. Infantes, saltem parentibus fidelibus prognatos, licet in remissionem peccatorum baptizatos, nullum tamen per propagationem ab *Adamo* peccatum secum afferre.

VI. Peccatum originale in Baptismo non deleri, sed verò non imputari, aut certe sic eradi, vt in hac vita minui incipiat, in futura vero radicitus extirpetur.

VII. Peccatum illud permanens in Baptizato illum ab ingressu in cœlum remorari.

VIII. Concupiscentiam dictam fomitem peccati, quæ manet post baptismum, esse verè peccatum.

IX. Pœnam principalem peccato originis debitam esse ignem inferni, præter mortem corporalem, aliasque infirmitates, quibus in hac vita homo est obnoxius.

Ratio discutiendorum in hac materia articulorum.

In congregatione Theologi omnes in hoc consenserant, ad articulorum disquisitionem non esse eo ordine procedendum quo essent propositi, sed vniuersam materiam methodicè discutiendam, quod fuerit peccatum *Adami*, quæ res ab eo ad posteros deriuata, sit in omnibus hominibus peccatum illud, quod vocatur originale, quomodo peccatum illud transmittatur, & quomodo itidem remittatur.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Cuiusmodi primi parentis peccatum fuerit, discutitur.

De primo capite conueniebat inter omnes, in *Adamo* iustitiâ amissâ, affectus rationi factos rebelles (quod Scriptura solet exprimere carnis contra Spiritum rebellione, & vno verbo defectum hunc vocans concupiscentiam) eundem iram Diuinam incurrisse, & mortem corporalem à Deo, simul cum animæ morte spirituali intentatam: nullum tamen ex his defectibus propriè vocari peccatum, cum pœnæ tantum sint peccatum consecutæ. propriè verò peccatum esse, legis Diuinæ transgressionem. Atque hic multis in genus huius peccati inquirentibus; alijsque superbiæ, alijs gulæ, nonnullis infidelitati illud adnumerantibus, solidissimo inniti fundamento videbantur, qui ad omnia ea genera, aliaque complura peccatum illud referri posse dicebant, sed longè optimè sentire credebantur, qui cum *D. Paulo* in puræ inobedientiæ genere admissum hoc collocarent. At dum rursus disquiritur (quod alterum erat caput) ecquid ab *Adamo* in posteros propagatum, peccatum sit, discrepabant valde sententijs. Diuus enim *Augustinus*, qui omnium primus in perscrutanda eius essentia incubuit, eundem Diuum *Paulum* secutus, concupiscentiam esse dixit: & *B. Anselmus* multis post eum seculis, cum putaret, peccatum Baptismate elutum, concupiscentiam tamen manere; arbitratus est, priuationem esse iustitiæ originalis, cuius æquipollens nempe gratia Dei, in baptismo homini redditur. *D.* autem *Thomas* & *S. Bonauentura* dum duas has opiniones coniungere, & conciliare student, duas in natura nostra corrupta rebelliones considerabant; vnam mentis Deo repugnantis, alteram sensus, reluctantis menti: atque istam concupiscentiam, illam iniustitiam dixere, vtramque simul iunctam esse peccatum. Et concupiscentiæ primum locum assignauit *Bonauentura*, quod esset aliquid positiuum; cum priuatio iustitiæ sit negatiua. Contra *D. Thomas* concupiscentiam statuit peccati eius partem materialem; priuationem autem iustitiæ, partem ipsius formalem. vnde peccatū illud in nobis dixit esse concupiscentiam iustitia originali defectam. *D. Augustini* opinionem secutus est *Magister sententiarum*, cum veteribus Scholasticis; eamque in Concilio propugnarunt fratres duo ordinis Eremitanorū. Verùm cum Ioannes Scotus popularis sui Anselmi sententiam defendendā suscepisset, fratres Franciscani eandem in Concilio tenuerunt, & rursus Dominicanorum pars maior Diui *Thomæ* opinionem. Ad hunc ergo modum, cuiusmodi esset *Adami* peccatum, & quale esset in cæteris hominibus peccatum originis explicatum fuit.

Tum, quale peccatum originis in cæteris hominibus.

Quem ad modum originis peccatum ab Adamo ad posteros transmittatur.

At quomodo ab *Adamo* ad posteros, & successiuè à Patre in filium transmittatur, in id inquirere maioris fuit operæ. Etenim *D. Augustinus*, qui alijs iter aperuit, cum premeretur obiectione *Iuliani Pelagiani* de modo sciscitantis, quo peccatum originale posset transmitti in conceptione hominis, cum matrimonium sit sanctum, perinde atque eiusdem vsus: neque peccet Deus matrimonii author, neque parentes, neque proles, illi, per quam rimam peccatum intret percunctanti, non aliud respondit, nisi fissuras non esse quærendas, vbi patentissima porta conspiciatur; dicente Apostolo, *per Adamum peccatum intrasse in mundum*: Imo plerisque locis, vbi eius rei mentio fit, *Augustinus* se animi dubium ostendit & incertum, an sicut corpus filij à Patris corpore dimanat, sic anima filij à Patris anima deriuetur: vt inquinato fonte riuulum quoque contaminari sit necesse. Verùm Sancti huius Patris modestiam imitati non sunt Scholastici, quorum animis cùm fixum immotumque sederet, singulorum animas à Deo immediatè creatas, asseruerunt, infectionem potissimùm in carne esse, quæ à primis parentibus in paradiso terrestri, vel ab venenata fructus qualitate, vel ab venefico serpentis afflatu fuit contracta. Eam labem in carnem prolis quæ pars est carnis parentum, deriuari: ab anima verò in ipsa infusione contrahi, sicut liquor noxiam qualitatem à vase impuro, in quod infunditur, recipit; carnem vero infici vtriusque parentis in gignendo libidine. Neque tamen per hanc opinionum varietatem factum, vt Patres in condemnandis articulis variarent. Singuli enim cum suam tuerentur, in ea satis esse virium existimabant, ad euincendum, primum articulum habendum pro hæretico, quippe iampridem in *Concilio Palestino*, atque in multis *Africanis* contra *Pelagium* vt hæreticum haud dubiè damnatum: *Tridenti* vero nunc iterum examinatum, non vt ab *Luthero*, eiusue sectatoribus, sed vti à *Zuinglio* profectum. Erant nihilominus è Theologis, quibus illius verba accuratè perpendenti-

dentibus videbatur, in hac potius esse opinione, peccatum in posteris *Adami*, non esse in genere actionis, sed corruptionis & transformationis naturæ, quod ille dicebat, peccatum in genere substantiæ.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Secundum articulum omnes vt hæreticum damnarunt, quem ille idem *Pelagius* commentus est. Ille enim, ne in *Concilio Palæstino* damnaretur, quod dixisset, *Adamum* posteris non nocuisse, retractatâ sententiâ, contrarium est professus. Post animi mentem cum suis explicans, dixit *Adamum* posteros suos damno affecisse, non peccato in ipsos transmisso, sed prauo exemplo, quod imitantibus est nociuum. Quam assertionem *Erasmus* resuscitasse credebatur, locum *D. Pauli*, *peccatum in mundum introijsse per Adamum, & in omnes transijsse* interpretatus, in quantum peccatum eius imitati essent, & adhuc imitarentur.

II. articulus, qui Pelagij, de communi consensu dânatur.

Tertij articuli prima pars non *Tridenti* modò, sed in *Germania* quoque in varijs colloquijs fuit damnata, quòd actiones eæ nō possint peccatum originis constituere, quippe, quæ in infantibus non sint; neq; omni tempore in adultis. itaque dicere non esse aliud in infantibus peccatum præter illud, esse peccatum originis omnino tollere. Neque verò satisfacere excusationem, quam in *Germania* obtendebant, se actionum nomine intelligere, naturalem ad prauas actiones propensionem, & ineptitudinem ad bonum. Illud enim verbo efferendum, quod mente concipiant; neque perperam loquendum, cum ab alijs verba sua rectè accipi cupiant. Et quanquam *B. Augustinus* ad eundem modum locutus sit, cum dixit, Iustitiam originalem esse, parere Deo, & vacuum esse concupiscentia; si hisce temporibus viueret, non ita fuisse locuturum. licere enim causam pro effectu, & contra nominare, quando vtrumque proprium est & adæquatum. in hoc verò casu rem aliter se habere, cum originale peccatum prauarum actionum causa non sit, nisi praua voluntate tanquam causa principali accedente. Ad II^am^. autem articuli partem dicebant, opinionem Protestantum, si corruptionem priuatiuam intelligerent, fore tolerabilem: sed intelligi ab ijs substantiam adeo corruptam, ac si propria natura humana in aliam formam, ab ea, in qua primum fuit creata, transmutaretur. Incusare quidem Catholicos, cum peccatum vocant priuationem iustitiæ, tanquam fontem absque aqua: ipsos vero impurum fontem describere, ex quo defluunt aquæ fœtidæ & insalubres, actus scilicet incredulitatis, diffidentiæ, odij, contumaciæ, philautiæ, & amoris rerum terrestrium. Hunc igitur articulum omnino damnandum.

Pars prior III. articuli exploditur.

Item altera pars sensu Protestantum.

Ob eandem causam IV^um^. quoque articulū censoria virgula notabant; quòd propensio ad malum pœna esset peccati, non autem peccatum formale; adeoque inclinatione ea sola posita pro peccato, peccatum absolute negari. Neque vero hic prætermittendum, *Franciscanos* sibi temperare non potuisse, quin *Beatam virginem Dei matrem* priuilegio speciali hac Lege communi eximerent, & in eo confirmando pro virili incumberent; *Dominicanos* contrà eandem generali legi nominatim subijciendam censuisse, Cardinali *Montano*, vt eam controuersiam missam facerent, monente, atque Patres ad hæreses damnandas Tridenti congregatos, non ad Catholicas opiniones oppugnandas inculcante.

Et IIII. articulus.

Franciscani Virginem Mariam communi mortalium lege exemptam volunt: Dominicanis retragantibus.

In eo cœtu nemo vnus erat, qui damnandis Lutheranorum articulis obuersaretur. F. modò *Ambrosius Catarinus* prolixa oratione docuit rationes, quas adferebant, parum solidas esse ac sufficientes; neque veram peccati huius naturam satis demonstrare. Esse enim necessariò distinguendum peccatum à peccati pœna: concupiscentiam verò, & priuationem iustitiæ esse pœnam peccati: peccatum itaque ipsum, aliud quiddam esse. Deinde, fieri haudquaquam posse, vt quod in *Adamo* peccatum non erat, id in nobis peccati rationem obtineat: in *Adamo* autem neutrum horum fuisse peccatum, cum neque priuatio iustitiæ, neque concupiscentia actiones essent Adami. in nobis igitur nihilo magis peccatum esse. sin verò in eo peccati fuerint effectus, in alijs itidem esse. Atque hoc aspectu perinde dici posse, peccatum, esse inimicitiam Dei contra peccantem, aut inimicitiam peccatoris aduersus Deum; quando ista peccatum consequuntur. Posthæc ad transmissionem peccati via seminis & procreationis oppugnandam accedens, affirmabat, sicuti *Adamo* non peccante, ipsius iustitia in posteros erat transmittenda, non virtute generationis,

F. Ambros. Catharinus ab vtrisque dissentit, tam in explicanda natura peccati originalis;

Quàm in eiusdem ad posteros transmissione.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

nerationis, sed sola Dei voluntate; ita alium modum transfundendi peccati adinueniendum. Et opinionem suam hac ratione explicabat. Quemadmodum Deus *Abrahamum* credentium Patrem designans, cum ipso & cum posteris omnibus fœdus pepigit: sic ille idem iustitiam originalem in *Adamum*, totumque humanum genus conferens, cum eo omnium nomine pactus est, iustitiam eam ab ipso suisque omnibus iri conseruatum, seruato scilicet mandato. eo autem violato, iustitiam eam tam alijs, quam sibi amisit, eorumque nomine pœnas incurrit. quæ pœnæ vt in singulos deriuatæ sunt, ita ipsam *Adami* transgressionem esse etiam singulorum: illius, tanquam causæ; aliorum, virtute pactionis. Sic vt actio *Adami*, in ipso peccatum actuale, imputata cæteris hominibus, constituat originale peccatum; quòd eo peccante totum genus humanum peccauerit. Opinionem suam *Catarinus* hoc inprimis firmamento fulciebat, quòd verum & proprium peccatum nullum sit, nisi actus voluntarius; voluntarium autem peccatum aliud non esse, nisi transgressionem Adami omnibus imputatam: atque illud *D.Pauli*, in *Adamo* omnes peccauisse, non aliter intelligendum, nisi quod omnes idem cum ipso peccatum admiserint. In exemplum afferebat, quod *D.Paulus* ad Hebræos scribit, *Leui* decimas soluisse *Melchisedecho*, cùm easdem *Abrahamus* proauus ipsius soluisset. quo aspectu dicendum, posteros mandatum Dei violasse, cum id violaret *Adamus*; & in eo fuisse peccatores, sicut in eo iustitiam acceperant. Itaque necesse non esse, recurrere ad libidinem, quæ carnem inficit, à qua anima contage vitietur: quòd vix intelligi possit, quomodo spiritus affectum corporeum admittat. quod si peccatum macula sit spiritualis in anima, non poterat, priùs esse in carne. sin vero in carne est corporea, non potest in spiritu effectum aliquem producere. Animam verò, propterea quòd corpori infecto coniungatur, infectionem spiritualem accipere, id quidem certe humanum captum excedere putabat. Pactum Dei cum *Adamo* confirmabat testimonio *Oseæ* Prophetæ, & loco scripturæ ex Ecclesiastico, & varijs ex *D.Augustino* locis. Peccatum cuiusque, esse solum actum transgressionis *Adami*, ex *D.Paulo* probabat, cum ait *per inobedientiam vnius hominis multos factos peccatores*: Tum, quia in Ecclesia nunquam intellectum fuit peccatum esse aliud, quàm actionem voluntariam contra Legem: aliam autem voluntariam actionem nullam fuisse, nisi *Adami*: Tum etiam, quia *D.Paulus* dicit per peccatum originale mortem intrasse in mundum: mors autem non per aliam intrauit viam nisi actualis transgressionis. Denique pro Achilleo telo attulit, *Euam*, licet ante *Adamum* pomum comederit, tamen neque se nudam agnouisse, neque pœnam incurrisse, nisi post *Adæ* admissum. Itaque sicut *Adami* peccatum, non illi proprium fuit, sed etiam *Euæ*: ita posterorum etiam omnium.

Solum actum transgressionis Adami, esse peccatum originis, & ad posteros ex pactione transmitti.

Soto Catarini opinionem impugnat.

Verùm *Dominicus Soto*, ad *D.Thomæ* aliorumque Theologorum sententiam à *Catarini* obiectionibus tuendam, nouam attulit sententiæ suæ declarationem; affirmans, *Adamum* peccasse actualiter, cum fructu vetito vesceretur, post verò mansisse peccatorem, propter habitum actione productum: sicuti per omnem prauam actionem in operantis anima ea dispositio progeneratur, propter quam actione peracta, manet diciturque peccator. actionem *Adami* fuisse transitoriam, quæ nullam habuit, nisi interim dum ille operabatur, existentiam. qualitatem habitualem in eo remanentem ad post genitos transijsse, & in vnumquemque propriam transfundi. actionem *Adami* non esse peccatum originale, sed habituale illud quod sequitur; idque Theologis dici priuationem iustitiæ. quod quidem his verbis explicabat; Hominem dici peccatorem, non solùm dum actualiter transgreditur, sed etiam post, quamdiu peccatum non est obliteratum, idque non contemplatione pœnarum, aut consequentium peccati, sed ratione ipsius admissi præcedentis: sicut id, quod homo incuruum redit, quamdiu non dirigitur in rectum. & tale dicitur non propter ipsam actionem, sed propter effectum, qui post actionem transeuntem manet. Ita peccatum originale curuaturæ assimilabat, idque apposite; quia verè obliquitas sit spiritualis. Cum igitur vniuersa natura humana esset in *Adamo*, cum ille spreto Dei mandato in diuersum curuabatur, ex eo vniuersum genus humanum, & singuli quique homines facti sunt incurui, non illius distortione & deprauatione, sed ea quæ vnicuique propria est & natiua, per quam

quisque

quisque est verè incuruus & peccator, quoad diuina gratia dirigente in rectum reducatur. His opinionibus in hunc modum accerrime exagitatis; suæ singuli, applausum Synodi expectabant. *Paulus* 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Vbi vero in deliberationem venit, qua ratione originis peccatum remittatur, in eam omnes vnanimiter sententiam descenderunt; per baptismi lauacrum deleri, animamque adeo puram mundamque reddi, atque in ipso statu innocentiæ, vtcunque pœnæ, quæ sequuntur peccatum, non tollantur; hominibus iustis exercendis relictæ. Id fusius explicabant asserentes, perfectionem primi parentis constitisse qualitate infusa, quæ animam exornabat, perfectam, Deoque gratam efficiens; corpus vero mortalitatis periculo eximebat. Deum autem eos, qui sacro baptismate rite lustrati regenerantur, propter Christi saluatoris meritum donare alia qualitate, gratia scilicet iustificante, quæ omnem maculam delet ex anima, pristino nitori qualis erat in *Adamo*, eam restituit, & in quibusdam rebus ipsa originali iustitia efficacior est: tantummodo in corpus vim suam non exserit, vt mortalitas, alijque defectus naturales inde non emendentur. Huic sententiæ firmandæ D. *Pauli* aliorumque Apostolorum loca aliquammulta citantur, quibus dicitur Baptismus animam lauare, mundare, illuminare, purificare, vt damnatio nulla, macula aut ruga sit reliqua. Magna quoque accuratione disputatum, quomodo, si baptismate tincti, abluuntur à peccato, illud ad prolem possit transire. Cui quæstioni *Augustinus* solis exemplis respondit, hic vsuuenire, sicuti cum ex patre circumciso nascitur filius non cicumcisus, aut ex homine oculis capto oculatus, & ex grano mundo triticum aristis spicisque vestitum. *Catarinus* verò aiebat cum solo *Adamo* foedus ictum, cæteros homines peccatum habere, imputato ijs *Adami* scelere; intermedijs genitoribus nihil loci relictum. Imo si fructum vetitum non *Adamus*, sed filiorum aliquis comedisset, illius posteros peccatum non fuisse contracturos; item, si *Adamus* post filios genitos peccatum illud admisisset, ipsis licet ante natis *Adami* facinus imputandum. Hic tamen *Soto* contra arguebat, si *Adamus* post natos filios deliquisset, illos patris delicto obnoxios non futuros, sed tantum ipsorum nepotes.

Quomodo peccatum originale remittatur.

Quæritur, quo modo ij, in quibus peccatum originis baptismo est elutum, illud ad posteros transmittant.

Sextus articulus de communi assensu pro hæretico iudicatus, quòd in baptizatis aliquid diceret permanere dignum condemnatione. Item septimus, qui asserebat residere in baptizatis, peccati reliquias. Et præ alijs octauus, qui concupiscentiam in baptismate renatis statuit peccatum. Solus *Antonius Marinarus Carmelita*, aliorum sententiæ accedens affirmantium peccatum baptismo elui, & concupiscentiam ante baptismum esse peccatum, rem diligenter considerandam putabat, prius quàm contrariam sententiam hæreseos damnarent. D. enim *Augustinum* iam senem, de hoc argumento scribentem ad *Bonifacium* clarè enunciasse, concupiscentiam non esse peccatum, sed eius causam & effectum. Eundem verbis non minùs apertis contra *Iulianum* scripsisse, eam & esse peccatum, & causam effectumque peccati. Neque tamen in Retractationum libris contrariarum istarum propositionum vel meminisse; quod argumento esse debeat, Patrem illum arbitratum, ad fidem quæstionem eam non pertinere, in vtramque partem de ea probabiliter posse disputari, & controuersiam prope verbalem esse. Aliud enim esse, quærere, an res aliqua ex se sit peccatum, an vero ratione personæ, quæ excusari mereatur; exempli caussa, si quis venatum proficiscens, idque vitæ sustentandæ gratiâ, dum feram perimere cogitat, per ignorantiam insuperabilem interimat hominem, Iureconsulti dicunt actionem eam esse delictum, & homicidium, sed venatorem esse excusabilem, vt in eo peccatum censeri non debeat, propter adiunctam ignorantiæ circumstantiam. Ad eundem modum concupiscentiam, quæ eadem est ante & post Baptismum, ex se quidem esse peccatum, attestante D. *Paulo*, *eam etiam in renatis pugnare cum lege Dei*, cui quicquid repugnat, peccatum esse necesse est. Baptizatum nihilominus excusari, qui *Christum* induerit, eoque vestiatur. Articulum igitur vno sensu verum esse, altero falsum. neque fas esse damnare propositionem, quæ possit in bonum sensum accipi, nisi distinctione prius facta. Hanc *Marinari* opinionem omnes repudiarunt, dicentes D. *Augustinum* statuisse duo genera concupiscentiæ; vnam ante baptismum, quæ est repugnan-

VI. VII. & VIII. articuli damnantur.

Marinarus de concupiscentia, an peccatum sit in renatis necne, ambiguè disserit.

Et Patribus Synodi non probatur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

pugnantia voluntatis legi Diuinæ, ideoque peccatum, & in baptismo obliteratur: alteram, quæ est repugnantia sensus rationi, & manet post Baptismum, quam *Augustinus* effectum dixit & causam peccati, peccatum vero minime. Quod si videatur interdum contrarium tueri, tunc firmiter tenendum, *Augustini* hanc mentem esse, concupiscentiam esse peccatum, sed in baptismo desinere esse huiusmodi, & euadere virtutis, bonorumque operum exercitium. Sed è Patribus plerique, cùm & hanc fratris opinionem animo reputarent, & simul in memoriam reuocarent, quæ ille in diuersis concionibus, ac nominatim in Missa, Dominicâ IV. aduentus superioris, & in quadragesima disseruisset, quibus cunctos ad fiduciam omnem in Deo collocandam hortatus erat, damnatâ operum confidentiâ; & heroicas veterum actiones, ab hominibus tantopere decantatas splendida, sed vera peccata affirmauerat; ac de differentia legis & Euangelij verba faciens, non tam duo tempora distinxerat, quàm Euangelium semper extitisse, & legem perpetuò futuram prædicauerat; immo de certitudine gratiæ aliquid prodiderat, licet sermone adeo ambiguo & artificioso, vt si reprehenderetur, effugium ad euadendum non deesset; plerique inquam, his consideratis suspicari coeperant, eum à Protestantum doctrina non omnino alienum.

Imo nonnullis in suspicionem venit Lutheranismi.

IX. articulus de pœna peccato originali debita.

Vbi verò ad articulum de poena peccato originis debita ventum est, etsi *B. Augustinus* D. *Pauli* doctrina subnixus, aperte professus sit, ignis infernalis poenam ei deberi, etiam in infantibus, neque Sanctorum Patrum quisquam contrariam opinionem tenuerit; *Magister* tamen *Sententiarum* cum Scholasticis, rationibus maximè Philosophicis freti, poenarum sempiternarum duo genera distinxerant: vnam beatitudinis cœlestis priuationem; alteram actualem castigationem: quarum solam priorem peccato originali tribuunt. Ab hac omnium Scholasticorum opinione in diuersum abijt solus *Gregorius Ariminensis*, cui inde impositum nomen *Tormenti infantium*. verùm neque illi, neque *D. Augustino* vllus Theologorum in Congregationibus patrocinatus est. Neque tamen Theologis inter se satis conueniebat, *Dominicanis* asserentibus, infantes absque baptismo ante vsum rationis morientes, post resurrectionem in limbo & tenebris loco subterraneo, sed sine igni permansuros: *Franciscanis* verò locum ijs super terram, & in luce assignantibus. nonnullis etiam affirmantibus, philosophiæ studio & rerum naturalium cognitioni incubituros, & singularem eam voluptatem, qua homines in rebus adinueniendis ingeniosi & solertes animum explere amant, percepturos. *Catarinus* insuper addebat à Sanctis Angelis, Beatisque visitatum consolatumque iri: aliaque id genus figmenta in medium afferebant, ad risum, quàm ad stomachum mouendum aptiora. At propter eam, quæ debetur *D. Augustino*, reuerentiam, simul ne *Gregorius Ariminensis* damnaretur, *Augustiniani* vehementer instabant, vt articulus ille, quem falsum agnoscebant, in hæreticorum album non insereretur. *Catarinus* nihilo secius omnes ingenij machinas intendit, vt Patres animi sententiam promerent, ad refrænandam (ita ille dicebat) audaciam & ignorantiam quorundam prædicatorum, qui doctrinam eam disseminant in vulgus magno populi scandalo: affirmabatque *Augustinum* sic loquutum, abreptum nimio calore in disputando contra Pelagianos: non autem quod eam opinionem, vti certam, tueretur. Nunc autem, postquam de communi scholarum consensu veritas innotuerit in contrarium, & Lutherani eundem errorem exuscitauerint, Catholici etiam præcipites eò ruant, necessariam certe esse Synodi determinationem.

De pœna paruulorum absq; baptismo morientium, Monachi non idē sentiunt.

D. Augustini sententia exploditur, & tantum non hæretica pronunciatur.

Post Theologorum censuram cùm à Patribus de constituenda forma Decreti ageretur, quòd ex Episcopis perpauci solida Theologiæ cognitione præditi essent, sed vel consulti iuris, vel ad modum aulæ disciplinis leuiter tincti, è Scholasticorum tricis & spinosa rerum tractandarum ratione vix sese expediebant, atque, propter opinionum conflictum, de essentia peccati originalis quid statuendum esset, non satis perspiciebant. *Catarini* certe opinio, quam ille adumbrauerat imagine quadam Politica, pacti ab vno, successorum nomine facti, cuius violatione posteri omnes haud dubiè obligarentur; sicut ad illorum captum proximè accedebat, ita plurimos è Patribus habuit fautores, eam tamen quod Theologi contradicerent, approbare non ausis. De remissione eius peccati hoc solum pro indubitato tenebant,

Patres, quid de essentia peccati originalis sit statuendum, non expediunt.

omnes

omnes ante Baptiſmum originis peccato obnoxios, ab ea labe ſacro baptiſmatis lauacro plenè perfectéque perpurgari: idque modo pro dogmate fidei ſtabiliendum, contrariumque hæreſeos damnandum, vnà cum omnibus ijs opinionibus, quæ peccatum illud quouiſmodo abnegant. cujuſmodi autem peccatum illud ſit, inter tot pugnantes Theologorum ſententias definiri non poſſe tanta cautione, vt Catholicis omnibus ſatisfiat, aut non damnetur alicuius opinio, vnde ſchiſmatis periculum iure ſit metuendum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciſcus 1.

Atque cùm in hanc ſententiam prope omnes propenderent Patres, huic ſeſe opponunt *Marcus Vignerius Senogalienſis* Epiſcopus, *F. Hieronymus* Auguſtinianorum Generalis, & *F. Andreas Vega* Theologus Franciſcanus. Hic omnium maximè diſſerebat, neq; æquum eſſe, neq; in quolibet Concilio receptum, opinionem aliquam damnare vt hæreticam, niſi Catholicâ prius ſtabilitâ. Nullam propoſitionem negatiuam, quæ ſit vera, veritatis ſuæ cauſam in ſe complecti; ſed eſſe eiuſmodi propter propoſitionis affirmatiuæ veritatem. neque rurſus vllam eſſe falſam, niſi quod alia ſit vera: neque illius falſitatem poſſe ab eo dignoſci, qui veritatem huius non intelligat. Eò non poſſe Lutheranorum opinionem hæreſis damnari ab ijs, qui Eccleſiæ ſententiam non adſtruant. Qui rationem procedendi in omnibus Concilijs intueri velit, facile obſeruaturum, iacta primum ab ijs fundamenta orthodoxa, quorum ope hæreſes damnarint: idem in præſentia neceſſario faciundum. Ecquis enim, (aiebat ille) vbi leget, Synodum Tridentinam damnaſſe aſſertionem Lutheranam, quæ aſſerit originale peccatum eſſe ignorationem, contemptum, diffidentiam, & odium rerum diuinarum, & totius hominis deprauationem in voluntate, anima, & corpore, non confeſtim, vbi hoc legerit, interrogabit, quid igitur eſt peccatum originale; aut ſaltem apud ſe dicat, quandoquidem hæc ſententia eſt hæretica, quæ quæſo eſt Catholica? Aut quis eſt, qui, vbi damnatam viderit *Zuinglij* opinionem aſſerentis, infantes fidelium liberos in remiſſionem peccatorum baptizari, nihil tamen præter pœnas & naturæ corruptionem tranſmitti; qui non derepente ſciſcitabitur; quid aliud igitur tranſmittitur? Concludit denique Concilium ad veritatem Catholicam firmandam potiſſimùm conuocatum, neque ſolùm ad hæreſes damnandas. Cuius verba Epiſcopus excipiens, dicebat, articulos hos in Conuentibus Ordinum *Germaniæ* toties exagitatos, vt omnes à Concilio doctrinam luculentam, perſpicuam, & nodis omnibus ſolutam expectent. Etiam Præpoſitus, (quem tamen nonnulli ſuſpicabantur Oratoris Cæſarei *Toletani* impulſu loquutum) ſubiungit; veram & Catholicam de peccato Originali doctrinam *D. Auguſtini* libris contineri, *Aegidium Romanum* de ea re librum peculiarem ſcripſiſſe; quem ſi Patres leui brachio percurrere velint, rei veritatem facilè comprehenſuros, iuxta quam intelligenti iudicio poſſint pronunciare. Neque committendum, vt in vulgus exeat, id Tridenti tantillo IV. dierum ſpatio decretum, quod in *Germania* tamdiu diſceptatum, exitum habere non potuit.

Differitur à nonnullis iniquum eſſe, Lutheranorum opinionem damnare, neque tamen, quid Catholici ſentiant, explanare.

Atqui his ſuaſionibus Patres non auſcultabant. Præſules enim exiſtimabant ſpinoſiores eſſe Scholaſticorum ſubtilitates, quàm vt eas vllo ſtudio poſſent aſſequi; & verò ad experiundum non erat ijs ſatis animi. Præterea quod Roma Legatis mandatum eſſet, vt proximo Conſeſſu caput illud definirent, quæſtionum difficultates euitare neceſſariò cogebantur; & Cardinalis *Montanus* planè apud ſe conſtituerat id effectum reddere. Itaque vocatis ad ſe Ordinum Generalibus, & Theologis *Catarino* & *Vega*, quorum in ea diſceptatione præcipuæ erant partes, his imperauit, vt remoris ac difficultatibus euitatis, rebus promouendis expediendiſque incumberent.

Patres de peccato originali aliquid definiendum cenſent, reiectis ſpinoſis quæſtionibus, quas ipſi vix ſatis capiunt.

Antiſtites Decreto conficiendo deſtinati, vnà cum Theologis totam eam materiam in V. anathemata diſtribuunt. I. erat de *Adami* peccato perſonali. II. de eiuſdem ad poſteros tranſmiſſione. III. de remedio peccati per Baptiſmum. IIII. de baptiſmate infantium. V. de concupiſcentia permanente. Deinde opiniones *Zuinglianorum* in quatuor primis articulis, & *Lutheri* de quinto damnantur. Multa interim dicuntur ab omnibus, dum nonnulla amputantur, alia adduntur, prout quiſque ſuggerebat, ſed magno omnium, niſi in vno capite, aſſenſu. Epiſcopi enim

&

Franciſcani & Dominicani de conceptione Virginis Mariæ, an communi mortalium ſorte eximenda ſit, necne, controuerſantur.

& fratres Franciſcani non probabant dici vniuerſè, peccatum *Adami* in totum genus humanum tranſiſſe: quòd, niſi *Beata Virgo* Mater Domini exciperetur nominatim, generali propoſitione eſſet comprehendenda; eoque eam eximi inſtabant. At in contrariam partem Dominicani aſſerebant, propoſitionem eam adeo vniuerſalem, & exceptione vacuam, eſſe *Diui Pauli*, omniumque SS. Doctorum, ac proinde exceptione minimè immutandam. Ita gliſcente contradicendi ſtudio, in eam recidere, quam Legati ſæpius effugere auebant, quæſtionem: his affirmantibus, vtcunque Eccleſia opinionem eam de conceptione tolerauerit, eum certè qui rem penitus introſpexerit, reperturum Virginem nihilo plus alijs communi contagione exemptam: illis contra opponentibus ſic damnari Eccleſiam, quæ conceptionem eam celebrat tanquam immaculatam; & immanem eſſe ingratitudinem derogare honori illius, qua mediante omnes Chriſti gratiæ ad nos deriuantur. Atque his diſputationibus eò contentionis ventum eſt, vt Orator Cæſareus non inanem ſpem induiſſe videretur impetrandi quod animo deſtinarat, vt ea ſcilicet materia ſeſſione proxima non proponeretur.

Quibus gradibus in Mariæ Virginis cultu adſtruendo, ad eximiam illam de eius immunitate à peccato originali opinionem ventum ſit.

Verùm quandoquidem ea occaſione multa fuere propoſita, quibus factum, vt ad decretum ſtatim ſubijciendum veniretur, quoniam id ſermonibus hominum dedit materiam, ad integram totius rei intelligentiam, neceſſarium eſt controuerſiæ huius originē ab ipſis primordijs repetere. Ex quo *Neſtorij* impietas diuiſit *Chriſtum*, duos conſtituens filios, & eum, qui Virgine *Maria* genitus, Deum eſſe negans; Eccleſia, vt in animos fidelium veritatem Catholicam inſereret, in Orientis iuxta atque in Occidentis Eccleſijs bina hæc verba ſæpius inculcanda exiſtimauit, quæ Græcè ſic habent, Μαρία Θεοτόκος, Latine ſonant, *Maria mater Dei.* Id quidem in honorem *Chriſti* ſolummodo inſtitutum, cum matre ſenſim communicari cœpit, & tandem ad eam ſolam omnino relatum. Eadem de cauſa, vbi cœperat eſſe frequens imaginum vſus, ſolebant Chriſtum infantem in vlnis Virginis matris depingere, ad venerationem *Chriſto* etiam ea ætate debitam atteſtandam. ſed aliquanto poſt ventum ad venerationem matris abſque filio, illo tanquam appendice picturæ addito. Dein Scriptores & Concionatores, inprimis ij, qui ſpeculationi dediti, impotentiâ vulgi, (quod in his tamen plurimum poteſt) quaſi torrente abrepti, omiſſa *Chriſti* mentione, in nouis Encomijs, Epithetis, & cultus religioſi generibus Beatæ Virgini excogitandis certatim incubuerunt. adeo vt circa annum M.L. officium quotidianum in VII. horas Canonicas diſtinctum in eius honorem inſtituerint, eadem formâ, qua ab antiquiſſimis temporibus in honorem Diuinæ Maieſtatis ſueuerat celebrari. Tum C. annis proximè ſequentibus in tantum veneratio excreuit, vt ad culmen perueniſſe videretur: ijs quæ de Diuina Sapientia in Scripturis prædicantur, ei attributis. Inter priuilegia nouiter excogitata erat illud, de vniuerſali immunitate à peccato originali. quæ opinio in priuatorum quorundam animis ſolummodo reſederat: Sed in Eccleſiæ ceremonijs, aut in doctorum hominum mentibus ſedem non fixerat. Circa annum vero M.C.XXXVI. Canonici Lugdunenſes auſi primùm in officia Eccleſiaſtica eam introducere. *D. Bernardus* qui tum temporis floruit, pietate & doctrina ante omnes ſui ſæculi Theologos illuſtris, & in laudibus *B. Virginis* eouſq; profuſus, vt eam vocet alicubi *collū Eccleſiæ*, quaſi per eam à capite omnis gratiæ influxus dimanet; inuehitur tamē acerbè cōtra Canonicos iſtos, qui abſq; ratione, abſq; exemplo priſci temporis, nouitatem periculoſam inuexiſſent. fatetur, non deeſſe laudandæ Beatæ Virgini materiam; ſed ei placere non poſſe nouitatem ambitioſam, temeritatis parentem, germanam ſuperſtitionis, & leuitatis filiam. Sequenti ſæculo Doctores Scholaſtici vtriuſque Ordinis, tam Franciſcani, quàm Dominicani ſcriptis ſuis opinionem hanc refutarunt ad annum vſque MCCC. quo tempore *Ioannes Scotus* Franciſcanus, re in quæſtionem vocata, & rationibus diligenter excuſſis, ad Diuinam tandem potentiam recurſans, ait, Deum potuiſſe efficere, vt in peccato nunquam fuerit; aut momento ſolum temporis; aut etiam ad tempus peccato obnoxia fuerit. Deum ſolum ſcire quod è tribus his ei acciderit, primū tamen *Mariæ* probabiliter tribui poſſe, niſi cum Eccleſiæ authoritate & Scripturæ pugnet. Doctrinā huius Theologi, ſuo ſæculo percelebris, ſequuti plurimùm fratres Frāciſcani;

ni; sed in hoc articulo singulari de cōceptione, fores ab auctore suo patefactas audenter ingressi, absolutè simpliciterq; verum pronuntiarunt, quod ille fieri posse dixerat, & quasi probabile proposuerat, sub conditione dubia atque incertâ, nisi orthodoxæ fidei repugnaret. Dominicani constanter obluctantur, auspicijs *D. Thomæ*, celebris etiam ex eo ordine Theologi, tum propter excellentem doctrinam tum ob *Ioannis* Pontificis XXII. eius nominis elogium. Ille enim, ad deprimendum Ordinem Franciscanorum, qui maximam partem adhærebant *Ludouico Bauaro* Imperatori, à se, Ecclesiæ communione eiecto, Doctorem eum ad cœlum extulit, & doctrinam eius maximi fecit. Fecit pietatis ac religionis species, vt plerisque omnibus esset acceptior opinio Franciscanorum, ab Academia Parisiensi, quæ præstantis doctrinæ opinione alias anteibat, mordicus arrepta; dein à Concilio Basileensi post multam ventilationem & disquisitionem approbata; vetitumque contrariam opinionem prædicare aut docere: quod quidem, in ijs nationibus, quæ Concilium illud probabant, planè obtinuit. Papa denique *Sixtus* eius nominis IV. Franciscanus ipse, duo super ea re emisit diplomata, quorum priore anno M. CD. LXXVI. nouum officium à *Leonardo Nogarolo* Protonotario compositum confirmauit, indulgentiarum gratiâ illud celebrantibus, & præsentia sua fouentibus concessâ: altero falsitatis & erroris damnauit eorum assertionem, qui vel conceptionis propugnationem hæreticam dicerent, vel eiusdem celebrationem peccatum ducerent; tam prædicatoribus, quàm alijs sacrorum vsu interdictis, qui vel eam opinionem, vel contrariam hæreseos insimularent, quòd ab Ecclesia Romana, sedeque Apostolica ea controuersia nondum esset determinata. Neque tamen hic contentionum finis: odijs inter duos hosce fratrum Ordines magis magisque intumescentibus, & quotannis mense Decembri renouatis; adeo vt *Leo X.* Pontifex medicam manum huic malo admouere cupiens, litem determinandam censuerit, eaq; gratia ad diuersos scribendum curarit. Sed religio in *Germania* innouata *Leonis* cogitationes ad alia grauiora conuertit. atque, quod in ciuitate obsidione cincta solet vsuuenire, factiones vti desinant, & contra communem hostem vires & consilia in vnum vti conferantur, idem in his fratrum dimicationibus accidit. Dominicani in Scriptura sacra, doctrina Patrum, & veterum Scholasticorum, opinionis suæ fundamenta ponebant. alteri, cum ne apicem quidem vnum Scripturæ causæ suæ propugnandæ reperirent, ad miracula & consensum multitudinis confugiebant. Contra quos *F. Ioannes de Vdine* Dominicanus hoc dilemmate pugnabat. *D. Paulus*, inquiebat, & Patres, aut crediderunt istam vestram Beatæ Virginis à communi mortalium lege exemptionem, aut non crediderunt. Si crediderunt, neque tamen vnquam nisi vniuersè loquuti sunt, nulla facta exceptionis huius mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si contra crediderunt, tunc vestra opinio nouitatem redolet. At *F. Hieronymus Lombardellus* Franciscanus affirmabat non minorem esse Ecclesiæ huiusce temporis authoritatem, quàm fuerat primitiuæ. itaque si Ecclesiæ veteris consensu factum, vt Patres sine exceptione tum loquerentur, consensionem vniuersalem, quæ hisce temporibus celebratione festiuitatis illius sese prodit, ad eam à communi sorte excipiendam debere nos inuitare.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Legati *Romam* nunciant admirabilem omnium contra doctrinam *Lutheri* concordiam, & Synodi in ea damnanda determinationem, eò quoque mandatis anathematum institutorum exemplaribus, simul significata, quæ de conceptione *Mariæ* excitata fuerat, contentione. Quibus *Roma* responsum, huic controuersiæ manum nullatenus admouendam, quæ inter Catholicos schisma posset excitare, sed, vt Patres sibi inuicem concilientur, & vtrisque satisfiat, adnitendum: inprimis verò diploma *Sixti IV.* vti valeat, vigeatque diligenter attendendum. Legati intellecta Pontificis voluntate, tam per se, quàm præsulum quorumque prudentiorum interuentu, partibus persuadent deponere contentiones, & iunctis viribus Lutheranis se opponere. Illi verò non recusabant rem omnem silentio transire, dummodo opinioni suæ interim non præiudicetur. At Canonem sibi præiudicium afferre dicebant Franciscani, nisi *Maria* nominatim exciperetur; & Dominicani vicissim, si exciperetur, suam sententiam damnari. Itaque modus necessariò erat inuestigandus, quo, *Vir-*

Pontifex ad vitandum schisma controuersiam hanc censet non attingendam.

Paulus 3. *Carolus 5.* *Henricus 8.* *Franciscus 1.*

go neq; Canone comprehendi, neq; affirmatè excipi videretur: nempe, si in Decreto expressis verbis dicatur, neq; Synodo fuisse animum eam inibi comprehendere, neq; à communi lege segregare. Franciscanis tandem vehementer instantibus, Dominicani sunt assensi, vt hoc solùm diceretur, non fuisse Concilij mentem, eam generali propositione complecti. Tum vt se in omnibus Pontifici morigeros exhiberent, illud additum, seruandas *Sixti IV.* constitutiones.

Conuentus Ordinũ Ratisbonæ Cæsare præsente.

Dum hæc *Tridenti* geruntur, in conuentu Ordinum Imperij *Ratisbonam* indicto *Cæsar* admodum moleste ferre colloquium sine fructu dissolutum, petereque, vt quisque sibi vellet communicare, quod ad pacandum *Germaniam* potissimùm conducere arbitraretur. Protestantes instant, vt dissidia religionis iuxta Decretum *Spirense* Nationis Concilio componantur. illud enim rebus præsentibus magis appositum, quàm generale: quòd fieri non possit, vt *Germania* ab reliquarum prouinciarum populis opinionibus adeo dissidente, in Oecumenico Concilio sine maximis contentionibus aliquid statuatur. qui verò Germanos ad sententiam de religione immutandam per vim perpellere conetur, huic infinita hominum millia, maximo *Cæsaris* detrimento, cum summa verò lætitia Turcarum, esse trucidanda. Respondent *Cæsaris* ministri, non stetisse per *Cæsarem*, quo minus *Spirense* decretum valeret; notumque esse omnibus, quomodo ad pacem cum Rege Galliæ procurandam, necessitate coactus sit in ijs quæ religionem spectant, voluntati Pontificis acquiescere. Decretum illud, eius temporis necessitatibus accommodatum: ijs mutatis, sententiam quoque mutandam. In Concilijs Nationum factam aliquando morum emendationem: de fide & religione neutiquam actum. In colloquijs agendum cum Theologis, qui difficiles vt plurimum sunt, morosi, obstinati, moderataque consilia, quæ rerum status exigit, auersantur. Neminem esse, qui religionem habeat chariorem *Cæsare*, neque idcirco in gratiam Pontificis tantillum ab æquo honestoque deflectere. sed sciebat ille in Concilio Prouinciæ, neque partes posse conciliari: neque iudicem facilè inueniri. Legati Electorum *Moguntini* & *Treuirensis* à quatuor reliquis secessione facta, ad Catholicos transeuntes Concilium Tridentinum approbant, & *Cæsarem* orant, vt illud tueatur, ac Protestantibus persuadeat eò proficisci, eiusque se cognitioni submittere. Illi vero obiectantes Tridentinum Concilium non esse liberum, cuiusmodi in conuentibus Imperij expetitum erat & promissum, denuo *Cæsarem* obsecrant, vt firmam pacem constituat, & res religionis vel in Concilio Germaniæ, vel in Imperij Comitijs, vel deniq; in doctorum hominum vtriusque partis colloquio stabilire dignetur.

Cæsar cum Protestantibus belligeraturus copias conducit.

Interea *Cæsar* quàm poterat occultissimè apparatus bellicos fecerat, quorum caussa, pace cum Rege *Galliæ* iam firmata, & pactis cum Turca vnius anni inducijs, Protestantes ad conuentum Ordinum conuocatos, diutius latere non potuit; maximè quòd spargeretur fama, Pontificem etiam, & *Ferdinandum* copias conducere. itaque vt in belli suspicione omnia ad tumultus & confusionem spectabant. Cum autem *Cæsar* consilia sua celari non posse animaduerteret, Cardinalem *Tridentinum* per celeres equos *Romam* mittit, ad auxilia à Pontifice promissa conquirenda. Centuriones etiam atque Tribunos in *Italiam* & *Germaniam* inferiorem dimittit cum pecunia, ad delectus habendos. Tum Principes & Duces Germanos Protestantes, qui Smalcaldici fœderis non essent, ad castra sua sequenda inuitat, professus, pollicitusque bellum illud non propter religionem suscipi, sed reprimendæ quorundam rebellioni, qui specie pietatis vim faciant legibus, & Principis Maiestatem aspernentur. Qua pollicitatione plerasque ex ijs etiam ciuitatibus, quæ Romanæ religionis ritus abiecerant, in officio continuit, pro fide ijs data beneuolentiam & in religione quam profitebantur, securitatem expectantes.

Etiam Principes & ciuitates Protestantium, nonnullæ Cæsari militant.

Sessio V. Decret. fidei de peccato originali V. Anathematis constans.

Iam in Concilio Patribus, post multam disceptationem, in vnam eandemque sententiam denique adductis, decretisque de fide & reformatione in formam redactis, Legato Cæsareo frustra tergiuersante, die Iunij XVII. qui Sessioni erat destinatus, rem diuinam faciēte *Alexandro Picolhuomino* Episcopo *Pientino*, & concionem habente *F. Marco Laureo* Dominicano, post adhibitas ceremonias consuetas, fidei Decretum V. Anathematis constans recitatur. I. Contra eum, *quicunque non confitetur,*

Adam

Adam præuaricatione sua sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, iram & indignationem Dei, mortem, & captiuitatem Diaboli incurrisse, & secundum animam ac corpus in deterius commutatum fuisse. II. Contra eum, *qui asserat Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini nocuisse; aut ad postgenitos mortē solā corporis, non etiam peccatum, quod est mors animæ, transfudisse.* III. *Qui asserit peccatum Adæ, quod vnum est origine, & cuique proprium, & generatione non imitatione transfusum, per aliud remedium tolli, quam per vnius mediatoris Iesu Christi meritum; aut qui negat ipsum Christi meritum, per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam paruulis applicari.* IV. *Si quis paruulos recens natos et si Christianorum liberos baptizandos negat: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati.* V. *Si quis per gratiam Christi, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, neque tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud radi tantum & non imputari dicit. Manere quidem in baptizatis concupiscentiam ad agonem, sed quæ nisi consentientibus non noceat: quam cùm Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat non esse verè & propriè peccatum in renatis, sed ita dici, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Declarat item Synodus non esse sibi propositum decreto hoc Beatam Virginem comprehendere, sed obseruandas esse Sixti IV. constitutiones, quas innouat.* Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Decretum reformationis duabus constabat partibus, quarum prior erat de prælectionibus, altera de prædicationibus. De lectionibus *Statuit Synodus vt in Ecclesijs, in quibus stipendium sacræ Theologiæ lectoribus destinatum reperitur, Episcopus ab eo qui stipendium id percipit, si idoneus sit, sacram Scripturam exponendam curet: alioquin ipse hominem idoneum obeundo huic muneri sufficiat. in posterum verò stipendium in neminem conferatur, nisi qui per se munus illud sustinere possit. In Ecclesijs autem Cathedralibus Ciuitatum populosarum, aut collegiatis oppidi castelliue insignis, vbi eà gratià stipendium nullum huiusmodi deputatum reperitur, prabenda primo quoque tempore vacatura, aut simplex aliquod beneficium aut contributio ab omnibus eius ciuitatis, aut dioecesis beneficiatis collecta, eiusmodi prælectioni instituendæ applicetur. Vt in Ecclesijs tenuioribus sit Magister, qui grammaticam gratis doceat, eique hoc nomine simplicis alicuius beneficij fructus assignentur, vel ex capitulari Episcopaliue mensa condigna aliqua merces persoluatur: vel aliàs Episcopus ipse rationem aliquam ineat, ne res adeo fructuosa negligatur. In Monasterijs etiam Monachorum, vbi commode id fieri queat, sacræ Scripturæ lectio habeatur: qua in re si Abbates fuerint negligentes, ab Episcopis locorum, quippe Sedis Apostolicæ delegatis, oportunis remedijs ad id cogantur. In conuentibus verò aliorum Regularium, lectio ex dignioribus magistris assignetur. In gymnasijs publicis, vbi huiusmodi scripturæ prælectio nondum est instituta, vti religiosorum Principum ac Rerumpubl. pietate & charitate instituatur: vbi instituta fuit, sed neglecta, restituatur. Lectoris hoc officium nemo publicè aut priuatim exerceat, qui prius ab Episcopo de vita, moribus & eruditione probatus non fuerit: quod de lectoribus in claustris monachorum intelligendum non est. Docentes publice sacram scripturam, & scholares priuilegijs à iure communi concessis, de perceptione fructuum beneficiorum suorum in absentia plenè gaudeant, & fruantur.* Decreti de reformatione caput I. de prælectionibus.

De prædicationibus Decreto præcipitur, *Vt Episcopi & Prælati, nisi legitimè impediantur ad Euangelium per se ipsos prædicandum teneantur; impediti vero, homines idoneos sibi assumant. Vt Curati inferiores, ea, quæ scire omnibus est necessarium, ad salutem, vel per se, vel alios idoneos hominibus annuncient, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, atque ad id præstandum ab Episcopis cogantur, vtcumque ab Episcopi Iurisdictione se exemptos obtendant. Vt Curati item Ecclesiarum parochialium monasterijs subiectarum, quæ in nulla dioecesi existunt, à Metropolitanis, tanquam in hoc sedis Apostolicæ delegatis, ad id ipsum præstandum compellantur, si Præsules regulares in officio fuerint negligentes. Vt Regulares cuiuscumque ordinis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare non possint, nisi à superioribus suis de vita, moribus atque eruditione approbati; atque, vt, priusquam prædicare incipiant, benedictionem Episcopi coràm deposcant. In alijs vero, quæ sui ordinis non sunt, Ecclesijs, ipsis prædicare fas non sit, nisi præter superiorum suorum approbationem Episcopi licentiam impetrent: quam ille gratis concedere tenetur. Si concionator errores aut scandala in populum disseminauerit, Episcopus ille* Decreti II. caput alterum de prædicatione.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

predicationem interdicat. Si hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat: & si prædicator se priuilegio aliquo exemptum esse contendat, Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus id faciat. adhibita tamen ab Episcopis cautione, ne quis prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, iustamue de eis conquerendi habeat occasionem. Caueant item Episcopi, ne priuilegij cuiuslibet prætextu, vel Regulares, qui extra claustra sua viuunt, vel presbyteri sæculares, nisi ipsis bene noti & probati prædicare sibi arrogent, donec S. Sedes Apostolica de ea re consulatur. Quæstores verò eleemosynarij, neque per se, neque per alium prædicare præsumant; si secus faxint, ab Episcopis ad parendum adigantur, quibuscumque priuilegijs non obstantibus. Proximo denique confessui dies dicitur ad XIX. Iulij diem.

P. Danesij Oratoris Regis Galliæ ad Patres Tridentinos oratio.

Decretis ab Episcopo, qui Missam celebrarat, recitatis, Secretarius Concilij *Regis Galliæ* literas perlegit, quibus *Petrum Danesium* suum ad Concilium legatum constituit. Continuò ille copiosam, & facundam ad Patres habuit orationem, cuius hæc fere capita. Regnum Galliæ à *Clodouco* primo Rege Christianissimo religionem Christianam seruasse intaminatam. Diuum Gregorium I. in testimonium incorruptæ in Gallia religionis *Childeberto* dedisse elogium *Catholici*. Reges suos nullibi in *Gallia* cuiuis sectæ, alijs ue, quàm Catholicis sedem permisisse: imo verò in exteris, Idolatris, hæreticis ad fidem conuertendis sedulò laborasse, & nonnunquam eos pijs armis ad veræ sinceræque religionis professionem adegisse. Sic *Childebertum* bello *Visigotthos* compulisse, cùm Arriani essent, ad se Ecclesiæ Catholicæ consociandos: & *Carolum Magnum* totos XXX. annos bellum cum *Saxonibus* continuasse, vt ad religionem Christianam ipsos adduceret. Dein ad Regum Galliæ in ipsam Ecclesiam Romanam promerita commemoranda accedens, narrauit, quæ *Pipinus* & *Carolus Magnus* aduersus *Longobardos* fortiter patrassent; & quem ad modum in Synodo Episcoporum ab *Hadriano* huic delatum sit, & creandi Pontificis, & Episcoporum suæ ditionis cum approbandorum, tum, post præstitum ab illis sacramentum fidelitatis, inaugurandorum arbitrium. Et quamuis filius eius *Ludouicus Pius* prærogatiua creandi Pontificis non ita multò post cesserit, amicitiæ tamen, quæ sibi cum Sede Apostolica intercesserat, testificandæ ergô, Legatos ad se ea gratia mandari voluisse, eamque officiorum vicissitudinem diligenter cultam diu continuasse. Eius enim amicitiæ fiduciâ Romanos Pontifices asperis temporibus, siue per hostilem impetum sede sua eiectos, siue seditione consternatos, ad illud regnum tanquam portum tutissimum confugisse. Neque dictu facile esse, quot se periculis Galli exposuerint, quàm largiter & pecuniam, & sanguinem profuderint, vel ad Christiani Imperij fines proferendos; vel ad ea recuperanda, quæ Barbari inuaserant; vel ad Pontifices dignitati restituendos, aut periculis liberandos. His decessoribus oriundum *Franciscum*, pari pietate, regni sui initio, post victoriam *Mediolanensem*, profectum *Bononiam* ad *Leonem* X. amicitiæ cum eo stabiliendæ, quam cum *Hadriano, Clemente*, & cum *Paulo* III. nunc Pontifice continuauerit; quorum Pontificatu XXVI. annorum spatio, licet in diuersis regionibus de rebus fidei multæ magnæque extiterint controuersiæ, illum tamen diligentissimè cauisse, intra suos fines ne qua fieret in vulgata Ecclesiæ consuetudine immutatio, sed penes Ecclesiam publicum totius rei iudicium esset. Et quanquam natura sua sit clementissimus, & mitissimus, neque sanguinis sitiens, hic tamen seueritatem adhibuisse, grauiaque edicta sanxisse: & tum sua diligentia, tum Iudicum solicitudine & vigilantia id consecutum, vt in tanta tempestate, iactationeque, quæ multas Ciuitates & regna ab ipsis fundamentis labefecit, nobilissimum illud regnum Ecclesiæ bono pacatum permanserit, pristinâ doctrinâ, ritibus, & moribus seruatis: vt de eo regno Synodus liberè statuere possit, quod verum putet, & Reipublicæ Christianæ conducibile. Præterea, Regem satis iam perspexisse, quantopere orbi Christiano conducat, Episcopum Romanum pro capite agnoscere: adeo vt bonis conditionibus solicitatus ad exemplum ab alio Principe editum sequendum, ab instituto dimoueri non potuerit: quin potius suo cum incommodo finitimorum amicitiæ nuncium remittere decreuisse. Indicto nuper Concilio, delectos aliquot è suis Episcopis ilico mandasse, deinde cùm Consessibus aliquot habitis, seriò rem

agi,

agi, & Synodi authoritatem decretis etiam factis stabilitam comperisset, sibi, vt huc contenderet, & negotium, quà posset, promoueret, in mandatis didisse. Petero igitur, vt semel in vniuersum constituant, publiceque proponant, quid ab omnibus Christianis vbique gentium in religione sequendum sit, & credendum. dein vt ad sacrorum Canonum normam Ecclesiasticam disciplinam instituant: si faciant, tum Regem Christianissimum curaturum, quæ illi præscribent, per omnem Galliam accuratè vt seruentur; Decretisque Concilij sua ope ac patrocinio adfuturum. Adhæc, cùm *Galliæ* Regum tot tantaque extent in Ecclesiam Romanam merita, ne ex priuilegijs à Patribus & summis Pontificibus olim concessis, quorum possessionem omnes Galliæ Reges à *Ludouico Pio* habuerunt, quicquam mutetur, aut imminuatur. Vt Gallicanis item Ecclesijs, quarum ipse gerit tutelam, sua iura, priuilegia, & immunitates confirmentur: quo nomine Gallos omnes agnituros se Concilio tantopere deuinctos, vt beneficium ita collocatum Patribus nunquam sit pœnitendum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Huic orationi *Hercules Seuerolus* Concilij Procurator omnium nomine paucis respondit, Se Regi, quantas possint maximas gratias agere, Oratoris ipsius aduentum longe gratissimum habere, omnem operam & studium ad rem religionis constituendam moresque emendandos polliceri; Regno etiam & Ecclesiæ Gallicanæ omnem animi propensionem, omniaque officia lubenter offerre.

Cui Procurator omnium verbis respondet.

Decreta verò Consessus vbi typis excusa in *Germaniam* peruenere, multorum sermonibus materiam dederunt. Iactabatur enim vulgò de impietate Pelagiana ex superuacuo actum in Concilio, quæ ante mille annos à tot Concilijs, de communi Ecclesiæ consensu satis damnata. Tolerabile quidem esse, vt doctrina vetus confirmetur. nec incongruè iuxta illam, veram vniuersalem doctrinam fuisse propositam, scilicet peccatum *Adami* ad posteros omnes propagatum: sed eandem, mox addita exceptione, euersam. Neque quicquam iuuare, quod dicitur, exceptionem eam nihil afferere; sed in ambiguo rem relinquere. Sicut enim particularis vniuersalem contradictoriam falsam efficit: ita particularem ambiguam, incertam reddere vniuersalem. Ecquis vero non videt exceptione ea vigente, etiamsi ambigua, vnumquemque iure posse concludere, non esse indubitatæ veritatis, peccatum Adæ ad omnes posteros transfusum, quia non est certum ad Beatam Virginem transijsse? maximè, quòd ea ratio, quæ exceptionem hanc suadet, alias plerasque admittendas persuadet. Scitè enim à *Bernardo* asseri, eandem rationem, quæ suggerit conceptionem virginis esse celebrandam, euincere, patris quoque & matris, item auorum ipsius ac proauorum, totiusq; prosapiæ conceptiones vsque in infinitum celebrari dignas. Sed in infinitum non procedi, quia vbi ventum erit ad *Abrahamum*, illum solum suo merito ab originali peccato eximendum. Illum scilicet esse, cui de redemptore facta sit promisso. Christum semper dici semen *Abrahami*: illum vocari Patrem Christi, & omnium credentium, & exemplar fidelium: easque dignitates multo esse maiores, quam in vtero Christum gestare, iuxta Diuinum responsum, quo virgo pronuntiata beatior, quòd verbo Dei audiens esset, quàm quòd Deum lactasset & peperisset. At si quis ob prærogatiuam se non adduci patietur ad *Abrahamum* excipiendum, neque veterem rationem probabit, Christum esse sine peccato, quòd è spiritu sancto natus sit, absque seminis virilis commixtione; is certe affirmauerit multo satius fuisse sapientis consilium sequi, & terminos à Patribus positos non transilire. Addebant insuper, omnes Concilio plurimum debere, qui fateantur & agnoscant manere in baptizatis concupiscentiam. fore alioqui, vt cogantur homines negare se in ipsis illud sentire, quod plane sentiunt. In Decreto reformationis expectabant omnes Scholasticorum & Canonistarum abusus emendatum iri: quòd hi Diuinas proprietates Pontifici tribuant, Deum vocantes, infallibilitatem ei ascribentes, idem tribunal vtrique concedentes, atque ipso Christo clementiorem asserentes. illi verò doctrinæ Christianæ fundamentum scriptura neglecta in *Aristotelis* philosophia ponant, omnia in quæstionem vocantes, & in vtramque partem disputantes, etiam an Deus sit. Res mira cuique videbatur, ad illud vsque tempus ignoratum, esse Episcoporum munus prædicare: neque vel actum de tollendo abusu in vanissimis quibusque

De decretis huius Sessionis Germanorum iudicium.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

prædicandis, alijsque omnibus præter Christum; vel prouisum apertæ Prædicatorum nundinationi prætextu eleemosynæ. In aula *Cæsaris* vbi primùm de decretis factis innotuit, in pessimam partem accipiebatur, in materia reformationis tam leuia, imo à Germanis non postulata tractari: in materia vero fidei, controuersias iam ante conciliatas hoc decreto resuscitari. Etenim, cum in Colloquio prope conuenisset inter partes de peccato Originis, iam vbi à Concilio expectabatur plena conciliatio, decretum prodijt pugnans cum ijs, de quibus antea conuenerat. Etiam Cæsarei Tridentum ad suos scripserunt, darent operam, vt Patres in rem reformationis planè incumberent, dogmata verò fidei controuersa ad euentum vsque Protestantum differrent, quos Cæsar ad eò proficiscindum à se adduci posse non dubitabat; aut certè quoad Præsules Germaniæ eò venissent, qui Ordinum Conuentu finito iter essent ingressuri. Sed de rebus in Synodo gestis non diutinus fuit hominum sermo, alijs mox natis occasionibus, quæ omnium oculos & animos in se conuerterunt.

Fœderis inter Cæsarem & Pontificem contra Protestantes concepti leges.

Cardinalis enim *Tridentinus* die XXVI. Iunij, *Romæ* fœdus inter Pontificem & *Cæsarem* aduersum Protestantes in *Germania* pepigerat; cui initium datum anno superiore *Wormatiæ* ab Cardinali *Farnesio*, sicut ante dictum est, dein aliorum ministrorum opera de eo sæpius tractatum. Causæ fœderis, & pacta huiusmodi erant. Quod multos iam annos in hæresibus Germania perseuerasset, quibus depellendis Concilium *Tridenti* indictum esset, & iam inchoatum; quodque Protestantes huic se submittere recusent, ideo Pontificem atque *Cæsarem*, ad Dei gloriam, & *Germaniæ* salutem certis legibus transegisse. Vt *Cæsar* contra eos qui Concilium repudiant, exercitum comparet, & ad sanctæ Sedis obedientiam ipsos reducat. Eo nomine Pontifex, præter illa centum aureorum millia quæ iam deposuit, totidem Venetijs quoque deponat; quæ in nullum alium nisi belli vsum expendantur. Præterea in hoc bellum suis sumptibus alat peditum Italorum millia duodecim, & leuis armaturæ equites quingentos per semestre tempus: hoc anno *Cæsari* permittat dimidiam partem bonorum Ecclesiæ per *Hispaniam*, atque vti liceat ei ex annuis prouentibus monasteriorum *Hispaniæ* diuendere, donec aureorum millia quingenta confecerit. intra sex menses *Cæsari* fas non sit absque Pontifice pacem aut transactionem vllam cum ijs facere, eique sicuti oneris, sic emolumenti quæstusq; portio accedat. Semestri vero spatio exacto si bellum sit continuandum, nouæ pactiones concipiantur, quæ vtrisque commodissimæ videbuntur: alijsque locum seruandum, vt ijs integrum sit huic se adiungere fœderi, sumptuum & commodorum partem subituris. fuit & aliud huius fœderis caput sed occultius, quod tangebat *Galliæ* Regem, vt bello hoc durante si quis Princeps Christianus *Cæsari* bellum inferat, eundem Pontifex armis spiritualibus & temporalibus persequi teneatur.

Pontificis ad Heluetios literæ, quibus inuitat eos ad suppetias huic bello mittendas.

Post aliquot dies Pontifex ad *Heluetios* dat literas, eos ad auxilia sibi subministranda inuitans. Primùm suam erga ipsos beneuolentiam fusiùs commemorat, dein animi dolorem, quem ex eo percipiat, quod nonnulli ex ipsis ab obedientia sua sint auulsi: magnumque agnoscit Dei beneficium, ac pro eo gratias agit, quod plerique constantes permanserint; tum quòd in isto dissidio religionis, cuius occasione grauissimi alijs in locis sint excitati motus, illi pacem inter se firmiter colant. Subiungit deinde, se tumultibus ijs componendis generale Concilium *Tridentum* conuocasse, spe ea fretum, neminem fore, qui non huic se submittat authoritati: nec dubitare, quin ex ipsis omnes, qui in Apostolica obedientia permanserunt, obtemperent Concilio, cæteri vero authoritatem eius non aspernentur. quod vt faciant, & ad Concilium veniant, hortari. Dolere autem sibi vehementer, quod in *Germania* non pauci, de numero eorum, qui Principes habentur, superbè Concilium contemnant, & insolenter conuitijs insectentur; cuius authoritas tamen diuina magis sit quàm humana. quâ contumaciâ necessitatem sibi videat impositam vi armisque rem tentandi. Cumque peropportunè acciderit, vt eadem mente *Cæsar* sit, de religione armis sibi vindicanda, se libenter occasionem hanc arripuisse, & tam suis, quam Ecclesiæ Romanæ facultatibus *Cæsarem* adiuuare constituisse. Atque hoc suum consilium & mentem ideo se ipsis patefacere, vt & vota sua secum coniungant,

iungant, & Ecclesiæ Romanæ pristinum honorem deferant, & in causa tam pia suppetiatum decurrant.

At *Cæsar* bellum à se suscipi religionis causa dissimulabat; longe alias politicas causas & rationes obtendens. Crimini dabat Protestantibus, quod sibi non obtemperarent; quod specie religionis apud exteros contra se machinarentur; quod nullis legum vinculis astringi vellent; quod alienas possessiones, sacras præsertim, inuaderent; quod Episcopatus & Abbatias veluti hæreditario iure in familias suas transferant; quod lenitatis via iam ante non semel à se tentatâ, insolentiores semper euaserint.

Paulus. 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Belli aduersum Protestantes suscepti à Cæsare prætextus.

Protestantes vicissim testatum omnibus cupiunt, *Cæsarem* bellum hoc suscipere Romani Pontificis, & Concilij Tridentini impulsu. reuocant illi in memoriam, quæ *Francofurti*, cum creatus fuit *Cæsar*, iuratus Imperio promiserit; & ob ea non seruata iniuriam sibi fieri profitentur. Sed ex ijs plerique operam suam *Cæsari* addixerant, existimantes, bellum non ob alias, quàm politicas considerationes susceptum. Archiepiscopus etiam *Coloniensis*, de quo supra dictum est, etsi à Pontifice Ecclesiæ communione eiectus, & dignitate, facultatibusque exutus, prouinciam tamen sibi subiectam administrabat, populum sibi habebat obsequentem, *Cæsarisque* partes sequebatur. Ille quoque eum pro Electore atque Archiepiscopo agnoscens, per literas rogat, ne suæ ditionis hominibus contra ipsum militare permittat: quod syncerè & bona fide effectum dedit. Id *Saxoniæ* Elector & *Lantgrauius* vbi animaduerterunt, Idibus Iulij publicum scriptum edunt, quo demonstrant bellum hoc religionis causa suscipi, & hac esse mente *Cæsarem*, vt specie vindicandæ rebellionis in paucos aliquot, fœderis socios alios ab alijs diuellat, vt paulatim post omnes euertat. Ei rei argumenta afferunt, quòd *Ferdinandus*, *Granuellanus*, alijque Cæsaris ministri, Concilij Tridentini contemptum esse belli causam dicerent: quod à Pontifice contra Electorem *Coloniensem* lata esset sententia, ob solam doctrinæ in sua ditione emendationem: quòd *Hispaniæ* proceres Ecclesiastici tam ingentem pecuniæ vim de suo in hoc bellum neutiquam essent collaturi, si alia esset quàm religionis causa: quòd *Cæsar* nullam aliam verisimilem possit prætexere causam offensionis.

Protestantes contrà multis argumentis bellum hoc religionis causa susceptum contendunt.

Verùm interea dum Pontifex & *Cæsar* contra Lutheranos præter Anathemata alia arma comparant, die XVIII. Iunij post Sessionem proxima congregatio indicitur; in qua precibus peractis, & inuocato Spiritus sancti auxilio, Secretarius scriptum de mandatu Legatorum, deque Theologorum primi nominis assensu formatum legit. Eo proponebatur, quandoquidem instinctu Diuino damnatæ essent hæreses peccatum originale spectantes, rerum tractandarum ordinem poscere, vt Sectariorum doctrina de gratia Dei, quæ medicina est peccati, proximo loco excutiatur: atque huic methodo eò magis insistendum, quòd eandem sequuti sint authores *Augustanæ* confessionis, quam vniuersam Concilium damnare decreuerit. Obsecrare itaque Patres & Theologos, ad opem diuinam implorandam pijs orationibus decurrere, in studijs assiduam exactamque operam ponere, omnesque *Martini* super hoc dogmate errores consarcinare. *Lutherum* enim, cum ab initio Indulgentias labefactare instituisset, facilè perspexisse, se institutum assequi non posse, nisi euersis prius pœnitentiæ operibus, quorum defectum Indulgentiæ supplent. ijs euertendis rationem expeditissimam visam, illam antea inauditam *sola fide iustificationem*. ab hoc fonte manasse cùm bonorum operum, tanquam ad salutem minime necessariorum, repudium; tum licentiam effrænem & dissolutam ab obseruatione legum Diuinarum & Ecclesiasticarum. inde abnegatam Sacramentorum vim & efficaciam, authoritatem Sacerdotum, Purgatorium ignem, Missæ sacrificium, aliaque omnia peccatis expiandis remedia. His igitur, qui Doctrinæ Catholicæ corpus constituendum habeant, vice versa hæresin istam de iustitia per solam fidem prius conuellendam, damnandasque bonorum operum aduersarij blasphemias.

De gratia Dei, & iustificatione hominis proximo loco agendum proponitur.

Scripto eo perlecto, Præsules Cæsarei censent, quo maioris esset caput propositum momenti, eo maiore & iudicij maturitate, & temporis opportunitate tractandum,

At Cæsarei aliquid de reformatione potius tractandum instant.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

dum. Cardinalis *Madrucij* ad Pontificem missionem portendere magnam aliquam rem agi, quam interturbare non sit prudentiæ; sed aliquid de reformatione interim tractare. At Pontificij altrinsecus asserebant, alienum esse à dignitate Synodi ordinem cœptum deserere, quo in singulis Sessionibus fidei dogmata, & capita reformationis pariter incedunt; neque post originale peccatum, vllum dogma adeo appositum, quàm illud, cuius meminerint. Legati auditis omnium suffragijs affirmant rerum discussionem, & præparationem, non esse earundem decisionem; neque vnquam posse commodè res definiri, nisi præeunte præparatione: non aliud agi in præsentia, nisi vt, captato, quod adest, tempore, via præstruatur ijs, quæ inter Pontificem & Cardinalem *Cæsaris* nomine nunc deliberantur, exequendis. Dum dogmatum materia digeritur, non impediri tractationem reformationis, quòd illa distinendi sint Theologi, hac Patres, & Canonistæ. Statutum igitur vt è *Lutheri* libris, è Colloquijs, Apologijs, alijsque Lutheranorum scriptis articuli excerperentur, post discutiendi & censuræ subijciendi: atque huic rei designati tres Patres, totidemque Theologi, qui scripta colligerent, & articulos ordinarent.

Prælatorum ac pastorum à functionibus suis absentia, malorum Ecclesiæ fundus.

Congregatio proxima habita fuit ad materiam reformationis constituendam. de qua Cardinalis *Montanus* dicebat, à multis annis omnes de Præsulum & Pastorum absentia grauiter queri, assiduitatem in residendo flagitantes. Omnium malorum Ecclesiæ causam, Præsulum & Curionum à functionibus suis absentiæ ascribendam. Ecclesiam enim Naui non absimilem, quæ absente Nauclero, cuius est eam gubernare, facile submergitur. Hæreses, ignorantiam, luxumque in populo; morum item corruptelam, & vitia in clero ideo regnare, quoniam per Pastoris à grege absentiam, nemo est de illo instituendo, aut hoc corrigendo solicitus. Quòd Pastores in ministerio assidui non sint, fieri, vt Ministri ignari & indigni ad id muneris assumantur; atque indidem esse, vt ad Episcopi dignitatem homines ad quiduis aliud, quàm ad eam Prouinciam capessendam aptiores, promoueantur: quippe, in quibus egregias dotes frustra quis requirat, cùm ad eam per seipsos administrandam non teneantur. Residentiam igitur & sedulitatem Præsulum inprimis stabiliendam, quæ ad omnes Ecclesiæ morbos persanandos remedium sit efficacissimi vsus, à Concilijs & Pontificibus etiam olim adhibitum: sed quòd ijs sæculis in eo genere non multum peccaretur, aut alia de causa, non ita validis arctisque ligaminibus applicitum ac firmatum, quàm hæc tempora requirant; quibus malum, quod ad culmen peruenit, seuerioribus monitis, suppliciis grauioribus magisque formidolosis, ac rationibus ad exequendum facilioribus, sit vindicandum.

Residentia verò, & assiduitas in officio, morbis curandis malagma expeditissimum.

E Præsulibus ij, quibus primus suffragij ferendi locus, Cardinalis sententiam probabant: verùm vbi sermonis vices ad *Iacobum Cortesium Florentinum*, *Vasionensem* Episcopum peruenerunt, collaudata superiori sententia, subiunxit, Se, qui crederet Præsulum & Curionum præsentiam, fuisse causam priscis illis Ecclesiæ temporibus sinceræ apud populum religionis, & disciplinæ apud Clerum retinendæ, posse liquidò demonstrare, ipsorum absentiam proximè actis sæculis causam non extitisse fidei & disciplinæ subuersæ: imo consuetudinem illam non residendi ideo introductam, quia prosus inutile erat residere. Vltimis temporibus parum aut nihil potuisse præstare Episcopos in puritate doctrinæ apud populum conseruanda, cum fratribus & quæstoribus prædicandi authoritas ipsis inuitis, esset concessa. Peruulgatum esse, nouitates in Germania natas concionibus fratrum *Ioannis Techeli*, & *Martini Lutheri*; apud Heluetios concionibus *F. Samsonis Mediolanensis*. neque aliud operæ nauatæ pretium reportaturum Episcopum in officio sedulum, & assiduum, contra eos, qui muniuntur priuilegijs, præter causæ suæ iacturam post conflictum: nec fieri posse, vt Episcopus ad vitam honestè degendam Clerum adducat, cùm præter generalem Regularium omnium immunitatem, singula Capitula suas habeant exemptiones, paucique reperiantur Sacerdotes priuati ab hac armatura immuniti. Non esse penes Episcopum, prouidere vt homines idonei ad ministerium assumantur, propter licentias *de promouendo*, & facultates Episcopis titularibus concessas; per quos fit, vt Ordinarijs vix relictum sit ministerium Pontificalium.

Iac. Cortesius residentiam plane necessariam agnoscit; sed prout sunt tempora, & priuilegia fratrum, prorsus inutilem.

lium. Immo, in summa, verè dici posse Episcopos ideo non residere, quòd nihil reliqui sit, quod agant: aut potius, vt maiora incommoda deuitent, quæ ex competitione & contentione cum priuilegiatis possent prouenire. Itaque concludebat sibi quidem necessariam videri assidui ministerij restitutionem; sed de authoritate Episcopali in integrum restituenda curam etiam habendam. Eandem opinionem sequuti sunt plerique ex Episcopis cum ad ipsorum suffragia deuentum, Residentiam necessariò omnibus imperandam, tollendasque, quæ eam impediunt, exemptiones. Vnde imposita Legatis necessitas assentiendi, de vtroque consilium esse capiendum; singulis rem reputantibus, & opinionem suam deinceps prompturis; Patribus etiam designatis, qui in formam redigant decretum postea examinandum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Qui articulis de iustificatione colligendis fuerant destinati, cum à singulis breuiaria accepissent propositionum earum, quas censuræ subijciendas putabant, non idē omnes sentiebant. Horū alij existimabant IV. aut VI. articulos principales è noua ea doctrina seligēdos, eosq; solos dānandos, sicuti in materia peccati originalis factū esset. formam enim iam inchoatam tenendā, sequendumque veterum Conciliorum exemplum, quæ primario capite proposito, explicatoque, ac hæresi damnata, ad particulares propositiones nunquam descenderunt, sed condemnatis hæreticorum libris vniuersali articulo totam doctrinam perniciosam complectebantur: eamque rationem iudicabant decoro, quod in Concilio seruandum sit, valde consentaneam. Verùm alij volebant omnes propositiones, quibus sequior aliquis sensus inesset, censuræ subijci; easque anathemate iugulari, quæ merito essent damnandæ. Prouidi enim Pastoris esse, herbas salutares à noxijs internoscere, harum vsu gregi suo penitus interdicere, quando minimæ cuiuspiam neglectus, quæ, venenata cum sit, pro salubri accipitur, gregem vniuersum possit inficere. Quod si veterum Conciliorum exemplum imitandum sit, *Ephesinum* ad imitationem proponendum, cuius super *Nestorij* doctrina tot tamque celebria extant anathemata, omnia, quæ ab illo hæretico dicta sunt, complectentia; & *Africana* contra *Pelagianos* Concilia, quæ singilatim omnes illius sectæ propositiones condemnant.

Vtrum omnes Lutheranæ de Iustificatione doctrinæ articuli damnandi sint, an vero selectæ aliquot positiones, inter Synodi Patres cōtrouertitur.

Sententia prior rationem absque dubio faciliorem expediebat, ijsque videbatur gratior futura, qui exitum Concilij cuperent accelerari: etiam rimam aliquam aperiebat concordiæ, cuius futuris temporibus aliquis esse posset vsus. Altera tamen magis placuit, quod dicerent, examinandas esse omnes doctrinæ Lutheranæ propositiones, vt censoriam notam patiantur, damnenturque post maturam disquisitionem eæ, quas æquum, iusque sit damnari. Ex his articuli XXV. conficiuntur.

E doctrina Lutherana articuli proponuntur XXV. excutiendi, ac damnandi.

I. Fidem solam, omnibus alijs operibus exclusis, ad salutem sufficere, solamq; iustificare.

II. Fidem quæ iustificat, esse fiduciam, per quam creditur peccata per Christum esse remissa: iustificatosque teneri ad firmiter credendum, sibi peccata esse remissa.

III. Per solam fidem posse nos apparere coram Deo, qui opera nostra nec curat, nec requirit: solam fidem puros reddere, & Eucharistiæ accipiendæ idoneos, in qua gratiam nos accipere credendum est.

IV. Homines qui absque Spiritu Sancto honesta operantur, peccare, quod impio sint corde cum operantur. item, mandatorum Dei absque fide obseruationem peccatum esse.

V. Vitam nouam, optimam esse pœnitentiam: neque esse necessariam pœnitudinem vitæ anteactæ. Item peccatorum actualium expiationem ad gratiam recipiendam non disponere.

VI. Nullam dispositionem esse necessariam ad iustificationem: neque fidem iustificare, quia disponat; sed quia est medium, aut instrumentum, quo promissio, & gratia Diuina apprehenditur & accipitur.

VII. Metum gehennæ non iuuare ad iustitiam consequendam; sed nocere, & esse peccatum, peccatoresque reddere deteriores.

VIII. Contritionem, quæ ex peccatorum examinatione, recordatione & detesta-

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

testatione oritur, eorum grauitate, multitudine, & fœditate consideratis: item amissionem æternæ beatitudinis, & perpetuæ damnationis acquisitionem, reddere hominem hypocritam, magisq; peccatorem.

IX. Terrores quibus peccatores intrinsecus à Deo consternatur, aut extrinsecus à prædicatoribus, peccata eousque esse, quoad à fide superentur.

X. Doctrinam dispositionum euertere doctrinam fidei, & consolationem adimere conscientijs.

XI. Solam fidem esse necessariam, alia neque præcipi, neque prohiberi, neque aliud esse peccatum, nisi incredulitatem.

XII. Qui fidem habeat, eum à præceptis legis esse liberum, neque ad salutem operibus indigere. Fidem enim abunde omnia largiri, eam solam præcepta omnia adimplere, neque vllum esse hominis fidelis opus adeo improbum, vt possit eum accusare, aut damnare.

XIII. Baptizatum ob nullum peccatum salute posse excidere, nisi sit incredulus: neque vllum peccatum à gratia Diuina separare, præter incredulitatem.

XIV. Fidem & opera esse inter se contraria, neque operum merita sine fidei iactura posse doceri.

XV. Opera externa secundæ tabulæ esse hypocrisin.

XVI. Iustificatos omni culpa & pœna liberari, neque necessariam esse in hac vita, aut post mortem satisfactionem. nullum itaque esse purgatorium, aut satisfactionem, quæ pars sit pœnitentiæ.

XVII. Iustificatos, etiam Dei gratia præditos, legem adimplere non posse, aut peccata vitare, ne mortalia quidem.

XVIII. Legis obedientiam in iustificatis exiguam esse, & ex se impuram, Deoque ingratam, sed ei acceptam propter fidem hominis reconciliati, dum reliquias peccatorum sibi condonari credit.

XIX. Iustum in omnibus bonis operibus etiam peccare, neque vllum opus operari, quod non sit peccatum veniale.

XX. Omnia hominum etiam sanctissimorum opera esse peccata: Bona iustorum opera per Dei misericordiam esse venialia, sed secundum iustitiæ diuinæ rigorem mortalia.

XXI. Hominem iustum, sicuti meritò suspicari debeat opera sua esse peccata, ita debere pro certo habere, ea non imputari.

XXII. Gratiam & iustitiam non esse aliud, quàm diuinam voluntatem, neque in iustificatis esse iustitiam aliquam inhærentem; nec ipsorum peccata deleri, sed remitti solum, & non imputari.

XXIII. Iustitiam nostram non esse aliud, quàm imputationem iustitiæ Christi, iustisque necessariam esse continuam iustificationem, & imputationem iustitiæ Christi.

XXIV. Iustificatos omnes ad æqualem gratiæ gloriæque mensuram admitti, omnesque Christianos ex æquo cum ipsa Virgine Dei matre iustitiam participare, nec minus sanctos esse.

XXV. Opera hominis iustificati beatitudinis merita non esse, neq; fiduciam vllam in ijs, sed in sola Dei misericordia collocandam.

Theologis in excutienda iustificationis doctrina maior oboritur difficultas, quam vbi de peccato originis actum.

Articulis in hunc modum collectis, non tam leuis erat operæ rationem inuenire eorundem in congregationibus excutiendorum, quàm paulo ante, cùm de originali peccato actum est. Illud enim argumentum deprehenderant ab Scholasticis studiosè agitatum. At *Lutheri* de fide iustificante opinionem, quòd ea sit fiducia, & certa persuasio promissionis Diuinæ, eiusque consectaria, de discrimine Legis & Euangelij, & qualitate operum ab vtroque pendentium, eam nemo è Scholasticis vel imaginando conceperat, ac proinde neque confutarat, neque excusserat. Itaque Theologis desudandum erat primùm in eruendo genuino assertionum Lutheranarum sensu; dein in inuestigando discrimine inter ipsas, & positiones in Scholis receptas, denique in rationibus discriminum admetiendis. Hoc certum, à principio Theologorum nonnullos, & Patres plerosque omnes credidisse, Protestantes, qui

qui libertatem arbitrij negarent, opinari, hominem in actionibus externis ad instar lapidis se habere. Item, cum fidei soli iustitiam attribuunt, operum concursum respuentes, hominem pro iusto reputare, qui solam Euangelij historiam credat, vtcumque improbè praueque operetur; aliaque id genus absurda, quò à sensu communi magis abhorrentia, eo refutatu difficiliora; sicut in opinionibus vsuuenire solet, cum manifesta veritatis specie, & vulgata hominum persuasione plane pugnantibus.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Inter Theologos qui ad XLV. excreuerant, pars maior mordicus tenebat opiniones in scholis communiter receptas, de quibus inter doctores scholasticos conueniebat; neque audiendos, qui contra dissererent, existimabant. Verùm vbi Scholasticorum sectæ in diuersa tendunt, suam quisque sectam animose tuebatur: præ alijs verò Dominicani, hac contemplatione gloriabundi, quod CCC. annis ipsorum operâ Ecclesia hæreses debellasset. Non deerant tamen, qui ingenij dexteritate freti, assensum tamdiu sustinerent, donec rationum momenta expenderentur. In his erant *F. Ambrosius Catarinus Senensis* Dominicanus, post factus *Episcopus Minorensis*; *Andreas Vega* Hispanus Franciscanus, *Antonius Marinarus* Carmelitanus. Eremitani verò, quòd ex eo essent fratrum ordine, vnde prodierat *Martinus Lutherus*, in illius opinionibus conuellendis iactantiùs sese efferebant, in primis autem ipsorum Coryphæus *Hieronymus Seripandus*.

Qui in opinionibus communiter receptis licet consentientes, in alijs in diuersa tendunt.

In examinandis articulis ad faciliorem trium primorum intelligentiam, primi nominis Theologi sedulo inquirentes, quæ esset ea fides iustificans, & cuiusmodi opera excluderet, tria operum genera distinguunt: nempe, diuinam gratiam præcedentia, de quibus agitur VII. articulis sequentibus ad decimum vsque: tum eodem momento cum infusione gratiæ concurrentia: denique gratiam acceptam subsequentia, de quibus loquuntur articuli XI. reliqui. fidem certè iustificare, id tanquam indubitatum, atque à *Diuo Paulo* sæpius inculcatum, præsupponebant. Sed cuiusmodi esset ista fides, & qua ratione hominem iustum efficeret, in ipso statim initio opinionibus discrepabant. Cum enim scriptura sacra multas dotes fidei ascribat, quas nonnulli, quomodo vni soli competerent, non perspiciebant, vocem eam vt homonymam in multa significata distinguunt. Interdum enim accipi volebant pro obligatione ad præstanda promissa; quo sensu *D. Paulus* ait, *incredulitatem Iudæorum fidem Dei non euacuasse*. Interdum pro dono miraculorum edendorum; vt cum dicitur, *si tantam fidem habuero, ita vt montes transferam*. Interdum pro conscientia, vt cum opus quod *sine fide fit* idem *Paulus peccatum* dicit. Nonnunquam pro fiducia & confidentia in Deum de promissionibus ipsius adimplendis: quo aspectu *D. Iacobus* iubet *postulare in fide absque hæsitatione*. Denique pro persuasione & firma assensione, licet non euidente, rebus à Deo reuelatis. Alij alias addebant significationes fidei, quidam nouem, quindecim alij.

Theologi distinguunt III. operum genera.

Permultæ fidei apud Theologos acceptiones.

At *F. Dominicus Soto*, omnibus aduersus, dicebat fidem hac via dilacerari, & Lutheranis victoriam vltro dari. duas enim esse solummodo fidei acceptiones; alteram, veritatem & realitatem asseuerantis, siue promittentis; alteram, assensum auscultantis. priorem esse in Deo; alteram solam esse nostram: deque hac intelligenda scripturæ loca, quæ de fide nostra loquuntur. fidē vero pro fiducia & confidentia accipere, non modo improprium esse, sed abusiuum, neque *D. Paulo* vsitatum. fiduciam à spe nihil aut parum differre; eoque haud dubium esse Lutheri errorem, imo hæresin asserentis, *Fidem iustificantem, esse fiduciam & certitudinem in mente fidelis de remissis sibi propter Christum peccatis*. Addebat porro Soto, multis applaudentibus, istiusmodi fiduciam non posse iustificare, quia temeritas sit, & peccatum, cum nemo possit certò sibi persuadere, se esse in gratia, sed de eo ambigendum habeat. Alia parte asserebat *Catarinus*, plerisque etiam ad illius opinionem accedentibus, iustificationem ab ea fiducia non proficisci; *iustum tamen posse, imo debere pro certo statuere, se esse in gratia*. Tertiam opinionem in medium attulit *Andreas Vega*, non esse temeritatem, multoq; minus fidem certam, sed sine peccato haberi posse *persuasionem coniecturalem*. Neque vero controuersia hæc negligi poterat, quod in ea cōsisteret cardo censuræ articuli II. Itaq; cum principio leuiter esset excussa, incalescentibus post partium animis, Concilium diu disputationibus tenuit implicitum, propter eas, quas mox commemorabimus

A quibus dissentiens Soto duas tantum agnoscit.

Ei fides iustificans fiducia est.

Catarini opinio.

Et Vegæ, ab vtroque diuersa.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

bimus rationes. Verùm cũ inter omnes conuenisset, fidem iustificantem, esse assensum rebus omnibus à Deo reuelatis, aut ab Ecclesia determinatis, tanquam credi dignis; quæ charitatem nonnunquam habeat comitem, interdum charitate defecta sit, eam bimembrem fecerunt. Vnam, quæ etiam in peccatoribus reperiatur, quam scholæ vocant fidem informem, solitariam, ociosam, aut certe mortuam: alteram, in solis bonis, operantem per charitatem, eoq; dictam formatam, efficacem, viuam. Atq; hic noua suborta controuersia, alijs affirmantibus fidem, cui à scriptura tribuitur salus, iustitia, & Sanctificatio, solam esse viuam (quæ fuit in colloquijs Catholicorum Germaniæ opinio) eamq; includere in se rerum reuelatarum cognitionem, voluntatis præparationem, & cũ charitate legis totalem adimpletionẽ. quo sensu cõmodè dici non potest sola fides iustificare, quia sola non sit, quæ à charitate informatur. In qua sententia etiamsi esset *Marinarus*, non probabat tamen illud verbi, *fidem informari à charitate*, quòd apud *D. Paulum* non reperiatur, sed magis illud, *fidem operari per charitatem*. Alijs rursus sentientibus fidem iustificantem esse fidem in genere, nec viua esset, an mortua, distinguentibus, quòd vtraque diuersimodè iustificet, viua perfectè & absolutè, historica autem, sicut principiũ & fundamentũ. atq; de ista semper loqui *D. Paulum*, quando iustitiã fidei attribuit, perinde ac si diceretur philosophia omnis alphabeto contineri, quod instar basis est, & res nihili, respectu statuæ, quæ est superimponenda. Hanc secundam opinionem Dominicani & Franciscani vnà tuebantur: alteram cũ fautoribus suis Marinarus. Neutri tamen illud attigerant, in quo cardo erat controuersiæ, nimirum, vtrũ homo primùm iustus esset, dein iusta operaretur; an vero iustè operando iustus euaderet. Omnium vero hæc vna vox erat, propositionem illã, *Solam fidem iustificare*, multiplices sensus, sed omnes absurdos implicare. Nam Deus etiam iustificat, & sacramenta in genere causæ sibi conueniente: sic vt propositio hanc & alias patiatur exceptiones. Præparatio quoq; animæ ad gratiam recipiendã in suo genere causa est, adeo vt fides, hoc genus operum non possit excludere. Itaque quod attinet ad articulos, qui loquuntur de operibus gratiã præcedentibus, quæ omnia Lutherus peccatis accenset, eos Theologi inuectiua magis oratione, quã alio censuræ genere hæreticis omnes adnumerabant. Eam pariter sententiam, *Omnia hominũ opera absque fide esse peccata*, generaliter acceptã hæreseos damnarũt, pro certo tenentes, multas ex actionibus humanis esse indifferentes, neq; bonas neq; malas: esse itẽ alias, quæ licet Deo gratæ non sint, moraliter tamen bonæ sint ac laudabiles: quo in genere sunt honestæ infidelium actiones, & Christianorũ qui peccatores: præ alijs verò heroicæ illæ actiones antiquitus adeo decantatæ. neque interea aduertunt, quam malè ista cohæreant, easdem actiones honestas dicere & peccata.

Fides iustificans duplex, informis, & formata.

Marinari de fide iustificante opinio.

A qua diuersi cum Dominicanis Franciscani.

Solam fidem iustificare, de communi omnium Theologorum sententia exploditur.

Item illud, omnia opera absque fide esse peccata.

Catarinus vero contrariũ tuebatur, hominem absq; singulari Dei ope nullã actionem posse peragere, quæ verè bona dici possit, ne moraliter quidem, sed peccatũ solummodo. Ideo omnia opera infidelium, qui à Deo non excitantur ad credendum, & omnes actiones fidelium sed peccatorũ, antequã à Deo excitentur ad conuersionem, vtcumq; honestæ, imo heroicæ videantur, vera esse peccata. Quod siquis eas magni facit, eum in genere eas spectare, & externam modò speciem intueri. at qui singulares vniuscuiusq; actionis circumstantias introspexerit & expenderit, earum prauitate ac peruersitatẽ facile deprehensurũ. Itaq; hoc nomine *Lutherũ* minime dãnandũ, etiamsi articuli ij censurã meritissimò deposcant, quatenus opera complectuntur gratiam præuenientem consequentia, quæ ad iustificationem sunt præparatoria; cuiusmodi sunt peccati odium, & detestatio, metus inferni, & alia conscientiæ terriculamenta. Ad sententiæ huius confirmationem *D. Thomæ* doctrinam citabat: vt opus aliquod sit bonum necessario requiri omnium circumstantiarum concursum; vnius vero defectum sufficere, vt sit malum. Ideo, etsi, actionibus in genere consideratis, aliquæ sint indifferentes; in indiuiduo tamen nullũ esse medium inter hæc, habere omnes circumstantias, & destitui aliqua. eapropter particularem quamque actionem vel verè bonam esse, vel verè malam, neq; indifferentem vllam dari. Et quoniam inter circumstantias finis obtinet suum locum, omnia opera, quæ ad malum finem referuntur, prauitatis eius infectione inquinari. Cum igitur infideles actiones suas omnes ad finem improbum referant sectæ suæ propositum,

Eam tamen sententiam Catarinus vti sanam piamq; approbat.

Immo argumentis adstruit.

vtcumque heroicæ videantur ijs, qui finem ipsis propositũ non attendunt, esse nihilominus peccata. Neq; quicquã interesse, vtrũ relatio ad malum finem sit actualis, an habitualis: quandoquidem iustus meretur, etsi opus suum ad Deum actualiter non referat, sed habitualiter. His, *Augustinum* citans, addebat non modo peccatum esse, referre actiones ad malum finem; sed illud quoque, non referre ad bonum finem, vbi id fieri oportuit: eoque cùm arctè teneret, hominem absque speciali Dei auxilio præueniente non posse actionem vllam referre ad Deum, inde colligebat nullum bonum opus morale posse ab eo priùs proficisci. Neque solùm *Augustinum* in eam rem citabat, sed & *D. Ambrosium*, *D. Prosperum*, *S. Anselmum*, aliosque è Patribus. Item *Gregorium Arimenensem*, & Cardinalem *Roffensem*, qui in libro suo contra *Lutherum* sententiam eam disertè tuetur. Existimabant longè melius, Patrum vestigijs insistere, quàm Scholasticorum inuicem pugnantium: & scripturarum potius fundamento inniti, vnde vera Theologia est petenda, quàm philosophorum argutijs, quibus scholæ sunt refertæ. Olim se in ea fuisse opinione, sed scriptura & Patribus diligenti studio perlectis veritatem attigisse. Duobus autem maximè scripturæ locis vtebatur, vno ex Euangelio, *arborem malam non posse bonum fructum* facere, eo addito, quod & Christus subiunxit *aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malum.* altero admodum efficaci ex *D. Paulo*, *infidelibus nihil esse mundum, quorum mens & conscientia inquinatæ sunt.*

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Et SS. Patrum auctoritate.

Ac denique verbis sacræ scipturæ.

Hanc opinionem *Soto* acerrimè impugnat, exclamans hæresim sapere, quòd homini detrahat libertatem benè operandi, & finem suum naturalem assequendi; quod non aliud sit, quàm cum Lutheranis liberum arbitrium negare. Asserebat ille posse hominem naturæ viribus omnia legis mandata adimplere, quoad operis substantiam, licet non quoad finem, atque id sufficere ad peccatum euitandum. Opera enim humana esse trium generum. vnum, legis transgressionem, quæ est peccatum: alterum, legis obseruationem charitatis intuitu, quæ est meritoria, Deoque grata. III. intermedium, quando legi obedientia præstatur, quoad præcepti substantiam; idque esse bonum opus morale, & in suo genere perfectum. quod qui operatur, & legem adimplere, & omnia opera moraliter bona efficere, & omne peccatum declinare. Istam tamen tantam naturæ nostræ perfectionem mitigabat adiungendo, aliud esse cauere à quouis peccato, quàm ab omnibus simul peccatis. posse enim hominem peccatum quodcumque euitare; sed omnia non posse, ad instar eius, qui vas habeat, in quo tria sint foramina, quæ omnia duabus manibus obturare non valeat, sed duo tantum, quæcumque illi lubitum sit; vno necessariò manente aperto. Hæc doctrina non nemini è Patribus haud satisfaciebat. Etsi enim liquido euinceret, omnia opera peccata non esse: arbitrij tamen libertatem sartam tectam non conseruabat, cùm inde necessariò sequatur, ad omnia peccata declinanda non fore liberum. Sed cùm *Soto* huiusmodi operibus bonorum elogium tribueret, in angustias coniectus non facilè expediebat, vtrum ad iustificationem essent præparatoria, necne. Illi quidem talia videbantur, quando ad eorum bonitatem oculos conuertebat: contra verò, cùm *Augustini* doctrinam à *D. Thoma*, & Theologorum optimis approbatam respiceret: nempe à vocatione Diuina esse primum salutis principium. Tandem distinctione effugium reperit, ex longinquo præparare ad iustificationẽ, non ex vicino: quasi qui viribus naturæ etiam ex longinquo præparandi potestatem concedat, primum principium gratiæ diuinæ non continuò auferat.

Soto Catarini opinionem hæresis insimulat, & bonorum operũ moralium dignitatem prædicat.

At Franciscani non contenti istiusmodi opera bona dicere, ijsque virtutem præparandi ad iustificationem verè ac propriè tribuere, ea volebant insuper apud Maiestatem Diuinam proprio modo esse meritoria. Etenim *Scotus* illius doctrinæ signifer genus meriti excogitauit debitum operibus factis solius naturæ viribus, affirmans de congruo mereri gratiam certa lege & procul dubio; posseque hominem sola vi naturali dolorem ob peccatum concipere, qui quidem dolor est dispositio & meritum de congruo ad peccatum illud obliterandum. Eò accommodabat veriuerbium illis temporibus vsurpatum, Deum nunquam deserere eum qui pro virili adnititur. Eius etiam

Quæ Franciscani non solùm præparatoria ad iustificationem esse volunt, sed in suo genere apud Deum meritoria.

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

etiam ordinis nonnulli limites eos prætergressi asserebant, Deum, nisi gratiam largiretur ijs, qui pro viribus incumbunt, fore iniquum, partibus obnoxium, & personarum acceptorem. Immo vero cum fremitu & indignatione vociferabantur, rem absurdissimam fore, nisi Deus inter hominem, qui naturæ instinctu honeste vitam agit, & alium qui in cœno vitiorum demersus iacet, discrimen constituat; neque aliam esse rationem, cur huic potiùs, quàm illi gratiam impertiat. In hac quoque opinione fuisse *D. Thomam*: ac qui contra sentiat, tum homines ad desperationem impellere, & bonarum actionum neglectum; tum improbis viam patefacere ad male facta excusanda, & culpam omnem in auxilij Diuini defectum conijciendam.

D. Thomam etiam in partes suas trahunt.

Hic Dominicani fatentur *D. Thomam*, cum esset iuuenis, eam opinionem tenuisse; sed cum ætate esset grandior, eandem non iniuriâ retractasse. In Concilio enim *Arausicano* sancitum, nullum genus meriti gratiam præcedere, Deoque bonarum actionum initium tribuendum: atque hac tempestate Lutheranos, propter meritum illud congrui in Ecclesiam Romanam adeo debacchari, vt abolendum necessario id videatur, maximè, quod priscis Ecclesiæ temporibus inter tot cum *Pelagianis* controuersias eius nomen fuerit inauditum, scripturâ conuersionem nostram Deo adscribente, a cuius formula loquendi latum vnguem nos discedere non conueniat.

Sed Dominicanis reclamantibus, qui eum merito congrui suffragatorē non admittunt.

Circa præparationes in substantia doctrinæ nulla fuit controuersia; omnibus hoc arcte tenentibus, post excitationem Diuinam nasci timorem, aliasque considerationes eius peruersitatis, quæ est in peccato. Itaque opinionem quæ terrorem hunc censet malum, damnarunt vt hæreticam. Deus enim hortatur peccatorem, eumque ad eiusmodi cogitationes impellit; cùm tamen impium sit dicere, Deum mouere ad peccatum. Præterea, officium est prædicatoris, huiusmodi medijs peccatoris animum perterrefacere, ac consternare. Iam cùm à statu peccati ad statum gratiæ per hæc media perueniatur, permirum eis videbatur, a peccato ad iustitiam transiri non posse, nisi per alterius peccati viam. Obstabat tamen nodus in contrarium, quem non erat facilè dissoluere, nempe bona opera posse consistere cum gratia; timorem autem hunc, aliasque præparationes cum ea neutiquam consistere, adeoque in malis esse. *F. Antonius Marinarus* dicebat, altercationem hic modò esse de verbis. Sicut enim à frigore penetrabili ad calorem fit transitus per gradum frigoris remissioris, qui nec est calor, neque nouum frigus, sed idem frigus imminutum: sic à peccato ad iustitiam transiri per terrores, & contritiones, quæ neque opera bona sint, neque noua peccata, sed vetera tantùm extenuata. sed cùm huic sententiæ fere omnes contradicerent, palinodiam cecinit. De operibus factis in statu gratiæ nihil inter eos fuit difficultatis, omnibus asserentibus ea esse perfecta, & vitæ æternæ meritoria: eoque impiam & sacrilegam esse Lutheri opinionem, qui omnia censet esse peccata. cumque blasphemia non vacet, qui dixerit Beatam Virginem vel minimum veniale peccatum admisisse; qui in omni actione eam peccasse dicat, vocem emiserit Christianis auribus indignam, ipse propter tantas blasphemias dignus, cui tellus ima dehiscat, & quem Tartarus ipse absorbeat.

Terrorem ac metum conscientiæ peccatum non esse, sed præparatoria ad iustificationem, & media ad statum gratiæ.

Marinari frigidum acumen.

Lutherus Blasphemiæ damnatur, qui opera facta in statu gratiæ non meritoria dixerit, sed peccata.

In consideranda essentia gratiæ Diuinæ ad articulum XXII. & XXIII. damnandum communis opinio fuit, vocem [gratia] in primo significato innuere beneuolentiam, aut bonam voluntatem: quæ si in aliquo sit potestate prædito, necessario bonum gignit effectum, donum scilicet, aut beneficium, quod ipsum dicitur gratia. Protestantes verò Diuinam Maiestatem respicere, tanquam impotentem, qui nos parte solum beneuolentiæ suæ impartiat, cum Diuinæ omnipotentiæ ratio exigat, vt ad beneuolentiam beneficium cum effectu accedat. Et quoniam obijci poterat, solam voluntatem diuinam, quæ est ipse Deus, nihil habere maius, eumque filio suo vnigenito nobis dato, maximum in nos beneficium contulisse, adeoque *D. Ioannem* exprimentem immensum Dei erga homines amorem, vnico hoc vti argumento, quòd filium vnicum pro nobis dederit, aiebant, quòd hæc beneficia omnibus essent communia, fuisse consentaneum, vt Deus singulos nostrum beneficio donaret, quod esset cuique proprium ac peculiare. Theologos itaque gratiam addidisse habitualem,

De essentia gratiæ contra Lutherum disputatur Deum cuique iusto gratiam dedisse habitualem.

lem, cuique iusto suam. Eamque definire, qualitatem spiritualem à Deo creatam, & infusam in animam, per quam quisque Diuinæ Maiestati gratus est, & acceptus. Cuius gratiæ etsi Patres disertis verbis non meminerint, ac Scriptura multo minus; eam tamen ex verbo [Iustificandi] clarissimè deduci. cùm enim vocabulum illud sit effectiuum, non aliud significare, quàm iustum facere cum iustitiæ realis impressione. realitatem verò eam, cùm substantia esse nequeat, qualitatem necessariò esse & habitum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Gratiæ definitio.

Atque ea occasione contra Lutheranos diu disputatum, qui verbum iustificandi effectiuum esse negant, sed iudiciale & declaratiuum asserunt, sententiæ suæ firmamenta petentes ex Hebraica voce צדק & Græca δικαιοῦν, quæ significant iustum pronunciare, atque ex plerisque vtriusque Testamenti locis vsque ad XV. in quibus omnibus secundum vulgatam editionem Latinam eo sensu accipitur. Verùm *Soto* omnia Scripturæ loca ex *D. Paulo*, quæ de iustificatione nostra loquuntur, de iustificatione effectiua accipi voluit. Vnde altercatio orta inter illum & *Marinarum*, cui distinctio illa friuola videbatur, nec articulus de gratia habituali in dubium vocandus, multo ante Concilio Viennensi, & communi sententia omnium Theologorum definitus. quod fundamentum multo solidius sit, & labefactu difficilius, quàm alterum illud, *D. Paulum* ad Romanos, cùm dicit *Deum iustificare*, non intelligere sensu declaratiuo, contra manifesta textus verba, quibus lis iudicialis instituitur; cùm ait, *Neminem posse accusare aut condemnare Electos Dei, cùm ipsos Deus iustificet*; vbi voces iudiciales *accusandi* & *condemnandi* euincunt *iustificare* esse vocem itidem forensem.

Iustificandi verbum non esse iudiciale & declaratiuum, prout Lutherus censet, sed effectiuum; etsi Scriptura refragante.

Franciscani verò gratiam habitualem inde stabiliebant, quod charitas esset habitus. atque hic inter illos & Dominicanos acris fuit dimicatio, Vtrum habitus gratiæ idem esset cum habitu charitatis, iuxta *Scotum*, an distinctus secundum *D. Thomam*: neutrisq; de sua sententia quicquam remittentibus, ad alteram quæstionem ventum; Vtrum præter hanc gratiam aut iustitiam inhærentem, iustificato etiam imputetur Christi iustitia, tanquam ipsius propria: quæ fuit *Alberti Pighij* opinio. Ille enim vtcunque inhærentem agnosceret, ei tamen non confidendum esse sentiebat, sed magis Christi iustitiæ nobis sic imputatæ, ac si nostra esset. Nemo vnus in dubium vocabat, an *Christus* pro nobis esset meritus, sed quibusdam vocabulum *Imputare* ita inuisum erat, vt sublatum cuperent, vti à Patribus nunquam vsurpatum: quibus tamen communicationis, participationis, diffusionis, deriuationis, applicationis, computationis, & coniunctionis vocabula satis fere familiaria. Alij putabant, cum de re ipsa satis constaret, non esse de verbis litigandum: maximè, cum hac voce idem præcisè, quod alijs, significetur; eaque, etsi non ab omnibus Patribus, neque adeo frequenter, à nonnullis certè adhibita reperiatur, nominatim à *Bernardo* epistola CIX. *Vega* quoque asserebat, vocem eam, licet in Scripturis non inueniatur, esse tamen admodum propriam & Latinam, verissimeque dici Iustitiam Christi imputatam generi humano in meritum & satisfactionem, perpetuò que etiam imputari omnibus iustificatis, propter propria peccata satisfacientibus: sed illis neutiquam probabat, sic imputari, ac si nostra esset. Cui cum obijceretur, quod *D. Thomas* dicere solitus, *Baptizato passionem Christi in peccatorum remissionem sic communicari, tanquam ipse eam sustinuisset, aut mortem oppetijsset*, de verbis *D. Thomæ* multùm diùque certatum. *Eremitanorum Præpositus* in hac fuit opinione, in sacramento Baptismi iustitiam Christi imputari, quia in omnibus, & per omnia communicatur: non autem in pœnitentia, in qua nostra quoque satisfactio requiritur. *Soto* quidem fatebatur vocem *imputationis* popularem admodum esse, atque plausibilem, quippe, quæ prima facie omnia Christo deberi præ se ferat: sibi tamen, propter consectaria, quæ Lutherani inde eliciunt, semper fuisse suspectam. cuius generis sunt; solam iustitiæ Christi imputationem sufficere, neque inhærentem requiri; Sacramenta gratiam non conferre; vnà cum culpa pœnam omnem sic aboleri, vt nullus supersit satisfactioni locus, fideles omnes in gratia, iustitia & gloria esse æquales. vnde execrabilem eam quoque blasphemiam colligi, iustos omnes Beatæ Virgini esse pares. Quæ verba audientium animis vocabulum illud ita suspiciosum fecere,

De habitu gratiæ & charitatis inter Scotistas & Thomistas controuersia.

Alberti Pighij sententia, imputatam iustitiam Christi cum gratia inhærente posse consistere.

Imputationis vox etsi maximè propria, reijcitur tamen quia Patribus suspecta

Altercationum inter Theologos fomenta.

vt ad illud pro hæretico damnandum propensissimi essent, licet validæ in contrarium repererentur rationes. Istæ inter Theologos altercationes manabant potissimum ab immodico vniuscuiusque erga eam, cui se addixisset, sectam affectu. Sed non dixerant in Concilio, qui suffunderent frigidam ad eas focillandas, propter diuersos, quos sibi proposuerant, fines. Cæsarei quidem, vt eos impellerent ad controuersiam de iustificatione, quæ erat in manibus, deserendam. Aulæ Romanæ studiosi, vt Concilium abrumperent, & ita reformationem effugerent, à qua imminente sibi metuebant. cæteri, vt incommoda, quibus premebantur, euitarent, annonæ scilicet rerumque necessariarum caritatem, & belli impendentis molestias, fœlicioris successus spe prope deplorata.

Pontifex diplomate Iubilæo belli Germanici causam aperit.

Dum hæc *Tridenti* disputantur, Pontifex Idibus Iulij diploma Iubilæum euulgat, quo, *Germaniæ* Principes vlteriori molestia subleuat veram huius belli causam vel inuestigandi, vel alijs attestandi. Eo enim scripto affectum suum, solicitudinemque pro pastoris officio erga salutem hominum testatus, & dolorem, quem capiebat ex iactura animarum per hæreses augescentes quotidiè pereuntium, narrat, se ad eas extirpandas Concilium iam inchoasse: hæreticos tamen magna animorum obstinatione & pertinacia illud contemnere atque recusare. vt huic igitur malo medeatur, fœdus cum *Cæsare* fecisse, illis ad Ecclesiæ obsequium vi armisque adigendis. hortari itaque omnes in vniuersum, vt precibus atque ieiunijs, delictorum confessione, ac cœnæ Dominicæ perceptione Deum reddant propitiabilem, quò videlicet exoratus hoc bellum fortunare dignetur, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ decus, & hæreses profligandas susceptum.

Cæsar Saxonem & Lantgrauium proscribit vti hostes publicos, & Maiestatis læsæ reos.

Iam *Cæsar*, cui certum erat dissimulare religionem esse belli causam, eiusdem mensis die XX. *Saxonem* atque *Lantgrauium* publicis literis proscribit; criminatus eos, ausu temerario omnes ipsius labores susceptos pro republica impediuisse, dicto illi audientes neutiquam fuisse, in eum conspirasse, infestis armis alios Imperij Principes petijsse, Episcopatus occupasse & præfecturas, multos facultatibus exuisse, atque omnes suas has actiones specioso & dulci nomine religionis, pacis atque libertatis obduxisse, cum interim nihil minus haberent propositum. Se igitur illos, vti perfidos, rebelles, seditiosos, læsæ Maiestatis reos, & communis otij perturbatores proscribere; & mandare, ne quis illis opem ferat, aut causæ ipsorum se adiungat. Nobilitati etiam atque populo ditionis ipsorum, fidem atque iusiurandum, quo sunt eis deuincti, remittere; omnibusque qui eorum imperia in posterum non detrectauerint, eandem proscriptionis pœnam denunciare.

Cæsar religionem, veram huius belli causam tacitam cupit: Pontifex contra omnibus notam. Inde mutuæ offensiones, & semina odiorum.

At Pontifici non minori fuit offensioni causa belli, quam *Cæsar* obtendebat, atque erat *Cæsari* ea, quam Pontifex allegarat, quod alter alterius propositis obstaret. Etenim quamuis Papa præ se ferret diploma suum euulgatum, vt Christiani omnes Diuinum auxilium fortunandis *Cæsaris* rebus implorarent; ipse tamen, alijque omnes iudicare periti facilè intelligebant id eò factum, vt innotesceret omnibus, ac Germanis potissimùm, bellum illud religionis ergo susceptum. Quod quidem etiam incautis mox apparuit, post publicatas Pontificis ad Heluetios, quarum superius meminimus, literas; apposito exemplari capitum fœderis cum *Cæsare* per Cardinalem *Madrucium* contracti. Neque mirum videri debet, Pontificem scripto contrarium eius, quod *Cæsar* palam profitebatur, euulgasse; propterea quod, vtcunque Protestantum contumaciam reprimi cuperet, *Cæsaris* tamen res auctiores ægris oculis aspiciebat, eoque, quò res bellieæ æquo veluti libramento procederent, proditâ verâ belli causâ, omnes innouatæ religionis Professores ad vires suas contra *Cæsarem* iungendas animare volebat. Et quidem constat, eam Papæ actionem consilijs Cæsaris impedimento fuisse. Nam cùm ille eosdem Heluetios, de fœdere, quod sit ipsis cum Austriaca & Burgundica domo, solicitasset, atque vt hostibus suis opem non ferant; ab Euangelicis responsum tulit, expectandum sibi, donec ab ipso fiant certiores, vtrum religionis causa bellum illud susceperit. Ita bello vix dum inchoato, discordiarum semina inter Principes dudum confœderatos iaciuntur.

Principes Itali Pontificem ob bellum hoc susceptum imprudentiæ notant.

Atque hic *Italiæ Principes* attonitis hærebant animis, in Pontifice solitam prudentiam desiderantes: cui cum solenne esset, bellum procul *Italia* habere, & Principes trans-

transmontanos in virium æquilibrio continere, vno momento ab vtroque discessisset. Etenim si *Germaniam Cæsar* debellauerit, *Italiam* habiturum sibi obnoxium, *Galliâ* iam tantæ potentiæ impari. sin armis illius gentis succubuerit, Germanos victores solito ardore in *Italiam* impetum facturos. Atque hæc fortean consideratio Pontificem perpulit ad fœdus cum *Cæsare* pangendum, vt obiectis Imperatori Germanorum viribus ipse in tuto conquiesceret.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Verùm *Cæsar*, præter offensionem, quam ex euulgato diplomate Pontificio ceperat, verebatur etiam ne Papa voti compos, Protestantibus iam bello lacessitis, Concilij dissolutionem procuraret, siue eiusdem vsque ad belli finem differendi prætextu; siue periculi, quod à Protestantibus in vicina Sueuia ad arma conclamantibus impendebat, metu. Sciebat in hoc defixas esse Curiæ Romanæ cogitationes, ex ijs quæ supra XXV. annos de ea re secum essent acta. Sciebat animos Episcoporum qui *Tridenti* erant, etiam suæ factionis, eò propendere, propter eas, quibus conflictabantur, ærumnas. metuebat, ne Concilio dirempto, & Lutherani dicerent non alia fini congregatum, quàm vt hoc colore bellum ipsis inferatur: & Catholici in *Germania* crederent, illum posito religionis & Ecclesiæ reformandæ studio, non aliud spectare quam *Germaniæ* seruitutem. Dubitabat etiam, si in dogmatis controuersis tractandis Synodus pergeret, & de iustificatione, quam audiebat esse illis præ manibus, perinde anathemata fulminarent, sicut in capite de peccato originis dudum fecerant; omnem conciliationis spem sibi ereptam, præsertim apud ciuitates *Germaniæ*: quas ille confidebat à Principibus Smalcaldici fœderis posse separari, modò fidei suæ rationes in medium adducere permittantur. Videbat quidem esse necessarium, vt Concilium permaneat apertum, sed modò reformationi solùm incumbat: id verò impetrari non posse, nisi Pontifice annuente. Itaque Pontifici quanta potuit festinatione curauit significandum, se omnibus animi ingenijque viribus elaboraturum, vt *Tridentum* in tuto sit, quicquid rumore iactetur de Protestantum in *Sueuia* copijs. Esse admodum necessarium, vt Concilium procedat, ad occurrendum calumnijs & criminationibus contra vtrumque disseminandis, si Concilium dissoluatur. Sed sicuti serio eum hortatur, vt Concilium omnibus pateat: ita obsecrare, vt dogmata controuersa inibi non tractentur, quod persuasum habeat, se Protestantes, qui suarum sunt partium, authoritatis suæ robore, hostes vero vi & armis adacturum, vt Concilio sistant se ac subijciant. Interea verò optimo huic instituto obicem non obijciendum, aut aditum præcludendum Decretis contrarijs per ipsorum absentiam factis. Bellum hoc diuturnum non fore: finem eius ante exactam æstatem sperari. Interim de reformatione agendum, aut si dogmata religionis tractantur, saltem leuia tangenda, quæque determinata Protestantum non pariant offensionem. Præceperat insuper, vt Orator suus, id negotij apud Pontificis Legatos *Tridenti* curaret. Et quia acceperat Cardinalem *Sanctæ Crucis* totum esse in Concilio dissoluendo, singillatim Oratori in mandatis dedit, hoc illi vt significaret, si quid contra ipsius mentem tentare præsumat, curaturum se, vt in *Alicem* proijciatur. quæ *Cæsaris* minæ in publicum post emanarunt, ab illius ætatis historicis scripto consignatæ.

Ne bellũ Germanicum dissoluendo Concilio occasionem præbeat summa Cæsaris solicitudo.

Item altera, vt in Synodo de reformatione tantum agatur; fidei verò dogmata vltra non attingantur.

Cæsar Legato Sanctæcrucio minatur exitiũ si conatibus ipsius aduersetur.

Pontifex, etsi valde cuperet Concilij molestia liberari, & Curia Romana isthuc ipsum ardentibus votis deposceret; ille tamen *Cæsari* hactenus indulgendum existimauit, vt & Synodus procederet, & dogmata controuersa non disceptarentur: sed vt de sola reformatione ageretur, id neque ipse, neque Curiales *Cæsari* concedendum putarunt. Scripsit itaque ad Legatos vt conuentum dissipari non sinerent, Consessus tamen non haberent, quoad ipse, quid sui esset consilij, explicasset. Præsules interim & Theologos congregationibus distinerent, alijsque literatis exercitijs, quæ maximè oportuna videbuntur. *Tridenti* igitur die XXV Diploma illud Iubilæum more solenni in Legatorum & Concilij conspectu euulgatur, ex eius præscripto ieiunia, aliaque pœnitentiæ opera imperantur; consessus differuntur ad tempus vsque deinceps significandum; etiam congregationes ad dies XV. intermittuntur.

Pontifex in differenda capitum controuersorum in Synodo tractatione Cæsari nonnihil indulget.

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1

Fiessa in aditu Alpiũ à Schertelino capitur.

Sub hoc tempus Protestantum exercitus ad agrum *Tirolensem* appropinquat ad aditum occupandum, per quem copijs Pontificijs ex *Italia* ad auxilium *Cæsaris* transeundum erat. Et quidem *Sebastianus Schertelinus* ex itinere *Fiessam* ceperat. Sed dum de *Oeniponte* quoque capienda cogitat, populares eo tumultu concitati magna manu eò conueniunt. etiam *Franciscus Castelaltus Tridenti* Præfectus, eodem proficiscitur; & ciuitate firmo præsidio munita, vt vias & aditus occupaturis præuerteret, locum septem supra eam vrbem miliaribus cum suis insedit. Vnde plerisque iniectus metus in ea regione belli sedem fore, & Concilium omnino perturbatum iri. Certè Præsules in omnes abeundi occasiones intenti, pericula & molestias verbis amplificabant: quibus cùm Legati principio non obsisterent, nata inde suspicio, Pontificis animum à Concilij continuatione esse alienum. Sed è Præsulibus qui maximè meticulosi, & qui ingratiis *Tridenti* commorabantur, confestim discedunt: multoque plures abitionem parabant, cùm Cardinalis *Tridentinus*, dudum Roma reuersus omnibus significat, id Pontifici maximæ offensioni futurum. Timidis etiam tum ipse, tum Orator *Cæsaris* animos addit, & terrorem demit, posito ijs ob oculos magno numero eorum, qui in *Germaniam* ex *Italia* aduentabant, quibus esset facilè Protestantes in fugam agere; tum literis Pontificis ad Legatos scriptis, quarum authoritas ad officia à Legatis alijsque præstita accedens, magnum ad reliquos sistendos habuit momentum.

Card. Tridentinus Prælatos à Concilio abiturientes sistit.

Verùm vtcunque conatus Protestantium in obsepiendo hostium copijs aditu parum successerat, rebus *Tirolensium* satis securis; magna tamen erat *Tridenti* perturbatio, propter milites, qui magno numero ex *Italia* in *Germaniam* indies transibant: peditum iuxta fœderis leges, millia duodecim, equites quingenti, præter ducentos equites, quos *Cosmus* Dux *Florentiæ* vnà mittebat, & centum à *Ferrariæ* Duce. In hoc exercitu militabant Itali magni nominis Duces: sed copijs omnibus erat præfectus *Octauius Farnesius*, eique adiunctus *Alexander Farnesius* Cardinalis; ambo fratres, ac *Pauli* ex filio nepotes. Nec multò post aduenerunt Hispanorum millia sex, quos *Neapoli*, & ex Insubria *Cæsar* euocauerat. Atque toto hoc tempore, quo militi ex *Italia* in *Germaniam* erat transeundum, ad medium scilicet Augustum, licet actiones Concilij omnino non intermitterentur, erant tamen & infrequentiores, & pauciores. Sed quò Episcopis & Theologis quod agerent non deesset, Cardinalis *Sanctæ Crucis* in domum suam, velut in Collegium literatos conuocabat, cum ijsque de eisdem rebus, de quibus in congregationibus, sermones serebat, sed magis familiariter ac liberè.

Copiæ Pontificis ex Italia ad Cæsarem veniunt.

Sub idem tempus Protestantes contra *Cæsarem* confœderati, scriptum ad suæ ditionis homines missum, ac ad se delatum edunt, in Pontificem Romanum valde maledicum, eum vocans Antichristum, Satanæ organum, eique imputans, quòd superioribus aliquot annis per incendiarios conductos ignem in *Saxoniæ* pleraque loca immiserit, huius nunc belli auctor impulsorque extiterit, in *Germaniam* veneficos emiserit, ad puteos & aquas stagnantes veneno corrumpendas, omnesq; monens, dent operam vt emissarij illi comprehendantur & plectantur. quæ res, quod paucissimis fieret verisimilis, pro calumnia habita.

Scriptũ Protestantium de incendiarijs & veneficis à Pótifice emissis, calumniæ, quã verò similius.

Cùm Pontificis copiæ venissent in castra Cæsaris, qui tum erat *Landishuti* Ducis *Bauariæ* oppido, ad Idus Augusti, *Cæsar Octauium* generum suum copiarum ductorem, aurei velleris torque donauit, insigni ordinis familiæ Burgundicæ, in quem eum anno superiore die *D. Andreæ* sacro cooptauerat; perque gratum habuit, dum delectus militum Pontificiorum fit, in exercitu suo florem militiæ Italicæ aspectare. Fines nihilominus longè diuersi, quos sibi *Pontifex* & *Cæsar* proposuerant, offensionum occasiones identidem subministrabant. Cardinalis enim *Farnesius* de mandatu Pontificis, crucem ante se, tanquam exercitus Pontificij Legatum, gestari volebat. Indulgentias quoque publicare iussus à Pontifice, ad eundem modum, quo priscis temporibus in Cruciatis bello sacro; quibus rebus apertè præ se ferebat id Ecclesiæ bellum esse. Nihil tamen horum à *Cæsare* impetrare potuit, cui propositum contrarium plane testari, & Principes Lutheranos, qui secum militabant, omnibus modis demereri, atque prouidere, ne ciuitates cum Smalcadicis confæderatæ, reli-

Cæsar exercitus Pontificij Legato, quæ à Pontifice imperata non permittit.

religionis causâ obstinarent animis eas partes sequi. Cardinalis ergo cùm videret se in exercitu locum suæ Pontificisque dignitati consentaneum tueri non posse, *Ratisbonæ* hæsit, morbum simulans, atque ab auo, quem de re tota fecerat certiorem, responsum expectans.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Exercitus vtrimque erant instructi, & copiæ commodè dispositæ; neutra tamen acies alteram ad pugnam prolectare poterat, singulis sua commoda respicientibus, & nunc his, nunc illis prælij discrimen detrectantibus. Protestantes in primis bellissimas rei bene gerendæ occasiones è manibus suis amittebant, quòd exercitus ductores essent duo, *Saxo*, & *Lantgrauius*, authoritate pares. quod genus belli administrandi raro foelicem habuisse exitum in comperto est. *Cæsar* vero ea re perspecta, quò sine sanguine victoriam reportaret, neque hostibus occasionem rerum in melius commutandarum daret, temporis eam opportunitatem expectabat, qua victoriam certam sibi inter manus dari cerneret: superiorum temporum occasionibus propter Martem incertum, & communem belli aleam haudquaquam confidendum ratus. Ita nihil magnum aut memorabile belli huius initio actum.

Protestantes rei bene gerendæ occasiones non arripiunt ex æmulatione Ducum.

Legati interim Pontificij *Tridenti* metu militũ soluti, congregationes suas ad ritũ pristinum instaurant, eosdem, quibus assueuerant, dies obseruant; & quomodo ad voluntatem Papæ tempus extrahere possint, deliberant. neque alia commodior reperta ratio quàm vt ostendant, argumenti grauitatem exactam requirere disquisitionem, extendant Theologorum disputationes, nouis quæstionibus aditum non obstruant, sed potius materias nouas aggregent. quarum rerum occasiones vt desint, non esse metuendum; cùm, siue propter rerum connexionem, siue per ingenij humani intemperantiam, Doctores fere plurimùm de genere in genus transeant. Suadebant etiam alere controuersias, & opinionum varietates, quod factu facile videbatur, tam propter ingenitum hominibus à natura in contentionibus vincendi studium, quàm propter vsitatam Scholasticis, præsertim fratribus, præualidam in tuenda suæ sectæ opinione, obstinationem. Cardinalis quidem *Montanus*, qui animo erat ingenuo, negotium illud difficile arbitrabatur, neque ausus polliceri sibi constantiam in tam diutina dissimulatione, quantam ea res poscebat. Verùm Cardinalis *S.Crucis*, ab atræ bilis copia ad dissimulandum, tegendumque magis factus, negotij huius procurandi curam in se coniici postulabat.

Legatorum variæ artes in tempore ad voluntatem Pontificis, etiam congregationibus habitis, extrahendo.

Diuersum Montani & Sanctlicrucij Legatorum ingenium.

In Congregatione igitur XX. Augusti habita, cùm omnes existimarent super XXV. articulis tam multa dicta atque disputata, vt anathematis conficiendis sufficerent, proximum fuit, de Patribus ad articulorum compositionem designandis. Huic operi designati Episcopi tres, & totidem ordinum Præfecti, præside Cardinali *S.Crucis*. facta autem propositáque Canonum formulâ proximis Congregationibus discutiendâ, eædem ilico recruduere controuersiæ, quæ prius, de certitudine gratiæ, de operibus moralibus infidelium, & peccatorum, de merito congrui, de imputatione iustitiæ, & de distinctione gratiæ ac charitatis: maioriq; quàm antea animorum contentione actum ab ijs, quorum intererat sectæ suæ opiniones tueri; Cardinale partium affectus, satis per se concitatos, artificiosè commouente, dicendo, nodos esse dignos vindice, qui & accuratam disquisitionem necessariò requirant, & sine quorum determinatione de alijs capitibus deliberatio frustra instituatur. Et quidem certè sola controuersia de certitudine gratiæ disceptatores multis diebus habuit solicitos: neque Theologos modo, sed ipsos Præsules in duas factiones diuisit. Iis tamen disputationibus quæstio nihilo facta elucidatior, sed obscurior potius.

In Anathematis conficiendis noua inter Patres dissidia.

Sanctlicrucius altercantibus frigidam suffudit.

Principio, sicuti suo loco dictum à nobis est, alij dicebant intolerabilis arrogantiæ esse præsumptam de certitudine gratiæ opinionem: alij certitudinem eam suo modo esse meritoriam. Priores hoc fundamento nitebantur, quòd *D.Thomas*, *D.Bonauentura*, & Scholasticorum vulgus ita sentirent; vnde Dominicanorum bona pars opinionem eam sequebatur. Sed ad authoritatem Doctorum adiungebant rationes. Noluisse Deum reddere hominem certum gratiæ, ne superbia & estimatione sui intumescens, alios præ se despectui haberet; quippe, qui se iustum cognosceret, alios manifestos peccatores. Deinde, Christianos sic euasuros somnolentos, desides, & bonorum operum incuriosos. Hoc aspectu vtilem esse gratiæ incertitudinem, imo merito-

De certitudine gratiæ denuo differitur, ac primum arrogantiam sapere.

Paulus. 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

meritoriam, esse enim animi perturbationem, quæ primò homines affligat; sed quæ ijs, qui eam tolerare didicerint, cedat deinde in meritum. Tum sacræ Scripturæ loca citant; ex *Salomone, Nescire hominem odio an amore sit dignus.* ex libro Sapientiæ, *non vacandum timore peccati, quod sit condonatum.* ex *D. Petro, operandam salutem cum timore & tremore*; ex D. Paulo, quod de se profiteatur, *licet conscientia ipsum non accuset, non idcirco censere se iustificatum.* Has rationes & testimonia, simul pleraque è Patribus afferebant, & amplificabant præ alijs *Seripandus, Vega* & *Soto.*

Alij contra disserunt impudentiæ esse, temeritatis aut arrogantiæ arguere eos, qui Spiritus S. testimonio credunt.

Catarinus autem cum *Marinaro* ex eisdem Patribus loca in contrarium adducebant, vt manifestum esset, eos, prout se dabant res, sermonem occasionibus attemperasse; interdum ad anxios & deiectos animandos, interdum ad audaces reprimendos, verbi Dei authoritati vtique se subijcientes. Aiebant, quoties in Euangelio Christus deprehenditur remisisse peccata, toties dixisse, *Confide, remissa tibi sunt peccata.* absurdumque videri, *Christum* cuiuis temeritatis aut superbiæ occasionem ministrare voluisse; aut omnes priuare eo, quod vtile, aut meritum foret. Scripturam etiam nos obligare ad gratias Deo agendas de iustificatione nostra; quàm nisi nos accepisse certi simus, qua fronte retribuemus gratias? cum ineptum sit beneficium agnoscere, quod, datum sit nec ne, non intelligas. Certè *D. Paulum* certitudinem asserere satis manifestò, cum vult Corinthios sentire, *Christum esse in ipsis, nisi sint reprobi.* & cum ait, *Nos à Deo Spiritum ideo accepisse, vt, per eum intelligamus, quid à Deo nobis datum sit.* & adhuc clarius, *Spiritum Sanctum testari Spiritui nostro nos esse Dei filios.* Impudentiæ quoque immanis esse, temeritatis eos arcessere, qui Spiritui Sancto credant ipsos compellanti; dicente *Ambrosio*, Spiritum S. nunquam nos alloqui, quin simul nobis notum faciat, ipsum esse qui loquitur. Et Christo, apud Ioannem, *Mundum non posse recipere Spiritum S. quòd eum nec videt, nec cognoscit, discipulos autem suos eum agnituros, quod in ipsis futurus sit, & mansurus.* Ex quibus acutè admodum concludebat *Catarinus*, somniare illum, qui asserat gratiam voluntariè accipi, neque tamen sciri, an eam habeat, quasi ad rem motu animi voluntario accipiendam non sit necessarium, vt qui eam sponte accipit, sciat & rem sibi datam, & se verè eam accipere, & acceptam possidere.

Certitudinis aduersarij vero victi, primo coniecturam agnoscunt; dein fidem moralem; tum probabilitatem, ac demum fidem experimentalem.

Harũ rationũ pondus perpulit eos, qui istam sententiam temeritatis antea insimulabant, primùm loco cedere, dein hactenus concedere, vt, de ea re licet plurimùm certitudo haberi non possit, coniectura saltem aliqua haberi posse videatur. Certitudinem etiam ipsam Martyribus non negabant; nec recens baptizatis, alijsque singulari reuelatione certis: & quam prius coniecturam dixere, eam post adducebantur vocare fidem moralem. Etiam *Vega* ipse, qui principio probabilitatem solam admittebat, rationum momentis succumbens, certitudini fauere cœpit; sed ne Lutheranorum sententiæ videretur accedere, tantam certè certitudinem profitebatur, quæ dubitationem omnem excluderet, neque fallere posset; sed eam pro fide Christiana noluit agnoscere, verùm humana tantùm & experimentali. Et similitudine sententiam suam explicans; sicut inquiebat, qui calorem habet, certus est se eum habere, expersque sensus esset, si de eo addubitaret: ita qui gratiam in se habet, eam sentit, neque dubitare potest, quin eam sentiat, sed animæ sensu, non Diuina reuelatione. Alteri vero, certitudinis patroni ab aduersarijs coacti animi sui sensum disertis verbis exprimere, vtrum crederent, hominem posse certitudinem gratiæ habere, aut verò etiam hominem putarent ad id credendum teneri: & vtrum fides ea diuina esset an humana, tandem professi sunt, quandoquidem fides ea exhibeatur testimonio Spiritus Sancti, non posse eam relinqui hominis libertati: cumque vnusquisque teneatur credere reuelationibus Diuinis, fidem illam non aliter nuncupandam quam Diuinam.

Certitudinis patroni, fidem qua id credunt, non sui arbitrij, sed Spiritui deberi, & Diuinam esse non humanam agnoscunt.

An fides ea, fidei Catholicæ sit æqualis, nec ne.

Atque cum angustijs premi viderentur dilemmatis quod obijciebatur, videlicet fidem eam fidei Catholicæ aut æqualem, aut minus æqualem. Si non sit æqualis, tum non excludere omne dubium: si æqualis, tum iustum hominem debere tam firmiter credere se iustificatum, quàm ipsos fidei articulos; Respondebat *Catarinus*, fidem eam esse Diuinam, æque certam, & excludentem omne dubium, atque ipsa fides Catholica; sed non esse tamen ipsam fidem Catholicam. Nam & eam fidem, quam

quam quisque præstat reuelationibus Diuinis sibi factis, esse quoque Diuinam, atque dubitationem omnem excludere: vbi verò reuelationes illas recipit Ecclesia, tum demum fidem illam euadere vniuersalem & Catholicam. atque vtcumque hæc sola amplectitur fidei articulos; certitudine tamen, & exclusione dubitationis priuatam cuiusque fidem ei non cedere, illam tantum hanc vniuersalitate excedere. Ad hunc modum Prophetas omnes, de rebus sibi à Deo reuelatis priuatam primum fidem habuisse; dein, postquam ab Ecclesia essent receptæ, de ijsdem rebus fidem habuisse Catholicam. Hæc sententia prima facie visa ardua ipsis fautoribus Catarini, nempe Carmelitanis omnibus, quorum Doctor *Ioannes Baconius* eam tuebatur, tum Episcopis Senogaliensi, Wigorniensi, & Salpensi, quibus principio gradus ille in præceps ferre videbatur; sed diligenter post pensitatis excussisque rationum momentis, admirabili spectatissimorum è Præsulibus consensu fuit approbata, inclamante *Soto* nimis fauorabilem esse Lutheranis, alijs vicissim asserentibus Lutherum non fuisse damnandum, si dixisset, post iustificationem fidem illam sequi, sed damnari, quod dicat eam esse fidem iustificantem.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Priuatam cuiusque fidem æque certam esse atque indubitatam, ac fidem Catholicam, sed cum ea non candẽ.

Ad rationes ab altera parte allatas, respondent, non attendendum quid Scholastici sentiant, cum sententiæ suæ fundamenta petunt à rationibus philosophicis: quòd philosophia humana de instinctu diuino male iudicare possit. Dein authoritatem Salomonis non facere ad hanc rem: qui verba illa, *nemo scit amore an odio sit dignus*, ad hoc institutum trahere velit, concluderet inde, sceleratissimum quemque peccatorem in peccatis perseuerantem, nescire an Deo sit inuisus. Tum dictum illud Sapientiæ multo minus huc applicandum, & fallaciam esse in voce Græca ἱλασμοῦ, quæ non significat peccatum iam remissum, vt est in vulgata traductione, sed expiationem & veniam peccati: verbaque Sapientis monere peccatorem de peccatis non accumulandis ex nimia veniæ consequendæ confidentia, non autem veniæ iam acquisitæ: neque super hallucinatione interpretis fidei articulum fuisse fundandum (eiusmodi fuit ijs temporibus de editione vulgata iudicium: eorum qui authenticam eam fecerant, quod ex libris quoque editis ab ijs, qui Decreto approbationis interfuerunt obseruatu sit facile) Item Phrasin D. Petri *operandi cum timore & tremore* esse Hebraicam, quæ ambigendi studium non adstruat, sed reuerentiam; quòd timorem & tremorem serui etiam deferant heris, quibus chari sunt & accepti. Denique locum *D. Pauli* pro se facere, si de iustificatione esset accipiendus. Nam quod ait se nullius defectus conscium, neque tamen idcirco iustificatum, facile inferat quis, illum alia via iustificatum, quæ certitudinem confirmet. Verum autem verborum sensum esse, *D. Paulum* loquentem de defectu in munere Euangelij prædicandi, dicere, conscientiam non arguere eum alicuius omissionis; neque tamen adeo esse præfidentem, vt audeat dicere, se omnibus officij partibus satisfecisse, sed Deo omne arbitrium permittere.

Refelluntur rationes supra allatæ ad impugnandam fidei certitudinem.

Qui aduersaria ab ijs scripta, qui disceptationibus hisce interfuerunt, non inspexerit, & quæ ipsi actores super hoc argumento typis post excudenda curarunt, vix credat quàm multa super hoc articulo disceptata, quantoque ardore, non à Theologis modo, sed etiam ab Episcopis omnibus, se rectè sentire, & veritatem attigisse persuasis; adeo vt Cardinalis *S. Crucis* plerisque fræno magis, quàm calcaribus opus esse videret; ac frequentibus à re instituta digressionibus, & ad alias quæstiones transitionibus, suum de fini huic controuersiæ imponenda desiderium sæpius exprimeret. Bis quidem in Præsulum congregatione fuerat propositum quæstionem eam omnino relinquere, tanquam ambiguam, longam, molestam: dominante tamen affectu, eo est recursum. Cardinalis verò cum exposuisset, de hoc capite permulta iam dicta, atque ea esse recolenda, vt maturior de re tota deliberatio capiatur, impetrauit tandem, vt de operibus præparatorijs, deque legis obseruatione sermo institueretur. Ea occasione, à multis proposita, neque à Cardinali neglecta quæstio de libertate arbitrij, quæ propter argumenti vicinitatem, melius cum superiore materia coniungi, quàm seorsim tractari debere visa est. Designati itaque Præsules, & Theologi, ad articulos, qui censuræ essent obnoxij, ex Lutheranorum operibus quaquauersum colligendos.

De libertate arbitrij proximo loco tractatio instituitur, propter argumenti affinitatem.

Hi

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Hi erant articuli:

De libero arbitrio articuli VI. deinceps excutiendi, atque damnandi.

I. Deum esse causam totalem operum nostrorum prauorum ac bonorum: neque magis proprium Dei opus esse Pauli vocationem, quàm Dauidis adulterium, crudelitatem Manlij, & Iudæ proditionem.

II. Nemini esse relictam facultatem cogitandi bonum aut malum, sed omnia ex absoluta necessitate prouenire: neque esse in nobis liberum arbitrium, sed illud asserere, merum esse figmentum.

III. Liberum arbitrium post Adami præuaricationem planè esse amissum: atque hominem, dum, quod suæ spontis est, agit, peccare moraliter. ideo Chimeram esse, nudum nomen & titulum sine subiecto.

IV. Liberum arbitrium prodere se in faciendo malum; bene agendi potestatem non habere.

V. Liberum arbitrium à Deo impulsum nullo modo cooperari, sed sequi, sicut instrumentum inanimum, aut verò animal irrationale.

VI. Deum quos sibi videtur, conuertere, etiamsi nolint & recalcitrent.

Primi duo articuli exploduntur vti mōstrosissimi.

Quæ super duobus primis articulis dicta, Tragœdiam magis, quam Theologiam sapiebant. Doctrinam Lutheranam esse sapientiam freneticam. voluntatem humanam ab ipsis fabricatam esse monstrum. voces eas, liberum arbitrium esse solū titulum,& titulū sine re subiecta,esse portenti similes.opinionem eam esse impiam,& in Deum blasphemam. ab Ecclesia iampridem in *Manichæis* & *Priscillianistis* damnatam, & nouiter contra *Abailordum* & *Wicleffum*. Esse amentiam, pugnantem cum vniuscuiusque sensu communi, qui in se propriam experitur libertatem; eoque refutatione indignam; dignam verò, vt *Aristoteles* ait, vel animaduersione, vel sensuum experimento. Ipsos *Lutheri* discipulos Doctoris sui væsaniam conspicatos, opinionis absurditatem quadamtenus moderasse, fatendo relictam in homine libertatem ad actiones externas obeundas, tam politicas, quàm œconomicas, & omnino ad omnem iustitiam ciuilem; quas qui non intelligat à consilio & electione proficisci, fatuus sit & insulsus: sed libertatem rursus ijs actionibus quæ solam iustitiam Diuinam spectant, adimendo.

Theologorū super iis opiniones paulo fauorabiliores Mariuari primùm.

Marinarus affirmabat, sicut absurdum sit dicere nullam actionem humanam positam esse in nostra potestate; ita non minorem esse amentiam dicere omnes esse nostræ potestatis, cum quisque experientia sua cotidie addiscat omnes affectus non subijci ipsius Imperio. Eundem esse Scholarum sensum asserentium primos mōtus non esse nostræ libertatis. qua libertate cum Beati gaudeant, quod ipsi etiam in primos motus imperium exerceant, certissimum esse, aliqua ipsos libertate frui, quæ in nobis non sit. *Catarinus* pristinæ opinioni insistens, scilicet hominem sine speciali Dei auxilio non posse operari bonum morale, aiebat hîc meritò dici posse nullam esse libertatem: eoque quartum articulum non ita facilè damnandum. *Vega* autem, postquam adeò ambiguè esset locutus, vt quid sibi vellet vix intelligeret, concludebat inter Theologorum & Protestantum doctrinam vix quicquam esse discriminis: quod hi etiam nunc libertatem concedentes operandi iustitiam philosophicam, non autem supernaturalem; item ad obeunda opera legis externa, non autem interna & spiritualia, perinde faciant, ac si dicerent cum Ecclesia, opera spiritualia ad religionem spectantia, sine auxilio Diuino præstari non posse. Et quamuis ille diceret omni studio in concordiam incumbendum, ab eo tamen abhorrebat Patrum auris atque animus, quibus graue causæ præiudicium quodammodo videbatur, vllam è controuersijs posse reconciliari: quique soliti dicere, conciliationem rem esse Colloquij; cuius nomen ipsum in eo cœtu erat execrabile, quasi illius ope Laici in eam authoritatis possessionem inuasissent, quæ propria debuit esse Conciliorum.

Dein Catarini.

Tum Vegæ.

An credere & non credere humani arbitrii sit in controuersiā vocatur.

Grauis mox inter eos orta controuersia, vtrū credere & nō credere sit humanæ potestatis. Id *Franciscani* negabāt sequuti *Scotū*,qui volebat, sicuti ex demonstrationibus necessariò nascitur scientia, ita ex persuasionibus necessariò gigni fidem, ipsamque esse in intellectu, qui est agens naturale, & naturaliter mouetur ab obiecto. Pro sententia sua afferebant experientiam. neminem enim credere illud quod vult; sed

quod verum ei videatur: neque quenquam habiturum sensum doloris, si posset credere, se eum non habere. At *Dominicani* dicebant, nihil esse magis in potestate voluntatis, quam credere; solàque voluntatis determinatione ac decreto, posse aliquem credere, si velit, stellarum numerum esse parem.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Super tertio articulo, an peccato liberum arbitrium sit amissum, cum permultæ ex *D. Augustino* allatæ essent authoritates, quæ disertis id verbis affirmant, *Soto* cum alia via effugium non reperiret, ad distinctionem veræ libertatis tanquam vocis æquiuocæ confugit. Libertatis enim vocem vel deriuari à nomine *liber*, vel à verbo *liberare*. In primo sensu libertatem opponi necessitati: in secundo sensu opponi seruituti. quod igitur *Augustinus* affirmat amissum esse liberum arbitrium, non aliud innuere, nisi factum esse seruum peccati & Diaboli. Quam differentiam plerique non satis capiebant; quia seruus hoc magis non est liber, quod voluntatem suam exequi non possit, sed cogatur pendere ab heri sui nutu. secundum quam opinionem iniuriâ reprehenditur *Lutherus*, quòd librum inscripserit, *De seruo arbitrio*.

Tertius articulus excutitur.

Quartus articulus videbatur multis ineptus, qui dicebant, libertatis nomine intelligi potestatem ad vtrumque contrarium: itaque stultè dici libertatem ad malum, nisi sit item ad bonum. Sed hi errorem agnouere, moniti Sanctos in cœlo, & Beatos Angelos esse liberos, cùm ad bonum solummodò propendeant; neque maius incommodum alios item dici liberos, qui ad malum tantummodo ferantur.

Et quartus.

In V.& VI. articulis excutiendis, de assensu qui à libero arbitrio inspirationi Diuinæ, aut gratiæ præuenienti commodatur, non modò Franciscani à Dominicanis, sed & hi inter se sententijs variabant. *Franciscani* enim asserebant, quandoquidem voluntas possit seipsam præparare, hoc magis in potestate sua esse positum, præuentionem diuinam aut admittere, aut reijcere, quando Deus illi auxilium præbet, priusquam naturæ viribus vtatur. *Dominicani* vero negabant opera vocationem præcedentia esse verè præparatoria, primum locum Deo semper adscribentes. Inter hos *Soto* defendebat, vtcumque homo gratiam acquirere nequeat sine speciali Dei auxilio præueniente, voluntatem nihilominus posse semper certo quodam modo auxilium illud respuere & repudiare: immò quando Dei opem recipit, id eò fieri, quia assensum suum præbet, idque vult: alioqui, nisi assensus noster requireretur, nullam subesse causam, cur ad Deum omnes non conuertantur. Deus enim (vt est in Apocalypsi) *semper stat ad ostium, & pulsat*: atque, vt Patres loquuntur, Deus volentibus dat gratiam, &, scriptura teste, consensum à nobis efflagitat. quique aliter sentiat, is & voluntatis libertatem sustulerit, & à Deo vim adhiberi dixerit. At *F. Aloisius Catanea* contra disserebat iuxta *D. Thomæ* doctrinam, Deum in animo duo genera gratiæ præuenientis operari: vnam sufficientem, alteram efficacem: priori posse voluntatem & assentiri, & reluctari; posteriori minime, quòd includat contradictionem, posse repugnare efficaciæ. Ad sententiæ suæ confirmationem citabat *D. Ioannem*, *D. Paulum*, & super ijs locis dilucidam *D. Augustini* explicationem. Dein ad obiectionem, quòd omnes ad Deum non conuertantur, respondebat, id fieri, quòd Deus non efficaciter omnes præueniret. Metum autem offendendi liberum arbitrium à *D. Thoma* sublatum, cùm dicit, ea moueri violenter, quæ mouentur à causa contraria: à sua autem causa nihil per violentiam moueri. cum autem Deus voluntatis sit causa, perinde esse aliquem à Deo, atque à se moueri. Damnabat item, aut irridebat potius *Lutheranorum* loquendi formam, nempe voluntatem sequi tanquam inanimatum quid, aut irrationale; quòd, cùm voluntas natura sua sit rationis particeps, & à sua causa, Deo scilicet, moueatur, necesse sit eam & moueri, & sequi, vti rationis compotem. Similiter damnabat illud, quod Deus conuertat ad se homines, nisi recusent & recalcitrent, quia contradictionem implicat, vt effectus recalcitret suæ causæ. Posse quidem accidere, vt Deus efficaciter aliquem conuertat, qui aliàs sufficienti Dei præuentioni reluctatus sit; nunc autem minimè obluctetur, quia suauitas in voluntate impulsa consequens esse soleat efficacis Diuinæ motionis.

Variantes Theologorum de quinto & sexto articulis sententiæ.

Soto suam promit sententiam.

Cui contrarius Catanea.

Replicabat *Soto* omnem diuinam inspirationem per se non sufficere. Eam, cui liberum

Ei respondet Soto.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

liberum arbitrium assentitur, ab hoc assensu acquirere efficaciam; cui non assentitur, manere parum efficacem: non propter defectum inspirationis, sed hominis. Quam quidem opinionem ille timidè admodum propugnabat, quòd alter objiceret, ita futurum, vt electorum distinctio à reprobis, ab hominibus pendeat; quod pugnat cum perpetuo sensu Catholico, qui vasa misericordiæ à vasis iræ solâ Dei gratiâ discriminat: Tum vt Electio Diuina ex operibus præuisis, non ex Dei beneplacito procedat; cùm & Patrum & Conciliorum Africani, & Gallicani contra Pelagianos doctrina semper prædicarit Deum operari *illud velle* in electis: quod tantundem est, ac si dicerent, Deum efficere vt consentiant. Quare cùm assensum in nobis operetur, illum efficaciæ diuinæ imputandum. alioqui Deo nihilo magis deuinctum, qui saluatur, quàm qui damnatur, si à Deo ex æquo cum vtroque ageretur. His nihilominus rationibus allegatis, contraria opinio maioris partis applausum obtinuit; multis etiam fatentibus rationes Catanea non satis confutatas: alijsque indignantibus *Soto* non satis liberè locutum, cum diceret voluntatem certo modo assentiri, posse certo modo repugnare, quasi inter affirmationem & negationem certus esset modus intermedius. Nonnullis insuper odiosa erat *Catanea* & aliorum Dominicanorum in loquendo libertas, cum interim nec distinguerent opinionem eam, quæ iustificationem tribuit assensui, ab opinione Pelagiana; nec satis cauerent præ nimio condemnandi Lutherum studiò, extra chorum saltare, argumentum illud ante cætera omnia magnificantes, Electionem diuinam, siue prædestinationem iuxta opera præuisa futuram, quod Theologus nullus admiserit. Atque hinc captata occasio de prædestinatione agendi.

Articuli doctrinæ Protestantum de prædestinatione & iustificatione.

Statutum itaque propter horum dogmatum cohærentiam articulos in materia Prædestinationis ex doctrina Protestantum colligere. In operibus *Lutheri*, in Confessione Augustana, in Apologijs & Colloquijs, nihil de hoc argumento repertum Censoria virgula dignum; sed in scriptis, *Zuinglianorum* multa, ex quibus sequentes articuli desumpti.

I. In prædestinatione & reprobatione nullas esse partes hominis, sed solius diuinæ voluntatis.

II. Prædestinatos non posse damnari, neque reprobos saluari.

III. Solos electos & prædestinatos verè iustificari.

IV. Iustificatos teneri per fidem credere, se esse è numero prædestinatorum.

V. Iustificatos non posse amittere gratiam.

VI. Qui sunt vocati, neque tamen è numero prædestinatorum, nunquam accipere gratiam.

VII. Iustificatum teneri credere per fidem, se ad finem vsque in iustitia perseueraturum.

VIII. Iustificatum teneri firmiter credere, vbi exciderit gratia, se ad eam reciperandam rediturum.

Primus articulus suffragatores habet magni nominis Theologos.

In articulorum examine, ilico in primo sententijs est variatum. Theologi maximæ celebritatis articulum eum pro orthodoxo habuere, & contrarium pro hæretico, quòd boni Scriptores scholastici, *D. Thomas*, *Scotus*, alijque communiter sic sentiant; Nempe Deum ante mundi fabricam ex vniuersa massa generis humani per solam meramque suam misericordiam nonnullos elegisse ad gloriam, quibus efficacia media præparauit ad eam obtinendam, quod dicitur prædestinare. horum numerum esse certum & determinatum, neque incrementum admittere: cæteros, quos non prædestinauit, non habere quod querantur, quādo Deus his quoque auxilium sufficiens præparauit, licet re vera alij quàm electi salutis effectum non sint consequuturi.

Eius validissima è S. Scriptura firmamenta.

Rationem validissimam afferebant è *D. Paulo* ad Romanos, qui *Iacobum* in exemplar prædestinatorum, & *Esauum* reprobatorum citans, profert ipsum ea de re Dei decretum, antequam nascerentur pronunciatum, *non ex operibus*, *sed secundum merum ipsius beneplacitum*. Dein adiungebant eiusdem Apostoli similitudinem; sicut figulus ex eodem luto format vnum vas ad honorem, & aliud ad ignominiam: sic Deum ex eadem hominum massa, quos sibi visum erat elegisse, alijs neglectis. Etiam *D. Paulum*, ad id confirmandum citasse verba Dei ad Moysem, *Miserebor.*

serebor cuius misertus sum; & misericordiam præstabo, cuius miserebor. eundemque concludere, *non esse igitur volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Item, *Deum misereri cuius vult, & quem vult indurare.* Addebant insuper, hoc aspectu consilium diuinæ prædestinationis & reprobationis ab eodem Apostolo vocari *altitudinem & profunditatem sapientiæ impenetrabilem & incorruptibilem*: citabantque ex alijs Epistolis; *nihil nos habere quod non accepimus*: *Nos ne ad bene cogitandum ex nobismetipsis esse sufficientes.* Tum vbi causam reddit, cur alij excidant à fide, aliis permanentibus firmis, hanc assignat, quòd *firmum stat Dei fundamentum, habens hoc signaculum, nouit Deus qui sint eius.* Multa denique afferebant ex Euangelio *D. Ioannis*, & prope innumerabilia ex *Augustino*, qui quidem vir Sanctus ætate grandis in fauorem huius doctrinæ plurima scripserat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Istam tamen opinionem oppugnabant alij non tanti nominis Theologi, duram, crudelem, inhumanam, horribilem, impiamque vocantes: quippe quæ Deum efficeret & personarum acceptorem, si absque causa aliqua impulsiua vnum eligeret, alium repudiaret; & iniustum, si propria voluntate homines damnationi adiudicasset, non ex ipsorum meritis, tantamq; multitudinem hoc nomine creasset, vt damnaret. Incusabant eam, quòd euerteret liberum arbitrium, cum nec electi possint malum patrare, nec reprobi bonum: quòd in barathrum desperationis homines demergeret, semper addubitantes, annon sint è reprobis: quod peruersis ansam improbè operandi daret, deposito pœnitentiæ studio, pro certo apud se statuentibus, si electi essent, non perituros; si reprobi, incassim nulloque emolumento bonum operaturos. Fatebantur opera non solùm non esse causam diuinæ electionis, quod hæc ab æterno, illa longo interuallo præcedat; sed ne opera quidem præuisa posse Deum impellere ad prædestinandum: immò ipsum pro infinita sua misericordia velle vt omnes sint salui, omnibusque ad hunc finem idonea instrumenta salutis præparare, quæ singuli, prout ipsis videtur, pro arbitrij libertate aut admittunt, aut reijciunt. quin etiam Deum in æterno suo consilio præuidere, qui oblata adiumenta sint accepturi, & ea in rem suam conuersuri; qui rursus eadem sint reiecturi: atque hos reprobare; illos eligere, & prædestinare. Alioqui causam nullam apparere, cur Deus in Scriptura de peccatoribus tam frequentes querimonias habere, aut eisdem ad pœnitentiam & vitæ emendationem reuocandis tot exhortationes adhibere debeat, nisi efficacibus eos medijs ad ea assequenda communiat. absque hoc, adiumentum illud sufficiens ab alteris excogitatum omnino non sufficere, quod, ex ipsorum sententia, nullum vnquam sortitum sit, neque sortietur effectum.

Eundem tamē alij vt impium ac inhumanū damnant, diuersam afferentes sententiam.

Prior certè sententia magnum complexa mysterium & arcanum, mentem hominis humiliabat, atque hinc deformitatem peccati, illinc gratiæ Diuinæ excellentiam intuentem, abiectâ protinus sui fiduciâ, in Deo planè defigebat. Altera verò magis plausibilis, popularis, speciosa, & augendo mentis humanæ fastui accommodatior, hoc ipso & gratior erat fratribus, artem potius prædicandi, quàm accuratam Theologiæ cognitionem semper professis; & Aulicis probabilior videbatur, quippe consentanea rationibus politicis. habuit quoque Episcopos *Bitontinensem* & *Salpensem* satis acres propugnatores. Ac profectò, qui eam propugnabant, quòd rationibus merè humanis niterentur, apud humana sapientes alijs plus poterant: vbi verò ad Scripturæ testimonia ventum, causâ facilè cadebant.

De vtraque sententia probum iudicium.

Catarinus autem eiusdem sententiæ patronus, vt scripturæ nodos, quos diuersæ partis Theologi nexuerant, dissolueret, mediam opinionem comminiscitur. Nempe Deum, pro sua bonitate è cœtu hominum paucissimos aliquot delegisse, quos omnino saluare decreuerit, eosque medijs potentissimis, efficacissimis, quæque fallere non possint, instruxerit. Cæteros omnes, velle quidem saluos fieri, atque huic fini media omnibus sufficientia præparasse, sed penes ipsos relictum, ea vel accipiendo saluari, vel reijciendo damnari. hos verò duorum esse generum: alios qui ea recipiant, & salui fiant licet ex electis non sint, eorumque magnum esse numerum: alios, qui abnuant cooperari Deo, qui eos saluos cupiat, proindeque damnentur. Causam prædestinationis primorum, esse solam diuinam voluntatem; aliorum, acceptacepta-

Catarini media inter vtramque sententia satis audenter conficta.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

ceptationem, vſumque auxilij Diuini, & cooperationem eidem à Deo præuiſam: cauſam verò reprobationis vltimorum, præuiſam à Deo peruerſam ipſorum voluntatem, in repudiando Dei auxilio, aut eodem male vtendo. *D. Ioannem, D. Paulum*, & omnes ſcripturæ locos ab aduerſa parte allegatos, quibus totum opus Deo tribuitur, & infallibile euincitur, intelligendos de primis ſolum, qui ſingulari gaudent priuilegio. reliquis viam communem eſſe præparatam, & in illorum gratiam comparatas admonitiones, exhortationes, & generalia auxilia: quæ quidem qui audit & ſequitur, hunc ſaluum euadere, qui renuit auſcultare, ſua culpa perire. Horum paucorum, qui communi ſorte exempti, priuilegiarij ſunt, numerum apud Deum certum eſſe, ac determinatum. reliquorum, qui ſalui fiunt via communi, & ab humana libertate pendente, numerum à Deo non eſſe determinatum, niſi ſecundum præuiſa vniuſcuiuſque opera. Affirmabat *Catarinus*, ſe horum demirari ſtupiditatem, qui certum numerum ſtatuant, & aſſerant nihilominus alios poſſe ſaluos fieri: quod perinde eſt ac ſi dicas, numerum quidem conſtare, ſed augeri poſſe. nec minùs eorum, qui dicant reprobos auxilium habere ad ſalutem idoneum; eſſe tamen neceſſarium ijs qui ſalui eſſe velint, ſubſidium aliud validius; quod eſt ſufficiens inſufficiens dicere.

Idem D. Auguſtinum, qui Proteſtantium opinionem architectatus eſt, petulanti lingua laceſſit.

Addebat porro, *D. Auguſtini* opinionem ante æuo inauditam ab ipſo primitus fabricatam, & habere reum, confitentem eam in nullo cuiuſquam ſcriptoris opere, qui ſe præceſſerit, reperiri. Ne ipſum quidem *Auguſtinum* eam ſemper pro vera tenuiſſe, ſed Diuinæ voluntatis cauſam interdum meritis adſcripſiſſe; dicentem, Deum miſereri quorum vult, & indurare quos vult, ſed eam Dei voluntatem non poſſe eſſe iniuſtam, quòd ab occultiſſimis meritis procedat: magnamque eſſe peccatorum varietatem. eſſe enim nonnullos, qui etiamſi non ſint iuſtificati, digni ſint tamen iuſtificatione. Verum quidem eſſe, ardorem diſputandi contra Pelagianos eum poſtea tranſuerſum rapuiſſe ad contra ſentiendum, & loquendum. Ijs ipſis tamen temporibus, vbi ſententia ea cœpit propalari, magnam Catholicis omnibus concitaſſe offenſionem, vt ad eum *Proſper*, ſcripſit. Et *Gennadium Maſsilienſem* quinquaginta poſt annis in ſuo de illuſtribus ſcriptoribus iudicio, pronuntiaſſe; quod Sapiens *Salomon* monuerit cauendum, id ei accidiſſe, in multiloquio peccatum non effugiſſe, vtcumque ob peccatum illud ſuum, etiam ab aduerſarijs exaggeratum, contentio ea nata non eſſet, quæ hæreſim peperiſſet. quibus verbis bonus ille Pater ſubindicare videtur, ſe illud tum reformidaſſe, quod nunc euenerit, ne videlicet ab ea opinione ſecta aliqua & ſciſſura in Eccleſia oriretur.

De II.° item articulo Theologi diuerſa ſentiunt.

Secundi articuli cenſura pro trium opinionum antedictarum varietate, fuit diuerſa. *Catarinus* enim primam eius partem veram agnoſcebat, propter efficaciam Diuinæ voluntatis erga eos, quos Deus proſequitur affectu ſingulari. Secundam verò falſam, tam propter ſufficientiam ſubſidij Diuini, quod omnibus defertur, quàm humanam in cooperando libertatem. Alij, qui cauſam prædeſtinationis in omnibus tribuunt aſſenſui humano, articulum omnino damnabant, vtraque ſui parte. At qui ſententiam *D. Auguſtini*, quæ Theologorum erat communis, amplexabantur, eam diſtinguebant, ſenſu compoſito veram eſſe dicentes, ſenſu autem diuiſo damnabilem. Quæ quidem ſubtilitas & Præſulum animis caliginem offudit, licet exemplo familiari illuſtrata: nec ipſis eius autoribus ſatis videbatur intellecta. Exemplum erat huiuſmodi. Qui mouet, non poteſt conſiſtere, in ſenſu compoſito (inquiebant) verum eſt, ſcilicet, interim dum mouet; ſed in ſenſu diuiſo falſum, id eſt alio tempore. Sed dum huic propoſito applicatur, parum eſt appoſitum. Neque enim dici poteſt prædeſtinatum damnari poſſe aliquo tempore quo prædeſtinatus non eſt, cum ſemper in eo ſtatu ſit: & generaliter ſenſus ille diuiſus locum non habet, vbi accidens à ſubiecto eſt inſeparabile. Itaque alij aliter eam rem explicatam volentes, dicebant, Deum res ſingulas adminiſtrare, mouereque ſecundum propriam ipſorum naturam; quæ in rebus contingentibus eſt libera, & eiuſmodi, vt cum actione poſſit conſiſtere poteſtas ad oppoſitum. Vnde colligebant ſimul cum actu prædeſtinationis conſiſtere poteſtatem ad reprobationem & damnationem. Sed hic ſenſus plus ſuperiori habebat obſcuritatis.

Senſus compoſitus & ſenſus diuiſus.

Reli-

Reliqui articuli admirabili animorũ conspiratione censuræ subiecti. Contra III.um & VI.um affirmabant perpetuam extitisse omnibus sæculis Ecclesiæ opinionem, multos ad tempus gratiam Diuinam accipere & conseruare, quam deinceps amittant, & in condemnationem incurrant. Eam in rem afferebant exempla *Saulis*, *Salomonis*, *Iudæ*, vnius è duodecim: huiusque casum præ cæteris euidentem ex ipsis Saluatoris verbis ad Patrem: *Quos mihi tradidisti custodiui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis.* Item *Nicolai* vnius è septem Diaconis, & aliorum, qui in Scripturis primùm laudem meruerunt, post ignominiam. quibus putabant meritissimè accensendum *Lutherum*. Contra VI. etiam singillatim dicebant, vocationem eam impiè ridiculam fore, si vocati, &, quantum in se est, nulla re destituti, ad salutem non admittantur, sacramentaque ipsis inefficacia reddantur: quæ sunt absurdissima. Ad V. damnandum citantur verba Prophetæ cum articulo ex diametro pugnantia. *Si iustus iustitiam deseruerit, & iniquè fecerit, benefactorum eius non recordabor.* Item exempla *Dauidis homicidium & adulterium patrantis*, *Magdalenæ*, & *D. Petri* Christum dominum abnegantis. Sed in primis Zuinglianorum ineptias propinabant irridendas, qui simul dicerent, iustificatum non posse amittere gratiam, & tamen in omni opere peccare. Temeritatis quoque concorditer damnati vltimi duo articuli: sed communi lege exempti ij, quos speciali reuelationis fauore Deus dignatus; *Moses* scilicet, & *Christi discipuli*, quibus Deo visum reuelare, ipsorum nomina libro vitæ esse inscripta.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Gratiam & iustitiam amitti posse contra reliquos articulos asseritur.

Postremi duo articuli damnantur, sed cum exceptione.

Theologorũ examine super libero arbitrio & prædestinatione absoluto, & anathematis super ijs capitibus confectis, ad hæc ipsa, quæ de iustificatione formata essent, ea locis opportunis aggregare visum est: singulis tamen aduersus ea, quæ opinioni suæ quouis modo derogarent, opponentibus, atque vno hic, altero illic, vocem aliquam expungi aut immutari postulantibus. *Iacobus* vero *Cauchus*, Archiepiscopus *Corcirensis*, cũ animaduerteret articulos eos, cum multis limitationibus & ampliationibus à Theologis damnatos, easdem anathematis inserendas existimauit, ne propositio absolutè damnaretur, quæ commodum posset sensum admittere: maximè quòd humanitatis ratio exigat benigniorem semper interpretationem recipi; & charitatis ingenium vetet de alio male existimare. At ab alijs ei fuit contradictum, qui dicerent, consuetudine priscorum Conciliorum propositiones hæreticas, nudas, sicut ab hæreticis essent propositæ, sine limitatione damnatas. atque in materia fidei ad articulum damnandum sufficere vnum aliquem sensum falsum, qui incautos in errorem possit impellere. Vtraque opinio ratione niti credebatur. Prior, quòd æquum esset id intelligi, quis sensus damnari mereatur. altera, quòd è dignitate Concilij non esset, hæreticorum propositiones certis limitibus constringere. Adhæc, Canones omnes hac esse structura; opinionem damnabilem primùm recitari: dein causam condemnationis subiungi, nempe locos sacræ Scripturæ, aut doctrinam Ecclesiæ, cũ qua ea opinio pugnet; sumpto exemplo à Concilio Arausicano, & à canonibus de peccato originis sessione proximè præcedenti. Sed cum istiusmodi Canonum lectio maximam partem longa ac fastidiosa esset futura, ac veritatis cum falsitate, rerumque repudiatarum cum approbatis commixtio non facile posset intelligi, Episcopus *Senogaliensis* opportunum vtrique huic incommodo medicando remedium obtulit; nempe, vt Doctrina Catholica à contraria segregaretur, & duo fierent decreta. Vnum, quo continua oratione sensus Ecclesiæ exponeretur & firmaretur: alterum, quo damnaretur & anathemate fulminaretur doctrina contraria. Id consilium omnibus placuit, reque deliberata, anathemata primò seorsim fuere formata, dein formando alteri decreto impensa opera; atque hoc Decretum doctrinæ, illud vocarunt Canones, isque stilus in secunda tertiaque Concilij conuocatione obtinuit.

Vtrum articulorum limitationes & ampliationes Anathematis inseri debeant, quæritur.

Ratio proponitur secernendi in Synodo doctrinam Catholicam à contraria.

Incredibile est, quantum Cardinalis *S. Crucis* in Decretis ijs formandis desudarit, dũ diligenter cauet, ne de rebus inter Scholasticos controuersis vllam ijs inserat: quas vero omittere non potuit, eas in hunc modum vti attingat, vt omnibus satisfiat. In singulis congregationibus obseruabat, quid cuique minus probaretur, idque vel delebat, vel de aliorum consilio emendabat. Neque solum in congregationibus,

Anxium & indefatigabile Card. Sancticrucij in decretorum verbis emendandis & immutandis studium.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

tionibus, sed seorsim cum singulis colloquutus, si quis esset scrupulus, eum audiebat; & cuiusque sententiam exquirebat. Materiam alio atque alio ordine digessit, interdum hanc, nonnunquam illam partem mutans, quoad in eam formam esset redacta, qua nunc extat, quæ omnibus placuit, cunctorum calculus approbata. Illud quidem certum est, super his capitibus, centum habitas congregationes, partim è Theologis, partim è Præsulibus; atque ab initio Septembris ad exitum vsque Nouembris nullum diem abijsse, quo Cardinalis non admouit manum ijs, quæ prius scripta essent, emendandis, & immutandis. Atque vt appareat omnibus, quàm sedulam ille operam minimis rebus impenderit, è multis, quæ molestum sit commemorare, duo tantum mutationis exempla, quorum extat memoria, in specimen recitare est animus. In primo capite doctrinæ de communi omnium sententia scriptum erat, *neque Ethnicos viribus naturæ, neque Iudæos per Legem Moysis potuisse liberari à peccato.* Et quoniam plerique putabant circumcisionem remisisse peccata, suspicabantur ea verba opinioni illorum posse præiudicare, etsi *D. Paulus* non semel disertis verbis id ipsum expresserit. Quibus Cardinalis satisfactum cupiens, ea verba, *Per ipsam etiam legem Moysi*, mutauit in hunc modum, *Per ipsam etiam literam Legis Moysi*: quo loco quàm apposite ea vox *Literam* inseratur, penes quemuis, vel mediocriter in Theologia versatum, eius rei esto iudicium. Rursum in principio capitis IX. cùm quidam è propugnatoribus certitudinis gratiæ non essent contenti vt diceretur, peccata homini non esse remissa certitudine remissionis, vt in illa confidat, & quiescat, Cardinalis satisfecit illis exclusa certitudine reali, & in eius locum substituens iactantiam, & in ea sola fiduciam. Et in fine capitis liquidò videre est, hanc causam fuisse reddendam, quòd nemo certo scire potest, se gratiam Dei consecutum. sed vt vni partium satisfieret, addendum curauit *certitudine fidei.* ac cum isthuc Dominicanis haudquaquam satisfaceret, instabant vt adiungeretur *Catholicæ.* Sed *Catarini* fautores hoc non contenti, loco verborum *fidei Catholicæ*, verba ea adhibenda censebant *fidei, cui non potest subesse falsum.* quibus verbis satisfactum est vtrisque. nam & horum alij inferebant, Ergo certitudo fidei, quæ hic habetur, potest esse falsa, adeoque incerta: alij verò colligebant, eam certitudinem nullam posse habere falsitatis quæstionem, quo tempore retinetur. per eam autem mutationem, quæ potest accidere, dum à statu gratiæ ad statum peccati transitur, posse falsam deuenire, ad eundem modum, quo omnes præsentium contingentium veritates, etiam certissimæ, & maximè indubitatæ, rerum subiectarum mutatione falsæ euadunt. atqui fides Catholica, non solum certa est, sed etiam immutabilis, quia subiectas habet res necessarias, aut præteritas, quæ mutationem non admittunt.

Soto & Vega diuersorum Ordinum fratres, sententijs licet in contraria tendentibus, suam vterque mentem Synodo studet affingere, libris in vulgus editis.

Et verò hæc intuentem æquum est; Cardinalem debita laude non defraudare, qui singulari ingenij solertia hominibus contrariarum opinionum adeo tenacibus potuerit satisfacere. quorum pertinaciam si quis clarius velit habere perspectam, hinc facile addiscat, quòd, statim ab ipsa Sessione *F. Dominicus Soto*, Dominicanorum primipilus, tres de natura & gratia libros conscripsit, quos huius doctrinæ voluit esse commentarios, ad expositiones, opinionesque suas omnibus proponendas. Atque id opus vbi in lucem emissum, *F. Andreas Vega*, Franciscanorum antesignanus, quindecim quoque libros edidit, qui in sexdecim eius decreti capita commentariorum vicem essent, & secundum ipsius opinionem omnia interpretarentur. Quorum opiniones non modò in omnibus prope articulis valde discrepant, sed & in plerisque manifestè ex diametro pugnant. Quisquis autem opera hæc anno M.D.XLVIII. in publicum data volet inspicere, deprehendet vtrumque sæpenumero verbis Concilij sensus alternantes & dubios affingere, ac proinde mirabitur, duos hos doctrina & existimatione præ alijs insignes, & magnam in Concilio partem sustinentes, vnicum Patrum sensum, & verum Synodi scopum haudquaquam assecutos. De me, vt, quod sentio, dicam, equidem, vbi paucorum, qui in ea actione locum non contemnendum tenuerunt, scripta euoluo, & quàm diuersimode ij loquantur, & scribant de decretis Synodicis, mecum reputo, apud animum meum satis statuere nequeo, vtrum coetus ille tam celebris in vnum sensum consenserit, an

verò

verò verborum modò vnitatem & consensionem consectati sint. Sed vt ad Cardinalem reuertamur, ille Decretum ab omnibus *Tridenti* approbatum, misit ilico ad Pontificem: Pontifex verò illud ipsum, fratribus, alijsque *Romæ* literatis tradidit, ad consilium de eo capiendum. Illi autem habita consultatione id omnes approbant propter eam, quam diximus rationem, quia à singulis ad proprium sensum aptari posse videbatur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Quæ in materia fidei fuerant tractata, vna continua narratione visum est complecti, ne, quæ sui natura coniuncta sunt, locis dissociarentur. sed inter hæc, dies aliquot dati, tractandæ reformationi: atque in ijs congregationibus propositum, describere dotes in maioribus Præsulibus promouendis, & alijs Ecclesiæ ministris, necessarias. Et quidem multæ graues sententiæ, magno verborum apparatu, in medium afferebantur: sed ratio nulla reperta, quomodo earum praxis & obseruatio in Ecclesiam induceretur. Etenim, vbi Regum est opima sacerdotia conferre, illi ægrè se vinculis vllis constringi patiuntur. Vbi electio Capituli locum habet, ibi quoque viri magni ac potentes sunt, ad quorum nutum electio constat. De cætero, Papæ est, Præsulatus omnes conferre; aliorumque beneficiorum vt plurimum duæ partes è tribus, in vsum sedis Apostolicæ reseruantur, cui leges præscribere parum æquum videtur. Itaque post multos ac prolixos de ea re habitos sermones, consultissimum visum, curam eam omittere.

Remoræ & impedimenta exequendæ cõsultationis, de reformandis Prælatis, alijsq; Ecclesiæ ministris.

Neque vel pauciores, vel breuiores fuere de Præsulum residentia sermones. qui quidem, licet in eam conclusionem non desierint, quæ temporibus ijs erat necessaria, & à plerisque vehementer expetita; nonnulla tamen, vt in cæteris, confusè proposita ac disputata; materiaque ea alijs deinceps eam tractaturis præparatior facta. Ad quæ melius intelligenda argumentum hoc à principio nobis altius est repetendum.

De residentia Prælatorum iniectus sermo auctori de ea disserendi præbet occasionem.

Gradus Ecclesiastici prima institutione dignitates non erant, & præeminentiæ, aut præmia, aut honores, sicut à multis iam sæculis, hodieque conspiciuntur: sed ministeria, onera, à D. *Paulo* alio nomine nuncupata opera; & qui ea obibant, à Christo Domino in Euangelio dicti operarij: vnde nullius mentem cogitatio id temporis subire poterat de absentia à munere per se exequendo. quod si quis operi se (quod rarenter accidebat) subduxisset, causa nulla erat, cur ille vel titulum, vel emolumentum inde aliquod perciperet. Cumque duo tum essent ministeriorum genera, partim qui à *Verbi* ministerio nomen obtinuerunt antiquitus, nunc vero dicuntur *animarum curam gerere*: alij, rebus temporalibus intenti, egenorum & infirmorum victui, vestitui, alijsque necessitatibus vacantes, diaconi scilicet, alijque ministri subalterni; omnes tamen se ex æquo obligatos agnoscebant ad ministerium in propria persona obeundum: neque cuiquam in mentem venerat vicariam operam adhibere, nisi fortean ad breue tempus, prementibus negotijs, multo minus prouinciam aliam suscipere, quæ huic esset impedimento. Aucta vero Ecclesia, cum populus Christianus persecutorum tyrannide solutus ac liber, in immensum excreuisset, institutum fuit genus aliud ministrorum, quod in coetibus Ecclesiasticis, legendæ sacræ scripturæ inseruiebat, alijsque functionibus, ad pietatem excitandam. Instituta quoque ministrorum collegia, quæ munus aliquod in commune obirent, & alia Seminariorum instar, vnde petebantur ministri, ad officium faciendum diligenter edocti. Hi qui è collegijs erant, cum prouinciam nullam personalem obtineret, quòd vno desiderato, aut superaddito, ad coetus ministerium nihil interesset, interdũ vel studiorum gratia, vel solidioris institutionis, vel alia de causa aberant ab Ecclesia, ad breue aut longius tempus, sed tum nullius neque tituli, neque oneris, neque etiam emolumenti participes. Ita *D. Hieronymus* Presbiter *Antiochenus*, sed absque cura speciali, & *Ruffinus* itidem *Aquileiensis*, & *D. Paulinus* Presbiter *Barcinonensis* raro residebant. Horum dein numero augescente, consuetudo illa facile degenerauit in abusum, impositumque illis nomen *Clericorum Vagantium*, quòd omnibus odiosum esset illud vitæ genus, quorum in Legibus & Nouellis *Iustiniani* Constitutionibus frequens est mentio. de titulo verò eius muneris retinendo, aut emolumentis percipiendis, cuius nullam partem obirent, ne cogitatum quidem ante annum à Christo nato septingentesimũ.

Ecclesiæ ministerium olim non honos, sed onus.

Siue Verbo prædicando vacarent, siue egenis & infirmis: quorum vtrumq; ipsi per se procurabant.

In collegiis & Seminariis absentiæ venia fiebat studiorum caussa.

Inde abusus, & Clerici Vagantes.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Nec personæ idoneæ dignitatibus, sed dignitates personis inidoneis datæ: vnde aliæ ex aliis corruptelæ.

Tum enim mutato in Ecclesia Occidentali ministeriorum Ecclesiasticorum statu, muneribusque publicis, in dignitatum & honorum gradus, ac præmia seruitijs debita abeuntibus; sicut olim in promotionibus Ecclesiasticis, considerata Ecclesiæ necessitate, inquirebatur aliquis huic muneri capessendo idoneus: sic post æuo, considerata personæ qualitate, gradus aliquis quæsitus, aut dignitas, aut beneficium, quod personæ conueniret. atque inde natus mos, opus aliquod, aut ministerium per substitutum exercendi. Atque hæc corruptela aliam secum inuexit, nempe, vt existimarent se non modo liberos, & immunes ab officio ministrandi, sed ne teneri quidem adesse, & opitulari ei, qui Vicariam operam præstabat. Et certe vbi industria personæ non eligitur ad opus, sed dignitas & locus personæ conueniens, æquum non est, vt persona ea, vel ad operandum per se, vel ad alium operantem iuuandum, astringatur. Iam hac Ecclesiasticorum exorbitatione ab officio, plane actum fuisset de eo Ordine, nisi Pontifices Romani in parte malo ingrauescenti occurrissent, edicentes vt Præsules & Curiones omnes, vtcumque alios exercendo muneri suo substituerent, ipsi nihilominus ijs eo in loco adesse tenerentur; idque *Residentiam* vocarunt. Ad id ipsum quoque Canonicos obligarunt: cæteros autem clericos sacerdotijs auctos minime constringendos putarunt, sed omissa eorum mentione, consuetudini, vel potius abusui inueterato reliquendos. quo silentio factum, vti se minimè obligatos crederent. Neque Pontificibus fraus ea spontanea fuit ingrata, qui inde Aulæ suæ amplitudinem præsagiebant. Atque hinc nata perniciosa, & nunquam satis abominanda distinctio beneficiorum residentiæ, & non residentiæ, quam opere æquè ac doctrina sequuti sunt ij, quos nunquam puditum esse absurditatum, quas apertas admodum secum trahit, nempe, vt titulus, & salarium cuiquam, nullo suo merito detur. Imo ad eam obuelandam, aut potius maiore opprobrio ac dedecori propinandam, Canonistæ Maximam, qua distinctionis eius vanitas conuincitur, ***Beneficium omne dari propter officium***, ridiculè interpretati sunt, ***officium*** esse preces horarias Breuiarij, quasi obuentio annua mille, imo decies mille, & supra aureorum hoc solo nomine daretur, vt sumpto in manum libro, paginæ aliquot submissa voce, properante lingua legantur, nulla rei, sed solius verborum enuntiationis habita ratione. Itaque breui tempore per istam doctorum distinctionem, & Pontificum Romanorum prouisionem abusus ille vehementer auxit. absque illis enim fuisset, è beneficiarijs simplicibus nonnulli religioni habuissent Ecclesias suas deserere, vbi per hæc iam factum est, vt abusus ille non tolerabilis modò, sed licitus omnibus videretur. Edictum verò illud contra Curiones, valuit ad introducendam dispensationem Pontificiam, nulli vnquam denegatam, qui rationem esset edoctus, qua omnia Romæ impetrantur. vnde solis pauperibus, ijsque, qui aliquid inde lucri captabant, residentibus, abusus, cui legibus Pontificijs aliqua parte primò cautum fuerat, dispensationum ope ad culmen peruenit, & per orbem sparsus, contage sua terram infecit. Postquam autem motus in *Germania* religionis causa, sermonibus & reformationi desiderandæ occasionem dedère, omnibus, mali fontem, Præsulum incuriam, ac negligentiam incusantibus, ad Ecclesiarum prouidam & salutarem administrationem, illorum præsentiam requirentibus, & dispensationes, absentiæ causam, ex animo execrantibus, de Præsulum ad residendum obligatione sermo haberi cœptus est.

Pontifex Edicto suo Residentiam iniungens studet malis mederi velle.

Distinctio beneficiorum Residentiæ, & nō Residentiæ.

Edictum Pontificium ianuam aperit dispēsationibus, per quas abusus latius in orbē inundant

Nonnulli homines pij inter quos F. *Thomas Caietanus* Cardinalis, affirmabant obligationem residendi esse legis Diuinæ. atque hic id accidit, quod in omnibus ferè rebus occurrit; vt affectus vehementior præcedens, opinionem etiam rigidissimam, & obligationem arctissimam, & obligatorij vinculi solutionem vel difficilimā persuadeat. nempe hoc fiebat addito vigore legis Diuinæ. Præsules autem abusum hunc agnoscentes, sed, vt excusabilis culpa, leuisque esset, voto cupientes, opinionem eam animis conceperant, se ad residendum, non à Deo, sed Pontifice tantùm obligatos: eoque mali huius satis efficax fore remedium, Papæ vel dispensationem, vel taciturnitatem. Sic præparatis quoad doctrinam hominum animis, res ista in Concilio fuit proposita, sicut iam dictum est: ex qua quandoquidem orta est controuersia principio non admodum grauis, sed progressu maior, ac tandem annis M.D.LXII. & M.D.LXIII. longe grauissima, non opinor videbitur ab instituto nostro alienum

Viri pii in Synodo concedunt obligationem residentiæ esse iuris Diuini, vt hominibus persuadeant nexum esse firmiorē & solutionem difficiliorem.

Alii se non à Deo sed Pontifice obligari.

num, aut hæc altius repetito principio recitasse, aut singulares aliquot in ea re euentus post commemorare. *Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus.*

Itaque, quamuis articuli non alia fini principio essent propositi, nisi vt præceptorum de residendo strictiorem obseruationem vrgerent, pœnarum denunciationem adderent, tollerent impedimenta, viam ad ea exequenda faciliorem expedirent, atque ea de re inter omnes conueniret, citatis ex vtroque Testamento veteri & nouo, ex Canonibus conciliorum, & doctrina Patrum ad fidem faciendam testimonijs; allatisque permultis, quæ ex non residendo nata erant, incommodis: maior tamen pars Theologorum, Dominicani maximè, his non contenti, porro ire pergunt ad determinandum, obligationem ad residendum à lege Diuina profectam. *F. Bartolomæus Caranza*, & *F. Dominicus Soto*, vterque Hispanus, opinionis huius præcipui erant authores; atque his imprimis nitebantur rationibus. Quod Episcopi munus à *Christo* esset institutum, tanquam ministerium & opus, adeoque actionem personalem requireret, quam absens præstare non potest. Tum, quòd *Christus* boni pastoris qualitates describens, dicit, eum ponere vitam pro grege, ouium nomina cognita habere, & gregi suo præire. Contra Canonistæ, & Præsules Itali contendebant obligationem eam pendere solùm a lege Ecclesiastica; quòd in Veteri Ecclesia nemo non residens hoc nomine corripiatur, tanquam violator Legis Diuinæ, sed tantummodo Canonum. Quòd *Timotheus Ephesinus* Episcopus, mandato *D. Pauli* multum temporis longinquis profectionibus impenderit. Quod *D. Petro* imperatum sit, vt pasceret agnos, quod de omnibus accipiendum cum sit, vbique tamen terrarum adesse nequiuerit. Ad eundem modum Episcopum qui non resideat, posse præceptum de pascendo grege adimplere. Ad rationes item in contrarium adductas respondebant, *conditiones* boni pastoris à *Christo* propositas, in alium, quàm *Christum* ipsum non cadere. *Ab Dominicanis asseritur obligationem ad residendum esse de iure Diuino.*

At *F. Ambrosius Catarinus*, ipse licet Dominicanus, non idem cum cæteris sentiebat. Episcopatum à *Christo* institutum, vnicum modò agnoscebat, qui in Papam confertur. reliquorum omnium institutionem deberi Pontifici, qui, sicuti quantitatem & numerum ouium pascendarum designat: ita modum & qualitatem pascendi præscribit. Esse igitur Papæ, Episcopo cuique præfigere, per seipsum, an per substitutum attendendum gregi habeat, sicut eiusdem est, multos aut paucos ei pascendos assignare, aut potestate etiam pascendi omnino priuare. *Thomas Campegius* Episcopus *Feltrensis* aliter respondebat, Episcopum, attestante *D. Hieronymo*, à Christo fuisse institutum, sed Episcopatuum diuisionem, postmodum ab Ecclesia: Christumque Apostolis omnibus pascendi curam commisisse, sed eos vni loco non alligasse: atque ipsas Apostolorum, suorumque discipulorum actiones satis testari, assignationem huius partis gregis vni, & illius alteri, institutionem fuisse Ecclesiasticam, ad commodiorem Ecclesiæ administrationem. *Contrariam opinionem alij tuentur.*

Hæc magno animorum ardore inter Episcopos differebantur, Hispanis non iuuantibus modò, sed fouentibus & excitantibus Theologos, qui à iure diuino stabant; quippe, qui arcanum alijs non vulgandum de amplificanda authoritate Episcopali animo agitarent. nam si semel esset definitum, traditam Episcopis à Christo Ecclesiarum suarum administrandarum curam; sequeretur inde authoritatem ad id regimen necessariam à Christo quoque donatam, quam Pontifex non possit restringere. Verùm Curiæ Romanæ fautores arcana hæc consilia subodorati, rei, quæ attentabatur, grauitate considerata, ipsi quoque contrariam sententiam astruentibus animos faciebant. Legati verò rem dissimulandam putabant, sed periculo interim obuiam eundum: atque eò consilia sua dirigentes, dicebant eam quæstionem difficultatem magnam habere, maiorique examine indigere. In controuersijs enim, quæ inter Catholicos ipsos oriantur, non ad eiusmodi decisionem veniendum, quæ alteram partem damnet; ne schisma excitetur, aut contentiones nascantur, quæ Lutheranis vnanimi consensu damnandis vetent incumbere. quamobrem satius esse, declarationem eam, quo iure residentia debeatur, ad alium Consessum differre. Nonnullis sufficere videbatur, vt Canones & Decretalia vetera super hoc argumento sancita renouarentur, quòd & satis essent *Prioris sententiæ Hispani, alterius Itali fautores.* *Legati rem ampliandam censent, & residendi studium interea fouendum sublatis impedimentis.*

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

essent rigida, pœnam videlicet depriuationis statuentia; & satis moderata, cum legitimas excusationes admittant. hoc vnum superesse, quo modo via adinueniatur coercendis dispensationum concessionibus. Alij existimabant, excitandum in hominibus residendi studium nouis pœnis propositis; &, quod caput est, impedimenta tollenda. ijs enim sublatis, ad residendum segnes non futuros. Parum enim interesse, quo iure obligentur, modò id præstetur, ad quod obligati tenentur. id vbi effectum dederint, materiam multo meliùs discuti posse. Maiori parti visum, vt tum hoc, tum illud fieret, legatis etiam hac lege assentientibus, modò de dispensationibus sermo non esset. id quidem elaborandum, vt impedimenta, quæ ex exemptionibus proueniunt, omnino tollantur; ita dispensationes non esse flagitandas. Inde non minor altercatio nata inter hos, qui omnem exemptionem reputabant abusum, & eos, qui earum vsum in Ecclesia ducerent necessarium, excessum verò solummodo vituperabilem.

Sed de dispẽsationibus & exemptionibus sermonem non habendum.

D. Hieronymus testatur initio Christianismi Ecclesiarum gubernationem fuisse Aristocraticam, cùm communi consilio *Presbyterij* regerentur: post verò, vt diuisionibus, quæ interueniebant, obuiam iretur, Monarchicum regimen introductum, inspectionis eminentiâ ad *Episcopum* delatâ; cui omnes Ecclesiæ ordines parebant, nullius mentem cogitatione subeunte de se huic regimini subducendo. Episcopis quidem vicinis, quorum Ecclesiæ in eadem erant prouincia, cum mutuum esset commercium, ipsi in commune Synodis regebantur: atque quò facilior esset regiminis ratio, quod in prouincijs singulis *Metropoli* multum tribueretur, illi Episcopo, qui eius corporis esset veluti caput, plurimum deferebant. Dein propter ampliorem communionem, quæ inter omnes prouincias vnius Præfecturæ intercesserat, illius *Ciuitatis Episcopus, in qua Præfectus residebat*, consuetudine supereminentiam quandam obtinuit. Eiusmodi Præfecturæ erant, *Romæ* ciuitatis Imperialis, cum ciuitatibus suburbicarijs: *Alexandriæ* Præfectura, quæ regebat *Egyptum*, *Lybiam* & *Pentapolim*: & *Antiochiæ*, quæ complectebatur *Syriam*, aliasque Orientis prouincias. Idem quoque seruatum in alijs minoribus Præfecturis, quas *Eparchias* Græcè vocant. Hoc regiminis genus à sola consuetudine introductum, approbatumque, quia vtile reperiebatur, à primo Concilio Niceno sub *Constantino* fuit stabilitum, atque vt continuaretur, Canone sancitum. Et verò ea tempestate tam longè aberat quisque à se huic sanctioni eximendo, vt, cùm *Episcopus Hierosolymitanus* plerisque honorificis prærogatiuis gauderet, forte, quòd in eo loco *Christus* in carne versatus esset, religioque ortum habuisset, Concilium Nicenum decreuit, vt eæ honoris prærogatiuæ obtinerent; ita tamen, vt de superiori iure *Metropolitani*, qui *Episcopus* erat *Cæsareæ*, nihil decederet. Hæc administrationis forma in Ecclesijs Orientalibus semper obseruata, hac occasione in Ecclesia Latina mutationem passa est; quòd multis & sumptuosis Monasterijs fabricatis, eorumque curâ Abbatibus, excellenti fama, doctrináque viris commissâ, quorum illustres virtutes Episcoporum nomini caliginem offundebant; ortáque inter vtrosque ob eam causam æmulatione, Abbates vt se his incommodis siue veris, siue fictis liberarent, simulque ambitionem subtrahendi se à subiectione debita occultarent, à Pontificibus Romanis impetrarunt, vt in tutelam *D. Petri* admitterentur, & sub scuto authoritatis Pontificiæ immediatè delitescerent. Id autem cùm Curiæ Romanæ commodo cessisset, quippe, quòd qui priuilegia obtinent, ad eadem conseruanda concedentis authoritatem tueri tenentur, extemplo *Monasterijs* omnibus datæ exemptiones. Cathedralium etiam Ecclesiarum *Capitula*, quæ maximam partem erant regularia, ijsdem obtentibus impetrarunt immunitatem. Congregationes demum integræ *Cluniacensis*, & *Cisterciensis* pari exemptione donantur, magno authoritatis Pontificiæ incremento, dum Pontifices vbique locorum sibi comparant clientes, & subditos peculiariter addictos, solius Papatus tutela ac protectione subnixos, ijsque vicissim sese præbent patronos ac defensores. Hoc quidem constat, *D. Bernardo*, qui tum temporis floruit, & *Cisterciensis* ipse Ordinis erat, inuentionem eam minimè probatam, immo ab eo monitum *Eugenium III.* Pontificem Romanum, abusus esse & corruptelas, remque malè se habere, cum Abbas Episcopo subijci, aut Episcopus Metro-

De prisco Ecclesiæ regimine differtatio. Presbyteria.

Episcopi.

Metropolitæ.

Patriarchæ.

In Ecclesia veteri nullus exemptionibus locus.

Earundem Abbatibus & Monasterijs primitus concedendarum causæ.

Tum Capitulis & Congregationibus.

Metropolitano recusat. Ecclesiæ militanti exemplum à triumphante petendum. nullum autem Angelum vnquam dixisse, se velle Archangeli imperium detrectare. At si post æuo vixisset *Bernardus*, quanto plura, acriusque dixisset? Etenim ex eo tempore Ordines mendicantium longiùs prouecti, non omnimodam solùm ab authoritate Episcopali, vbicumque locorum essent, exemptionem sibi procurarunt, sed facultatem etiam Ecclesias quocumque in loco fabricandi, & Sacramenta inibi ministrandi. Vltimis denique sæculis eo ventum, vt Sacerdos quisque priuatus modicâ pecuniâ licitari possit exemptionem ab Episcopi superioris sui imperio: non modò vt ab omni castigatione correctioneque sit immunis, sed vt possit quoque à quo velit ordinari, neque vlla ratione Episcopum recognoscere teneatur.

Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus. 1.

Tandem priuato cuique sacerdoti.

Cum hoc rerum statu Episcopi malo huic indies inualescenti alleuamentum quærerent, ex ijs nonnulli paulo acriores ad ea recurrunt quæ Consessu proximè superiori in congregationibus contra fratrum immunitates dicta fuerant: at prudentiores quique id frustra tentari cernentes, Ordinum Regularium numero, & amplitudine, & Curiæ Romanæ fauore fratrum causæ suffragantibus, hoc solo contenti erant, idque vnum postulabant, vt Capitulorum, & priuatorum hominum exemptiones omnes reuocarentur. Et Legati quidem considerantes vniuersam super hac materia reformationem ea Sessione ordinari non posse, sed aliquid tentandum, & partem aliquam futuris temporibus relinquendam, illis satisfactum iri putabant, si Sacerdotum priuatorum in causis criminalibus, fratrum extra claustra sua habitantium, & capitulorum exemptiones, quippe ex quibus maxima manant detrimenta, & facultates concedendi ordines Clericales ijs, qui in propria diœcesi non resident, tollerentur; simulque promitterent, alia Sessione cæteris corruptelis iri prouisum.

Legati Episcopis concedunt, vt nonnullæ exemptiones tollantur.

Dum hæc *Tridenti* geruntur, Papa à Cardinali *Farnesio* certior factus, & secum ipse reputans, quantum existimationi suæ decederet, *Legato* Apostolico *Ratisbonæ* commorante, dum ipsius copiæ in castris essent, eum reuocauit. Cum eo ex castris proficiscuntur Italorum aliquot cohortes, quæ Pontifici militabant. Sub medium Octobrem duo hostiles exercitus prope *Sonthæmum* vicum ita propinqui erant, vt vtrumque medius tantum modò amnis dirimeret. Tunc *Octauius Farnesius* à *Cæsare* cum Italorum cohortibus missus, adiuncto Germanorum peditatu, *Donauerdam* capit, inspectante exercitu hostili. Is verò, cùm nullum magnum operæpretium fecisset, quamdiu in *Sueuia* fuerat, nisi quòd *Cæsarem* distinuerat, mense Nouembri cogitur inde discedere, atque Bohemis, alijsque Cæsarianarum partium, inuadentibus *Saxoniam*, & *Hassiam*, quæ ditiones erant Ducum exercitus Protestantum, ad earum defensionem sese recipere, relicta *Cæsaris* arbitratui *Germania* superiori. Quæ fuit caussa, vt nonnulli Principes, & è ciuitatibus confœderatis pleræque ad reconciliationem cum *Cæsare* inclinarint, postquam ipsis de religione rectè cauisset. Noluit tamen cautionem eam scripto reconciliationis inseri: ne bellum ea de causa susceptum appareret. Id enim & Protestantes, qui illius castra sequebantur, grauiter offendisset, & reliquos à deditione alieniores reddidisset, & Ecclesiasticos per *Germaniam*, qui iam nunc Romanos ritus vbique restitutum iri sperabant, sinistris suspicionibus implesset. Ministri certe *Cæsaris* ipsius nomine persuasum volebant omnibus, nullam ipsos in religionis exercitio molestiam passuros, excusantes illum, quòd multis nominibus conditionem eam pacificationis articulis disertè non complexus esset. & verò ipse *Cæsar* actionibus suis satis manifestarat, esse sibi propositum in re religionis conniuentiâ ipsis satisfacere. Porro tormentorum, quæ deditionibus his consecutus est *Cæsar*, ingens erat numerus, & grandis pecuniæ summa, quam à ciuitatibus deditis mulctæ nomine collegit, ad multa centena aureorum millia: sed illud rei caput est, quod hoc bello *Germaniæ* superioris plenum absolutumq; dominium nactus.

Card. Farnesius cum aliquot Italorum cohortibus domum redit.

Saxo & Lantgrauius, se ad sua à Cæsareanis tuenda recipiunt.

Cæsar Protestantibus recõciliatis verbo cauet de religione non mutanda: at scripto mentionem fieri non sinit.

Fœlix hic rerum *Cæsaris* successus in *Pontifice* æmulationem excitauit, & studium promouendi res suas, prius quam ille vniuersam sibi subijceret *Germaniam*. Eius copiæ tam abitione eorum, qui cum Cardinali *Farnesio* domum redierant, quam aliorum, qui comitatus inopiam, ex assiduis imbribus luem, aliaque belli incommo-

Pontifex successum Cæsaris æmulus copias suas in Italiam reuocat.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

da vitantes è castris profugerant, admodum erant attenuatæ. Earum reliquiæ, sub medium Decembrem, cum exercitus *Cæsaris* non longe ab *Sonthamo* antedicto abesset, mandatu Pontificis, in *Italiam* reuerterunt. Ille enim *Octauio* Nepoti suo præceperat, vt cum suis reditum maturaret, simulque *Cæsari* socero significaret, se exacto iam semestri spatio tantis sumptibus non posse sufficere. tempus illud quo militem ad bellum conducere tenebatur, nunc prætérijsse; effectum id, cuius gratia confœderatio fuerat concepta, reductosque ad obedientiam Germanos. *Cæsar* verò grauiter questus est, deseri se à Pontifice in ipso rei bene gerendæ articulo, cum auxilio maximè indigeret. rem factam se non habere, nisi hostium ductoribus oppressis, qui victi nondum essent, sed ad ditiones suas propugnandas sese subduxissent; vt periculo hoc propulsato, maiori & alaeritate, & copiarum numero bellum instaurarent: quod sibi erat metuendum. Verùm Pontifex & fœdus non continuatum, & suorum discessum his nominibus excusabat; quòd *Cæsar* transactiones cum ciuitatibus liberis & Principibus factas, quas nisi se conscio perficere non poterat, cum ipso non participasset; quòd in præiudicium Catholicæ fidei multa permisisset, etiam hæresim, quam penes eum erat profligare; quòd nullam prædæ partem, aut pecuniæ ab ciuitatibus deditis corrogatæ sibi impertijsset, sicut conuenerat fœderis pactionibus; quòd denique *Imperator* de eo querimoniam haberet, qui læsus spretusque esset, cum ipsius etiam religionis detrimento. Neque his contentus, negauit posse vltrà *Cæsarem* sex mensibus exactis, ex Ecclesiæ bonis per Hispaniam partem aliquam sibi sumere: ministris *Cæsaris* illum, & argumentorum, & officiorum potentum opera nequicquam interpellantibus; atque causa belli manente, belli sumptus quoque continuandos, oleumque & operam iam positam perdi, nisi neruorum belli ope res ad finem optatum perducatur, frustra ei in aures ingerentibus.

Cæsarem id male habet in rei bene gerendæ momento deseri.

Pontifex nihil à se iniuria factum tuetur.

Atque hoc tempore cum *Genuæ* familia *Fliscana* in familiæ *Auriensis*, quæ *Cæsaris* partibus studebat, internecionem conspirasset, & Aurianorum res, nisi fortuna conatum audacissimum fefellisset, in extremo discrimine versarentur, *Cæsar* persuasissimum habuit *Aloisium Placentinæ* Ducem, Papæ filium, consilij huius patre instigante fuisse authorem, atque hanc ab eo iniuriam cæteris adnumerandam. Pontifex quidem sibi persuadebat bellum Germaniæ occupaturum tanto tempore Imperatorem; vt ab armis eius sibi metuendum non crederet; id modò timebat, ne Protestantibus, vt Concilio se sisterent, adductis, negotium illi facesseret. De dissoluendo Concilio cogitatio, videbatur ei remedium nimis violentum & offensionis plenum: maximè, quod quid septem mensibus egissent, nondum publicè notum fecerant. Satius visum, ea quæ digesta essent, emittere in publicum. Ea enim declaratione Protestantes aut recusaturos ad Concilium proficisci, aut cogendos huic se submittere: quorum vtrumuis, quòd in hoc cardine controuersiæ omnes verterentur, certam ipsi spondebat victoriam. Quòd si alia nulla ratione ad id impelleretur, hanc satis validam arbitrabatur, quòd Imperator adeo instaret, vt à decidendis controuersijs Synodus abstineret, id sibi vtile ratus, quod ille auersabatur; contrarijsque vijs incedendum ijs, quibus fines essent diuersissimi. præuidebat id se magna cum *Cæsaris* offensione facturum, sed ad eam, qui inter ipsos esset animorum alienationem parum posse accedere. Pontificique erat solemne, quoties rationum momentis, quæ suadebant aliquid & dissuadebant, vtrimque premebatur, vulgatum verbum Florentinum vsurpare, *quod factum, transactum*: atque ilico quod maxime necessarium esset, id effectum reddere.

Coniurationis Fliscanæ in Aurianos Genuæ detectæ Cæsar Pontificem cõscium suspicatur.

Pontifex de Concilio alia ex alijs animo voluẽs, se respicit, Cæsarem negligit.

Ital. cosa fatta capo ha. Gall. de chose faite le conseil est pris.

Itaque in festo Natalitiorum Christi scripsit ad Legatos, vt Consessum indicerent, & Decreta iam concinnata euulgarent. Cui illi mandato audientes die III. Ianuarij congregationem habent, in qua vbi statuissent, sessionem in diem decimum tertium indicendam, magno omnium applausu & consensione, qui tam diutinum otiosi temporis tædium molestissimè ferebant, Legati Decreta iam formata publicanda esse proponunt. Hic statim Præsules Cæsarei interpellant de Decretis fidei, & tempus causantur nondum esse opportunum; sufficere, si reformationis publicatio procedat. At Pontificij in contrarium allegant, satis notum esse omnibus totis septem mensibus

1547 In congregatione statuitur de Sessione mox habenda, in qua, ne de fide Decretum euulgetur Cæsarei vrgent, sed frustra.

bus materiam gratiæ & iustificationis assiduo ventilatam, & decretum etiam stabilitum. fidei detrimento futurum, si existiment homines, iniectam Patribus formidinem publicandi eam veritatem, quæ jam esset determinata. Et quòd hi numero vincerent, vicit quoque ipsorum sententia, opitulante ijs Legatorum authoritate. Proximæ duæ congregationes transactæ in relegendis tam fidei, quàm reformationis Decretis, quæ, reculis quibusdam leuibus, ad eorum mentem, qui prius ea non audiuerant, immutatis, statim omnibus placuerunt. More igitur solito Legati cum Præsulibus ad templum die Iouis XIII. Ianuarij profecti Consessum habuerunt, in quò sacrum peragente *Andrea Cornaro, Archiepiscopo Spalatensi*, & concionem habente *Thoma Stella Episcopo Salpensi* lecta fuere fidei & reformationis decreta.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

SESSIO VI.

Decretum de Iustificatione.

Decretum prius XVI. capitibus, cum proœmijs suis constabat, & anathematis XXXIII. quorum hæc summa. Vbi Synodus vetuisset credere, prædicare, aut docere aliter quam in hoc decreto statutum explicatumque esset, declarat;

I. Neque Gentes per vim naturæ, neque Iudæos per ipsam etiam literam Legis Moysi, potuisse liberari à peccato.

II. Inde factum, vt Deus Filium ad homines miserit, ad vtrosque redimendos.

III. Qui quidem etsi pro omnibus mortuus est, mortis tamen eius beneficium ij duntaxat percipiunt, quibus meritum paßionis eius communicatur.

IV. Iustificationem impij non esse aliud, quam translationem à statu filiorum Adæ, in statum adoptionis filiorum Dei per Iesum Christum. quæ quidem translatio, post Euangelium promulgatum, sine baptismo, aut sine eius voto fieri non potest.

V. Iustificationis exordium in adultis à Dei gratia præueniente proficisci, quæ excitat eos, vt se disponant ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando; quod libera sua voluntate faciunt, quippe, qui & illam possunt repudiare.

VI. Modum præparationis ad iustificationem esse, libere credere vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt: peccatores se, agnoscere à timore iustitiæ diuinæ, conuertendo se ad Dei misericordiam, cum spe Deum sibi propter Christum fore propitium: eoque nomine incipere Deum diligere, & peccata detestari: denique proponere suscipere Baptismum, inchoare nouam vitam, & diuina mandata seruare.

VII. Præparationem istam, iustificationem ipsam consequi: quæ non est sola peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio. Huius quinque esse causas; finalem, gloriam Dei, & vitam æternam: efficientem, Deum misericordem: meritoriam, Iesum Christum: instrumentalem, Baptismi sacramentum: denique formalem, iustitiam, qua donamur à Deo, recipientes eam singuli, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus cuique partitur, & secundum propriam cuiusque recipientis dispositionem, in ipsa iustificatione vnà cum remissione peccatorum, fidem spem, & charitatem accipientes.

VIII. Quod D. Paulus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, id eo sensu accipiendum, quia fides est humanæ salutis initium; tum quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.

IX. Nemini peccata dimitti, fiduciam, & certitudinem remißionis peccatorum iactanti, & in ea sola quiescenti. Neque illud asserendum, eam solam fidem iustificare; imo pium quemlibet, sicut de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare non debet: ita dum se suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua salute dubitare posse, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

X. Iustificatos per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia crescere, atque magis iustificari.

XI. Neminem iure posse dicere, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Licet enim iustus, in hac mortali vita in peccata venialia cadat, non propterea desinit esse iustus. Neminem item debere sibi in sola fide blandiri, aut asserere, iustum in omni bono opere peccare; aut peccare, si in operando, mercedem, vt finem intuetur.

XII. Nemini adeo præsumendum, vt certò statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quòd iustificatus aut amplius peccare non poßit, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam debeat promittere.

XIII. Neminem similiter sibi certi aliquid certitudine absoluta de perseuerantia in finem

vsque

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

vsque polliceri posse, sed in Dei auxilio spem collocandam; qui opus coeptum perficiet, nisi homines illius gratiæ defuerint.

XIIII. Qui ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, amissam gratiam posse recuperare, si excitante Deo per Sacramentum poenitentiæ id procurent. Eam vero post lapsum poenitentiam, à baptismali longe aliam esse, qua scilicet non modo contritio contineatur, sed Sacramentalis quoque confessio, & absolutio Sacerdotalis, saltem in voto, item satisfactio per ieiunia, eleemosynas & eiusmodi pro poena temporali, quæ non tota semper, vti fit in Baptismo, dimittitur.

XV. Gratiam diuinam non modo infidelitate amitti, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis eo fides non amittatur.

XVI. Proponendum hominibus iustificatis bonorum operum exercitium, quo vita æterna comparatur, & tamquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Qua doctrina propriam nostram iustitiam non stabiliri, repudiata Dei iustitia, sed eandem Dei & nostram dici; nostram quia in nobis hæreat; Dei, quia à Deo per Christi meritum nobis infunditur.

Canones de Iustificatione.

Proposita in hunc modum Synodi de Iustificatione doctrina, quam omnes tenere & sequi debeant, vt constet etiam quid fugiendum sit omnibus, placuit Synodo Canones subiungere anathematis munitos, contra eos qui teneant & dicant.

I. Hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia iustificari posse coram Deo.

II. Gratiam diuinam ad hoc solum datam, vt facilius homo iuste viuere, & vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia vtrumque, sed ægrè & difficulter possit.

III. Hominem sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione & adiutorio, credere, diligere, sperare, & poenitere posse, sicut oportet.

IV. Liberum hominis arbitrium à Deo excitatum non cooperari vt se disponat ad obtinendam iustificationis gratiam, neque posse dissentire, si velit.

V. Liberum hominis arbitrium post Adami peccatum amissum esse & extinctum.

VI. Non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè, & per se.

VII. Omnia opera, quæ ante iustificationem fiunt, verè esse peccata, tantoque grauius hominem peccare, quo vehementius nititur disponere se ad gratiam.

VIII. Metum gehennæ, per quem à peccato abstinemus, aut ad misericordiam Dei confugimus, peccatum esse.

IX. Impium sola fide iustificari, neque vllo voluntatis suæ motu disponi & præparari.

X. Homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse.

XI. Homines iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate inhærente; aut vero gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei.

XII. Fidem iustificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam diuiniæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum.

XIII. Homini ad remissionem peccatorum necessarium esse, vt certò & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis credat, peccatæ sibi esse remissa.

XIV. Hominem à peccatis absolui ac iustificari, ex eo quod se absolutum ac iustificatum firmiter credat.

XV. Hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum.

XVI. Si quis dixerit se esse certum de dono perseuerantiæ, nisi hoc speciali reuelatione didicerit.

XVII. Iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere.

XVIII. Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia.

XVIV. Nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem.

XX. Homi-

XX. Hominem iustificatum & perfectum non teneri ad obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum. Item Euangelium, nudam tantum esse promissionem, sine conditione obseruationis mandatorum.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

XXI. Christum à Deo hominibus datum, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant.

XXII. Iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia posse perseuerare, vel cum eo non posse.

XXIII. Iustificatum amplius peccare non posse; aut verò peccata omnia, etiam venialia, in tota vita posse vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio; quemadmodum de Beata virgine tenet Ecclesia.

XXIIII. Iustitiam non conseruari aut augeri coram Deo per bona opera, sed opera esse fructus solummodo & signa iustificationis adeptæ.

XXV. Iustum in quolibet bono opere mortaliter, aut saltem venialiter peccare.

XXVI. Iustos non debere pro bonis operibus retributionem sperare.

XXVII. Nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis.

XXVIII. Amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti: aut fidem quæ remanet, non esse veram, aut verè Christiani.

XXIX. Eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare, sine sacramento pœnitentiæ.

XXX. Cuilibet peccatori pœnitenti culpam & pœnam penitus remitti, sic vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsoluendæ, vel in hac vita, vel in Purgatorio.

XXXI. Iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.

XXXII. Hominis iustificati bona opera, Dei dona tantum esse, non etiam iustificati ipsius merita.

XXXIII. Per hanc Synodi de iustificatione doctrinam, Dei gloriæ & Christi meritis derogari, ac non potius ipsorum gloriam illustrari.

Postquam hanc Decreti narrationem in compendium redegi, subijt animum meum cogitatio me actum agere, quando omnia huius Concilij Decreta vno volumine edita in omnium manibus versarentur; ad quæ in actionum sequentium textura facile esset remittere Lectorem. Verùm cùm in his paginis expungendis totus essem, cum animo meo reputaui, multo gratius futurum librum legenti, continuatam rerum seriem vno veluti obtutu aspicere. Itaque ei, qui ad fontem velit recurrere, breuiarium hoc meum negligendum ratus, decreui omnino non mutare, sed & ea quæ sequuntur eodem stylo prosequi. Neque enim, sine acerrimo doloris morsu, video *Xenophontem* aut *Tacitum* narrationem quarundam rerum ipsorum temporibus notissimarum prætermittere, ad quarum perfectam cognitionem nulla hoc æuo via nobis patet: atque inde mihimet persuadeo, lectorem ab vno libro ad alium nunquam esse remittendum. Quamobrem deinde est pergendum ad summam Decreti de reformatione.

Cur Synodi Decreta etsi volumine seorsim edita, summatim hic recitentur.

Eius in summa hæc capita. *I. Sacrosanctam Synodum deprauatos in Clero & populo Christiano mores emendare volentem censere, initium ab ijs esse sumendum qui maioribus Ecclesiis præsunt. Confidentem itaque in Deo, Deique in terris Vicarij solertia, futurum, vt Ecclesiarum regimen viris maximè dignis, atque in Ecclesiastica disciplina à pueritia exercitatis laudabiliter deferatur, Ecclesiis præpositos monere, vt officij partes diligenter impleant. quod quidem cum nequeant præstare, nisi gregis sibi commissi custodiæ sedulo incumbentes, plerosque nihilominus reperiri, qui ouili derelicto, atque ouium sibi commissarum cura neglecta, in diuersis curijs vagantur, negotiorum secularium solicitudine irretiti. Synodum igitur antiquos Canones aduersus non residentes olim promulgatos innouare, ac vlterius sancire: si quis Præfectus Ecclesiæ Cathedralis sibi titulo quocunque aut iure commissa, quacumque ille dignitate præfulgeat, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, absque iusto & legitimo impedimento, quartæ partis fructuum vnius anni amisionem incurrere. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerit, aliam quartam partem similiter amittere. Crescente verò contumacia, Metropolitanum, sub pœna ingressus in Ecclesiam interdicti eo ipso incurrendæ, infra tres menses Romano Pontifici denunciare teneri. qui, pro suprema sua Sedis authoritate, in absentes acerbiùs animaduertere, aut Ecclesiæ*

Decretum de reformatione, cuius capita V

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

clesiæ pastores magis idoneos prouidere posit. Quòd si Metropolitanus in grege sibi credito deserendo pariter offenderit, eum absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens denunciare teneatur.

II. Cæteros verò Episcopis inferiores, qui ad personalem residentiam de iure, siue consuetudine tenentur, ab Episcopis ad residendum cogendos; priuilegijs omnibus antiquatis, quæ in perpetuum à residendo eximant. dispensationibus verò ad tempus concessis, & vera ac rationabili causa coram ordinario legitimè probanda nixis, in suo robore permanentibus. Quo casu, Episcopo, tanquam in hac parte a Sede Apostolica delegato onus incumbit, vt per idonei Vicarij deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem cura animarum habeatur, priuilegio, aut exemptione quauis non obstante.

III. Nullum clericum sæcularem priuilegio personali, vel Regularem extra monasterium degentem, sui Ordinis priuilegio eximendum; quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam sedis Apostolicæ delegato, secundum Canonum sanctiones puniatur, visitetur & corrigatur.

IIII. Similiter, Ecclesiarum Cathedralium capitula, & aliarum Collegiatarum, nullis exemptionibus, consuetudinibus, iuramentis aut pactis, quo minus à suis Episcopis, & alijs maioribus Prælatis, quoties opus fuerit, visitentur & corrigantur, posse liberari.

V. Nulli Episcopo licere cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarij loci licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Sessio proxime futura in diem tertium mensis *Martij* indicitur.

De Sessionis huius decretis Curialiũ Romæ, tam habitiorum quàm tenuiorum existimatio.

Decretum fidei *Romam* perlatũ nullam fere obtulit sermonibus materiã, quod nouũ non esset, sed, vt ante est dictum, ibi & visum, & publicè examinatum. Dein omnibus satis compertum erat, & probatum, Lutheranorum opiniones in vniuersum damnandas. Verùm Episcopi in aulæ comitatu assidui, quos articulus de residentia Pastorum, quandiu tractabatur, admodum solicitos habuerat, emisso Decreto animos receperant, pro certo habentes Decretum hoc Synodi, maiores effectus, quàm olim Decretalia Pontificum, nunquam producturum. Aulicos verò tenuiores ordinis Ecclesiastici id pessimè habebat, quòd penes Episcopos esset ipsorum constringendorum potestas. miseriam suam deplorabant, quibus ad vitam sustinendam perpetuum seruitium erat impositum, & post tot labores exhaustos non aliud præmium expectandum, quàm relegatio in viculum aliquem ignobilem, aut cum vili Canonicatu Episcoporum seruitus, altera multo durior & abiectior. ab his enim perpetuo obsequio alligandos, ac si palo essent affixi: etiam visitationum & emendationum colore quæsito, aut miserrima seruitute premendos, aut perpetuis sumptibus fatigandos.

Germanorum de eisdem iudicium.

Vbi verò ad alias regiones, maximè ad *Germaniam* Decreta peruenerunt, prius illud fidei, longe maiorem loquendi dedit occasionem, quod magna attentione legendum erat, & relegendum, & animo diligenter peruolutandum, vt intelligi posset. Id autem non facile erat assequi sine perfecta cognitione interiorum animi motuum; &, in quibus sit actiuus, in quibus passiuus. quæ quidem quia subtilissima sunt, & varijs sese produnt speciebus, visa sunt idonea, quæ scholarum disputationibus exagitentur; quippe super hoc cardine vniuersâ Concilij doctrinâ vertente, An videlicet, primum obiectum voluntatis operetur in voluntate, an voluntas in obiecto, an verò vterque motus sit actiuus & passiuus? A nonnullis facetè dictum, si Astrologi motuum cœlestium veras causas nescientes, ad similitudinem veri conseruandam, orbes *excentricos* & *Epicyclos* excogitarunt, mirum non esse, si ad conseruanda vestigia motuum supracœlestium, in opinionum *excentricitatem* inciderint. Grammatici vix continebant admirationem, imo risum, in artificioso contextu huius propositionis V. capite. *Neque homo ipse nihil omnino agat*, quam parum intelligibilem dicebant, & alijs dissimilem. Nam si Synodus hoc dicere volebat, *Etiam homo ipse aliquid agat*, perspicuè id dici potuisse, sicuti par est in materia fidei, vbi simplicissima sensorum animi expressio longe optima est: sin autem elegantiam adhibere cuperent, sic exprimere potuisse, *Etiam homo ipse non nihil agat*. Sed interposita voce *omnino*, orationem esse incongruam & sensus expertem, quemadmodum alias omnes orationes constantes duabus negationibus, quæ in affirmatiuam resolui nequeunt. Nam si quis

Taxatur locus cap. V. de dispositione hominis ipsius ad iustificationem.

quis velit eam resoluere, dicendum habeat, *Etiam homo ipse aliquid omnino agat.* quod incongruum est, cum intelligi vix possit, quid significet *aliquid omnino* in hoc proposito; nisi dicat hominem habere actionem certo quodam modo, quæ alijs modis actio non sit.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Et cùm non deessent, qui Patres excusatum irent, dicerentque, in verbis, & loquendi formula non ita omnia ad viuum esse resecanda; quòd id cauillandi studium proderet, Respondebant, formulis loquendi vsu receptis benignam interpretationem tribuendam. Vbi verò perspicuo vsitatoque sensu relicto ad nouas & ineptas interpretationes itur, quæ contradictionem includunt, cauillis viam struunt, & vtrimque homines in errorem abducunt, publicæ vtilitatis rationem deposcere, vt fraus detegatur.

At qui Theologiæ periti & intelligentes, doctrinam eam, *posse hominem inspirationes diuinas semper reijcere*, dicebant pugnare cum publica & antiqua Ecclesiæ precatione: *Et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Quam orationem pro desiderio vano ac futili habere non conuenit, sed, vt loquitur *D. Iacobus*, tanquam ex fide factam, atque à Deo erga electos suos misericordi exauditam. Neque amplius dicendum cum *D. Paulo* ab homine non proficisci, *quod vasa iræ à vasis Diuinæ misericordiæ separat*, cùm quod separat, sit humanum illud, *Non nihil omnino.* Plerique etiam locum illum cap. VII. excutiebant, vbi dicitur, *vnicuique dari iustitiæ mensuram, secundum Dei beneplacitum, & propriam cuiusque recipientis dispositionem*: cum horum vtrumque verum esse nequeat. Nam si Deo visum vberiori mensura largiri ei qui minus rectè disponatur, non tum dabit pro mensura dispositionis in recipiente: aut si pro ea mensura gratiam donat, habet Deus semper causam forinsecus impellentem ad operandum, neque vnquam beneplacito suo vtitur. Mirabantur quoque nonnulli, quod damnassent eos, qui dicerent, fieri non posse vt homines præcepta Dei obseruent, cum in decreto secundæ Sessionis, Synodus *fideles Tridenti congregatos hortetur, pœnitentiam agentes, delicta confitentes, & Eucharistiæ Sacramentum sumentes, præcepta Dominica adimplere, quantum quisque poterit.* Quæ quidem modi adiectio foret impia, si iustificatus posset ea absolutè seruare. obseruabantque ad omnem cauilli ansam effugiendam ipsam vocem *præcepta* additam.

Et alius eodem cap.

Item locus cap. VII.

In *Ecclesiastica historia* multum versati affirmabant in omnibus Concilijs ab Apostolorum temporibus ad hoc vsque sæculum in Ecclesia congregatis, si in vnum omnia conferantur, tot articulos haudquaquam definitos, quot in vnica hac Sessione Patres decidissent. quorum bonam partem deberi *Aristoteli*, causarum genera exactiùs distinguenti, absque quo fuisset, multos fidei articulos Ecclesia desiderasset.

Concilij decretis plura quam olim definiuntur, ac magis è Theologia Peripatetica.

Etiam *Politici*, quorum non est in res religionis nimiùm inquirere, sed præeuntes sequi, in hoc Decreto nonnihil desiderabant. Nam cum cap. decimo præcipiatur obseruatio mandatorum Dei & Ecclesiæ, idemque canone vicesimo repetatur, offendiculo ipsis erat, quod de obseruandis Principum ac Magistratuum edictis obligatio nulla adderetur: sacrâ scripturâ obedientiam his debitam in primis inculcante, nec veteri tantum Lege, sed in nouo quoque Testamento Christo saluatore, *D. Petro* item, & *D. Paulo*, multis verbis & disertis, eam omnibus commendante. Vt Ecclesia audiatur expressè præcipi: vt ei pareatur, non adeo apertè. his enim obediri, qui de suo imperant; hos audiri, qui alienum mandatum promulgant. Neque satis his faciebat, quod obtendebatur, obedientiam Principum includi præceptis de obedientia Dei, quòd Deus ipse præceperit superioribus esse parendum. Respondebant enim eadem ratione mentionem Ecclesiæ fuisse omittendam. atqui hanc fuisse expressam, illam silentio prætermissam. forte quòd Ecclesiasticis iamdudum propositum sit, perniciosam eam opinionem in hominum mentibus alere, obedientiam ipsis deberi propter conscientiam; Principibus autem & magistratibus solùm ad temporales pœnas euitandas, cum de cætero eorum mandata transgredi liceat. quâ viâ facile sit omne regimen politicum in odium adducere, & quasi tyrannidem repræsentet, subuertere: subiectionem verò Sacerdotibus, tanquam viam vnicam & principalem subuolandi in cœlum omnibus ingerendo, omnem in se Iurisdictionem primùm, ac tandem Imperium deriuare.

Quid in huius Sessionis decretis Politici desiderent.

R De

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 8.
Franciscus 1.

Decretum reformationis etiam reprehenditur.

De Decreto reformationis vulgo iactabatur, eo hominibus illudi & fucum fieri. Per Deum enim & Pontificem, confidere futurum, vt viri digni ad Ecclesiæ gubernaculum admoueantur, opus esse magis illius, qui supplicationem instituat, quam qui reformationem. Vno solo verbo, eoque admodum generali antiquos Canones aduersus non residentes renouare, non aliud esse, quàm inueteratam residendi desuetudinem magis magisque corroborare. Qui Canones restituere seriò cogitet, huic tollendas esse causas, quibus in desuetudinem abierunt; pœnarum denunciatione vigorem ijs reddendum; tum designandos qui eas infligant: aliaque prouidenda, quibus leges & sanciuntur, & conseruantur. Hac Patrum solertiâ non aliud effectum, nisi vt dimidia parte fructuum amissa, aliquis totum annum possit abesse: immo verò edoctos homines, quomodo vndecim menses aut supra sine mulcta aliqua abesse possint, triginta aut paucioribus diebus in medio anni interiectis, quibus adesse teneantur. Denique decretum ipsum euersum addita exceptione iusti & legitimi impedimenti, quod qui comminisci nesciat, simplex admodum sit, præsertim iudices nactus, qui animum nunquam inducant residendi consuetudinem restituere.

Locus hic monet, peculiarem quendam euentum meminisse, qui quòd eo tempore cœptus, etsi non nisi post quatuor menses ad exitum perductus, ad Sessionem istam spectat, singulisque repræsentat, cuiusmodi tum fuerit Concilium Tridentinum, & quam de eo opinionem conceperant, ij ipsi, qui actioni interfuerunt. Atque vt res melius intelligatur, repetendum illud mihi est. *F. Dominicum Soto*, non semel supra memoratum (cuius, in formando de peccato originis & iustificatione Decreto, præcipuæ erant partes) omnium opinionibus & sententiarum rationibus, quæ in discutiendis ijs capitibus allatæ fuerant, diligenter notatis, in publicum eas dare decreuisse; necnon verbis Decreti ad suum sensum pertractis, opus omnia complectens in lucem emisisse, cum inscriptione *De Natura & Gratia:* eumque librum Synodo dicasse, quod esset (vti ipse in Epistola dedicatoria testatur) iustus duorum Decretorum ante commemoratorum commentarius. Hoc in opere, vbi articulus de certitudine gratiæ excutitur, affirmat *Soto* multis verbis Synodum declarasse, *hominem non posse scire certitudine fidei, quæ dubitationem omnem excludat, se habere gratiam.* At *Catarinus* recens factus Episcopus Minorensis, qui contrariam opinionem propugnauerat, eamque mordicus adhuc tenebat, libellum edidit cum Epistola dedicatoria Synodo quoque inscriptum, cuius scopus erat ostendere, Concilio nunquam propositum eorum opinionem damnare, qui assererent, Iustificatum posse credere, se habere gratiam tam certò, quàm ille certos habet articulos fidei. immo Concilium decreuisse illud esse credendum, quando Canone XXVI. damnat eos, qui dicunt, *Iustum non debere sperare & expectare retributionem*, cum necesse sit, eum, qui sperare debeat, tanquam iustus, non nescire se esse iustum. In hac opinionum repugnantia non solùm vterque ad Concilium scribens, asseuerabat sententiam suam esse Synodi mentem, sed paulo post super eodem argumento Apologias & Antapologias scripsere, criminantes inuicem cum Synodo affingi sensum, quem nunquam somniasset, adductis etiam vtrimque opinioni suæ firmandæ Patrum, qui vnà interfuerunt, testimonijs. Et verò Patrum nonnullis in huius, alijs in illius fauorem testificantibus, in duas prope partes Synodus scindebatur; nisi quòd quidam boni Præsules, neutris addicti dicebant se controuersiam non satis intellexisse, assensum tamen Decreto eâ formâ, qua fuit promulgatum, commodasse, quòd inter partes conuenisse videretur. Legatus *S. Crucis* pro *Catarino* testimonium dicebat. *Montanus* inter tertios erat. Atque hic euentus omnibus spem adimit assequendi Concilij mentem, quando eo tempore, inter ipsos qui aderant, & primas in ea actione obtinuerant, de Concilij mente non conueniebat. Neque in procliui est reperire Synodum illam, quæ articulum definiuit, & ad quam *Soto* & *Catarinus* scripserunt, & prouocarunt; vtroque sibi esse fauorabilem existimante. vnde in ea dignoscenda necesse est horum alterum, aut vtrumque decipi. Quòd si talibus viris id acciderit, qua erunt cæteri conditione? Dixerit forsitan aliquis, *Spiritum S.* non vni, sed vniuerso Patrum cœtui, adsistentem eos ad veritatem eam definiendam impellere,

Soto & Catarinus commẽtarijs in hæc decreta editis & Synodo dicatis, eam pugnantia statuere ex sua mente volunt.

Suos vterque Patres habet fautores.

pellere, quam ipsi non intelligant, ad eundem modum, quo *Caiphas Pontifex* quod ipse non capiebat, fatidico spiritu est effatus; quod Episcopus *Bitontinus*, pro concione dixit. Verùm hìc duo regeruntur. Vnum, prophetiæ donum à Deo reprobis & infidelibus dari, sed ita, vt ipsi non intelligant quid dicant: dari autem fidelibus illuminato ipsorum intellectu. Alterum, Theologos dicere concorditer, Concilia de fide non deliberare per inspirationem Diuinam, sed per humanam inuestigationem solummodo, quibus *Spiritus S.* hactenus opitulatur, vt ab erroribus eos conseruet; ita tamen vt nisi materia probè cognita nequeant quicquam statuere. Ille verò fortè rem acu tetigerit, qui dixerit, dum opiniones contrariæ in formando decreto excutiuntur, vnamquamque partem verba ea reijcere, quæ sensum opinioni suæ repugnantem præ se ferant, omnes verò verbis ijs assentiri, quæ quisque putet cum sensu suo posse consistere. Inde fieri, vt verba Decretum exprimentia duplicem sensum, imo contrarias interpretationes admittant. Neque tamen hac via quæstioni supra propositæ respondetur, aut cuiusmodi sit Concilium, explicatur; quandoquidem ea responsione Concilio verborum consensio, animorum verò pugna & contrarietas tribuitur. Sed quod in hac materia iam accidisse memorauimus, & in alijs plerisque similiter euenit, in opinionibus Lutheranorum damnandis nequaquam contigit, omnibus singulari vocis animique concordia ad eas iugulandas conspirantibus.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

In Decretis concinnandis id potissimum spectari, vt verba diuersos, immo pugnãtes sensus admittant.

Neq; hic prætereundum silentio est, quod ab ipso *Catarino* obseruatum in eodem ad Synodum libro, qui debita inuentioni suæ laude fraudandus non est: nimirum hæc inter se pugnare, hominem sponte recipere gratiam, & non esse certum se habere gratiam: cum nemo sponte rem recipiat, quam non compertum habeat sibi dari, & quam non certo sciat se recipere.

Catarinus ab aduersario pugnantia dici notat.

Verùm vt ad res Synodales reuertamur, die post Consessum proxima, congregatio generalis habita ad deliberandum de materia in Sessionem sequentem digerenda. Et cùm in dogmatis fidei certum esset *Confessionis Augustanæ* ordinem sequi, proximo loco occurrebat caput de *ministerio Ecclesiastico*, quod Lutherani dicunt, esse authoritatem Euangelij prædicandi & Sacramentorum administrandorum. Nonnulli primam huius ministerij partem respicientes postulabant, vt de *Ecclesiastica potestate* ageretur, omnesq; functiones spirituales & sæculares, à Deo Ecclesiasticis supra fideles concessæ, atque obstinatè à Lutheranis negatæ dilucidè explicarentur. quæ propositio Præsulibus cunctis placuit, quòd argumentum illud nullis Scholasticorum disserendi spinis implicitum, facilem haberet indagationem, vnicuiusque ex eo ordine & intelligentiæ, & examini obuiam. At Theologis hoc ipso minus erat grata, quòd Scholastici argumentum id non tractassent, quodque viderent hìc sibi non relictam altercandi materiam, sed rem vt plurimùm, ad Canonistarum iudicium reijciendam. Asserebant Augustanos Confessione sua non totam authoritatem Ecclesiasticam complecti, sed solam prædicandi potestatem, de qua, quantum satis esset, superiori Sessione decretum. Alteram vero partem de Sacramentis dogmati de iustificatione esse connexam: quæ ad homines iustificandos media sint, adeoque appositum proximæ Sessionis subiectum. In hanc sententiam itum à Legatis, eorumque fautoribus, ob eas ipsas in speciem rationes; sed apud eos multò plus valuit alia tectior consideratio, fore scilicet, vt de Conciliorum, & summi Pontificis potestate necessariò disceptaretur, multaque aspera & scabrosa, quæ tangenda non essent, inuitis auribus haurienda.

Quid proxima Sessione tractandũ deliberatur, Præsulibus, & Theologis etiam hic in diuersa tendentibus.

Legati probãt tractationẽ de Sacramentis potius, quàm de Ecclesiastica potestate, ne Papæ Conciliique auctoritas veniat in disceptationẽ.

Instituta igitur de Sacramentis tractatione, argumentum illud fusius & copiosius visum, quàm vt vnico Consessu posset pertractari, aut facilè statui, in quot partes esset distribuendum. Ab *Augustanis* abbreuiatum esse fatebantur, qui è Septem Sacramentis quatuor detruncassent; sed hoc ipso de eisdem reponẽdis accuratius agendum. De Sacramentis in genere disceptationem primo censebant instituendam; dein ad singula veniendum, quot eo Consessu discuti possent: articulisq; è doctrina Lutherana petitis ordinandis, nonnullos è Theologis designandos. Atque vt reformatio dogmata fidei comitaretur, abusus quoque, qui in ministerio Sacramentorum irrepsissent, in vnum colligendos, destinata ad eam curam Præsulum & Canonistarum

De Sacramentis in genere primùm tractatio instituitur, & forma agendi præscribitur.

 rum

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

rum congregatione, qui remedia exquirerent, & super ijs Decreta concinnarent. Statutum quoque, vt si eodem die vtraque congregatio haberetur, Theologis *Cardinalis S. Crucis*, Canonistis *Cardinalis Montanus* præsideret: in congregationibus verò generalibus vterque. Sed inter hæc non omittendum articulum aliquem principalem in materia residentiæ, quam se continuaturos promisissent. De hoc tamen non omnino inter eos conueniebat, Legatis cum eorum fautoribus plane contrarios fines ijs, quos Episcopi respiciebant, sibi proponentibus.

Præsulú omnium, Hispanorú maximè, cogitationes & sermones, de auctoritate sua recuperanda, quam Curia Romana ementito colore occupasset.

Enimuerò his omnibus erat propositum, sed ante alios Hispanis, authoritatem Episcopalem recuperare, quam olim in propria Diœcesi Episcoporum quisque exercuisset, reseruationibus beneficiorum, casuum, aut absolutionum, item dispensationibus, alijsque id genus nondum Orbi cognitis. In mutuis quidem intra priuatos parietes sermonibus id querebantur, Curiam Romanam dominandi & habendi libidine, quæ ad ipsos iure pertinebant, proprij iuris fecisse; idque ementito colore, quasi illi melius cùm ad Dei cultum, tum ad Ecclesiæ commodum, per vniuersum Orbem Christianum ista administrare possent, quàm in suis ciuitatibus Episcopi, propter defectus suos, & ignorantiam minùs idonei. Et tamen plus satis est compertum, luxum, & ignorantiam in ordinem Episcopalem non irrepsisse, nisi ex quo ad seruilia munera obeunda coacti sunt *Romam* ire. Quod si ita se res habuisset, vt propter rem ab Episcopis male administratam authoritas ipsis debita necessariò esset adimenda; quid vetat hoc tempore, quo in Curia Romana pessimè omnia administrantur, eandem rationem valere ad illos authoritate ea priuandos, quæ neque ipsorum est propria, & qua abutuntur etiam miserrimè?

Ea gratia articulum de *Residentia* obnixè vrgent tandem definiri.

Præsules equidem nullum aut ante malorum remedium, aut post malis auertendis antidotum adeo singulare animo præcipiebant, atque Decretum Synodi, quo sanciendum erat, *Residentiam* esse iuris Diuini. Etenim si à Deo imperatum sit Episcopis, vt ad curam gregis assiduò attendant, sequi necessariò cum onere ipsis tradito, eiusdem commodè exequendi datam esse potestatem: eoque Pontificem nec aliò eos auocare posse, nec alibi distinere; immo nec cum ijs dispensare, neq; datam à Deo authoritatem restringere. Itaque instabant valde, vt articulus ille, antea satis superque exagitatus, iam tandem definiretur. Cardinalis *Montanus*, qui id præsenserat, flagrantissimis quibusque primò dedit locum loquendi, quò sic animi sui æstum exhalarent: tum dextrè sese opponens dicebat, id quidem esse factu necessarium, cogitationibus omnium in eius rei expectatione defixis; verùm suo, hoc est, opportuno tempore faciendum. Quæstionem eam nimio animorum feruore ac contentione agitatam, atque in multis affectus rationi præponderasse. nunc itaque esse necessarium, vt calor ille deferuescat, modicique temporis mora interponatur, dum positis contentionibus, & charitate reaccensa, locus datur *Sp. Sancto*, sine quo veritas determinari non potest. Pontificem Beatissimum, qui magno cum animi mœrore de contentionibus anteactis inaudiuerit, idipsum petere, vt post argumentum hoc *Romæ* diligenter excussum, Synodum consilio possit adiutare. Clausula verò sermonis erat audacior, quàm quæ à principio tam modesto videretur expectanda; nempe, ne super ea re ante Sessionem verbum vllum fieret; quod Papæ id esset decretissimum: emendandis autem incommodis, quæ abusui non residendi occasionem dederunt, vtiliter vt incumberent. Hæc monitorum & mandatorum mixtura causam dedit nonnullis Patrum, qui super hoc argumento libros in publicum post emiserunt, vt dicerent vetitum à Legatis de ea quæstione disceptare; alijs verò, vt illud apertè negarent, etiam priores illos inuectiuis orationibus insectati, quod Concilij libertati derogassent. In fine tandem congregationis decretum, quæ superiori Consessu omissa essent, resumere, simulque agere de impedimentis ijs tollendis, quæ homines ad non residendum impellunt. In quibus cum beneficiorum pluralitas principem locum teneat, quod fieri nequeat, vt quis pluribus locis resideat, de ea deinceps tractare decretum.

Quem tamen Legatus Montanus subdola oratione primum, dein expressa prohibitione amolitur.

Id duntaxat concedit, vt de remouendis Residentiæ impedimentis agatur.

Modus in tractatione de Sacramentis tenendus Theologis, præscribitur.

Verùm ne promiscua sit rerum narratio, propositum mihi est ea simul commemorare, quæ ad Sacramenta spectant, quorum consideratio prope speculatiua tota est, & doctrinalis; vt filum narrationis in materia beneficiali pariter non interrumpatur:

tur: in qua discutienda ea contigere quæ magnis periculosisque euentibus viam aparuerunt. In re Sacramentorum à designatis formati articuli, ac Theologis præscripta de ijs loquendi forma, in chartula omnibus communicata, cum eo, vt declararent, an omnes essent hæretici, aut certe erronei; &, an à Synodo damnandi: dein, si forte aliquis ex articulis damnationem non mereri videretur, rationes authoritatesque in medium afferrent: tum Conciliorum Patrumque sententiam de omnibus explicarent, ecquis ex articulis iam ante reiectus, ecquis restet censuræ subijciendus. deniq; si in materia proposita cuiquam inter legendum occurreret alius aliquis articulus censura dignus, id vt significarent: omninoq; quæstiones, à re alienas, de quibus in hanc & illam partem absq; fidei præiudicio potest disputari, ac omnem cum rerum superfluitatem, tum verborum prolixitatem deuitarent. Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

De Sacramentis in genere articuli erant XIV.

I. Sacramenta Ecclesiæ non esse septem, sed quæ verè & propriè sic dicuntur esse pauciora. Articuli XIV. de Sacramentis in genere in Synodo examinandi.

II. Sacramenta non esse necessaria, & sine eis, aut eorum voto, posse homines per solam fidem gratiam adipisci.

III. Nullum è Sacramentis esse aliud alio dignius.

IV. Sacramenta nouæ legis non conferre gratiam non ponentibus obicem.

V. Sacramenta gratiam, aut remissionem peccatorum nunquam contulisse, sed solam Sacramenti fidem.

VI. Sacramenta immediatè post Adami præuaricationem à Deo fuisse instituta, per quæ collata sit gratia.

VII. Per Sacramenta his solùm gratiam dari, qui credunt peccata sibi remissa.

VIII. Gratiam non semper dari in Sacramentis, neque omnibus, quantum ad Sacramenta pertinet, sed solùm quando, & vbi Deo visum.

IX. In nullo Sacramento imprimi characterem.

X. Ministrum improbum non conferre Sacramentum.

XI. Christianos omnes cuiuscumque sexus, in verbo Dei & Sacramentis administrandis pari esse potestate.

XII. Cuique Pastori esse potestatem pro libito formas Sacramentorum augere, abbreuiare, aut immutare.

XIII. Intentionem ministrorum non esse necessariam, neque quicquam operari in Sacramentis.

XIIII. Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse.

De Baptismo articuli erant XVII. Tum in specie de Baptismo XVII.

I. In Ecclesia Romana & Catholica non esse verum Baptismum.

II. Baptismum esse liberum, nec ad salutem necessarium.

III. Non esse verum Baptismum, qui datur ab hæreticis.

IV. Baptismum esse poenitentiam.

V. Baptismum esse signum externum, perinde ac terram rubram in agnellis, neque partem constituere iustificationis.

VI. Baptismum esse iterandum.

VII. Verum Baptismum esse fidem, quæ credit poenitentibus peccata remitti.

VIII. In Baptismo peccatum non extirpari, sed solummodo non imputari.

IX. Baptismum Ioannis eandem vim cum Baptismate Christi habuisse.

X. Baptismum Christi non euacuasse Baptismum Ioannis, sed promissionem ei addidisse.

XI. In Baptismo immersionem solam esse necessariam: alios ritus ad libitum adhiberi, & sine peccato omitti.

XII. Satius esse infantium baptismum omittere, quam eos, dum minimè credunt, baptizare.

XIII. Paruulos non esse baptizandos, quia fide propria destituantur.

XIV. In pueritia baptizatos, cum ad annos discretionis peruenerint, esse rebaptizandos, quod actum credendi non habuerint.

XV. Paruulos baptizatos vbi adoleuerint, interrogandos an baptismum suum

ratum

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

ratum habere velint; si se nolle responderint, arbitrio suo relinquendos.

XVI. Peccata post baptismum commissa, sola recordatione, & fide suscepti baptismi remitti.

XVII. Votum baptismi non aliam admittere conditionem, quàm fidei, imo vota alia omnia facere irrita.

Item IV. de Confirmatione.

De confirmatione IV. erant articuli.

I. Confirmationem non esse Sacramentum.

II. Institutum fuisse à Patribus, neque habere promissionem gratiæ Diuinæ.

III. Nunc ociosam esse ceremoniam, olim nihil aliud fuisse quã catechesin, cũ qui adolescentiæ erant proximi, fidei suæ rationem reddebant coram Ecclesia.

IV. Confirmationis ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis alium Sacerdotem.

De priore I. articuli parte omnes statuendum consentiunt, VII. esse Sacramenta.

In Congregationibus inter omnes Theologos conueniebat de septenario numero Sacramentorum asserendo, deque contraria sententia damnanda pro hæretica, scholis omnibus in id consentientibus, à Magistro vsq; sententiarum, qui primus rẽ ante controuersam determinarat, ad nostra vsque tempora. Tum quòd Decretum Concilij Florentini propter Armenios, eundem numerum statuerit, & Ecclesiæ Romanæ praxis confirmarit. vnde colligebant pro traditione Apostolica, & fidei articulo tenendum. De secunda verò parte articuli non conueniebat inter omnes. Quidam dicebant, cùm Concilium Florentinum vltra non perrexerit, eius exemplum esse sequendum. Deinde, statuendo Sacramenta propria neque plura esse, neque pauciora, præsupponi determinationem veræ ac propriæ essentiæ, & definitionis Sacramenti: quæ res est plena difficultatis, propter multiplices & discrepantes definitiones, non à Scholasticis modò, sed & Patribus allatas, quarum vnam qui respiciat, illud proprium Sacramentum dixerit, quod, aliam aspiciens, à Sacramentorum numero excluserit. Etiam inter Scholasticos adhuc controuerti, an Sacramentum possit definiri, si vnitatem habeat, si sit aliquid reale, an intentionale; neque esse rationi consonum, in tanta principiorum ambiguitate conclusiones adeo firmo vinculo stabilire. Quin etiam *D. Bernardum*, post *D. Cyprianum* lotionem pedum pro Sacramento habuisse, & D. Augustinum omnia fere Sacramentis accensere, ritus omnes, quibus Deum veneramur, hoc nomine indigitando: alibi verò vocem eam strictiùs accipiendo, quàm proprietas eius patitur, ea sola Sacramenta facere, quorum expressa est in nouo testamento mentio; ad quem modum duo tantùm statuit Baptismum & Eucharistiam, licet alicubi dubitare videatur, an non plura sint.

De posteriore, Sacramenta vera ac propria neque plura esse, neque pauciora, alij pronunciandum non censent.

Alij contra, reprimendis Lutheranis, id plane definiendum putant.

Alij verò existimabant pro articulo fidei necessariò stabiliendum, Sacramenta propria ac vera, neque plura esse, neque pauciora; idque ad reprimendam audaciam tam Lutheranorum, qui ea, nunc duo, nunc tria, interdum quatuor efficiunt, quàm eorum qui septenarium numerum excedunt. Quòd si apud Patres nonnunquam plura, aliquando pauciora reperiantur, id inde natum, quòd ea tempestate ante Ecclesiæ determinationem, vocem eam latiùs aut strictiùs accipere licebat. Atque hic ad confirmandam proprietatem, aut, vt scholastici loquuntur, sufficientiam septenarij, quo euinceretur neque plura esse neque pauciora, longa & fastidiosa adhibita est enumeratio rerum hoc numero comprehensarum: nempe VII. rerum naturalium quibus vita acquiritur & conseruatur. VII. virtutum. VII. vitiorum capitalium. VII. defectuum ex peccato originis promanantium. VI. dierum creationis mundi, & quietis die Septimo. VII. plagarum Egypti, septem denique planetarum. Ex qua numeri septenarij celebritate, & aliarum rerum congruentium imagine à scholasticorũ ducibus vsitata, sicuti conclusionem suam firmabant: ita rationibus plerisque contendebant, neque Ecclesiarum consecrationes, neque vasorum, quæ Episcoporum, Cænobiarcharum, Abbatissarum & Sanctimonialium sunt, neque aquam benedictam, neque lotionem pedum, vt putat D. Bernardus, neque martyrium, neq; purpuratorum Patrum inaugurationem, neque ipsam summi Pontificis coronationem esse Sacramenta.

VII. esse Sacramenta euincitur, aliarum rerum eodem numero congruentium imagine.

Sacramentorum quodque nomine suo designandum, & Sacramentorum auctorem.

Propositum fuit, non sufficere hæreticis coercendis, vt articulus ille damnetur, nisi simul vnumquodque sacramentum singillatim nomine suo designetur: ne malignus

lignus aliquis spiritus, sacramento genuino sede sua eiecto, spurium & adulterinum substituat. Aliud item propositum, quod articuli essentiam spectare videbatur, de sacramentorum omnium institutore designando, *Christo* Domino, idque ad damnandas hæreses Lutheranorum, qui solius Baptismi & Eucharistiæ institutionem *Christo* tribuunt. *Christum* verò omnium institutorem fide esse tenendum *D. Ambrosij* & *D. Augustini* testimonijs euincebant, atque imprimis Apostolica traditionè, à qua nemo vnus dissentiebat. Alij contra instabant non eo vsque progrediendum, sed intra terminos Concilij *Florentini* consistendum, hoc maximè nomine, quod *Magister sententiarum* censuit extremam vnctionem deberi *D. Iacobo*; & *D. Bonauentura* cum *Alexandro* tenuerunt, Confirmationem cœpisse à temporibus Apostolorum; atque idem *Bonauentura* cum alijs Theologis, Apostolos Sacramenti pœnitentiæ laudent authores. Matrimonium quoque non nemo asserit à Deo in Paradiso fuisse institutum. Et *Christus* ipse, de eo sermonem habens, loco ad authorem eius designandum appositissimo, non sibi, sed Patri eam ascribit institutionem. His adducti rationibus suadebant, caput illud articulo non adiungendum, ne Catholicorum sic opinio damnaretur. Contra Dominicani, verbis etiam paulo asperioribus asseuerabant, Doctores eos commodis interpretationibus & varijs distinctionibus posse euadere; quòd illi perpetuo parati essent, Ecclesiæ iudicio se submittere. audaciam verò Lutheranam sine condemnationis sententia non esse prætereundam, qui maximò Ecclesiæ contemptu tot falsitates disseminarint: neque in proteruis Lutheranis id tolerandum, quod sanctis Patribus condonatur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

De Sacramentorum institutore non idem sensus.

Secundum articulum de necessitate sacramentorum erant qui absolutè damnandum non censebant, sed distinguendum potius: quia certum sit sacramenta omnia non esse absolutè necessaria. alij damnandum censebant qui diceret, Sacramenta in Ecclesia non esse necessaria; quia certum sit, omnia non cuiuis esse necessaria; imo quædam esse incompatibilia, vtpote ordinem & matrimonium. Communis tamen opinio fuit articulum absolutè duabus de causis damnandum. I. quia vnius sacramenti necessitas sufficit, ad articulum falsi, prout verba se habent, redarguendum. Altera, quia omnia quodam modo sunt necessaria; vnum absolute, aliud ex hypothesi; vnum ad bene esse, aliud ad maius bonum. Quæ sententia obtinuit magno cum stupore quorundam existimantium tam multiplicem æquiuocationem fidei articulis stabiliendis non conuenire. Sed vt his quoque satisfieret, in formandis Canonibus additum, condemnari eos, qui dicerent, sacramenta non esse necessaria, sed superflua; postremis verbis priorum sensum ampliando.

II. Articuli pars prior de necessitate sacramentorū.

Alteram articuli partem complures omittendam iudicabant; quia, quod ad fidem attinet superiori consessu fuerat definitum, solam eam non sufficere. Deinde sacramenti distinctionem à voto sacramenti, dicebat *Marinarus* esse quidem veram, sed solis scholasticis vsitatam, antiquis Patribus incognitam, & difficultatibus obnoxiam. In actis enim Apostolorum in *Cornelio* Centurione erudiendo, Angelum dixisse, orationes ipsius ante Deo fuisse gratas, quàm Sacramentum Baptismi cognosset, aut alia in fide peculiaria. Etiam vniuersam eius familiam audita *D. Petri* concione, recepisse Spiritum Sanctum, priusquam edocti essent naturam sacramentorum: accepto quidem Spiritu S. *à Diuo Petro* edoctos Baptismum; verùm antequam ipsis innotuisset, eum ne voto quidem potuisse accipere. Latronem quoque in cruce iam moribundum solius *Christi* virtute tum illuminatum, cognitionem nullam sacramentorum habuisse, vt voto ea desideraret. multosque sanctos Martyres in ipso persecutionis ardore ad *Christum* conuersos, dum conspectâ aliorum constantiâ ipsi continuò Diuino numine afflati ad lanienam abripiuntur, nemo dixerit sacramentorum cognitione imbutos, Baptisma voto expetisse, nisi diuinatione id assecutus. Itaque satius esse distinctionem eam relinquere scholis, & articulis fidei non inserere. At communis opinio cum hac pugnans tenebat, vtcumque verba distinctionis noua essent & scholastica, credendum tamen Christū rem verbis significatam docuisse, proq; Apostolica traditione habendā. Quod autē attinet exempla *Cornelij, Latronis* & *Martyrū*, sciendū in Sacramento duo esse voti genera, vnum explicitum, alterū implicitū: & posterius hoc saltem esse necessarium. hoc est, si actualiter non vouerint, voturos certe

Pars altera, de gratia sine sacramento, aut sacramenti voto apiscenda.

Voti duo genera.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

certe, si rem satis intellixissent. Atque hæc alteri vera esse concedebant, sed negabant obligare tanquam articulos fidei. itaque cùm de difficultatibus his non penitus conueniret, placuit eas ad Synodum, id est, ad Congregationem generalem remittere.

III. Articulus de dignitate sacramentorum, in quo dissensus.

Idem quoque tertio articulo factum. quem licet omnes falsum agnoscerent, quòd necessitatis, vtilitatisque respectu, *Baptismus* reliquis Sacramentis anteiret; significationis intuitu *Matrimonium*; ratione dignitatis ministri *Confirmatio*; adorationis contemplatione *Eucharistia*: cùm tamen absque distinctione intelligi non posset, quod esset dignissimum, dicebant sibi quidem videri consultius, articulum eum, qui sine distinctionum subtilitatibus vix commodè poterat intelligi, omnino prætermittere. Aliorum erat opinio explicandas omnes eas considerationes, quibus sacramentum vnum alio dignius videretur. Media tamen sententia, nempe articulo hanc clausulam addendum [*secundum diuersos respectus*] plurimos habuit approbatores: nisi quod ijs ingrata erat, quibus pro dignitate Synodi non videbatur, ad istas minutias, imo ineptias (sic enim eas appellabant) scholasticorum se dimittere, aut credere Christum in re fidei has opinionum subtilitates suis commendasse.

IV. Articulus: sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem *ex opere operato*.

De quarto articulo vna omnium erat vox, esse damnandum. verùm id non sufficere, nisi doctrina *Zuinglij* nominatim explodatur, asserentis, Sacramenta non esse aliud, quàm signa, quibus fideles ab infidelibus distinguuntur: aut certe actus, & exercitia professionis fidei Christianæ; sed ad gratiam relationem nullam habere, nisi quod signa sint eiusdem acceptæ. Deinde, non modo damnandos censebant, qui negarent sacramenta gratiam conferre *obicem non ponentibus*, sed & illos, qui non fatentur, gratiam sacramentis & contineri, & conferri; non fidei virtute, sed *ex opere operato*. Cum autem ventum esset ad modum explicandum, quo gratia continetur & acquiritur, id omnes sentiebant, actiones eas omnes, quibus pietas excitatur, gratiam parere, neque id ab operis ipsius viribus proficisci, sed à vi deuotionis, quæ est in operante. vnde in scholis actiones eiusmodi gratiam procurare dicuntur *ex opere operantis*. Alias rursus actiones esse, quæ gratiam procurant, nec ex operantis, nec ex opus recipientis deuotione, sed operis ipsius virtute. atque eius generis esse sacramenta Christiana, quibus gratia obtinetur, dummodo in subiecto non sit obex peccati mortalis, quo gratia excludatur, etiamsi nulla ibi sit deuotio. sic ipso opere *baptismi* paruulis gratiam conferri, qui nullo animi affectu eò impelluntur, ac pariter ei, *qui nascitur furiosus*, quoniam peccati impedimentum non obstat. Idem operatur sacramentum *Chrismatis*, & *extremæ vnctionis*, etiam cùm infirmus in agone mortis sensum & cognitionem omnem amisit. At si quis peccati mortalis labe sordidatus, in eodem actualiter aut habitualiter persistat, propter qualitatum repugnantiam gratiam non obtinebit, non quia in sacramento non sit satis virium ad eam producendam *ex opere operato*: sed quia recipientem iam ante contraria qualitas occupauit, quæ gratiæ non sinit eum esse capacem.

De modo quo sacramenta cōtinent gratiam, Franciscanis non cōuenit cum Dominicanis.

De hoc cum inter omnes conueniret, erat tamen aliud, in quo *Dominicani* cum *Franciscanis* non vnum sentiebant. Illi enim asserebant, gratiam, vtut qualitas sit spiritualis à Deo immeditatè creata, in sacramentis tamen esse virtutem instrumentalem & effectiuam, quæ in anima dispositionem operatur ad eam recipiendam. itaque dici *continere gratiam*, non quòd sit in ipsis tanquam in vase, sed vt effectum in sua causa. quod subtili exemplo illustrabant *Scalpelli*, quod est actiuum, non in petra modo dissecanda, sed in formanda etiam statua. At *Franciscani* negabant se satis id assequi, quemadmodum Deus, causa spiritualis, ad gratiam effectum spiritualem producendam, instrumento vtatur corporeo: immo simpliciter vim omnem effectiuam aut dispositiuam Sacramentis denegabant, non aliunde vim & efficaciam ipsorum petentes, quam ex promissione Diuina, quod Deus se gratiam largiturum receperit, quotiescunque ministrabitur Sacramentum. Ideo dici Sacramentum continere gratiam, tanquam in signo efficaci, non vi ac virtute sua, sed Dei, ministerio huic opem indubitatam pollicentis. & Sacramentum esse causam gratiæ; quia eo posito sequitur effectus, non vi sua, sed Diuinæ promissionis, de gratia eo ipso tempore donanda: sicut meritum dicitur causa præmij, nulla ad id demerendum

actione

actione interueniente. Atque hanc suam sententiam confirmabant, non *Scoti* solùm, & *D. Bonauenturæ* suæ sectæ Theologorum, sed *D.* quoque *Bernardi* authoritate, agnoscentis gratiam per Sacramenta ad eum modum percipi, quo *Canonicus per librum*, & *Episcopus per annulum* in possessionem mittuntur. Rationes vtrimque magna verborum prolixitate, neque minore acrimonia audiebantur. immo nec ab opinionibus inuicem censendis abstinebant: Dominicanis affirmantibus, alteram opinionem Lutheranismo esse affinem; alteris verò dictitantibus, Dominicanos impossibilia adstruentes hæreticis ansam dare calumniandi Ecclesiam. Boni quidam Præsules conciliationi quidem studebant, dicentes, vtrosque de conclusione vnum sentire, nempe Sacramenta continere gratiam, & eius esse causas; parumque interesse, hoc an illo modo dicatur. eo longe melius ad minuta ista non descendere, sed in vniuersali consistere. At fratres replicabant, non de verbis hic agi, sed de Sacramentis stabiliendis, aut eneruandis. Neque altercandi finis fuisset, nisi Legatus *S. Crucis* monuisset cætera persequi, quod sub finem huc denuo esset redeundum, & indagandum, vtrum caput hoc definire, an omittere magis expediat.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Hac occasione Ordinum Præfecti à Legatis accersiti rogantur singuli cum suis agere, vt seposito tam vehementi sectæ suæ studio, modestiæ & charitatis amorem in disceptando postmodum prodere curæ habeant. Illius enim ergò vocatos, vt noxias hæresum herbas euellant: cum illi interim prauo altercationum seminio, vt nouæ identidem pullulascant, efficiant. Etiam *Romam* datæ literæ, quibus expressum, quàm periculosam sibi libertatem fratres sumerent, & in quem tandem neruum posset erumpere; simul significatum Pontifici, quàm necessaria hic esset moderatio: quod dissensionum istarum, & censurarum, quibus alij alios taxant, famâ in publicum disseminatâ, & pijs omnibus offendiculum, & ipsi Synodo existimationis imminutio inde esset nascitura.

Legati ad dissidia inter fratres sopienda, & Ordinum Generales officij monent, & Pontifici tantæ licentiæ periculum núciant.

Articulus quintus omittendus videbatur, quippe superiori Consessu decisus. At *F. Bartholomeus Mirãda* suggessit, *Lutherum* ex suo illo paradoxo, quòd Sacraméta gratiam non conferunt, nisi excitando fidem, hanc conclusionem elicuisse, Sacramenta veteris & nouæ Legis pari esse virtute. quam opinionem æquum esse damnari, vti doctrinæ Patrum & Ecclesiæ repugnantem, cum ij omnes asserant, Sacramenta antiquæ Legis esse signa solum gratiæ, nouæ autem, gratiam & continere, & producere. Conclusioni huic nemo certè refragabatur. *Franciscani* tantùm obiectabant mentionem Legis veteris non faciendam, sed Legis Mosaicæ: siquidem Circumcisio ipsa conferebat gratiam, sed Sacramentum Mosaicum non erat; tum quia Christus ipse dixerit non esse à Moyse, sed à Patribus; tum quia alia Sacramenta ante *Abrahamum* gratiam conferebant, & procurabant. *Dominicanis* autem replicantibus *D. Paulum* clarè dixisse, *Abrahamum* accepisse Circumcisionem tantùm in signum: atque cùm ille primus omnium esset, cui data fuerit, hoc innuere, Circumcisionem in signum tantummodo fuisse institutam; circa modum conferendi & continendi gratiam, ad quæstiones & controuersias denuò est reditum. *F. Gregorius Paduanus* in eandem rem dixit, apud Dialecticos tritum esse, ea quæ sunt eiusdem generis, identitatem inter se habere, & differentiam. Si antiquæ & nouæ Legis Sacramenta discreparent tantum, tum non omnia fore Sacramenta, nisi æquiuocè; si solùm conuenirent, tum vnum idemque fore. Itaque in rebus dilucidis propter verborum diuersitatem difficultates non constituendas. *D.* enim *Augustinum* tradidisse, tum hæc, tum illa, signo diuersa, re significatâ esse paria. Et alibi, esse diuersa specie visibili, sed eadem significatione intelligibili. Item illa fuisse *promissiua*, hæc esse *indicatiua*: quod ab alio alijs verbis dictum, illa fuisse *prænuntiatiua*, hæc esse *contestatiua*. Vnde apparet in multis conuenire, & in plerisque etiam discrepare. quæ cum à nemine rerum intelligenti possint negari, articulum cum prudenter in principio omissum, in hoc Decreto nihilo magis attingendum. Alia denique opinio proposita, damnandam scilicet Lutheranorum & Zuinglianorum sententiam, nulla facta particularium mentione. Cum enim illi profiteantur, nullam aliam esse inter Sacramenta antiquæ & nouæ Legis differentiam, nisi in ritibus; alias autem esse differentias abunde sit demon-

Ex occasione articuli V. Sacramenta gratiam non conferre nisi excitando fidem, de discrimine Sacramentorum veteris ac nouæ Legis disseritur.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

monstratum, hoc solo nomine damnandos, quod discrimen aliud nullum constituant, absque mentione vlla, in quo discrimen illud consistat.

De VI. Articulo, an ab Sacramentis veteris Legis collata fuerit gratia, inter Theologos satis non conuenit.

Articulum sextum Dominicani damnandum censebant asserentes, esse proprium Sacramentorum Euangelicorum conferre gratiam, à veteribus autem nequaquam obtentam, nisi virtute deuotionis: quæ fuit *D. Thomæ* opinio. Ad opinionem suam firmandam citabant decisionem *Concilij Florentini*, nempe Sacramenta Legis veteris non conferre, sed præfigurare eam gratiam, quæ passione *Christi* esset conferenda. Cùm verò *D. Bonauentura* & *Scotus* tenuerint Circumcisionem contulisse gratiam *ex opere operato*, immò *Scotus* asseruerit, ilico post peccatum *Adami* institutum fuisse Sacramentum, quo infantibus data erat gratia ipsius Sacramenti virtute, id est, *ex opere operato*, *Franciscani* affirmabant articulum veritatem continere, neque censuræ subijci posse. Opinionis suæ fundamentum faciebant, quòd cum *D. Thomas* dicat, infantes ante *Christum* saluatos fide paterna, non vi Sacramentorum: inde sequeretur deteriori esse Christianos conditione. Cum enim nunc paruulos fides paterna sine Baptismo nihil adiuuet, cumque *D. Augustinus* affirmet, paruulum, qui, cum in vlnis patris ad baptismum gestaretur, expirauerat, damnatum; si illis temporibus sola parentum fides sufficiebat, certè liberos Christianorum habere, quod de deteriori sua sorte querantur. Inter has difficultates propositum, vt articulus tanquam probabilis omitteretur.

VII. & VIII. Articuli consultò omittuntur.

De septimo & octauo articulis prætermittendis summa fuit omnium consensio. Nonum autem de charactere *F. Dominicus Soto* declarat, & in sacra Scriptura fundamentum habere, & in Ecclesia, Apostolica traditione receptum, atque, etiamsi nomen ipsum apud omnes Patres non fuerit in vsu, rem significatam tamen esse antiquissimam. Alij tantam ei amplitudinem non concedebant, quòd neque *Gratianus*, neque *Magister sententiarum* eius meminissent. immo *Ioannes Scotus* diceret, neque Scripturæ, neque Patrum verbis necessariò esse ponendum, sed solius Ecclesiæ authoritate: quæ ratio humaniter & officiosè quidpiam negandi, Doctori huic est familiaris. Dignum certe erat consideratione, quid per *characterem* sibi vellent, vbi collocarent, propter multiplices Scholasticorum ea de re opiniones. Alij enim qualitatem esse volebant, & inter hos IV. erant opiniones, secundum quatuor species qualitatis. Hic enim dixit esse potestatem spiritualem; alius habitum aut dispositionem; ille spiritualem figuram: nec deerant sententiæ eius approbatores, quæ qualitatem sensibilem metaphoricam constituerent. Nonnulli volebant esse relationem realem; quidam notionem mentalem; quibus certè id manebat declarandum, quam prope abesset à nihilo. Nec minus molesta erat inquisitio de subiecto in quo versetur, cum alius eum collocaret in essentia animæ, alius in intellectu, alius in voluntate, & non nemo in manibus & lingua locum ei assignaret. *Hieronymi Lusitani* Fratris Dominicani hæc erat opinio, omnia Sacramenta qualitatem spiritualem imprimere, antequam superueniat gratia. Eam esse duorum generum, vnam, quæ nunquam potest obliterari; alteram, quæ amitti & recuperari potest: illam vocari characterem, hanc esse ornamentum quoddam. Sacramenta, quæ priorem conferunt, non iterari, quia illorum effectus semper durat: at quæ ornatum dant, ea repeti, effectu scilicet eorum semel omisso. Quæ sanè dictu speciosa sunt, sed paucis probata; quòd non alius huius ornatus auctor reperiatur, quam *D. Thomas*: qui, etiamsi partum illum edidit, indignum certè qui tolleretur, iudicauit. Atque omnibus in vniuerso hoc consentientibus, tria Sacramenta habere *characterem*, nonnulli modestè affirmabant, id maximè probabile sibi videri: non probari vti necessarium. alij contra instabant articulum esse fidei, ab *Innocentio III.* primò memoratum, dein à Concilio Florentinò definitum.

An Sacramentum characterem imprimat, & character ille quid sit, & vbi subsistat.

Articulus X. de improbo Sacramenti ministro.

Articulus ille, in ministro probitatem necessariò non requiri, ab *Augustino* in tot libris contra Donatistas ita fuit exagitatus, vt de eo Theologorum iudicia verbaque concordarint: accedente præsertim ad *D. Augustini* suffragium Concilij *Constantiensis* Decreto, quo articulus hic damnatus inter *Ioannis Wicleffi* errores.

Articulus XI.

Vndecimus quoque omnium calculis damnationem meruit, vtpote sacræ Scripturæ, traditioni, & Ecclesiæ vniuersalis praxi contrarius.

In

In duodecimo de formis Sacramentorum adhibita distinctio, quòd vox *forma* duplicem sensum admitteret, vnum, quo denotantur verba essentialia Sacramenti; secundum id, quod dicitur, omnia Sacramenta habere materiam suam, elementum sensui expositum; & formam, verbum: alterum, quo formæ appellatione intelligitur tota formula aut ritus administrandi, qui multa non necessaria, ad decorum tantum adhibita, complectitur. Vnde duos Canones contexendos suadebant. Priore, hæreseos damnandum, qui asserat formam posse mutari, quando à Christo sit instituta. Iuxta alterum verò sensum, etsi res accidentales mutationem possint admittere; vbi tamen ritus aliquis authoritate publica est introductus, aut vsu communi receptus & confirmatus, non esse penes vnumquemque, illum immutare, sed tantùm penes Romanum Pontificem totius Ecclesiæ caput vniuersale, quoties ipsi nouo aliquo respectu conuenire videbitur.

Paulus. 3. *Carolus.* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

XII de forma Sacramentorum ministrãdorum immutanda.

In decimo tertio articulo de intentione ministri, fas non erat discedere à Concilio *Florentino*, quod necessariam iam pridem decreuisset. Sed cuiusmodi intentio requireretur, non ita facilis erat explicatio, propter ambiguitatem sensus humani circa vim & efficaciam Sacramentorum. vnde non potest eadem esse duorum intentio, qui opinione discrepant. Ad hoc communiter respondebatur, sufficere intentionem idipsum faciendi, quod facit Ecclesia. verùm cùm hic sensus ijsdem difficultatibus esset obnoxius, propterea quòd variantibus hominum de Ecclesia sententijs, quæ vera sit, variam quoque esse necesse sit eius, qui Sacramentum ministrat, intentionem, videbatur sic commodissime dici, eandem esse ministrorum intentionem, quando omnes id vnum in ministrando spectant, quod à Christo institutum, & in Ecclesia est obseruatum; etiamsi falsa Ecclesia pro vera habeatur, modo huius & illius ijdem sint ritus.

XIII. de intentione ministri in Sacramento ministrando.

In hoc argumento Episcopus *Minorensis* quiddam proposuit, & nostra hoc in loco commemoratione, & diligenti omnium consideratione non indignum. Lutheranorum dicebat non valde interesse, an vera Sacramenta perciperent, quod nullam aliam virtutem ijs ascribant, quàm excitandi fidem, quæ alia quoque ratione possit excitari. Ideo asserere, Sacramenta non esse necessaria: neque concedere, malitiam impij ministri posse nocere, quando illi animus non est Sacramentum verum conferendi, cùm ad id respiciendum sit, quod fidelis recipit, non ad id quod à ministro ei donatur. Catholicos autem longe diuersa esse conditione. Ab ijs enim verè Sacramento tribui efficaciam ad gratiam ei donandam, qui obicem non ponit: quod rarissimè occurrat, vt alia via gratia obtineatur. Certè paruulos, & homines mentis consilijque parum compotes, salutem alia ratione non adipisci. Etiam in plerisque hominibus adeo debilem ac tenuem esse dispositionem, vt absque Sacramento ad salutem nunquam sufficeret. Quòd si in pauculis aliquot, qui instar Phœnicum, raræ sunt in terris aues, dispositio perfecta reperiatur, maiorem tamen eos gratiam per Sacramentum obtinere. Quare Christianorum valde interesse, vt certò sciant, se verum, & efficax Sacramentum accipere. Si Sacerdos, curam gerens quater aut quinquies mille animarum, esset incredulus, sed vnà insignis hypocrita; atque in pœnitentibus absoluendis, paruulis baptizandis, & Eucharistia consecranda, secretam in animo foueret intentionem illud omnino non faciendi, quod facit Ecclesia; dicendum, & paruulos iri damnatum, & pœnitentes non iri absolutum, ac cæteros omnes nullum communionis fructum percepturos. Neque iuuat dicere defectum illum à fide suppleri. Nam in paruulis omnino non supplet: in alijs verò iuxta doctrinam Catholicam non potest eundem effectum præstare quem Sacramentum. quòd si id præstat in casu malitiæ ministri, quæ potest etiam esse ordinaria, quid vetat quin semper idipsum operetur. Atqui tantam virtutem tribuere fidei, est demere eam Sacramentis, & in opinionem Lutheranam incurrere.

Episcopi Minorensis sententia, receptã vulgo de necessitate intentionis Ministri opinionem impugnans.

Id ille diligenter considerandum putabat, quantam animi ægritudinem pariturum esset Patri, tenero erga filium moribundum affectu, si de Sacerdotis natum suum baptizantis intentione dubitare illi in mentem veniat. Deinde, si quis ætate prouectior sit baptizandus, & in se debilem, & imperfectam sentiat inclinationem, si forte eum incesserit cogitatio, Sacerdotem, qui se Christianum ementiatur,

Inquies animo sit oportet, qui in Sacramento recipiendo de ministri intentione addubitet.

velle

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

velle habere illum pro oblectamento, neque vllum illius baptizandi, sed abluendi, aut ad ludibrium immergendi, animum habere, quàm inquies erit homini isthac anxietate animus? idemque in delictorum confessione, & Eucharistiæ participatione euenire posse ecquis nō videt? Et quia obijci poterat huiusmodi casus esse è rarò contingentibus, ad vota confugiebat Episcopus, vouens vt ita esset, neque deprauato hoc seculo verendum foret, ne nimis sint frequētes. Esto, inquiebat, vt id rarissimè eueniat, & semel tantum. Detur impius quispiam Sacerdos, qui fingat, neque animum habeat ministrandi paruulo verum baptismum. paruulus hic vir factus, creetur Episcopus populosæ alicuius ciuitatis, ac prouinciam eam multis annis administrans, Sacerdotes magno numero instituat, hic necessariò statuendum est, Episcopum, qui baptizatus non fuerit, non potuisse consecrari, ac nihilo magis eos, quos sacris ille initiarit. Ita in magna ea ciuium frequentia, neque fuisse ministratum Eucharistiæ Sacramentum, neque confessionis. ista enim sine sacramento ordinis non constare, nec illud sine Episcopo; nec ad sacros ordines admitti qui non sit baptizatus. atque adeo vnius ministri in vnica actione malitiâ, infinitas Sacramentorū nullitates euenire. Cæterùm qui existimauerit, Deum in tanta populi frequentia defectum hunc omnipotentia sua resarcire, & rebus quotidie accidentibus, remedijs extraordinarijs prospicere; annon hominibus facilius persuadebit, Deum pro sua prouidentia præcauisse, ne huiusmodi in vitam hominum accidentia incurrerent. Maiestatem enim Diuinam incommodis omnibus præuertisse, statuendo, vt Sacramentum illud sit verum, quod iuxta ritum à se institutum administratur, vtut minister in animo interiore sit affectus. Addebat porro Episcopus sententiam hanc cum communi Theologorum doctrina, aut *Florentini* Concilij determinatione non pugnare, quæ in ministro intentionem requirunt; quòd illorum verba de interna non sint accipienda, sed de ea, quæ opere externo sese prodit, licet interior huic esset contraria. atque ita omnia incommoda tolli, quæ alioqui essent innumerabilia. Ad sententiæ suæ confirmationem multa alia attulit argumenta, & tandem exemplum à *Sozomeno* recitatum. Pueros aliquot *Alexandriæ* prope mare colludentes, etiam imitandis ijs actionibus sese dedisse, quas in Ecclesia fieri obseruassent. In his *Athanasium* per iocum designatum Episcopum, baptizasse aliquot è paruulis, qui aqua Baptismatis neutiquam ante tincti fuissent. Rem ab *Alexandro* Episcopo *Alexandrino* celebris memoriæ viro intellectam eum vehementer conturbasse. Paruulos autem interrogatos, quid fictitius ille Episcopus ipsis fecisset, rei ordinem exposuisse. Et *Alexandrum*, comperto, ritum vniuersum Ecclesiæ in ea actione seruatum, de aliorum sacerdotum consilio baptismum probasse, quæ certè approbatio defendi non posset, si intentio, quam alteri requirunt, esset necessaria; at modo eo, quem ille allegabat, erat tolerabilis.

Deum incommoda omnia anteuertisse, cum ritum à se institutum seruari præcepit.

Athanasius per iocum factus Episcopus, paruulos sodales baptizat ipse puer, isque baptismus probatus.

Hæ rationes Episcopi cæteros Theologos dederant in stuporem, quid ad eas respondendum esset, nescios. Certum tamen erat doctrinam eam non probare, sed, quam ante didicissent, firmiter tenere, veram ministri intentionem aut actu, aut potentia esse necessariam; atque interna intentione contraria, cuiuscumque modi sit species exterior, Sacramentum reddi inualidum. Neque hic tacendum est (quod suo fortasse loco post commodius posset narrari) Præsulem hunc, vtcumque Synodus absolute decreuerit ministri intentionem esse necessariam, vti deinceps videre est, de sententia sua non discessisse, immo post annum super hoc argumento libellum scripsisse, in quo affirmat Synodum Tridentinam eadem secum mente fuisse, & Concilij decretum iuxta ipsius sensum esse accipiendum.

Minorensis opinio, etsi Patribus nō probatur, ab ipso tamen, libro in id edito, Synodo affingitur.

In vltimo articulo, propter ea, quæ iam ante in cæteris dicta essent, difficultatis nihil repertum, quod prohiberet eum omnium consensione damnari.

In articulis de Baptismo excutiendis festinatio maior adhibita. In tertio de Baptismo qui datur ab hæreticis, omnium opinio innitebatur doctrina Scholastica à Concilio *Florentino* recepta, Sacramentum tria requirere, materiam, formam, & intentionem: Aquam esse materiam; formam verò actionis ipsius expressionem in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Intentionem, propositum faciendi illud quod facit Ecclesia. Vnde conclusio ea pro indubitata posita, hæreticos, quibus con-

Articuli de Baptismo excutiuntur, ac primum III.us artic. de Baptismi veritate, qui datur ab Hæreticis.

conuenit, nobiſcum in tribus illis verum habere Baptiſmum: traditionemque eſſe Apoſtolicam, à *Stephano I.* Pontifice Romano, ſub principium tertij ſæculi olim ſtabilitam, & ab vniuerſa Eccleſia poſt æuo approbatam. Antiquitatis tamen ſtudioſis notū eſt, iſtam non fuiſſe *Stephani* opinionē: neq; illis temporibus innotuiſſe formam materiā aut intentionem, ſed illū Pontificem abſolutè opinatum, conuerſos à quacunque hæreſi ſine vlla exceptione, non fuiſſe baptizandos. Et quidem certè qui tum temporis vigebant hæretici, exceptis paucis *Montaniſtis*, erant fere *Gnoſtici*, inſolitis vtentes Baptiſmi formis, propter odioſas & inſolentes, quas tam de Diuinitate, quàm de perſona Chriſti tuebantur opiniones. Quamuis autem in confeſſo ſit, illos in Baptiſmis ſuis non adhibuſſe eam, quæ nunc recepta eſt, formam, Eccleſia tamen Romana tum temporis hæreticos cuiuſque generis indiſcriminatim ſine baptiſmatis iteratione ad poenitentiam admiſit. At Epiſcopi *Africæ* & *Cappadociæ* his ex diametro repugnabant, tenentes, omnes hæreticos rebaptizandos. Concilium Nicenum mediam viam tenuit, ſtatuens *Paulianiſtas* & *Montaniſtas* rebaptizandos, *Cataros* verò minimè. Synodus *Conſtantinopolitana*, permultos recenſet hæreticos, qui purifico rore denuo erant luſtrandi, & alios, qui cum ſuo baptiſmate erant recipiendi. quos noſtrà forma vſos eſſe nemo facilè demonſtrauerit. Sed ad hanc rem apprimè facit, quod teſtatur *D. Baſilius*, *Nouatianos*, *Encraticos* & *Saccophoros*, quos *Romæ* non rebaptizabant, à ſe tamen rebaptizatos. quam diuerſitatem Sanctus ille vir abſurdam non exiſtimabat; hoc modò dicebat, magno omnium bono futurum, ſi multi Epiſcopi in vnum congregati, conuenientem & concordem in agendo rationem præſcriberent. Verùm Patres ad hæc nihilo attentiores, quàm ſi aniles eſſent fabulæ, doctrinæ vulgatæ affixi hærebant, hæreticum verè baptizare, ſi verbis inſtitutionis vtatur, & Eccleſiæ ſequatur intentionem.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciſcus* 1.

Baptiſmum eſſe pœnitentiam, ſed non Sacramentum poenitentiæ.

Articulus IV. Baptiſmum eſſe poenitentiam, vi verborum conſideratâ, à multis nequaquam pro falſa habitus, affirmantibus Euangeliſtam dicere *D. Ioannem* prædicaſſe baptiſmum poenitentiæ, & *D. Paulum* Cap. VI. ad Hebræos, Baptiſmum *Poenitentiæ* nomine nuncupaſſe. Et quoniam è Patribus plerique ad eundem modum eſſent loquuti, articulus damnandus non videbatur, niſi diceret, Baptiſmum eſſe Sacramentum poenitentiæ. Sed cùm hoc ſenſu articulus idem eſſet cum decimoſexto, plerique omittendum cenſebant.

An vis eadem Baptiſmo Chriſti & Ioannis.

Complures etiam putabant IX. & X. qui *Baptiſmum* ſpectant *Ioannis*, prætermittendos, propterea quòd, cum Sacramentorum veteris Legis mentio non fiat, de tempore intermedio ſermo multo minùs videretur inſtituendus, ſed ſcopus ſit tractare de Sacramentis nouæ Legis. Verùm in alteram partem dicebatur, hæreticis curæ non eſſe, Baptiſmum *Ioannis* Baptiſmati *Chriſti* æquiparando, *Ioannis* Baptiſmum exaltare, ſed contra Baptiſma *Chriſti* ea æqualitate abijcere atque deprimere. inde enim colligere, ſicut baptiſma *Ioannis* gratiam non conferebat, ſed pura erat ſignificatio, ita noſtrum: quod hæreſis eſt ipſiſſima.

Qui ritus in Baptiſmo neceſſarij, qui item omitti poſſint.

In articulo vndecimo de ritibus Baptiſmi, quidam volebant, ritus, qui eſſentiales eſſent, ab alijs diſtingui, quod hi ſoli abſque peccato non poſſent omitti. Alij volebant in ſolo caſu neceſſitatis ritus prætermitti; extra hunc, ne eos quidem omittendos, qui ſubſtantiales non ſunt, quòd ab Eccleſia, quæ Spiritu Sancto regitur, inſtituti, neceſſitatem obſequij imponunt propter præceptum, licet non ſint de eſſentia Sacramenti. In eam rem citantur capita aliquot Decretorum Pontificalium & Conciliorum, in quibus fit mentio horum rituum, quæ nullius forent vſus, ſi cuique immutandi daretur facultas. Ea certè pars articuli, quæ immerſionis neceſſitatem commendat, vtcumque immerſio, mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis *Chriſti* figuram quandam exprimat, omnium aſſenſibus damnatur, idque allatis multis è libris Prophetarum teſtimonijs, vbi aſperſionis & effuſionis aquæ meminerunt, quæ illi omnia de Baptiſmo ad literam accipienda dicebant.

De Baptiſmi rati habitione vbi baptizati adoleſcunt.

XV. Tres item articuli de Baptiſmate paruulorū communibus omniū ſuffragijs damnati, quippe cum veterum Eccleſiæ Patrum, & Scholaſticorū doctrina omnino pugnantes. Etiam complures in *Eraſmum* tanquam decimi quinti articuli authorem acerbius inuecti; quem impium dicebant, & pernicioſum, viamque aperire religioni

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Christianæ funditus subuertendæ. Addebant insuper, si *Iudæorum* circumcisorum liberi, vbi adoleuissent, ad totius Legis obseruationem tenebantur, & quando deliquerant, pro qualitate delicti dabant pœnas; multo esse æquius Christianorum fidelium liberos ad Legis Christianæ obseruationem adigere. ideo articulum hunc ab Academia Parisiensi meritò damnatum, & ab Synodo pariter damnandum.

XVI. Articulum decimumsextum superioribus comprehendi iudicabant, quod tolleret pœnitentiam, aliud è septem Sacramentis.

XVII. Vltimum verò articulum omnes affirmabant pugnare cum proprio ministerio Baptismi: in cuius ipso statim vestibulo monetur Catechumenus, ei, vt vitam æternam consequatur, necessariam esse mandatorum omnium obseruationem.

Examinantur Articuli de Confirmatione.

Circa articulos de Confirmatione, de tribus primis altercatum non est, quòd Concilio *Florentino* ab cunctis Patribus laudato niterentur. Quod autem tertio articulo dicitur, adolescentiæ finitimos olim fidei suæ rationem reddidisse coram Ecclesia, ab omnibus fuit irrisum, dicentibus; quandoquidem his temporibus nulla eiusmodi consuetudo in Ecclesia conspiciatur, credendum, ne retro quidem actis sæculis obtinuisse. quia verisimile non sit Ecclesiam eiusmodi ceremoniam intermissuram. E. Concilijs priscisque scriptoribus loca adducebantur, in quibus *Chrismatis* & *Vnctionis* frequens mentio: sed quomodo ad Epheborum instructionem, aut examen possent aptari, id non perspiciebant. Itaque vanitatis arguendam inscitiam audacem eorum, qui contra communē Ecclesiæ vniuersalis sensū sacramentū primæ notæ nuperrime mutatum eant in ritum, qui in Ecclesia forsitan aliqua particulari semel adhibitus, vniuersè nunquam obtinuit, sicuti sacra Chrismatis vnctio.

Chrismatis & Vnctionis apud Patres mentionem arguere Confimationem fuisse aliud quàm Catechesin.

De ministro Confirmationis, vtrum solus Episcopus, an etiam quiuis Sacerdos. Soli Episcopo id tribuunt Franciscani.

Verùm super vltimo articulo maximas excitauit controuersias factum *D. Gregorij* Papæ, ministrationem Confirmationis etiam minutis Sacerdotibus permittentis. Franciscani enim adhærebant doctrinæ *D. Bonauenturæ*, quam sequutus *Scotus* cum vniuerso fratrum minorum ordine, soli Episcopo ministerium illud tribuentes, & quod in eo genere ordinarius quiuis Sacerdos tentare audeat, nullum atque irritum habentes. quam opinionem *Hadrianus* quoque VI. Papa tenuisse proditur. Respondebant igitur factum illud *Gregorij* fuisse permissionem, & ad tempus illud solummodo, & fecisse inuitum, ne gentibus ijs esset offendiculo: aut certè vnctionem à Gregorio permissam, Sacramentum Confirmationis non fuisse. At responsum hoc cum *D. Thomæ* minimè satisfaceret, quia Papam errore non eximit, temperamentum hoc commentus est, Episcopum quidem propriè ministrum esse Confirmationis, sed quemuis Sacerdotem Papæ permissu eam posse ministrare. Sed hic alteri probabiliter opponunt, Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse absolutam; Ministros videlicet Sacramentorum institutos à *Christo*; his Papam posse quidem imperare modum ministerij exercendi, sed efficere non posse, vt Sacramentum ministratum, ab alijs, quam ab ijs quorum interest, sit validum: aut vt Sacramentum collatum à ministro iuxta *Christi* institutionem, etsi contra ipsius Pontificis mandatum, sit nullum. Quocirca si *Christus* Episcopum instituerit Sacramenti huius ministrum, Pontificem non posse ministerium illud Sacerdoti concedere: si *Christus* Sacerdoti concesserit, Pontificem illud non posse impedire: mirumque videri, *Christum* in alijs Sacramentis, quæ omnia magis necessaria sunt, ministrum præscripsisse, nulla eius rei libertate hominibus relicta: in hoc verò, quod vsque ad commodam occasionem differri solet, singulare quiddam adhibuisse, cuius totis sexcentis annis, adusque *Gregorij* æuum ne minima quidem facta mentio. Et articulum fidei cudere voluisse super quatuor verbis, per occasionem prolatis. Quod si Epistola ea perijsset, nemo haud dubiè excogitasset distinctionem eam in eiusmodi materia inauditam, nec ad aliud, quam ad hunc *Gregorij* locum applicari idoneum.

Sacerdoti verò cuiuis Papæ permissu Dominicani.

Aliæ opiniones mediæ super eadem re.

Nonnulli neque huius, neque illius partis opinionem probantes, proponunt, ipsis Concilij Florentini verbis standum, neque vlterius inquirendum. Alij damnandum solummdo, qui diceret, Sacerdotem, non autem solum Episcopum esse ministrum ordinarium; quod ijs verbis vtraque opinio posset stabiliri, relicta hinc libertate inferendi, Ergo alius est minister extraordinarius, aut illinc colligendi: Ergo, non potest esse alius minister, quia Sacramenta ministrum nullum admittunt, nisi ordinarium.

Interea

Interea dum Theologi articulos ſupradictos excutiunt, in Congregatione habita à Canoniſtis ad abuſus colligendos circa eam ipſam materiam de ſacramentis in genere, & ſingillatim de Baptiſmo & Confirmatione, & remedia eiſdem præparanda, Decretum ab ijs concinnatur, ſex capitibus conſtans, quorum hæc fere ſumma. Synodum volentem tollere abuſus, ſiue hominum incuria, ſiue temporum vitio introductos, & de inſtituendis Eccleſiæ miniſtris, alijſque fidelibus ſolicitam, quemadmodum ſeſe gerere debeant in ſacramentis & cuſtodiendis, & miniſtrandis, ſtatuere.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciſcus* 1.

Decretum reformationis de ſacramentorum in genere abuſu corrigendo, & quibuſdam in ſpecie; cuius VI. capita.

I. Sacramenta Eccleſiæ gratis eſſe conferenda, neq; quicquam propter eorum miniſtrationem quouis prætextu exigendum aut petendum: neq; arculam, vas, aut veſtem pretioſam, aut aliud quid ſimile coram deponendum, vnde tacitè aliquid peti videatur. Non negandum aut differendum Sacramentum prætextu cuiuſcumque longæ & antiquæ conſuetudinis, de eodem non miniſtrando, niſi accepta prius certa mercede aut priore debito ſoluto, quandoquidem *neque prætextus conſuetudinis, neque temporis diuturnitas diminuit* peccata, ſed auget. & qui contra faciunt, obnoxios eſſe legibus contra Simoniacos ſancitis.

II. Sacramentum Baptiſmi non eſſe in locis profanis *aulis*, *vel cameris*, *aut alijs priuatis domibus* conferendum, ſed duntaxat in Eccleſijs, niſi neceſſitas emerſerit, aut liberis Regum & Principum ſit deferendum, iuxta Clementis V. conſtitutionem; quæ non in omnibus Principibus, ſed ſummis locum habet: neque ab Epiſcopis oleum Chriſmatis dandum, niſi decenter veſtitis, idque in templis, locis ſacris aut ædibus Epiſcoporum.

III. Sacramentum Baptiſmi à ſacerdotibus peritis & idoneis in Eccleſijs matricibus ſolummodo miniſtrandum, in quibus ſint fontes ad hoc ſpecialiter deputati: niſi propter profectionis moleſtiam Epiſcopis commodum videatur aliam Eccleſiam permittere; aut id ante ſit conceſſum longiſſimo tempore, cuius initij non extet memoria. atque aquam benedictam ex Eccleſia matrice in alias allatam, in vaſculo mundo ac decenti cuſtodiendam.

IV. In Baptiſmo & Chriſmate miniſtrandis vnum tantummodo ſuſceptorem admittendum, qui infamis non ſit, aut à piorum communione excluſus, Eccleſiæ ſacris interdictus, impubes, monachus, aut alius, ad ſponſionem præſtandam inidoneus; neque in Chriſmate alium in Patrinum adhibendum, quam qui ipſe oleo Chriſmatis inunctus.

V. Ad abuſum tollendum qui multis in locis inoleuit, circumferendi aquam luſtralem baptiſmi, aut deducendi paruulos Chriſmate perunctos fronte ligata, vt eâ aquâ manibus lotis, aut frontis ligamento laxato, plures ſuſceptores liberis ſuis comparent, quandoquidem nulla ſpiritualis parentela hac via contrahitur, Sacerdotibus non permittendum, vt aqua Baptiſmi è templo exportetur, ſed in ſacrarium ſtatim inijciatur, & fons baptiſterij occludatur. Epiſcopis quoque prouidendum quoties Chriſmate inungunt, vt præ foribus templi duo clerici ſtent, qui frontes Chriſmate vnctorum ſoluant & abluant, neque vllum ligatum ſinant è templo prodire.

VI. Curent item Epiſcopi ſedulo, ne quem excommunicatum, ſacrorum vſu interdictum, in peccato mortali hærentem confirment.

Et quamuis de his Decretis inter Canoniſtas multò melius conueniebat, quàm inter Theologos in articulis ſuis diſcutiendis, non deerant tamen inter eos controuerſiæ, de quibus cùm non omnes idem ſentirent, poſtquam eas ſatis diu diſputationibus exagitaſſent, definitio ad Congregationem generalem reiecta. Dubia autem erant huiuſmodi.

De Decreto hoc ſtabiliendo controuerſiæ ad Congregationem generalem reijciuntur.

I. An ad verba ea Decreti, *nihil quicquam exigendum aut petendum* addi quoque debeat, *aut accipiendum.*

II. An ibi quoque addendum, *etiam ſub prætextu cuiuſcumque conſuetudinis.*

III. An verba aliqua adiungenda, quibus appareat, Synodum oblationes voluntarias non vetare, aut prohibere ſolũ, quando dantur contemplatione ſacramenti, & non alio pietatis intuitu: an verò Decretũ generalibus modò verbis ſit cõcipiendũ.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Earundem in Congregatione generali conciliandarum difficultas.

In Congregatione verò Generali eædem obiectæ difficultates, quæ ægrè poterant conciliari. Qui additiones supradictas postulabant, *vt etiam vetarentur recipere*, ac *de prætextu consuetudinis*, citabant Euangelium, *Gratis accepistis, gratis date*. Et plerosque Canones cum anathematis aduersum eos, qui dant, aut accipiunt temporalia pro spiritualibus. Dicebant consuetudinem contra Legem Diuinam & naturalem non posse habere locum, quia mera sit corruptela. In Titulo *de*Simonia* meritò reprehensam & damnatam consuetudinem dandi, aut accipiendi pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, seu benedicendis nubentibus, seu benedictione Chrismatis, & olei, aut mortuis sepeliendis: quod Sacramentis multo magis sit applicandū. Nihil agi nisi consuetudo prohibeatur, quòd ea passim inualuerit, & excusationis materiam suggerat omnibus. sicuti Decreto damnatur mos accipiendi ante sacrorum ministrationem, pari ratione damnandos, qui postea accipere assueuerint. illa enim sola consuetudine damnata, hanc videri approbatam. Oblationes porro voluntarias omnino vetandas censebant, omninoque prohibendum, ne quid, quocunque aspectu, paulo ante, vel paulo post sacramenti ministrationem detur, vel accipiatur: quia temporis propinquitas facit vt sacramenti nomine id datum acceptumque præsumatur. atque in eam rem citabant glossam quæ dicit, etiamsi opus sit pium, pecuniam in templi capsulam conijcere; inducere tamen suspicionem *Simoniæ*, si sacramenti id fiat tempore. Tempus enim inprimis spectandum, cuius intuitu res alioqui bona, speciem improbitatis præferre videtur. Præceptum esse diuinum, vitandam omnem scandali occasionem, & ab omni specie mali abstinendum. Itaque vt sacramenta sincerè administrentur, oblationes spontaneas in ipsorū ministratione penitus vetandas, fideles vero hortandos, vt alias omnes suæ in Ecclesiam munificentiæ testandæ occasiones non prætermittant.

*Lib. 5. Decretal. Tit. 3. cap. 8. & 9.

Contra consuetudinem aliquid dandi aut accipiendi pro spiritualibus disseritur.

Eadem consuetudo vt legitima defenditur.

Altera parte dicebatur, Canonem IV. Concilij *Carthaginensis* concedere, vt id accipiatur, quod offert is, qui liberos curat baptizandos. Etiam Theologos, postquam statuissent, propter sacramenta nihil temporale esse accipiendum, vnanimes id sentire, propter operam in ministrando positam aliquid accipi posse. Idque multò magis, quando nec datur, nec accipitur ratione sacramenti, sed in eleemosynam; alioqui laicis adimi occasiones operum pietatis exercendorum: immo sublatis voluntarijs oblationibus, non esse, vnde tenues curiones alantur. Allegabant *D. Pauli* authoritatem, *non obligandum os boui trituranti*. item, *ei qui seruit altari, viuendum ex altari*. Neque vnquam confitendum, consuetudinem vllam introductam dandi accipiendiue quicquam proper ministerium sacramenti: propterea quod, cùm vbique gentium illud sit receptum, inde sequeretur Ecclesiam vniuersalem abusum perniciosum tolerasse, aut potius approbasse. quare nihil esse necesse verba facere de tollenda consuetudine, quæ nondum inualuit: aut dum remedia quæruntur malo, quod re vera malum non est, sed propter imbecillitatem conscientiæ quorundam malum reputatur, vulnus immedicabile Ecclesiæ infligere. Sed argumentum Achilleum videbatur, quòd Innocentius III. in Concilio generali**cap. Ad Apostolicam, De Simonia*; non solum laudabilem censet istam offerendi consuetudinem in sacramento ministrando, & obseruandam præcipit, verùm ab Episcopo quoque coercendos, qui eam mutare conentur. Quamobrem qui contrarium nunc statuere velit, cum immani Ecclesiæ scandalo Pontificem & Concilium generale damnaturum, vti erroris perniciosi patronos & approbatores.

*Cap. XLII. eius Tit.

Ea rursus impugnatur, & obiecta diluuntur.

Verùm ab alijs replicatum, Constitutionem Concilij Carthaginensis exactionem mercedis districtè damnare, sed oblationem spontaneam tolerare. illud ipsum tamen à Concilio *Eliberitano* emendatum, quod prohibet illius sæculi morem, quo baptizatus pecuniam in vas conijciebat. Inuentum Theologorum distinguentium ministerium sacramenti, ab opera in ministrando posita; item distinctionem de pecunia accipienda intuitu Sacramenti, aut alio aspectu; simul alteram de primaria & secundaria intentione, dicebant esse entia Metaphysica & Chimeras, cùm verba Euangelij expressa sint & simplicia, cauillis non obnoxia, aut glossematis textum euertentibus. Deum quidem per *Moysem* & *D. Paulum*, dum prohibet oris obligationem, innuere animali famelico alimentum non negandum, minimè vero concedere saturo,

vt

vt immoderata ingurgitatione distendat aqualiculum. frustra obtendi ordinis clericalis egestatem, cuius reditus non modo sufficiunt ad necessitatem, sed affluunt ad copiam. in hoc enim abusum versari, quòd Ecclesiarum Rectores in sacerdotijs suis non resident; fructus tamen omnes sibi seruant, nisi quod incertos quosdam sacerdotibus egenis locant, qui ad vitam tolerandam omnia diuendunt. Potius igitur prouidendum, vt apud beneficia sua omnes resideant: sic habituros, vnde vitam splendidè tueantur, neque Ecclesiæ sacramenta venum exponere necesse habeant. Atque ea occasione ad residentiæ necessitatem amplificandam diuertunt, & bona commemoranda, quæ sequerentur, si declararetur esse iuris diuini; id insuper addentes, si beneficium aliquod cum cura exile sit, Curioni aliorum beneficiorum simplicium vnione consulendum: quòd si aliunde non suppetat ei, vnde vitam commodè alat, a populo largiendum. Longè melius, Deoque gratius esse, errorem temporis acti confiteri, & medicinam malo facere, quàm tueri errorem, & in eo perseuerare. Cardinalis etiam *Montanus*, qui de cætero, omnium opinione à reformatione erat alienior, huic certè causæ acriter patrocinabatur, ad authoritatem *Innocentij III.* in Concilio generali respondens, insignem huic Pontifici, & illius Concilij Patribus fieri iniuriam, quibus tanti abusus patrocinium ascribitur; suamque ipsos prodere ignorantiam. Legentibus enim tria eiusdem Concilij capitula proximè præcedentia, Patrum mentem perspicuam euadere, exactiones omnes vetantium, & damnantium consuetudinem in contrarium. Neque enim eo capitulo approbari consuetudines dandi aliquid propter ministrationem Sacramentorum, sed alias licitas, & honestas acquirendi rationes, in fauorem Ecclesiarum introductas, vtpote decimas, primitias fructuum, oblationes ad altare fieri solitas, Canonicas portiones, aliaque laudabiliter instituta. immo *Bartolum*, & *Romanum* Iureconsultos in eum sensum capitulum illud interpretatos.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

Cap. LXVI.

à Cap. LXIII.

Iam Patres formandis in materia fidei Decretis destinati, consideratis Theologorum opinionibus, & conclusionibus, de quibus inter eos conuenerat, articulisque ad illorum mentem siue omissis, siue distinctis, sed serie multò commodiore ordinatis, super Sacramentis in genere anathemata XIIII. conficiunt: X. quoque de Baptismo, & III. de Chrismate: omnia ea cura explicata, vt opinionum Catholicarum nulla censuræ subijceretur, sed verbis expressa communibus, omnibus partibus satisfacerent. At in capitibus concinnandis ad doctrinæ itidem explicationem, sicuti nuper in tractatu de Iustificatione factum fuerat, ratio nulla excogitari poterat, quà, vnius opinionis verbis adhibitis, contraria sententia non prorsus repudiata videretur. quæ res neq; Doctoribus placebat, propter eum, quo propriam quisque sectam ardebat affectum: neque Legatis, ac neutrarum partium hominibus, ne nouorum schismatum semina spargerentur. Verùm cum animaduerterent doctrinam adeo generaliter leuique manu explicari non posse, quin magis in hanc, quàm in illam partem propendere necesse habeat, placuit ad Congregationem generalem reijcere determinationem modi, quo sacramenta gratiam continent, & consequuntur.

Patres Decretis designati Anathemata sic conficiunt, vt Theologis omnium partium satisfieret: sed in capitibus doctrinæ, quia id præstare non poterant, rem ad Congregationem generalem reijciunt.

Vbi ad eam ventum est, Patres cum eisdem difficultatibus conflictandum sibi vident, quibus antea obnoxij, qui decretis formandis destinati. E Patribus nonnulli volebant caput doctrinæ plane omitti, & anathemata solùm proponi, sicut in capite de peccato originis factum esset. Pars alia Patrum capita doctrinæ deposcebat, allegatis eisdem rationibus, quæ allatæ fuerant, quando de iustificatione ad eum modum explicanda deliberatum est. Exemplum tunc introductum, dehinc necessariò sequendum: neque aliter omnibus posse satisfieri. Nec à schismate vllum esse periculum. Theologos enim, qui Concilio intersint, etsi opiniones suas acriter tueantur, Synodo tamen se subijcere; cumque de absentibus idipsum certò sit sperandum, non esse committendum, vt decretum non omnibus suis partibus absoluatur, ad hæreticos conuincendos. Atque hæc sententia magnum apud omnes pondus habitura credebatur, nisi *Ioannes Baptista Cigala* Episcopus *Albinganensis*, & Cameræ Auditor, strenuè sese ei obiecisset; affirmans, historias veteres peruolutanti vix aliquem iri repertum, qui opinionem propriam abdicarit, quia esset publicè damnata, nisi coactum. atque tametsi Catholici omnes Ecclesiæ Romanæ iu-

Ibi sententijs Patrum variantibus nihil decernitur.

Homines opinionum suarum admodum tenaces, vtut verbo submissionem & obsequium magistratibus prædicantur.

dicio

Paulus. 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

dicio se submittant, si tamen opinionem suam sentiant reprobari, ab ea non ideò discessuros, sed pertinaciùs animosiùsque eam propugnaturos, ab ipsa oppositione vires animumque sumentes. ita ex sectis hæreses generari. Quas qui præpedire cupiat, huic omnes opiniones tolerandas, procurandumque, ne vna alteram damnet, sed pacificè ac quietè suam sibi quisque habeat. neque vnquam vnam cum altera principio sic pugnare, vt moderatione hac adhibita, detrimenta inde oriantur: contrà verò eâ neglectâ, discrepantiam in verbo vno, immo in minimo apice satis esse ad orbem in partes diuidendum. Multas opiniones nouatorum huius æui potuisse tolerari, si modestè eas asseruissent, Ecclesiæ Romanæ fide, & scholarum doctrinâ non vtique damnatis. Coactum inde *Leonem* Pontificem contra *Lutherum* tela retorquere, quæ in Sedem Apostolicam ille vibrasset. Replicabat denique prudens ille Antistes, vsitatas Doctorum in simili casu attestationes, de semetipsis Ecclesiæ arbitrio permittendis, verba esse, quibus de more fidem & obseruantiam suam homines profitentur, quibus pari respectu sit respondendum, in partium contrarietate neutris adhærendo. sic moribus esse comparatum, vt, qui ab alio cultum expectat, eundem ipse reuerenter habere debeat. neque facile credendum, eum, qui se paratum dicat ad se submittendum ac subijciendum, eo esse re vera animo, si sui prodendi occasionem adipiscatur. indicio manifesto esse *Lutherum*, qui, quamdiu erat illi negotium cum solis fratribus Indulgentiarum in *Germania* præconibus, aut cum Theologis *Romæ*, Papæ se arbitratui verbo permittebat. vbi verò Pontifex, quod in speciem ille promiserat, vrget, vt re comprobet, non modò *Martinus* promissioni stare recusat, sed mox in Papam ipsum acerbiùs inuehitur, quàm nuper in quæstores illos in *Germania* bacchatus esset.

Legati Pontificem consulunt.

Legati omnium quæ deliberata essent, & difficultatum, quæ superessent, tam in materia fidei, quam abusuum reformatione exemplaria statim *Romam* mittunt, quò Pontificis mentem ac mandatum de ijs, quæ decernenda erant, intelligerent, ea ipsa capita interim repolientes, sed inprimis caput de *Pluralitate beneficiorum* iam propositum, & in parte ventilatum paulo studiosius excutientes: qua de re continuam ac fusiorem narrationem in hunc locum congessimus.

Agitur interim de qualitatibus Episcoporum.

In Congregatione Idibus Ianuarij habita, lectis, qui super Sacramentis confecti erant, articulis; materiaque, quæ die superiori disceptari cœpta erat, continuata, præter eam de *pluralitate beneficiorum*, visum etiam agere de qualitatibus & conditionibus Episcoporum, plerisque ideo non residentibus, quòd muneri exequendò non sunt idonei. Super ea re multa dicta, exordio facto ab ijs, quæ *D. Paulus* in Episcopo & Diacono requirit, verbis illis insistendo, vt sit *irreprehensibilis, hospitalis, non auarus, non nouitius in religione, bonum etiam testimonium habens ab extraneis & ijs qui foris sunt.* additæ item aliæ conditiones Canonibus præscriptæ. Neque hic vlla orta controuersia, omnibus in vitia & enormitates Præsulum atque Ordinis Ecclesiastici vno ore declamitantibus. quod Legatis non displicebat: quibus iucundum erat spectare Antistites hac imagine libertatis otium suum fallentes. Verùm in ipso orationis calore *Ioannes Salazar* Episcopus *Lancianensis* culpam omnem in Aulam Romanam tanquam mali fontem coniecit, quæ in Episcopatuum distributione non personarum promerita, sed operam sibi præstitam contemplatur. Quem Episcopus *Bitontinus* excipiens, prudenter admodum respondit, immerito in Curiam Romanam crimen illud conferri, quod aliò sit transferendum: cùm in *Germania* Episcopatus per electionem, in *Gallia, Hispania, Vngaria*, per nominationem Regiam deferantur; in *Italia* plerique sint de iure patronatus, & in his qui sunt liberi, deferendis, Principum commendationibus, quorum preces sunt armatæ, plurimum sit tribuendum; qui cùm excusationem non admittant, Pontifici eorum pro merito conferendorum libertatem adimunt. Hunc vero, qui veritatem, non opinionem consectetur, neque affectibus transuersus agatur, sed puro synceroque iudicio dignetur res arbitrari, facile conspicaturum, Episcopos, qui *Romæ* liberè fiunt, omnium per vniuersam *Europam* esse laudatissimos. Beneficiorum pluralitatem, malum in Ecclesia primæua incognitum, non à Curia Romana importatam, sed ab Episcopis & Principibus, priùs quam Pontifices curam sibi sumpsissent rei beneficiariæ per orbem Christianum

Quod Episcopi creentur ad id munus parum idonei, id Curiæ Romanæ tribuitur.

num dirigendæ: qui nisi accuratè prouidissent, vti in corpore Canonico videre est, malum hoc iampridem ad culmen peruenturum fuisse. Hæc Præsulum contentio, prout quisque afficiebatur animo, ita placere aut displicere: id vnum omnes animaduertere, hoc argumentum non sine manifesto discrimine tractari, quod ex sequentium congregationum tractationibus clariùs post apparuit.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Quoniam vero res hæc est cognitione dignissima, mihi quidem conducibile videtur, & mali ipsius fontem aperire, & quibus gradibus ad fastigium abusus iste ascenderit, exponere. Atque vt silentio transmittam fortunatum illud æuum, quo, vt nomen Ecclesiæ vniuerso fidelium cœtui erat commune, ita vsus, & dominium bonorum, quæ vocantur Ecclesiastica, ad omnes spectabat; atque ex vna communi massa id sumebatur, quod ad victum vestitumque pauperum ac ministrorum sufficeret, immo illorum quam horum necessitatibus, solicitiùs prospiciebatur. Tum vt illud non commemorem, quando hominum vitio gradu vno est descensum, vnicâ illa massâ in quatuor partes tributâ, pauperumque parte infimo loco collocata, quæ fœlici sæculo primum obtinebat locum. Ab eo tempore mihi decretum initium sumere, quo, excluso ab Ecclesiæ nomine populo Christiano, solisque Clericis id sibi nomen vendicantibus, vt simul vsumfructum, & dominium bonorum sui iuris facerent, id in paucorum commoda cesserat, quod prius omnium erat; & opulentis id applicatum, quod egenorum vsibus prius inseruiebat. Horum, inquam, temporum principio, cùm Clerici inter se omnes Ecclesiæ reditus distribuissent; munera, quæ antea à cura spirituali ministeria vocabantur, & officia, secularia potissimùm spectare cœperant, & beneficia nominari. Sed vigentibus etiamnum Canonibus antiquis, quibus minimè licebat vnum aliquem in duos titulos ordinari, nemo vnus poterat, nisi vnicum beneficium obtinere. Cùm autem bellorum & inundationum calamitatibus obuentiones Ecclesiasticæ adeo essent attritæ, vt ad victum ministrorum non suppeterent, factum inde, vt beneficium quandoque conferretur in eum, qui alterum iam tenebat; sed eum tamen, qui vtrique commodè posset attendere. Quod quidem non tum factum in fauorem eius, qui beneficio fruebatur, sed illius Ecclesiæ bono, vt, quæ proprio ministro destituebatur, gauderet saltem aliquo ministerio; qua mensura conuenienter poterat præstari. Hoc deinceps colore, quòd vnicum beneficium ad alendum ministrum non sufficiebat, neque facilè reperiebatur, qui in se curam reciperet, porrò itum est, ad plura beneficia vni concedenda, etiam tum temporis, cùm an necessitas Ecclesiæ id postularet, planè non constabat. tandemque positâ pedetentim laruâ non puditum est, in gratiam eius qui sacerdotium tenebat, idipsum facere, quod bono Ecclesiæ antea fiebat. Verùm cùm ea beneficiorum multiplicatio maximo apud populum offendiculo esset, necesse fuit eam moderari, & honestis nominibus obuelare. Vnde, quòd iam inualuisset prior illa distinctio beneficiorum in ea, ad residendum in quibus ministri erant obligati, & alia in quibus non tenebantur residere, addita mox altera compatibilium & incompatibilium; atque incompatibilia dicta beneficia in quibus erat residendum; compatibilia verò alia omnia, quæ & cum his, & seorsim inter se retineri poterant. Sed in his omnibus semper honesto colori locus præcipuè quæsitus, subseruiente glossa Canonistarum; *plura vni beneficia deferenda non esse, nisi quando vnum ministro alendo non sufficit*. Quantum autem esset satis cuique largo pede metiebantur, non personam, sed qualitatem personæ respicientes, neque id reputantes satis esse Sacerdoti gregario, quod non ipsi, familiæque è consanguineis, tribus famulis, & equo alendo sufficeret. quòd si nobilis esset, aut bene doctus, eo plus illi largiendum. Neque est credibile quàm larga manu Episcopo portionem suam assignarint, dignitatem & decorum loci eius contemplati. Nam ad Cardinales quod attinet, Curiæ Romanæ sermo quotidianus Regibus eos æquiparat: vnde nullus apparatus aut reditus ijs nimius videatur, nisi qui Regium exsuperet. Consuetudine igitur sic inualescente vt resisti ei non posset, Pontifices Romani sibi solis reseruarunt potestatem dispensandi de beneficijs incompatibilibus; & è cæteris, vt plura duobus obtinere possent. Sed vt colorem aliquem actionibus suis obtenderent, via facta est *Commendis*: quas olim bene institutas, labente tempore in sua commoda verterunt. Enimuero

Qua occasione plura in vnũ hominẽ beneficia primum collata, quibusq; gradibus pluralitatis malum ad summum ascenderit, accurata dissertatio.

Beneficia cõpatibilia & incompatibilia.

Inde Põtificia potestas dispẽsandi de incõpatibilibus.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

Inde *Commendis* via patefacta; quæ Ecclesiæ bono institutæ fœdissimè degenerarunt.

uero bello, aut pestilentiâ, aut aliâ eiusdem modi causâ sic per regionem aliquam grassante, vt in ministri vita functi locum alius statim eligi non posset, is, penes quem regimen erat & administratio Ecclesiastica, vacantem Ecclesiam homini notæ probitatis & doctrinæ commendabat, vt præter Ecclesiæ propriæ curam, vacantem etiam administraret, quoad de proprio & peculiari Rectore ei prouideretur: qui tamen nullam in Ecclesiæ facultates potestatem exercebat, nisi vt rite eas gubernaret, conseruaretque. Temporis progressu commendatarij, varios siue necessitatis, siue honestatis aspectus obtendentes, fructus occuparunt, atque, vt diutius ijs fruerentur, quominus Ecclesiæ aliter prospiceretur, varia impedimenta obiectare solebant. Cui malo vt iretur obuiam, præscriptum, ne Commenda duraret vltra sex menses. At Pontificibus visum ex plenitudine potestatis multo longiori tempore Ecclesias id genus commendare, tandem etiam durante vita commendatarij, & cum eo, vt facultas esset, præter impensas necessarias, emolumentis omnibus vtendi fruendi. Sic quod vtiliter fuit excogitatum, cùm à prima institutione degenerasset, temporibus corruptis adhibitum ad pluralitatem palliandam; cum beneficiato aliud beneficium, aut plura commendarentur: seruatis scilicet verbis legis, de non conferendo nisi vnico vni personæ beneficio, sed mente neglecta, quandoquidem commendatarius ad vitam, re & effectu non differebat ab eo, qui cum titulo possidebat. Et quidem in immenso beneficiorum commendatorum numero, adeo fœdè, ac turpiter ab officij tramite est exorbitatum, vt hoc ipso seculo, postquam Lutherani se commouissent, & reformationem omnes deposcerent, *Clemens VII.* Papa non erubuerit anno M.D.XXXIV. *Hippolito Medicæo Cardinali* nepoti suo, omnia per Orbem beneficia secularia & regularia, dignitates, & rectoratus, simplicia & curata vacantia commendare spatio sex mensium, ab eo die, quo in possessionem eorum mittendus esset, computandorum, cum potestate de fructibus omnium arbitratu suo disponendi, eosque in vsum suum conuertendi. Qua quidem enormitate, sicuti meritò existimari potest improbitas culmen attigisse: ita superioribus sæculis inauditus fuerat numerus commendarum ita immanis, Curiâ Romanâ eò impudentiæ progredi nondum ausâ.

Ab eadem pluralitate & *Vnio beneficiorum*.

Ad eandem tamen pluralitatem beneficiorum palliandam aliud quoque tunc adhibitum, quod antiquitus certe Ecclesiæ etiam bono inuentum, *Beneficiorum vnio*. Eius principio tum erat vsus, quando Ecclesiâ aliquâ, aut subuersâ, aut obuentionibus iniuriâ occupatis, quod erat reliquum, ad vicinum beneficium vna cum onere transferebatur, vt vnicum ex vtroque conflaretur. Sed Curialium industria factum, vt cessante omni id genus contemplatione plura beneficia in vnum coniungerentur, cuius collatione pluralitas omnino tegebatur, si forte in gratiam Cardinalis, aut viri alicuius illustris XXX. aut XL. beneficia vnirentur, etiam in diuersis orbis Christiani locis sita. Inde tamen nata mox incommoda, quia & numerus beneficiorum imminuebatur, & vni facta gratia cum multis succedentibus communicabatur; illis plerumque neque commerentibus eum fauorem, neque deposcentibus, etiam Curia & Cancellaria magnum inde detrimentum sustinentibus. Quare huic malo obuiam itum est subtili & arguta solertia vniendi in vnum corpus quot beneficia Papæ æquum videretur, idque durante solummodo eius in quem conferebantur, vita: cuius obitu vnio illa *ipso facto* soluta intelligeretur, & beneficia in priorem statum restituta. Hac via inuentionum argutijs aditus patefactus collato in speciem vnico beneficio, sed quod reapse complura secum traheret; quo quicumque gaudebat, poterat ad eundem modum peccatum suum confiteri, quo is, qui patri piaculari fassus, se furto abstulisse frænum equi, reticens interim fræno huic alligatum fuisse caballum.

De remedio puralitati adhibendo variæ Patrum sententiæ.

Ad reformandam igitur pluralitatem visum est necessarium triplicem hunc prætextum tollere. Quod adeo prudentissimis quibusque Patrum fuit acceptum, vt re in deliberationem allata, omnes vnanimi assensu censuerint vetandum, ne quis cuiuscunque conditionis, plura beneficia quam tria possit obtinere. A nonnullis adiectum, quando duo ex his annuum valorem CCCC. Philippæorum non attingunt. Ijdemque volebant, omnes cuiuscumque gradus, aut sublimitatis huic regulæ

læ subijci, ne plura beneficia tenerent, quam vnum, si tantum pensitaret annuatim; aut duo, si tanti essent: certè non vltra tria, siue eam summam pertingerent, siue minus. Atque cum hinc disceptandi nata esset occasio, litis materiam auxit, quod ab *Aloisio Lipomano* Episcopo *Veronensi* subiectum, Decretum hoc etiam extendendum ad eos, qui in præsens maiori beneficia numero obtinerent: hosque omnes, nulla dignitatis aut eminentiæ habita ratione, cogendos tribus solùm retentis cætera eiurare; idque intra sex menses, si degant in *Italia*; intra nouem, si extra *Italiam*. nisi pareant, absque alia vlla declaratione beneficijs priuandos: neque respiciendum, vtrum vnionis, aut commendæ iure, aut quocumque alio titulo possideantur. Huic sententiæ accedebat Episcopus *Feltrensis*, adhibita tamen dispensationum, commendarum & vnionum distinctione. Nam cum aliæ Ecclesiæ bono fiant, aliæ in fauorem beneficiati, illas validas esse cupiebat, vt in Ecclesiæ emolumentum quamtumnis multa beneficia tenerentur: has verò priuata possidentium commoda spectantes, certis regulis & limitibus constringendas censebat. Verùm distinctionem istam non admisit Episcopus *Lancianensis*, quod diceret, non esse consentaneum rationi, vt qui Legem sancit longo tempore duraturam, is exceptiones in ipso corpore Legis admittat. ita enim comparatos esse homines ad malitiam, vt fucatos obtentus facile reperiant, propter quos exceptione sese comprehendi velint, ab regula immunes. Episcopus etiam *Albinganensis* multis verbis ostendit, bonas Leges futuris actionibus tantùm formam præscribere, sed præterita non respicere: eosque qui extra terminos rationis egressi, anteacta etiam emendare sategerint, tragædias semper excitasse, & loco reformationis maiorē deformationem inuexisse. imo magno conatu magnas nugas agere, qui credant, hominibus, quibus de suo demitur, quod multos annos possederant, persuaderi posse, vt ea sorte sint contenti. Quin etiā præuidere se, si eiusmodi Decretū fiat, aut non receptū iri, aut certè, si recipiatur, resignationes palliatas & simoniacas inde nascituras, & tota plaustra malorum, quæ deteriora multo sint, quam si plura beneficia retineantur. Cæterùm curam eam de prospiciendo in futurum, videri sibi superuacaneam. Cum enim nemini liceat pluribus beneficijs frui, nisi impetrata à Pontifice dispensatione, rem factam habere, si ille cum animo suo statuat, dispensationem nullam concedere.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Leges futuris modum præscribere, ante facta nōn respicere.

In ea Congregatione inter multas variorum tragicas exclamationes *Bernardus Diazius* Episcopus *Calagoritanus* dixit, Ecclesiam *Vicentinam*, quæ maxima rerum confusione laborabat, sicuti omnibus erat notissimum, requirere Apostolum pro Episcopo; *Cardinalem Ridolfi* redarguens, qui præter tot alia beneficia Episcopatum eum tenebat, neque ipse in Episcopum ordinatus, neque de Episcopatu eo administrando curam animo concipiens: quem vt nunquam oculis suis vsurpauerat, ita nihil eius aut curabat, aut scire volebat, nisi vt censum annuum à conductore exigeret. Et verò vnusquisque grande illud incommodum aut irridebat, aut deplorabat, nobilissimas Ecclesias Episcopis suis nunquam visas, siue aliorum Episcopatuum cura, siue dignitatum magis fructuosarum sollicitudine occupatis. Plerique dicebant solum Pontificem huic malo posse prouidere, & nonnulli cum *Albinganensi* sentiebant reformationem eam Pontificis esse propriam. quod Legatis admodum placebat, tam ad Papæ dignitatem tuendam, quàm ad se argumenti huius molestia expediendos, quam propter opinionum & finium varietatem non temere digeri posse præsagiebant. Affulgebat præterea ijs bona spes, si à Patribus impetrassent, vt huiusce rei reformationem ad Pontificem vellent referre, futurum, vt eidem arbitrandum relicturi essent caput de residentia, quod ad digerendum erat multo difficilius, tum quia erat populare, tum quia authoritatis & Iurisdictionis Episcopalis recuperationem in se complectebatur. Legati igitur spem concipientes id posse obtineri, præsertim si, vti res iam facta, non vt facienda, proponeretur, Pontificem ilico faciunt de re omni certiorem: qui nuncius illi pergratus accidit; Curia vniuersa, & Pontifice ipso admodum anxijs, quorsum euasura essent Præsulum incoepta & conamina. Et cùm illi non differenda videretur rei bene gerendæ, quæ dabatur, occasio, sed, quod dici solet, *ferrum dum in igne est, feriendum*, etiam vlteriùs sibi progrediendum ratus, quàm Legati significarant, diploma quàm ocissimè promulgat, quo totum reformationis

In solo Pontifice situm esse cohibitis dispensationibus malo Pluralitatis mederi.

Pontifex diploma cogitat, de reformationis negotio ad suum tribunal euocando.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

formationis negotium ad ſuum tribunal euocauit. Sed interea dum Patres Tridentini Pontificis reſponſum *Roma* præſtolantur, tractationem iam coeptam continuantes, Decreti ſchedulam conficiunt, ne cuiquam liceat niſi vnicum Epiſcopatum tenere, qui verò plures habeat, reliquis abdicatis vnum ſolummodo vt retineat: vt in poſterum quicumque plura beneficia minora incompatibilia obtinebit, is iiſdem ipſo facto priuetur abſque alia declaratione. qui autem plura iam poſſidet, diſpenſationem ſuam Ordinario exhibeat, cuius eſt procedere iuxta *Innocentij* IV. Pontificis Decretum. Atque in ſuffragijs ſuper his capitibus ferendis plerique hoc addi inſtabant, vt poſtmodum diſpenſationes nullæ concederentur. Illud ſanè paucis placuit, diſpenſationes iam conceſſas oſtendere, & ſecundùm Innocentij decretum procedere; quod dicerent, omnes hac via probatum iri, & malum inueteratum fore robuſtius, ſi conditiones ab Innocentio poſitæ reſpiciantur. Ille enim admitti iubet diſpenſationes ſi bonæ reperiantur: ſin quid dubij inſit, vti Romam res referatur. certum autem eſſe, nullum negotium non dubij quidpiam habiturum; ſed eius dubij Romæ declarationem eiuſmodi futuram, quæ reſpondeat conceſſioni. Dum res hoc ſtatu permanent, beneficiatos emendationem & prouiſionem forte ſubuereri: diſpenſationibus verò ſemel examinatis, & approbatis (ſic enim haud dubie, futurum eſt) tum abuſum magis magiſque corroborari. Ideo complures ſentiebant diſpenſationes protinus eſſe vetandas: alijs tamen refragantibus, quòd in Eccleſia ſemper obttinuiſſent, & viderentur neceſſariæ; tum quòd ſi bene ijs vtantur, commodè poſſent ſubſiſtere.

Diſpenſationes Pontificias quibus pluralitas innititur, ſine cauſſa legitima eſſe irritas.

Marc. *Vignerius Senogaliæ* Epiſcopus opinionem in medium attulit, quæ publicè credita & recepta vniuerſum Ordinem Eccleſiaſticum nullo negotio reformaſſet. Poſſe Synodum incommodis omnibus occurrere hac facta declaratione. Ad diſpenſationem conſequendam neceſſariam eſſe cauſam legitimam: quæ niſi afferatur, & peccare eum qui diſpenſet, neque poſſe abſolui niſi diſpenſatione reuocata; & qui eam obtineat, nihilo magis per eam conſcientiæ ſecuritate & quiete frui, ſed in peccato permanere, quoad beneficia ſic impetrata abdicarit. Erant tamen qui in contrarium diſſererent, confitentes eum qui facultatem concedit plurium beneficiorum abſque cauſa legitima grauiter peccare: ſed diſpenſationem interea eſſe validam, & qui eam adeptus ſit, vtcumque cauſam illegitimam eſſe apud animum ſuum agnoſcat, in foro conſcientiæ ſatis eſſe ſecurum. Atque in huiuſmodi altercationibus dies aliquot conſumpti, his querentibus omnem Papæ authoritatem labefieri; illis rurſum affirmantibus iniquum eſſe, eo vſque Pontificiam authoritatem extendere, vt quod malum eſt ſui naturâ, per eam malum non ſit. Inde alia orta dubitatio, vtrum pluralitas beneficiorum interdicta ſit lege Diuina, an humana. qui reſidentiam de iure diuino inſtitutam prius aſſerebant, etiam hic à lege Diuina ſtabant, ideoque Papæ facultatem diſpenſandi negabant: alij contra pluralitatem iure tantùm Canonico vetitam contendebant. Neque leuis erat operæ Legatis contentionis flammam iſtam ſopire, cui ſuppoſiti cineres periculoſi; tum quia reſidentia denuo in apertum protrudebatur; tum quia authoritas Pontificis, licet nomini eius parcerent, manifeſtè perſtringebatur: ſed maximè, quòd acuta illa de vi ac valore diſpenſationum diſceptatio rem omnem ad compromiſſum deduceret. In ſumma hac rerum perturbatione *Didacus Alanus Aſtorgenſis* Epiſcopus cenſuit, eo quòd ſuper diſpenſationibus non conueniret, commendas ſaltem & beneficiorum vniones vetandas, quarum prætextu diſpenſationum abuſus obuelatur, ſatis multis in vtraſque inuectus. Vniones enim & commendas *ad vitam*, eſſe res abſurdiſſimas, ex quibus aperta confeſſio elicitur Eccleſiæ bonum non ſpectari, ſed beneficiatorum: maximo omnibus eſſe offendiculo, ex quo non ita pridem ad paucorum auaritiam & ambitionem explendam orbem inuaſerant: indignumque eſſe nomine Chriſtiano tam pernicioſo tamque notorio abuſui patrocinari. Verùm Epiſcopi Itali, quorum bona pars emolumentum aliquod ex his captabant, orationem adeo liberam ingratis auribus hauriebant, illud quidem laudantes, vt prouiſio ac moderatio aliqua adhiberetur, ſed vt omnino tollantur haud aſſentientes.

Vtrum lege Diuina au humana interdicta ſit pluralitas beneficiorum.

De Commendis & beneficiorum vnionibus prohibendis.

Pontifex Legatis reſpondet, & diploma mittit, quod illi partibus diſpliciturum facile perſpiciunt.

Menſe Februario ineunte *Româ* perlatum reſponſum Pontificis, cum Diplomate, quod

quod ipsis Legatis æstimantibus nimis amplum visum. Tentatum tamen quanta futurum esset validitate, tum re denuo proposita, tum eadem sententia, quam Legati antea exposuerant, à suis repetita: nempe propter rerum difficultatem, & opinionum discrepantiam esse præstabilius, molestia hac Synodum liberare, re omni ad Pontificem reiecta. At Præsules Cæsarei, etiam ij, qui antea causæ huic fauere putabantur, confidenter respondent, id consilij cum opprobrio Concilij esse coniunctum: quorum sententiæ reliquorum plerique accedentes, quæ antea essent dicta replicabant, confusione maiori omnibus inuolutis. * Legati igitur id tempus alienissimum esse ad Pontificium diploma proferendum conspicati, Romam rescribunt, nullam subesse spem de toto reformationis negotio ad Papæ censuram reuocando. sin materiam placeat diuidere, sibique eam partem sumere, quæ magis proprie ipsum attingat, vtpote dispensationum & priuilegiorum moderationem, eique insuper adiungere Cardinalium emendationem, tum bene sperare se, magnum fieri posse operæ pretium. Quod si ita ille apud animum suum instituerit, occasionem ante occupandam, diplomate super reformatione Curiæ Romanæ iam ante Romæ euulgato. Nullum enim Papæ denegaturum facultatem aulæ suæ reformandæ, & eorum quæ propriè ipsum tangunt. Sed vt illud diploma in Concilio publicetur nihil esse necesse. Synodo verò abunde posse satisfieri, si ei permittatur tractatio reliquorum capitum reformationis, quæ ad Curiam minimè pertinent. Illud autem Pontifici diligenter aduertendum, Synodum, si in futurum modò prospiciatur, ea prouisione non acquieturam, sed vt concessionibus scandalosis, quæ in præsentiarum Ecclesiam male habent, consulatur, indesinenter flagitaturam.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Henricus* 8. *Franciscus* 1.

*Quid sui sit consilij Pontifici rescribunt.

Peracta ea Congregatione, Præsules Hispani cum alijs suarum partium, qui circiter viginti in vnum conuenerant, & communiter consultarant, duce Cardinali Pacieco, statuunt; si ea ratio, quæ in Congregationibus hactenus habitis obtinuit, porro valeat, nunquam quidquam, quod magnopere Ecclesiæ intersit, posse determinari. nam si quid bene ac vtiliter à quoquam dicatur, id ab ijs, qui actionum Synodi moderandarum partes sibi vendicant, dissimulari; aut certe spissa contentionum nube obscurari. esse itaque necessarium rationem eam immutare, & postulata omnia scriptis mandare, vt aliquid tandem concludatur. Atque vt dictis facta essent consona, ipsi censuram super capitibus propositis scripto consignatam Legatis exhibuerunt in Congregatione, quæ habita die III. Februarij.

Præsules Hispani de forma rerum in Synodo tractandarum queruntur, eamq; immutatam cupiunt.

Censura hæc vndecim articulos complectebatur.

I. Inter qualitates Episcoporum & Parochorum, conditiones eas omnes ponendas, quæ vltimo Concilio Lateranensi sancitæ; propterea quod in ratione, quæ hucusque obtinuit, nimis lata via dispensationibus sternatur, quas nostris temporibus expediat omnino tolli, & strictissimam reformationem institui, propter hæreses quibus dant causam, & scandala, quibus infirmos offendunt.

Eorundem super capitibus de reformatione propositis Censura scripto exhibita, XI. constans articulis.

II. Cardinalibus palam significandum, teneri eos ad residendum in Episcopatibus suis quotannis sex ad minimum menses, sicuti alijs Episcopis supra est iniunctum.

III. Ante omnia declarandum Præsulum residentiam esse *de iure Diuino*.

IV. Declarandum item, pluralitatem Cathedralium Ecclesiarum esse maximum abusum, monendosque singulos, ac nominatim Cardinales, vt vna sola sint contenti, atque alias intra breue tempus relinquant, certè ante exitum Concilij.

V. Tollendam quoque minorum Ecclesiarum pluralitatem, eâ non in posterum modò, sed in præteritum etiam prohibitâ, reuocatisque omnibus dispensationibus antea concessis; Cardinalibus alijsue minimè exceptis, nisi iustas ac legitimas afferant causas, quas coram Ordinario curent approbandas.

VI. Vniones beneficiorum *ad vitam* etiam iam factas, omnes reuocandas, quippe pluralitatem introducentes.

VII. Singulos qui beneficium habent cum cura, aut alia beneficia residentiam requirentia, nisi resideant, pœnam depriuationis incurrere, neque vlla dispensatione iuuari, nisi in casibus à lege permissis.

VIII. Quem-

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

VIII. Quemuis habentem beneficium cum cura ab Episcopo examinandum, & si illiteratus, improbus, aut ab aliam causam parum idoneus reperiatur, beneficio priuandum, idque in alium conferendum, qui rigido examine se eo dignum præstet, non autem ad Ordinarij voluntatem.

IX. Beneficia curata deinceps non conferenda, nisi examine & inquisitione præeunte.

X. Neminem ad Ecclesiam Cathedralem promouendum, nisi inspectione prius *in partibus* facta, saltem in natales, vitam, & mores.

XI. Nullum Episcopum in aliena dioecesi posse ordinare sine venia Ordinarij, neque alios, quam qui ex eadem sint dioecesi.

Legati tam censurâ ipsâ, quàm exhibendi forma & Censorum ingenio commoti, rem ad Pontificem deferunt.

Legatos hæc censura vehementer conturbauit, non tam quod articuli proferrentur in medium, ad authoritatem Pontificiam restringendam, Episcopalem verò ampliandam spectantes, quàm quòd noui res esset exempli postulata scripto exhibere, & tam multos in vnam postulationem conspirare. Itaque quid animi haberent dissimulantes, reique propositæ magnitudinem causati, tempus sumunt ad deliberandum, non deesse interea dicentes permulta alia capita reformationis, quibus examinandis otij tædium discutiant. Pontifici interim, quæ acta essent, singillatim nunciant, simul addito, Præsules indies effusiorem sibi licentiam arrogare, nec temperare à verbis de augustissimo Cardinalium Senatu parum honorificis; quos aperte dictitent, in ordinem necessariò esse cogendos: imo de Beatitudine sua minus quàm deceat, loqui reuerenter, quasi verba tantum dare studeat, & Synodum ad homines inani spe lactandos, non autem ad abusus serio reformandos celebret. Neque facilè in officio postmodùm contineri posse, qui tam frequentes inter se coetus habeant, & Congregationes. Quamobrem nihil sibi videri conducibilius, quàm seriam Romæ reformationem instituere, quæ etiam ante proximam Sessionem euulgetur. Eò quoque mandarunt Præsulum Hispanorum censuras, Pontifici cogitandum relinquentes, quò illorum incoepta tenderent, & quorsum possent euadere, cum verisimile non fiat, tantam rem ausuros, nisi magno aliquo Principe opitulante ac focillante, & forte etiam instigante. Quid ab ijs factum velit, vt imperet orant; simul quid sui esset de ea re consilij exponunt. Ipsi, nimirum, in sententia permanendum, neque parte aliqua cedendum, cum propter rei, qua de agitur grauitatem, tum ad aditum Præsulibus præpediendum, ne, quod vltro ijs non conceditur, id se per vim ac seditionem extorquere posse existiment: alioqui ab ipsorum nutu pendendum, &, ne quid sinisterius accidat, non iniuria metuendum. Quando in publico disceptationibus materia aliqua exagitatur, sibi esse decretum, victoriam aduersarijs non concedere. Verùm si ipsi post disceptationes cedere abnuant, tum ad suffragia necessariò deueniendum; quæ cum non appendantur, sed numerentur, non temere aleam eius euentus subeundam. Quamobrem quò certi esse possint se Sessione proxima suffragiorum numero fore superiores, districtè imperandum ijs, qui *Venetias* profecti sunt, obtentu Quadragesimæ in suis Ecclesijs inchoandæ, sed fortean absq; animo reuertendi, vt quamprimùm excusatione omni seposita redeant. ea enim Sessione cardinem ipsum reformationis verti, idque potissimum ea parte, quæ inter Pontificem & Episcopos controuertitur. ex eius diei successus, qui turbarum & seditionis sint faces, aut animum sumpturos ad contentiones alijs etiam occasionibus fouendas, aut quietos ac morigeros se deinceps præbituros.

Simul quid ipsi sentiant, exponunt.

Interim ad Episcopos conciliandos, de exemptionibus aliquot reformandis, quibus ipsorũ auctoritati decedebat, gratiam ijs faciunt.

Perscriptis Romam literis, Legati in Congregationibus poximè sequentibus varios abusus reformandos suscipiunt. Horum primus erat, cum nonnulli beneficio & titulo accepto ordinibus sacris non initiantur, neq debito modo consecrantur. Quẽ abusum omnibus execrantibus, & remedia idonea expetentibus, Cardinalis *Paciecus* dixit frustra laborari de remedijs, nisi *Cõmendæ* & *Vniones* penitus exterminentur. Cõstare enim omnibus, Cathedralẽ Ecclesiam posse dari in cõmendam Diacono; & qui parochialem Ecclesiã sine sacris ordinibus expetat, modò illã curet beneficio simplici vniendam, quod sacros ordines non requirit, illã gauisurum in sequelam huius, etiamsi consecratus non sit. Reliqua reformatio fuit super varijs exemptionibus, à visitationibus Episcoporum, ab eorum Examinationibus, à cognitione causarum ciuilium

ciuilium, ab inspicienda gubernatione Xenodochiorum. quibus omnibus Legati sperabant se Episcoporum bonam gratiam inituros, amplificata ipsorum authoritate. Verùm sicuti solet vsuuenire, vt qui in totum aliquid ius sibi competere autumat, iniuriam sibi fieri putet, si medietatis restitutio offeratur; ita Præsulibus, Hispanis præsertim visum, maiorem eos sibi offerre iniuriam, qui parte aliqua authoritatis sibi restituta, reliquam detrahere pergant. Sed aucto Italorum Antistitum numero, qui ab Legatorum partibus stabant, Hispani aliquanto circumspectius loqui cœpere, eoque magis, quòd censuræ à se propositæ responsum *Romæ* expectandum intelligerent, quò propositiones suas amandatas resciuerant.

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1.

Pontifex ea re intellecta, è vestigio literis efficacissimis simul & amicissimis Nuntium suum Venetijs agentem interpellat, de Præsulibus, qui prope omnes in ea ciuitate adhuc substiterant, ad reditum vnde venerant solicitandis. Et quidem in officio eo faciendo tam fidelem ille præstitit operam, vt omnes gloriæ sibi ducerent iter illud ingredi, quo seruitio Pontificis aliquid accederet. Ijs etiam, *quos* Romæ ad tractanda Concilij negotia Pontifex designarat, Hispanorum censuram commendat examinandam, reliquis quæ maioris essent momenti, vnà cum alijs, de quibus eum Legati antea monuerant, cognitioni suæ reseruatis.

Pontifex per Nuncium suum Præsules Venetijs Tridentum euocat. Tum delegatis Romæ Hispanorum censuram examinandam tradit.

Congregatio deputatorum *Romæ*, rerum statu diligenter pensiculato, reputant rationem à Legatis propositam & honestissimam esse, &, si fœliciter res cesserit, vtilissimam: at contrà, si male cesserit, perniciosissimam. In rebus verò tanti momenti non esse prudentis, fortunæ aleam vltro experiri; esseque iuxtà periculosum omnia negare, & omnibus assentiri. Itaque nisi certam sibi victoriam spondeant Legati, è postulatis Præsulum aut partem, aut omnia, modo, quo hic infra attemperantur, concedenda, prout res ipsa dabit in arena consilium. Atque ad singulos censuræ articulos singulæ responsiones hac forma erant digestæ.

Congregationis deputatorum Romæ, ad singula Censuræ capita responsio.

Ad I. de Concilio *Lateranensi* in duobus capitibus restaurando, sibi videri in hoc Præsulibus satisfaciendum, modò de cætero Canones sanciendi rationi sint consentanei.

Ad II. de Cardinalibus ad residendum obligandis, si Cardinales ij denotentur, qui *Romæ* degunt, & Ecclesiæ vniuersali actu inseruiunt, postulatum esse parum æquum; de alijs verò vt ratio idonea ineatur, Pontifici id curæ fore.

Ad III. de decernendo residentiam esse *de iure Diuino*, primò decretum illud fortè non futurum verum, si Ecclesijs particularibus applicetur. deinde, quoad effectum, maiorem confusionem allaturum: istis inter se ex diametro pugnantibus, vt Decretum scilicet fiat, & simul eius contrarium anni dimidio, saltem tacite, permittatur.

Ad IV. de declarando pluralitatis abusu, idem quod dudum ad tertium respondere posse. De Cardinalibus autem Beatitudini suæ fore curæ, sicut iam dictum est.

Ad V. de minorum Ecclesiarum pluralitate, prouisionem à Legatis propositam satis idoneam videri. quòd si de anteactis seuerior aliqua prohibitio necessaria videbitur, Pontificem Concilio id permittere. monere interim, nimium rigorem contrarium effectum hîc posse producere, propter oppositionem, quæ haud dubiè expectanda est à plurium beneficiorum possessoribus. tum illud considerandum relinquere, annon parum tutum sit, iudicium de dispensationibus absolute permittere ordinarijs, qui etiam ea potestate abuti possint, ad authoritatis suæ incrementum, nullo alio facto operæprecio.

Ad VI. de vnionibus *ad vitam* reuocandis; quamuis Beatitudo sua induxerit animum huic rei commode prouidere, dummodò Synodo videbuntur omnino auferendæ, se non refragari; spatium tamen conueniens beneficiorum possessoribus condonandum, vti de ijs disponant.

Ad VII. Nimis rigidum videri, vt non residentia in beneficijs curatis depriuationis pœnam infligat, neque dispensatio vlla iuuet, nisi in casibus à Lege permissis. quòd si quid tale statuatur, ægrè obseruari posse.

Ad VIII. de eo, qui beneficium habens curatum, illiteratus aut improbus de-

Paulus 3.
Carolus 5.
Henricus 2.
Franciscus 1.

prehenditur, ab Ordinario beneficij eius possessione priuando, si adeo muneri inidoneus reperitur, vt depriuari iure mereatur, hoc casu pœnam istam posse permitti; alioqui æquum non peti, sed arbitratu Ordinarij nimium relinqui.

Ad IX. de beneficijs curatis non dandis nisi diligenti examine præeunte, quandoquidem necesse est modum & qualitatem examinis, illius conscientiæ relinquere, qui confert beneficium, superuacaneum & inutile videri, aliud insuper Decretum adiungere.

Ad X. de inquisitione *in partibus* facienda, de his, qui ad Ecclesias Cathedrales promouentur; neque modum, neque fructum huius diligentiæ perspici, cum non minus facile sit reperire qui falsum testimonium dicat *in partibus*, quàm qui *Romæ*. Vbi verò ea de quopiam notitia haberi possit, quæ sufficit, (ea autem passim & semper haberi potest) ex superuacuo aliam requiri.

Ad XI. vt nemo nisi à suo Episcopo ordinetur, remedium diplomate propositum videri sufficiens, eoque magis, quòd per ipsum viâ non vnâ incommodis obuiam itur, quæ circa hoc caput oboriuntur.

Ea Tridentum ad Legatos mittitur, & in alijs qualiter se gerere debeant, præscribitur.

Responsionem hanc Pontifex continuò *Tridentum* maturauit, prudentiæ Legatorum commendans, vt consilio cum amicissimis quibusque communicato, statuerent quod è re nata præstabilissimum videretur; aut partem aliquam postulatorum, aut omnia concedere; ea lege tamen, vt intra terminos à Deputatis *Romæ* præstitutos consisterent. facta etiam ipsis potestate omnia eorum postulata repudiandi, si res eo statu deprehenderint, vt id exequi possint. Quid egerit cum Præsulibus, qui *Venetijs* adhuc essent, indicat. Mandat, vt Consessum debito tempore habeant: vt capita doctrinæ de Sacramentis non attingant, sed anathemata sola euulgent, de quibus inter omnes conuenerat: quòd videat eam doctrinam sine schismatis periculo explicari non posse. decretum quoque de abusibus Sacramentorum Baptismi & Confirmationis penitùs omittendis, cum res ea tangi nequeat sine graui omnium tenuiorum Sacerdotum & Fratrum offensione, & potiori hæreticorum conditione. fatetur se præteritis temporibus quædam valde absurda approbasse. hortatur denique dent operam, vt in Sessione omnia sint quam pacatissima, sed vtique cum Sedis Apostolicæ dignitate coniuncta.

Pontifex permulta rebus suis, quà ab Concilio, quà ab Cæsare incommoda animo volutâs, quo modo ijs sese difficultatibus expediat, circumspicit.

At cura & cogitatione intentus in ea, quæ ab Legatis *Tridento*, & à Nuncio suo è *Germania* significata erant, vehemens ipsum, & sibi intimos perculit suspicio, Concilium monstri aliquid parturire, cum magno suo, authoritatisque Pontificiæ dispendio. Peruolutabat enim animo primùm factiones Theologorum, Dominicanorum præsertim ac Franciscanorum, qui semper æmuli, & opinionibus diuersi, Concilio animis obstinauerant studio contêtionum metas egredi à viris prudentibus non fine sudore ijs positas. esse quidem inter ipsos controuersias paulò leuiores ijs, quas habeant cum Lutheranis: & esse vtrosque in sese inuicem redarguendis peracres. nisi adsint etiam, qui ijs conciliandis assiduè incumbant, à magno aliquo infortunio impendere periculum. Sed singillatim lustrabat animo controuersiam de residentia, *An esset de iure diuino*, & in hac intolerandam audaciam *F. Bartolomæi Caranzæ*, qui multis applaudentibus eo impudentiæ processit, vt opinionem contrariam dixerit Diabolicam. nec multum abesse, quin ab hoc fonte aliud malum Lutherano non absimile possit scaturire. certe si de residentia factus fuisset fidei articulus, de Papatu planè actum. Deinde illud secum pensitabat, omnem reformationem hoc vnum spectare, qua via Papæ authoritas constringatur, Episcoporum verò extendatur. atque authoritatis suæ neglectæ documentum manifestum esse, quòd cum Synodus nuper spem ei fecisset, rem omnem reformationis ipsius curæ relinquendam; quam etiam diplomate in eam rem confecto ad se aduocasset; abiecta tamen & officij ratione, & respectu sibi debito, ex eo tempore argumentum illud acrius exagitarint. Tum suspectos habebat spiritus Hispanorum, quam gentem sciebat esse sagacem; non fortuitò operantem; maiorem obseruantiam præ se ferentem, quàm verè deferat; in se vnitam, adeoque perspicacem, vt vestigium nullum faciat, quo non ea quæ multis absunt passibus ante prospectet. itaque non pro leui habendum, quòd in vnum coierint, quòd censuram de communi consilio

Paulus 3. Carolus 5. Henricus 8. Franciscus 1

concinnarint, haud dubiè nonnisi *Cæsare* impulsore ausos, cuius Orator quotidiana cum ipsis habeat commercia. De *Cæsare* quidem suspicionem augebant, res eius eo tempore secundæ, & ad votum fluentes, quæ non sinunt homines incœptis finem imponere; in religionis causa conniuentia, quò Lutheranos sibi magis habeat obnoxios; tam ipsius *Cæsaris*, quàm suorum querimoniæ, de Italicarum copiarum è *Germania* discessu in ipso rei conficiendæ articulo; concepta de *Aloisio Duce Placentiæ* filio ipsius opinio, quasi seditionis *Genuensis* author extitisset: sed præ omnibus, ipsius *Cæsaris* ad Nuntium verba, *nullum sibi esse hostem infestiorem Pontifice*. Metuebat nimirum, si ille potestatem sibi nullis limitibus constrictam in *Germania* stabiliuisset, tantundem de *Italia* cogitaturum, atque ad opprimendum Pontificatum Synodi opem atque operam adhibiturum. Illum videbat vnicum esse rerum per Europam arbitrum, *Galliarum* Regis morbo immedicabili indies ingrauescente; & eum in confinio mortis destituente. Atque vt Patris fatum imminens præuidebat, ita nesciebat, quid de *Delfino* filio & iuuene, & rebus gerendis nondum assueto sibi polliceri debeat. Id illi fixum animo sedebat, Præsules, qui hactenus Curiæ Romanæ adhæserant, vbi primum *Cæsar* mentem suam aperuerit, illius partes sequuturos, siue maioris potentiæ metu, siue Amplitudinis Pontificiæ æmulatione, quam illi, si quis viam tutam sterneret, ex animo moderatam velle declaraturi essent.

Concilij translationem Tridento Bononiam suæ ditionis oppidū, vnicum censet rerum firmamentum.

His adductus considerationibus decreuit velle quacumque ratione securus esse de Concilio. Ne finem ei posset imponere efficiebat rerum adhuc tractandarum copia. Vt suspenderet, & intermitteret actiones Synodi, grauis aliqua requirebatur causa: atque ea ratione parum videbatur effecturus, quippe mox de suspensione tollenda interpellandus. Consultissimum ergo iudicabat rebus suis Synodum transferre in locum, vbi plena absolutaque sibi esset potestas, atque eo modo, vt periculis omnibus posset occurrere: quod quidem prouideri non poterat, nisi in ciuitate aliqua ditionis suæ celebraretur. Atque cum in eam cogitationem incumberet, absurdum putabat Romam nominare, ne Germanos à Concilio plus satis auersos, adhuc redderet alieniores. Placuit igitur *Bononia* ciuitas Vltramontanis vicina, fertilis, & multitudinis capax. Sed de modo transferendi consultans, statuit partes suas in ea actione celare, & actionem omnem Legatis imputare, quasi proprio motu & authoritate fecissent, vi ac virtute diplomatis dati XXII. Februarij, & Augusto mense mandati anno M.D.XLV. Ita sperabat futurum, vt, si de translatione vlla postmodum nasceretur controuersia, culpa omni in Legatos coniectâ, causam eorum ipse extra culpam longe faciliùs posset tueri: &, si ad consilij mutationem insperatus adigat casus, salua dignitate sua id posse confieri. Quare huius deliberationis certus, nobilem quendam *Cardinalis Montani* familiarem cum epistola fiduciaria ad vtrumque Legatum mittit, cum mandato, vt *Tridentum* ante ipsum Sessionis tempus non perueniat, consilium suum de Synodo *Bononiam* transferendo Legatis exponat, probabili aliqua causâ excogitatâ, vel è media re sumpta: atque id cum primis curent, vt sit simul dictum ac factum: ac statim vbi proposuerint Concilium esse transferendum, propositum id exequantur, antequam impedimentum aliquod aliunde possit obijci.

Sed cuius culpa omnis in Legatos conijciatur.

Hermannus cedit Archiepiscopatu Coloniensi Adolpho coadiutori, remisso subditis iureiurādo.

Iam in *Germania* plerisque circa *Rhenum* ciuitatibus culpam suam deprecantibus, *Cæsarique* reconciliatis; Electore quoque *Palatino* suum, de introducendis in ditionem suam ministris, propositum, quod inchoauerat, intermittente, Imperator occasionem eam *Archiepiscopo Coloniensi* excludendo opportunam ratus, Legatos duos *Coloniam* mittit, qui ad diem certum Prouinciæ totius ordines conuocent, vt Archiepiscopo priore relicto, *Adolphum*, qui Episcopi coadiutor antea fuerat, in Episcopum & Principem suum admittant, eique vt Antistiti suo & obedientiam præstent, & fidem iuramento promittant. Ab Ecclesiasticis id facilè impetratum propter causas supra memoratas: verùm nobilitas, & ciuitatum Legati sibi integrum esse negarunt, ab eo Principe deficere, cui fide per iusiurandum essent adstricti. Hic *Dux Cliuensis*, Princeps planè finitimus, intercedendum putans, è Consiliarijs suis ad Archiepiscopum mittit, & vnà cum his

Paulus 3. Carolus 5. Edoardus 6. Franciscus 1.

alios ex ipsa Prouincia totius nobilitatis primos, oratum, vt rationem vellet inire, ne bello tota ditio vastaretur, cum maximo vicinorum detrimento. Ille verò misericordia commotus, ne populus innoxius belli intestini cladibus obijceretur, generosè dignitate se abdicat, fidemque & iusiurandum subditis remittit. Ita *Adolphus* in successorem illi admittitur, quem fratris loco semper dilexerat, & quicum omnia Ecclesiæ reformandæ consilia antea communicarat, licet aliam nunc induisse sententiam videretur, siue mentem mutatus, siue alia causa adductus.

Henrici VIII. Angliæ Regis obitus, quę secuta sub Eduardo filio religionis per regnum immutatio.

At *Tridenti* sub medium Februarij nunciatur obitus *Henrici* Regis Angliæ, qui mense superiori excesserat è vita, Patribus Concilij Deo gratias agentibus, & *Episcopo Worcestriæ* gratulabundis, quòd ille cum populo immanis persecutoris tyrannidem euasissent: etiam miraculo imputantibus, quòd senex mortem obijsset, relicto filio tantùm nouenni, ne paternis vestigijs posset insistere. Et quidem certè Patrem imitatus non est. *Henricus* enim, tametsi Pontificis authoritatem in regno suo planè sustulerat, pœna etiam capitis omnibus denunciata, qui ei adhærerent, doctrinam tamen Ecclesiæ Romanæ de cætero constanter tenuit. At *Edoardus* (id erat filio nomen) *Ducis Somersetensis* auunculi curâ Protestantum doctrinâ, quam ipse amplectebatur, imbutus, religionem immutauit, sicuti suo loco dicetur.

Cardinales Montanus & Sanctæcrucius variant sententijs in concedendo Episcoporum postulatis.

Acceptis à Legatis Papæ literis, *Cardinalis Sanctæ Crucis* existimabat mitigari posse animos Antistitum consociatorum, si è postulatis nonnulla iudulgeantur, præsertim, quæ ipsis permittenda *Româ* significatum esset. sic enim facilè conquieturos. At Cardinalis *Montanus* contra sentiebat, assentiri inferiori (multitudini præsertim) non esse aliud, quàm ansam dare petitionibus perpetuis. sibi quidem videri, tentandum prius amicorum animum, quos si numero potiores compererit, ne pedem vnum retro cessurum; si res aliter cesserit, prudentiam quam maximè potest adhibiturum. Post multos inuicem sermones, vti fieri amat inter collegas, *Sanctæcrucius* cessit *Montano* maiori affectu & acrimonia cœptum vrgenti. Cumque renunciatum esset, Præsules absentes ante exitum Februarij *Tridentum* venturos, ac tentatis variorum præsentium animis, causæ Pontificiæ sese approbatores demonstrassent, his bona spe gratitudinis confirmatis, illis eadem escâ Pontificiæ in recognoscendis ipsorum meritis munificentiæ illectis, Decretum constans XV. capitibus Legati formandum curarunt, & in Congregatione proponendum.

Decreto in Congregatione proposito, super exceptione, quæ primis eiusdem verbis habetur, Patres altercantur.

Super quo maiores quàm prius, natæ altercationes. Etiam in ipso procemio ad eam exceptionem, *Salua semper in omnibus authoritate Apostolica*, aliquamdiu calcitratum. Nemo enim adeo erat hebes, aut obtusus, qui non statim perspiciebat, quò hæc verba tenderent, ac non inde colligebat peruicacem in retinendis corruptelis obstinationem, interim dum de ijs medicandis verba fiunt, quòd earum causæ conseruarentur. Vix tamen vllus ausus exponere se periculo, nisi Episcopus *Pacensis*. Is certe dicebat exceptionem enucleatione opus habere: quòd Concilium neque debeat, neque possit vllius authoritatem incidere, sed omnium minimè Sedis Apostolicæ, quam Catholici omnes pro capite agnoscant. verba tamen eo loco posita videri hoc innuere, Decreto non obstante, *Romæ* in eiusmodi causis eodem modo procedendum, quo prius; neque modificationem eam, modum præscribere dispensationibus, alijsque exemptionum generibus, veterum Canonum autoritatem & pondus semper eneruantibus. Contra in defenisionem exceptionis dicebatur, leges Conciliorum, legibus naturalibus esse absimiles. in his rigorem & æquitatem vnum idemque esse. illas verò generali omnium legum defectui esse obnoxias, quarum vniuersalitatem necesse est, in casibus non præuisis, & vbi iniquum esset eas exequi, ab æquitate regi ac restringi. Cum autem Synodus non omni tempore habeatur, vt ad eam possit recurri; neque cum habetur, ad casus singulares debeat attendere, authoritatem Pontificiam necessariò requiri. At hic replicabatur, vtcumque leges omnes defectum hunc vniuersalitatis patiantur, omnes tamen absque exceptionum additione promulgari: idque hoc

hoc casu fieri debere. alioqui dum inseritur, hoc denotari, Pontifici relictam potestatem dispensandi in contrarium ad libitum, non tantùm in casibus extraordinarijs, raris, ac improuisis. Cui sententiæ dum plerique animis magis quàm verbis applauduat, Legatus *Montanus* silentium imposuit omnibus, dictitans subtilitatem modo esse, ad eludendam eam, quam deferre tenebantur, Sedi Apostolicæ obseruantiam. Perijt porro Episcopus *Pacensis*, vt in prooemio declararent articulum de residentia non omissum, sed dilatum. Cui Legati respondent, id esse diffidere non ipsorum modo, sed Pontificis pollicitationibus, & nequicquam ad id obligari, quod in ipsorum semper potestate sit positum. nihilominus tamen, quia id tam valde velint, in procemio apponendum, se coeptum de residentia negotium velle prosequi. vnde apparebit argumentum illud superiore consessu ad finem non perductum, sed partem aliquam eius tractandam adhuc superesse. *Paulus. 3. Carolus. 5. Henricus 8. Franciscus 1.*

Super articulis, de qualitatibus Episcoporum & Curionum, Archiepiscopus *Turritanus* dicebat, ijs non tantùm medicinam non fieri corruptelis iam inueteratis, sed & remedia priscis temporibus adhibita reddi inefficacia, quòd verbis adeo generalibus, ætatis, morum, cognitionis, virtutis, quilibet idoneis posset accenseri. *Alexandri* quippe decretis allegatis, videri cæteros omnes canones quibus aliæ conditiones præscribuntur, haberi pro nullis: atque vno nominato, alijs verò studiosè celatis, his derogatum credi. Itaque semel disertè dicendum, cuiusmodi morum grauitas, aut literarum cognitio in Episcopis & Curatis requiratur: vt ijs dotibus satis perspectis, aulici omnes in perpetuum ab ijs excludantur. Mores, qui in his desiderentur, à *D. Paulo* luculenter expressos, sed de his vltimam esse curam. Gradum & peritiam quam *D. Paulus* requirit, esse cognitionem doctrinæ Christianæ, & sacrarum literarum. Neque hic imitandum *Honorium* III. qui Saxoniæ inferioris Episcopum munere eo exuit, quòd Grammaticam non didicisset, nec Donatum vnquam legisset, glossa asserente eum ad populum grammatica instituendum fuisse inidoneum: quasi regulæ grammaticales concionis piæ debeant esse subiectum, & non Euangelium. His addidit Episcopus Huescanus, sibi non placere Decretalium aut Constitutionum Pontificiarum in Synodo citationem, aut ad illas fieri relationem. id enim fieri, vel ad authoritatem maiorem illis conciliandam, vel ab illis mutuandam, vel vt vtraque aggregata, momentum maius habeant. At quocumque fiat intuitu, rem esse parum conuenientem, & facere ad dignitatem amborum eleuandam. Non futurum abs re, vbi Constitutionis prolixitas non sinit eam fusè longeque recitari: verum vbi nihil aliud continet, tum frustra fieri, & litibus inextricabilibus ansam dari; dum quæritur, an Constitutiones hæ probentur, sicuti verba sonant, an vero limitationes & ampliationes Doctorum, & variæ interpretationes admittendæ sint, ex quibus oriatur rerum confusio. Opus esse huiusmodi decretis, quæ in Ecclesia pacem, charitatem, & seriam reformationem stabiliant; non, quæ nouis concertationibus & incommodis occasiones ministrent. Cui enim bono hisce temporibus pœnæ Canonis *Graue nimis* Ordinarijs assignarentur; quarum executio *Concilijs Prouincialibus*, quæ in desuetudinem abierunt, commissa, nisi illis prius restitutis, & in vsum reuocatis. Deinde, cum numerus beneficiorum ab Ordinarijs collatorum, propter multiplices reseruationes decimam partem collationum vix constituat, cui bono minimæ huic portioni consulatur, cùm interim in nouem partibus, quas Curia Romana confert, abusus porro currat & continuetur? Ad eundem modum, si ad succurendum malo pluralitatis Constitutio *De multa* approbetur ecquis non videt hac via corruptelam eam magis corroborari? quippe dispensationibus per eam permissis.

De qualitatibus, quæ iuxta priores Canones & Decreta iam sancienda requiruntur in promouendis. cap. cum in cunctis lib. 1. Decretal. de electione & electi potestate.

Cap. 29. Tit. 5. lib. 3. Decretal.

Cap. 28. eod. Tit.

At de articulis ijs diutissimè disceptatum, quibus Antistites Hispani instabant Cardinales in Decreto nominatim designandos. Ab alijs enim dicebatur, non esse è dignitate eius Ordinis, primum in Ecclesia locum tenentis, & affluentis hominibus eximiè de Ecclesia meritis, vt emanet in vulgus, in eo Ordine non deesse abusus, qui emendationem requirant; neque ijs ipsi per se emendandis incumbant. Satius esse, idipsum effectum dare verbis generalibus, quibus Cardinales etiam denotentur, edicendo omnibus, cuiuscumque dignitatis, gradus, aut eminentiæ. In contrarium

Vtrum in Decreto reformationis Cardinalium disertim facienda mentio, an potius verbis generalibus debeant comprehendi.

Paulus 3. Carolus 5. Edwardus 6. Franciscus 1.

rium differebatur, Canonistas iam pridem declarasse, Cardinales nullis verbis generalibus comprehendi, nisi singillatim nominentur. quare non aliam superesse viam, qua pessimo huic exemplo, quod orbem peruasit, prospiciatur, nisi illis peculiariter reformatis. Non adeo laborandum de Cleri tenuioris emendatione, cuius errata sunt leuia, à superiorum quoque imitatione profecta: sed vti in ægro corpore sanando, malis grauioribus, & partibus vitalibus potissimùm attendendum; reliquas aut sua sponte, aut leuibus remedijs curari, illis persanatis. Abusui vnionum perpetuarum dicebant videri satis diligenter prouisum, remissis ad Episcopos examinationibus iam factarum, ijsque quæ parum iustis ac legitimis causis nixæ deprehenduntur, pro surreptitijs habitis: sed restrictionem annexam omnia labefactare, nempe, *nisi aliter sedi Apostolicæ videatur:* siquidem his verbis & corruptelam confirmari, & Episcopum litibus ac sumptibus implicari. Denuo item postulatum vt vniones ad vitam interdicantur, & iam factæ fiant irritæ.

Limitationem appositam efficere, vt vnionibus perpetuis satis caueri nequeat.

Patrum tamen pars maior Decretis eadem formâ, quà fuerant proposita assensum commodauit, siue promouendis Curiæ Romanæ commoditatibus vltro propensi, siue officijs ac pollicitationibus allecti. In his etiam viri probi, quibus erat persuasum, Papam diplomate suo abusus eos cum alijs plerisque explosurum. Sed interesse plurimum Sanctæ sedis ad nominis famam, vt voluntate sua adducatur ad id faciendum, non autem à Synodo ad leges contra voluntatem accipendas cogi videatur. Atque huius sententiæ suffragatores, Synodo in quatuor partes distributa, prope tres efficiebant. Appetente iam Sessionis tempore, & relectis Anathematis, alij petebant doctrinam adiungi: alij cur decretum de reformatione abusuum non vna apponebatur, percunctati. Et his quidem responsum, neque argumentum illud satis excussum, eique locum fore commodiorem absoluta omnium Sacramentorum tractatione, vbi remedia comportabuntur, tum corruptelis in vniuscuiusque Sacramenti ministerio occurrentibus, tum generatim omnibus. De omissa vero doctrina hæc potentissima allata ratio, quòd in consessu de peccato originali itidem esset factum, declarationemque doctrinæ tum maximè necessariam, quando absque illa Anathemata non facile intelliguntur. quæ necessitas in doctrina de Iustificatione patribus imposita; sed in hoc de Sacramentis Decreto, adeo ex se ipsis perspicua esse Anathemata, vt doctrinæ vicem esse possint. Tempore igitur Sessionis instante, & maiori parte huic opinioni adstipulante, cæteri, qui doctrinam & abusuum supradictorum reformationem flagitabant, coacti silentia tenuere.

Patres maiori ex parte Decreti formam probant.

Sessio VII.

Decretis tandem post tot contentiones concinnatis die III. Martij Patribus more solito ad Consessum habendum in templum Congregatis, missam celebrauit *Iacobus Cauchus* Archiepiscopus *Corcyrensis*. Concionandi vices obire debuerat *Coriolanus Martiranus D. Marci* Episcopus. sed cùm illi propter offensiones in congregatione acceptas nec decorum videretur Sessioni interesse, nisi in eadem sententia persisteret; neque tutum in publico Consessu Legatis obluctari, maluit inualetudinem simulans domi se continere. vnde eo die concio nulla habita. Et tamen mirum videri debeat in conuentu LX. Episcoporum, & XXX. Fratrum Theologorum, qui prædicandi officio assueuerunt, ne vnum quidem potuisse reperiri, idoneum quatuor verba fari, etiam quatuor horarum spatio dato ad præmeditandum. Neque tacendum in actis Synodi fuisse notatum, concionem nullam eo die habitam, quod Episcopus *D. Marci*, qui ad eam curam designatus, raucitate laboraret: quod quidem typis quoque fuit excusum. Atque vt id vna parte modestiam arguit, & mite ingenium Secretarij, qui scriptis id prodendum putauit; ita altera parte documento est, tum temporis ne cogitatum quidem, diem aliquando venturum, quo censendæ essent illius cœtus actiones, Apostolorum actis omnino pares, cùm in vnum congregati, aduentum Spiritus Sancti opperiebantur.

In qua nulla concio pro more Consessuum.

Sacro ceremonijsq; peractis decreta duo recitantur. Prius fidem spectans in summa continebat; *Ad consummationem doctrinæ sessione proxime præcedenti promulgatæ, de Ecclesiæ Sacramentis agendum, atque ad hæreses suscitatas extirpandas, Synodum Canones subsequentes decernere, quibus reliqui suo tempore sint adiungendi.*

Decreta II. vnum fidei, alterum reformationis.

Canones

Canones verò, aut Anathemata de Sacramentis in genere erant XIII.

Paulus 3. Carolus 5. Edwardus 6. Franciscus 1

De Sacramẽtis in genere Canones. XIII.

I. Contra eum qui dixerit Sacramenta noua legis non fuisse omnia à Christo instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, aut aliquod horum non esse verè & propriè Sacramentum.

II. Et qui dixerit, ea à Sacramentis antiqua legis non differre, nisi ceremonijs, & ritibus externis.

III. Atque hæc ipsa inter se ita esse paria, vt nulla ratione aliud alio sit dignius.

IV. Ad salutem non esse necessaria, & sine eis Dei gratiam per solam fidem obtineri posse, aut sine eorum adipiscendorum proposito.

V. Ad solam fidem nutriendam instituta fuisse.

VI. Non continere gratiam, quam significant, nec conferre gratiam non ponentibus obicem, sed esse signa tantum externa accepta per fidem iustitia, & characteres Christianæ professionis, ad fideles ab infidelibus discriminandos.

VII. Non semper, neque omnibus per sacramenta gratiam dari, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant.

VIII. Per Sacramenta non conferri gratiam virtute ministrationis eorum, siue ex opere operato, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere.

IX. In Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non inprimi in anima characterem spiritualem indelebilem, vnde iterari non possint.

X. Christianos omnes habere potestatem in verbo & Sacramentis omnibus administrandis.

XI. In Sacramentis ministrandis non requiri in ministris intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia.

XII. Ministrum in peccato mortali existentem, non conferre verum Sacramentum, vtcunque omnia Sacramenti essentialia seruauerit.

XIII. Ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia receptos approbatosque, per quemcunque Ecclesiarum Pastorem contemni posse, aut omitti, aut in alios mutari.

De Baptismo Anathemata erant XIV.

De Baptismo in specie Canones, XIV.

I. Contra eum qui dixerit, Baptismum Ioannis eandem habuisse vim cum Baptismo Christi.

II. Aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi.

III. In Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum matre & magistrâ, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam.

IV. Baptismum qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum.

V. Baptismum esse liberum, neque necessarium ad salutem.

VI. Baptizatum gratiam amittere non posse, etiamsi peccet, nisi nolit credere.

VII. Baptizatos debitores fieri per baptismum solius fidei, non autem vniuersæ legis Christi seruandæ.

VIII. Baptizatos liberos esse ab omnibus Ecclesiæ præceptis vt ea obseruare non teneantur.

IX. Per Baptismi suscepti memoriam, vota omnia post Baptismum facta, nulla & irrita intelligi, quippe quibus fidei detrahatur, quam in Baptismo sunt professi.

X. Peccata omnia post Baptismum admissa, sola recordatione & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri.

XI. Baptismum illi esse iterandum, qui fidem Christi abnegauerit, cum ad pœnitentiam conuertitur.

XII. Neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo.

XIII. Paruulos Baptizatos in numero fidelium computandos non esse, aut, cum ad annos discretionis peruenerint, rebaptizandos: aut satis esse eorum Baptismum omitti.

XIV. Paruulos Baptizatos, cum adoleuerint, percunctandos, an promissionem ipsorum

Paulus 3. Carolus 5. Edwardus. 6. Franciscus 1.

sorum nomine factam velint ratam habere; si responderint se nolle, arbitrio suo relinquendos, nec alia pœna ad vitam Christianam cogendos, nisi vt ab aliorum Sacramentorum perceptione arceantur.

De Confirmatione III. erant Canones.

De Confirmatione III. Canones.

I. Contra eum qui dixerit, Confirmationem otiosam esse cæremoniam, nec propriè Sacramentum, sed olim institutam, vt adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponerent.

II. Qui Chrismati virtutem tribuunt, Spiritui S. esse iniurios.

III. Quemuis simplicem Sacerdotem Confirmationis ordinarium esse ministrum, non solum Episcopum.

Decretum II. de reformatione, cuius capita XV.

Lectum deinde Decretum reformationis, cui titulus præfixus *Canon residentiæ*, cuius hæc capita.

I. Neminem ad Episcopi dignitatem assumendum, qui non sit ex legitimo matrimonio natus, ætate matura, literarum scientia, morumque grauitate præditus.

II. Neminem plures Episcopatus in titulum, aut commendam, aut alio quouis nomine recipere aut retinere posse; quique plures nunc detineat, vno quem elegerit, retento, reliquos ei dimittendos, idque infra sex menses, si ad liberam Pontificis collationem pertineant; alioqui infra annum: nisi faciant, omnes excepto eo, quem postremum obtinuerit vacare censeri.

III. Alia beneficia inferiora, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, adque curam eam exercendam idoneis deferenda: alioqui Collatorem ordinarium iuxta Constitutiones Conciliorum puniendum.

IV. Quicunque in posterum plura beneficia incompatibilia, siue per viam vnionis ad vitam, siue commendæ perpetuæ, aut alio quocunque titulo recipiet, aut accepta contra formam Canonum retinebit, omnibus priuandum.

V. Dispensationes eorum, qui plura beneficia curata, aut aliàs incompatibilia tenent, Ordinarijs locorum exhibendas, quorum est curæ animarum alijsque debitis officijs præstandis prouidere.

VI. Vniones perpetuas, à XL. annis factas, ab Ordinarijs, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, reuisendas, examinandasque; atque indebitas omnes, irritas declarandas. Illas verò, quæ licet concessæ, effectum nondum sunt sortitæ, & quæ deinceps ad cuiusuis instantiam fient, præsumendas per subreptionem obtentas, nisi factas constiterit ex causis legitimis, ijs, quorum interest, vocatis; & nisi à Sede Apostolica aliter fuerit declaratum.

VII. Beneficia curata, quibuscumque pijs locis vnita & annexa, ab Ordinarijs singulis annis visitanda, ab ijsque assignandos idoneos Vicarios perpetuos, aut temporarios, cum eiusmodi fructuum portione, quæ ipsis expedire videbitur, appellationibus, aut exemptionibus posthabitis.

VIII. Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, ab Ordinarijs authoritate Apostolica visitandas, prouidendo curæ animarum, alijsque debitis obsequijs: appellationibus, priuilegijs, & consuetudinibus tempore cuius memoria non extat præscriptis, penitus exclusis.

IX. Qui creantur Episcopi, infra tempus à lege statutum consecrandos, nec prorogationes vltra sex menses concessas, cuiquam valituras.

X. Capitulis Ecclesiarum non licere vacante Episcopi Sede, concedere literas dimissorias, ad ordinandum, nisi ei qui beneficij recepti, siue recipiendi occasione fuerit arctatus.

XI. Facultates de promouendo à quocumque Episcopo, nemini valituras, nisi habenti legitimam causam, propter quam à proprio Episcopo ordinari non potuit, quam exprimi quoque oporteat: eoque casu ordinandum ab Episcopo in sua diœcesi residente.

XII. Facultates concessas de non promouendo, vltra annum non profuturas, præterquam in casibus à iure expressis.

XIII. Præsentatos siue nominatos à quibusuis personis Ecclesiasticis, ad quæuis beneficia, non ante instituendos, quàm à locorum Ordinarijs examinati fuerint & idonei reperti: exceptis tamen electis seu nominatis ab Vniuersitatibus, siue studiorum generalium collegijs.

XIV. In

XIV. In exemptorum causis certam formam obseruandam; & vbi agitur de mercede, & miserabilibus personis, etiam exemptos, qui habent iudicem à Sede Apostolica deputatum, coram Ordinario posse conueniri: qui autem certum iudicem non habent, in alijs omnibus causis.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Franciscus 1.

XV. Episcopis Xenodochiorum curam habendam, vti ab administratoribus, etiam quomodolibet exemptis fideliter gubernentur, certa quadam forma seruata.

Iidem Præsules, qui in Congregationibus Decretis hisce refragabantur, hic quoque in Consessu repugnant, sed verbis modestioribus, rogantes, vt personarum ijs comprehensarum gradus distinctè exprimerentur: tum, vt non solum malis futuris prospicerent, sed præsentibus, ex quibus plus damni & periculi impendet, remedia applicarent. Verùm Legati verba eorum non aliter auribus accipientes, quàm voces hominum moribundorum, & animam exhalantium, Consessui finem imponunt, proximo in diem XXI. mensis Aprilis indicto.

Præsules vti antea modestè repugnant, sed frustra.

Eo ipso die Internuncius à Pontifice missus, qui conspectum Legatorum vitans delituerat, è latebris suis prodit, atque ipsis mandatum à Papa fiduciarium exponit, è vestigio *Tridento* relicto Oeuipontem se recipiens. Cardinalem *S. Crucis* ilico perculit Nuntius hic inopinatus; at *Montanus* nihil animo consternatior dixit, se Pontificem vti Principem rerum intelligentem, & solertem maximi semper fecisse, sed in eo nunc iudicium numeris omnibus absolutum conspicari; cui ea ratio necessariò fuit ineunda, vt Sedis Apostolicæ dignationem illibatam conseruaret. ipsis igitur hoc solum superesse, vt quàm maxima poterunt fidelitate, taciturnitate ac diligentia Beatitudini suæ inseruiant. Interea commodùm plerique è famulitio Præsulum in morbo erant, vel ex crapula die Hilariorum contracta, vel ex aeris propter assiduos plurium dierum imbres, intemperie. Submittit itaque *Montanus* quosdam è suis percunctatum Medicos, an esset periculum à contagione. Medici, quorum prognostica fere sunt in deteriorem partem, vt si eueniant, quòd ea præuiderint, in arte periti esse videantur; sin minus, quod ea præuorterint, hoc ipso peritiores existimentur; consulti, ambiguum quiddam pronuntiant, quod mox disseminatum, à credulis primùm, dein à mediocribus creditum, ad eos tandem peruenit, qui abiturientes, id verum esse discupiebant. Et certè statim à Sessione excessit è vita Episcopus, qui Patrum omnium corona comitante inhumatus, rem fecit suspiciosiorem. vnde non *Tridentum* modò, sed & loca vicina, rumor primum, dein metus pestilentiæ incessit. Interim Legati id sedulò agentes, ne rumor ille sparsus vndique, sibi vlla parte imputaretur, die proxima à Sessione Congregationem habent generalem, ad ea digerenda, quæ circa Sacramentum Eucharistiæ essent discutienda; & septimana sequenti initium dant Congregationibus Theologorum. Fama autem iam percrebrescente, visum Cardinali *Montano*, Herculi Seuerolo Synodi procuratori indicere, de malo pestilenti vt processum, siue quæstionem institueret. Medicis super ea re examinatis, & in his, *Hieronymo Fracastoro*, qui Concilij medicus ferebatur, alijsque, renunciatum, in pagis & oppidis vicinis iam agi, de interdicendo cum ea ciuitate commercio. factum eo motu, vt plerique Præsulum peterent dari sibi abeundi facultatem, siue periculi metu, siue inde discedendi summa cupiditate. Et *Montanus* quidem alijs non grauatè potestatem fecit, vt abitionem Patrum causis translati Concilij adnumeraret; alijs verò sibi coniunctioribus manendum persuasit, nempe, vt non deessent sibi suffragatores, cum ad propositionem de Concilio transferendo veniendum esset; sed in speciem, quò suam à Concilij dissolutione auersionem testaretur. iussit tamen eos in Congregationibus petere ac protestari, vt fieret, quod maxime expediebat. Quæstione verò de pestilentia ad octauum vsque diem continuata, allatus *Tridentum* Nuncius, *Veronam* de tollendo commercio cogitare, qui omnes vehementer conturbauit, quasi in custodiam essent tradendi.

Nuncius qui Roma Tridentum venerat, de Concilio transferendo mandatum Legatis impertit, inde statim auolans.

Cõcilio transferendo quaritur color ex morbi pestilentis metu.

De morbo, quo nonnulli tentabantur Tridenti, an pestilens esset, lis iudiciaria instituitur.

Itaque nono die de ea re generalis habita Congregatio. in qua lecto processu, propositoque, vt remedium statim malo domestico adhiberetur, ne cogerentur singuli in ædes suas tanquam in carcerem compingi, alimentorum, ac aliarum rerum necessariarum ope destituti, à plerisque protestatum se velle discedere, neque vllis con-

Re examinata Mõtanus pronunciat Concilium esse transferendum.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Franciscus 1.

Bulla facultatis transferendi Concilij in Synodo palam legitur.

conditionibus posse detineri. Cum multa autem hinc inde essent dicta, *Montanus* pronuntiauit, Concilium esse transferendum, pro ea, quà à principio Synodi authoritate Apostolica fuerat instructus. Tum Pontificis diploma legendum curauit, tribus Legatis, *Montano*, *Santicrucio*, & *Polo* missum, quo commemorabat, *Se Concilium Tridentum indixisse, eòque ipsos tanquam Legatos & Angelos pacis amandasse, atque ne tam sanctum opus ex loci incommoditate impediatur, duobus ex ipsis tertio absente potestatem facere transferendi Concilium ad quamcunque aliam ciuitatem opportuniorem seu tutiorem; necnon Prælatis inhibendi sub pœnis, & censuris Ecclesiasticis, ne Tridenti ad vlteriora procedant. ac idem Concilium in alia ciuitate ad quam illud transferri contigerit, continuandi, euocatis ad illud Prælatis, & alijs omnibus personis Concilij Tridentini, sub pœna periurij, alijsque in literis indictionis huiusmodi Concilij expressis; ac quicquid ipsi inibi facturi sint, ratum & gratum habiturum, quibuscumque in contrarium non obstantibus.* A Præsulibus Cæsareis continuò responsum, pericula maiora vero iactari, meticulosos posse dimitti, dum rumores ij consilescunt, & Dei ope statim dissipantur. neque permagni interesse, an Sessio differatur ad tempus, sicuti factum esset anno superiore, quo Consessus sex menses, & supra dilatus, multis propter belli suspicionem discedentibus. pari nunc necessitate premente, pariter faciundum. Hæc aliaque his similia afferebantur, ex quibus ingens nata altercatio. Sed ijdem finita Congregatione consilijsque communicatis, vbi solicitius cœperunt perscrutari quid eius rei esset, facile subodorati sunt, iustam nullam esse metus à pestilentia causam, sed prætextum modo esse & figmentum.

Præsules Cæsarei morbi simulatione fucū sibi fieri comperiunt.

Die proxima habita super eadem re Congregatione, quòd è Præsulibus vndecim abijssent, de loco, in quem erat migrandum, sermo haberi cœptus. A *Germania* abhorrebant omnes. neque decorum videbatur in alicuius Principis ditionem ingredi, quicum prius non esset actum. Solum igitur supererat Ecclesiæ territorium. Legatis *Bononiam* proponentibus, omnes, quibus Concilij translatio placuit, huic quoque ciuitati suffragantur. Scrupulus modò nonnullis restabat, ne translatio ea Papam male haberet, quo inscio esset facta. At *Montanus* respondit, casus subitos ac inopinos, inprimis vbi periculum capitis impendet, ab eiusmodi aspectibus esse immunes: atque eam curam in se suscipere, vt cum nulla mala gratia Pontificis id fiat. & quoniam in ea actione Imperatoris quoque ac aliorum Principum ratio erat habenda, existimatum ad reuerentiam ipsis debitam testandam fore satis, si in Decreto translationis eorum fiat mentio. atque ijs etiam, qui à transferendo alieniores erant, posse satisfieri mentione facta reuertendi. formatum igitur Decretum & conceptum deliberationis forma in hunc modum. *Placetne vobis declarare, de huiusmodi morbo ex præmissis, & alijs allegatis ita manifestè constare, vt Prælati in hac ciuitate sine vitæ discrimine commorari, & in ea idcirco inuiti minimè retineri possint & debeant? Item, attento multorum Prælatorum recessu, & aliorum abire volentium protestationibus, ex quorum discessu Concilium dissolueretur, & attentis alijs causis à Patribus allegatis notoriè veris ac legitimis: placetne vobis declarare pro securitate vitæ ipsorum Prælatorum, & prosecutione Concilij, Synodum ipsam transferendam esse Bononiam, & ex nunc transferri, & Sessionem iam indictam in XXI. Aprilis ibidem celebrandam, & successiuè ad vlteriora ibi pergendum, donec Pontifici, & sacro Concilio de Cæsaris, Regis Christianissimi, aliorumque Regum ac Principum Christianorum consilio in hunc aliumue locum reducendum videbitur.*

De ciuitate agitur in quam Concilium sit transferēdum: & præ alijs Bononia probatur; dummodo Pontifex id ratum habeat.

Decretum de Translatione Concilij in Congregatione proponitur

Die sequenti habita Sessione, lectoque Decreto, Episcopi XXXV. & Præpositi III. assensum commodarunt, *Cardinali Pacieco* cum alijs XVII. Episcopis dissentientibus. Inter suffragatores nemo erat è subditis *Cæsaris*, præter *Michaelem Saracenum Neapolitanum Materanum* Archiepiscopum. At inter dissentientes erant, *Claudius de la Guische* Episcopus *Tascodunensis*, *Martelli* Episcopus *Fesulanus*, & Marcus *Vignerius* Episcopus *Senogaliensis*; de quo memoriæ proditum est, cum Cardinalis *Montanus* ingratitudinem ei exprobraret, quòd auunculo ipsius ex humili loco in ordinem purpuratorum euecto, vnde & ipsi Episcopatus, & familiæ suæ celebritas contigisset, gratiam acceptam Sedi Apostolicæ male rependeret; respondisse latinis ver-

Sessio VIII. qua idem Decretum stabilitur, licet Cæsareis prope omnibus auersissimis.

verbis ex *D. Paulo*, Non ludendum cum Deo. Legati igitur *Tridento* discedunt cruce prægestata, Episcopis suæ factionis cum precibus & ceremonijs comitati. *Cæsareis* vero ab *Cæsaris* Oratore imperatum, ne ante discederent, quàm ille, quid sui esset consilij, exponeret.

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus. 6.
Franciscus 1.

Romæ verò Curialibus pergratum accidit suspicione iniecta liberari, quippe plerisque omnibus plura beneficia possidentibus, eoque animi vehementer perplexis, quoad nundinatione aliqua onere hoc sese ita alleuassent, vt vtilitatibus suis nihil decederet. Et Pontifex quidem dicebat se, qui authoritatem Concilij transferendi Legatis suis iampridem dederat, & quod illi deliberassent, ratum habere, & exequendum curare promiserat, quandoquidem ipsi aerem pestilentem idoneam legitimamque causam comperissent, maiori Præsulum parte suffragante, non posse quod illi decreuissent non approbare.

Curiales de Concilij translatione sibi gratulantur, Pôtifice quod factum approbante.

Neque tamen erat quisquam adeo incautus aut religiosus, vt non crederet eo imperante hæc fieri, cum omnibus esset exploratum, ne minimum quidquam in Concilio tractari, nisi secundum ea, quæ *Roma* essent præscripta, ac præcepta. cumque hanc ipsam ob causam singulis hebdomadis per cursores literæ deferantur, duabus interdum vicibus, nemini credibile videbatur tantam rem solo Legatorum arbitrio determinatam. deinde cum Legatorum prudentia parum conuenire, in ciuitatem Principi suo etiam suspectam, tantam multitudinem eo insciente introducere. Multi etiam existimabant diem diplomatis adulteratam, & antiquiorem diem nouiter appositam, nomenque Cardinalis *Poli* ad augendam actionis existimationem insertum: alioqui eam clausulam, quæ duobus absente tertio transferendi Concilij potestatem faciebat, propheticum quid sonare, quasi *Polum* post annum abiturum præsensisset. Denique facultatem transferendi in quamcumque, quæ ipsis commoda videretur ciuitatem, nimis amplam esse, & veri parum similem, si cautio vetus obseruetur animis Pontificum semper insixa, atque ab Papa *Paulo* in hoc Concilio conuocando diligentissimè considerata, ne Synodus vnquam in ciuitate, cui diffiditur, celebretur. Itaque non credendum ne in re tanta voluisse *Paulum*, se, nulla premente necessitate, alterius arbitratui permittere. Mihi tamen aduersaria rerum tum temporis gestarum sequenti stat sententia, bullam eam translationis ante biennium confectam, & ante octodecim menses missam, sicut supra dictum est. In qua illud celari non poterat, & maximæ erat offensioni, quòd Concilium inde Pontifici non obnoxium modo, sed seruum esse conspiceretur. Nam si Legati duo Præsulibus omnibus conuocatis poterant edicere, vt *Tridento* discederent, & eos pœnarum censurarumque denuntiatione constringere, quæ, amabo, erit illa, quam prædicabant, Concilij libertas? Imperator certe translationis nuntium grauiter & iniquo animo tulit, tum quòd neglectum se putaret, tum quòd cerneret occasionem sibi præreptam, cuius temporibus applicatæ beneficio, sperabat posse se & religionem in *Germania* tranquillare, & nationem omnem sibi obsequibilem habere. Sed ad Regis Franciæ aures is nuncius non peruenit, qui eiusdem mensis die XXI. ad vitam meliorem demigrarat.

Omnibus suboleт Pontificium hoc esse de Concilij translatione artificium, dic diplomatis adulteratio.

Et Concilium Pontifici esse seruum, vtut indignante Cæsare.

Francisci Galliarum Regis obitus.

LIB. III.

verbis ex D. [illegible], Non ludendum cum Deo [illegible] diffidunt [illegible]
ce praegestam Episcopis suae factionis cum precibus & ceremoniis confusum. [illegible]
vero ab Caesaris Oratore impetratum, ne ante discederent, quam ille [illegible]
concilii, exponeret.

Romae vero Curialibus pergratum accidit [illegible] libertas [illegible]
plerisque omnibus plura beneficia possidentibus, [illegible] vehementer [illegible]
quod nundinatione aliqua onere hoc se solvere [illegible]
decederet. Et Pontifex quidem dicebat se qui authoritatem Concilii [illegible]
gratis satis iam pridem dederat, [illegible]
dum curare Pontificatu, quandoquidem [illegible]
que causam comperissent, maiori Praelatorum parte [illegible]
decreuissent non approbare.

[illegible] erat quisquam adeo [illegible]
in [illegible] haec fieri, cum omnibus [illegible]
Concilio tractari, nisi [illegible]
cumque hanc ipsam ob causam singulis [illegible]
diebus interdum ac ebus, nemini [illegible]
imperio determinatum [illegible]
oratem Principibus etiam [illegible]
ro. Multi etiam existima[illegible]
[illegible] appositam, nomenque [illegible]
[illegible] : alioqui cum clausulam [illegible]
[illegible] faceret, propterea [illegible]
[illegible] Denique facultatem [illegible]
[illegible], nimis amplam [illegible]
[illegible] Pontificem [illegible]
[illegible] gratissime [illegible]
[illegible] non [illegible]
[illegible] necessitate, alterius [illegible]
[illegible] posterum sequenti [illegible]
[illegible] & [illegible]
[illegible] poterat, & maxime [illegible]
[illegible] modo, sed tenuem esse [illegible]
[illegible] patere [illegible]
[illegible] contingere [illegible]
[illegible] libertas [illegible]
[illegible] quod [illegible] putaret [illegible]
[illegible] temporis [illegible]
[illegible] in Germanis tranquillitate & [illegible]
[illegible] ob [illegible] quibus [illegible]
[illegible] non [illegible]
[illegible] XXIX [illegible] meliorem
[illegible]

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus. 2.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER TERTIVS.



NON sum nescius, quæ sint Historiæ leges, nec quid inter illam, & Annales, ac Ephemerides intersit. Et hoc scio, euentuum vniusmodi narrationem in Scriptore nauseam, in lectore parere fastidium. Etiam illud, ei, qui minutias singillatim nimis exsequitur, *Scioli* parum prudentis nomen suo merito deberi. Memini tamen me deprehendere apud *Homerum* & crebras repetitiones, & rerum sæpe minutarum narrationes; immo *Xenophontem* in sua *Cyri* minoris expeditione magis afficere legentis animum, meliusque erudire, commemorandis, siue serijs, siue iocosis militum confabulationibus, quàm recitandis virorum Principum consilijs, & actionibus. Vnde in ea sum opinione, cuique materiæ suam ac propriam conuenire formam: neque huiusce operis argumentum ad vulgatas Historiæ leges posse conformari. Et quidem ex ijs, quæ alijs eiusdem generis Scriptoribus contigisse video, documenta petens, habeo persuasissimum, & scripti huius famam in obscuro fore positam, & breui intermorituram: neque id tam defectu formæ, quàm propter ipsam indolem materiæ. Mihi vero propositum non est hoc scripto temporum æternitatem, aut diuturnitatem spectare: certè vnum hoc sufficit, si quà cuiquam prodesse possim. Nam si quis erit, qui operam hanc meam in rem suam vertere studeat, huic eam communicare ac impertire decreui, certus posteritatem, prout res ac tempora sese dabunt, de ea iudicaturam. Candidum auctoris de opere suo iudicium: cui non facile vnam & perpetuam formam dare vitio materiæ.

Qui *Tridenti* remanserant Præsules magna erant solicitudine, antequam allatæ ad eos *Cæsaris* literæ, ab ijs facta laudantes, Concilij translationi contradicentes, atque expressis verbis, vt *Tridenti* subsisterent, neque pedem inde commouerent, imperantes. Habita tum consultatio, an ad Actum aliquem Synodicum esset procedendum: sed de communi consilio decretum, id ne tentandum quidem; quippe Schismati occasionem daturum. interea in capita controuersa diligenti studio incumbendum, & expectandas temporum opportunitates. Inter Theologos Tridentinos & Bononienses tum temporis scripta aliquot commeabant: quibus hi, non sine affectatione, *Synodum Bononiensem*; illi *Sanctam Synodum*, vbicumque locorum esset, nominabant: quorum nonnulla adhuc extant *Bononiæ* excusa. Actum quidem

Consilium eorum, qui Tridenti substiterant, Cæsari probatur.

Iidem ab Legatis, alijsque de migrando solicitantur.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

quidem per Legatos, & alios Romanæ Curiæ Cardinales, cum aliquot ex ijs, qui *Tridenti* substiterant, seorsim varijs officiorum generibus, vt concederent *Bononiam*; saltem inde discederent: sed nemo vnus sese expugnari passus est, præter *Galeatium Florimantem, Aquilensem* Episcopum. Inuitati etiam omnes, qui *Tridento* abierant, vt *Bononiæ* in Sessione adesse vellent; ac præter hos, alij plerique, vt eò venirent: quod erat factu facile, propter expeditum iter, in eam vrbem Romà tendentibus. Variæ ibi habitæ Congregationes; sed in his non aliud actum, nisi de propugnanda translatione vti legitima; & rationibus afferendis, quibus euincerent, Patres Tridentinos ex officio teneri, Bononiensibus sese aggregare.

SESSIO IX.

Decretum de prorogatione Sessionis.

Die Aprilis XXI. Sessioni dicto, Legati cum Episcopis XXXIV. magna pompa ac celebritate, frequentique populi Bononiensis concursu, in locum Consessui destinatum conueniunt. Ibi Decretum modò legitur de Sessione proroganda, his verbis. *Sacrosanctam Synodum, quæ cum Tridenti esset, Concilium ex eo loco in hanc ciuitatem Bononiam transferendum decreuerit; & Sessionem hac præsenti die celebrandam, Canones de Sacramentorum, & reformationis materijs sanciendo; considerantem nihilominus, multos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueuerunt, in proprijs Ecclesijs, solemnitatis Paschalis diebus, occupatos; & sperantem eosdem breui affuturos: vt omnia cum dignitate & grauitate debita fiant, censere Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die celebranda erat, ad diem II. mensis Iunij esse prorogandam, reseruata tamen sibi potestate, terminum ipsum pro arbitrio restringendi.* Decretum etiam Sacrosanctæ Synodi Oecumenicæ nomine Patres, qui *Tridenti* essent, per literas hortari, vt *Bononiam* profecti, corpori suo sese coniungerent, à quo seiuncti Congregatio Ecclesiastica dici non possent, immo verò nomini Christiano magno essent offendiculo. Quæ, vbi *Tridentum* allatæ, visæ sunt hominum parum prudentium, quippe animis magis exulcerandis, quàm demulcendis scriptæ. Idcirco de communi consilio placuit ad literas omnino non respondere, vitandis contentionibus: ac permittere potius, vt incitamentum illud intercidat. quod tributum magis nimiæ Cardinalis Montani in agendo acrimoniæ, quàm reliquorum in eo coetu Præsulum moderationi.

Item de literis Tridentum scribẽdis: quæ scriptæ quidem, sed nullo cum operæpretio.

Cæsar's in Saxoniam expeditio in qua & Saxo ipse capitur, & Lantgrauius Cæsari se summittit.

Cæsar cum instructissimo exercitu in *Saxoniam* profectus, vt *Saxonem* hostem assequeretur, dum rerum bellicarum curæ totus incumbit, omnes de Concilio Tridentino cogitationes deposuit. die igitur eiusdem mensis XXIV. positis ad *Albim* fluuium castris prælio decertat. in quo *Saxonis* exercitu fuso fugatoque ipse vulnere per maxillam accepto, capitur. Attenuatis hinc Protestantum copijs, Hassiæ Lantgravius ad conditiones accipiendas venire cogitur: post aliquot dies intercedentibus Mauritio genero, & Septemuiro Brandeburgico, *Cæsari* se sistens. *Saxo*, vti perduellis à *Cæsare* primùm capitis damnatur; post verò varijs conditionibus etiam durissimis acceptis, vitam redimit: eam solam auersatus, vt, quicquid Concilium de religione statueret, vellet approbare. Cæsar autem, quòd in alijs ipsius arbitratui se permisisset, illam omitti iussit. atque inter conditiones Lantgrauio propositas hæc quoque erat, vt decretis Concilij Tridentini obsequeretur. quod ille ea lege non recusabat, modò liberum, pium, & generale eiusmodi sit Concilium, in quo, cum ipso capite membra reformentur; sicuti *Mauritius* & *Brandeburgicus* facere constituissent. Ita vtriq; custodes admoti, *Saxo* perpetuæ, *Lantgrauius* ad beneplacitum *Cæsaris*, custodiæ traditus. Per eam victoriam debellata ab *Cæsare* Germaniâ, magna ille tormentorum vi, machinarumque potitur; ciuitatibus & Principibus Smalcaldici fœderis grandi pecuniarum summa etiam mulctatis. atque vt per vim parta, pacificè constitueret, Ordinum Conuentum *Augustam* indicit.

Ii custodibus traduntur: ac omnes aduersæ factionis Principes & ciuitates tormentorum pecuniarumque vi mulctantur.

Res secundæ Cæsaris, Pontificẽ reddunt animi ægrum & solicitum.

Hic rerum *Cæsaris* successus Pontificem habuit solicitum, qui Italiam omni ope destitutam Imperatoris voluntati expositam cerneret. id tamen eum solabatur, quod *Cæsari* victoriam armis adepto, eadem armorum vi deinceps esset tuenda; ac proinde exercitus ille non ita citò subducendus. interea dari tempus ad consulendum sibi, fœdere icto cum nouo Rege Franciæ, & Principibus Italici nominis. Inter tot molestias capiebat ex eo voluptatem, quòd à Concilij metu esset immunis. laudabat maiorem in modum consilium Cardinalis *Montani*, cui tantum bonum

acceptum ferebat. *Hieronymum Capiferreum Romanum S. Georgij* Cardinalem, ad *Galliarum Regem* ablegandum censet, specie quidem, vt de parentis optimi morte suum dolorem testaretur, & secunda ei regni auspicia gratularetur; sed multò magis, vt de amicitia illius Regis concilianda, & fœdere paciscendo tractaret: amplissimam ei largitus potestatem, vt in omnibus Regis de materia beneficiali postulatis, ei gratificaretur, etiam nulla habita decretorum Concilij Tridentini ratione. Atque vt ad omnes occasiones, quas Germania suppeditare posset conijciendo in angustias Cæsari, præsto esset; tum ne in comitijs Germaniæ quicquam statueretur, quod sibi fraudi esset futurum, *Franciscum Sfondratum* Cardinalem, Legatum mittit in *Germaniam*, vt Ecclesiasticos in obsequio contineat, & apud *Cæsarem* varias expediat rationes Concilij in ciuitate *Bononia* stabiliendi: à quo, si extra ditionem suam celebretur, maior quàm à Cæsareis intra Italiam armis sibi metus impenderet.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Edwardus* 6. *Henricus* 2.

Inde Legatio ad Henricum Galliæ Regē fœderi conciliando & necessitudini. Et alia ad Cæsarē & ad Ecclesiasticos in Germania.

Per eosdem dies grauis orta *Neapoli* seditio, dum *Petrus Toletanus* Regno à *Cæsare* præfectus, de more *Hispaniæ* in cuiusque fidem & religionem inquirere satagit. Repugnabant primùm *Neapolitani* vocibus seditiosis; Imperatori quidem salutem, Inquisitioni verò exitium precati. tum coitione facta Magistratum deligunt, qui ipsos ab iniuria tueretur: Regi Catholico hac se lege subiectos professi, vt de hæresum causis non alij iudicarent, quàm Ordinarij Iudices Ecclesiastici, neque Inquisitionis officio peculiari vllus in eo Regno locus esset. ob hanc causam inter *Hispanos* & *Neapolitanos* ad arma conclamatum, multaque per cædes & sanguinem non sine periculo rebellionis acta. Ex eo rebus dispositis, & L. mille hominibus arma capientibus, qui campanarum sonitu in vnum conuenirent; *Hispanis* in arces & propugnacula, populo autem in loca tormentis displodendis opportuna sese recipiente, inter ciuitatem & arces bellum cruentum gestum; atque is tumultus ab exeunte mense Maio ad medium vsque Quintilem fuit continuatus, cæsis vtrimque CCC. & supra hominibus. Interea à *Neapolitanis* Legati ad *Cæsarem* & *Pontificem* missi; cui vltrò se submittunt, modò ipsos tueri dignetur. Verùm illi curæ cordique erat multo cum artificio tumultum eum fouere, quòd probe sciret se causæ et sustentandæ non esse parem: vt vt *Cardinalis Theatinus*, ciuitatis eius Archiepiscopus, propinquorum omnium, quos ibi plurimos & potentes habebat, opem promitteret, atque operam suam fidelem & efficacem in ea causa offerret, etiam eò profectionem suscipere non recusaret; vt occasionem adeo commodam, regno ad augendam Ecclesiæ ditionem comparando, non prætermitteret, enixe hortatus. Cum *Hispani* accersitis vndequaque auxilijs in ciuitate rerum potirentur, scriptæ *Neapolim* ab *Cæsare* literæ, quibus significabat, placere sibi, vt Inquisitionis mentio non fiat. Venia quoque præteritorum omnibus concessa, nisi XIX, quos gratiæ exemptos nominibus suis designauit, & vni, quem suo sibi tempore nominaturum dixit: irrogatâ etiam ciuitati C. aureorum CIↃ. mulctâ. quas cum *Neapolitani* conditiones accipere cogerentur, postquam è XIX illis, quotquot comprehendi poterant, capite luissent, tumultus tandem quieuit.

Grauis & periculosa Neapoli seditio, Prorege Hispanicam Inquisitionem in id regnum introducere satagente.

Card. Theatinus Pontificem exstimulat ad Neapolitanorū caussam sustentandam.

Cæsar Legem alijs dare solitus, à suis non accipit, proregis caussam tuetur; Neapolitanos grātis pecunia, ex his XX. capite mulctat.

Legati *Bononiæ* quid agendum esset, vix perspiciebant. Pontifex enim præceperat eis, ne quicquam aggrederentur, quod ab alijs impugnari posset, aut scissuram parere: sed cautè procederent, Sessionibus prorogatis, & nonnunquam habitis congregationibus, ne otium agere viderentur. Neq; tamen erat facile discutiendæ de Eucharistia controuersiæ commodam aliquam formam instituere, per absentiam Theologorum primi nominis, qui articulos fidei *Tridenti* agitare solebant. habitæ nihilominus congregationes aliquot, & in his, à varijs Theologis factæ dissertationes; sed decretum nullum concinnatum. nam quod attinet ad rem reformationis, altum de ea fuit id temporis silentium.

Patres Bononienses tantùm non otiū agunt, Pontifice id vnum agente, vt tempus extrahatur.

Die II. mensis Iunij Consessus solitâ ceremoniâ celebratur non alia fini, nisi ad Sessionem, Decreto, quod eodem sit stylo cum superiore, prorogandam; nempe, *Synodum, quæ propter absentiam nonnullorum Patrum, quos breui adfuturos sperabat, Sessionem publicam ad hunc diem differendam censuerit: volentem etiam adhuc benigne agere cum ijs, qui non venerunt; ad diem XV. Septembris proxime futuri eam denuò prorogare:*

SESSIO X. Decretū prorogationis Sessionis.

Paulus 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

gare: ita tamen, quòd prosecutio discussionis, & examinationis, tam eorum, quæ ad dogmata, quàm ad reformationem pertinent, interim non omittatur: & terminum ipsum ipsa Sancta Synodus, pro eius libito & voluntate, etiam in priuata congregatione abbreuiare & prorogare liberè possit.

Legatus Pontificius Regi Galliæ indulget multa Legibus & Concilii Decretis interdicta. Regis notha Pontificio Nepoti desponsata. Carolus Lotharingius, & Carolus Borbonius pileis Cardinalitiis donantur.

In *Gallia* facile ab Rege impetrauit Legatus, quicquid Pontifex deposceret. Ille enim *Cæsaris* victoris potentiam æmulus, cum Pontifice, arctiore amicitiæ & necessitudinis vinculo, habitis secretis super ea re sermonibus, coniungi non recusabat. in publicis pactis conuentis hoc erat, vt Regis mandato ad Concilium *Bononiense* quàm plurimi Præsules proficiscerentur. *Horatio Farnesio* Pontificis ex filio nepoti, desponsata *Diana Henrici* Regis filiola notha, non nisi IX. annorum puella. amicitiæ initæ fouendæ causa misit Rex *Romam* Septem *Galliæ* Cardinales, qui præsentiâ suâ Aulæ Pontificiæ decus adderent, & dignationem. Pontifex vicissim, vt Regi gratum faceret, XXVI. Iulij *Carolum Guisium Rhemorum* Archiepiscopum, & *Carolum Borbonium Vindocinensem* agnatum regium, per Legatum suum pileis purpureis donat.

Comitia Augustana armis cincta, in quibus Cæsar primam & potissimam vult esse de religione deliberationem.

Exeunte Augusto *Cæsar Augustam* venit ad habenda comitia, in regione circumiecta dispositis *Hispanorum* & *Italorum* copijs, & in ipsa vrbe, in præsidium, aliquot peditum signis. horum fit initium Kalendis Septembris, Cæsare, quid à se gestum esset, repetita superiorum temporum memoria, commemorante. Se quidem pacificandæ *Germaniæ* studio varios conuentus indixisse, & ob eandem causam Concilium *Tridenti* & cogendum, & inchoandum curauisse: sed cum operâ in eo negotio positâ parum profecerit, se inuitum ad alia remedia quærenda compulsum. quoniam autem Deo visum prosperum sui consilij successum dare, vt componendorum in *Germania* motuum, eorumque reformandorum, certior expeditiorque inposterum via se aperiat, *Principes Germaniæ* in eum finem conuocasse. cumque religionis dissidium præcipua sit omnis in *Germania* perturbationis caussa, cupere eius rei primam esse & potissimam deliberationem. De postulatis *Cæsaris* non idem erat in eo conuentu inter Principes animorum sensus. nam quod ad religionem spectabat, inter *Septemuiros Ecclesiastici* vrgebant & solcitabant, vt in Concilio Tridentino, nullâ apposita conditione, res religionis componerentur: *Principes* vero *Seculares Lutheri* placitis addicti, *Concilium* illud non probabant, nisi his appositis conditionibus. Vt esset liberum, & pium, neque in eo Pontifex, aut coram, aut interuentu Legatorum præesset: vt Episcopis iusiurandum, quo Pontifici obligantur, remittat: vt Theologi Protestantium cum alijs suffragij decisiui ius habeant: denique vt decreta iam facta retractentur. Cæteris verò Principibus Catholicis qui *Septemuiri* non essent, placuit, vt Synodus continuetur; vt Protestantes accepta fide publica eò proficiscantur, in sententijs liberè proferendis audiantur: sed vicissim Synodi decretis parere cogantur.

Varii variorũ Principũ sensus de Concilii Tridentini approbatione, etiam Septẽuiris Ecclesiasticis, aliter, atque cæteri Principes Catholici, sentientibus.

Petrus Aloisius Papæ filius Placentiæ obtruncatur, & Gonzaga Cæsaris nomine vrbem occupat.

Dum Pontifex animo erectior in Comitijs *Augustanis* foelicem rerum euentum expectat, die X. Septembris *Petrus Aloisius* Dux *Placentinus Pauli* filius à coniuratis domi suæ confoditur, cadauer eius ignominiosè habetur, ostentatum ad ludibrium: ipsam vero vrbem copiæ *Mediolano* aduenientes, ab *Ferdinando Gonzaga Cæsaris* per *Insubriam* Præfecto missæ, post aliquot horas occupant. eius rei nuncius Papam patrem perculit maiorem in modum, non tam ignominiosa cæde filij irritatum, quàm de amissa *Placentia*, idque *Cæsare* non nescio, ex animo dolentem.

Iam Legati *Bononienses* putabant non esse tempestiuum, ad Pontificis mœrorem & solicitudinem adijcere molestiam binarum literarum, quibus, singulis hebdomadis, quid in Synodo ageretur, faciebant eum certiorem: longeque præstabilius esse, intermissa rerum Synodicarum tractatione; Sessionem in longum tempus prorogare. Et quamuis cum maiori Patrum dignatione coniunctum videri posset, vt Sessio in diem XV. indicta celebraretur, &, quæ deinceps futura, protolleretur: visum tamen Patribus, quòd ægritudo animi in morte Ducis, pompam & solemnia Consessus non admitteret; diem præstitutam anticipandam, & Consessum in Congregatione differendum. vnde Cardinalis *Montanus* conuocatis omnibus

Prælatis

Prælatis in domum ſuam, die XIV. quid ſui eſſet propoſiti exponit: Diem craſtinum habendæ Seſſioni deſignatum, ſed neminem vnum eſſe, qui non facilè perſpiciat, quibus Synodus conflictetur anguſtijs: multos è Præſulibus, ac nominatim *Gallos*, nondum aduenisse, ſed eſſe in via: &, qui ante paucos dies aduenerint, quis ſit rerum Synodicarum ſtatus, non ſatis edoctos. quin etiam Præſules eos, qui tota æſtate ſuperiore imi ſubſellij Theologorum diſputationibus interfuerunt, nondum ſatis probè ad res determinandas inſtructos. Ad hæc accedere infandam Ducis cædem, quæ omnes habet animi pendulos, ipſis verò cogitationem inijcit de ciuitatibus Eccleſiæ in tuto collocandis. Lætari ſe, de reſeruata Seſſionis prorogandæ poteſtate, per quam, moleſtiam proficiſcendi in Eccleſiam eiuſdem celebrandæ cauſſa vitaturi ſint: ſui eſſe conſilij, imo neceſſitatem ipſam id ſuadere, vt reſeruationem eam vertant in rem ſuam, Seſſione in præſens prorogata, neque die craſtino celebratâ. Et cum Patres vniuerſi prorogationi aſſenſum præbuiſſent, Cardinalis ſubijcit; poſt ſeriam ſolicitamque cogitationem, non potuiſſe certum aliquem diem præſtitui, in quo pedem figerent: cum Tridenti commorabantur, conſtituiſſe apud ſe, Decretum de iuſtificatione XV. dierum ſpatio expedire; totos tamen VII. menſes continuos in eo puluere deſudaſſe, binis etiam ſæpiuſcule eodem die habitis congregationibus. In re fidei, vbi de hæreticis conuincendis agitur, teſtudineo gradu incedendum, & plerumque in vnius verbi diſcuſſione multum temporis impendendum. non conſtare, vtrum Seſſio infra paucos dies neceſſariò celebranda ſit, an in multos menſes extrahenda. quare ſibi videri conſultiſſimum, Seſſionem, quæ futura erat die ſequenti, ad Concilij beneplacitum prorogare, eamque rationem, eſſe ſine omni controuerſia longe optimam. Quod ſi quiſpiam affirmet, die aliquo certo præſtituto, ſingulos è Patribus rebus ſuis melius conſulturos, id cupere, vt certo ſciant, futurum intra paucos dies, facile vt perſpiciant, quem progreſſum & exitum Synodus ſit habitura. Omnibus igitur huic ſententiæ applaudentibus, de Seſſione ad ſacri Concilij beneplacitum proroganda; congregatio dimittitur.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Legatus Montanus Patribus Bononienſibus perſuadet, Seſſionem, quæ die proxima habenda erat, etiam tunc ad beneplacitum Concilij prorogandum.

Hoc ipſo die Antiſtites *Germaniæ* in Conuentu *Auguſtano*, de mandato *Cæſaris*, datis ad Pontificem literis petunt, vt *Tridentum* Synodus reuocetur, literis certe, quæ minas continebant, precibus admixtas. His enim exponunt, quo in diſcrimine *Germaniæ* ſalus verſetur; atque illud malum potuiſſe auerti, ſi publici Concilij remedium, de quo *Cæſarem* interpellarint, tempore idoneo, & intra *Germaniæ* fines fuiſſet adhibitum. ſeſe enim, quorum ampla ſit iuriſdictio, non poſſe diu à ſuis abeſſe ditionibus. eò factum, vt neque *Mantuam*, neque *Vicentiam Germanorum* Præſulum quiſquam conceſſerit; perpauci quoque *Tridentum*: quòd ea ciuitas, etſi *Germaniæ* finitima, tamen extra eiuſdem fines, ad *Italiam* magis pertineat; bellique præſertim tempore, vijs vndique obſeſſis, eò proficiſci parum tutum ſit. Nunc autem procellâ eâ diſiectâ, rebuſque in tranquillum adductis, bona omnes ſpe fuiſſe, in ipſum portum eſſe peruentum; cum ſubitò præter omnem expectationem nunciatur, Concilium, in quo ſpes omnis eſſet collocata, in aliam vrbem tranſlatum, immo potius diuiſum. Huius ergo remedij fiducia deiectos, non aliud habere quàm in Sede Apoſtolica perfugium: quam obnixè oratam velint, per *Germaniæ* ſalutem, vt Concilium *Tridenti* reſtituat: id ſi faciat, nullum eſſe genus obſequij, quod non ab ipſis ſibi debeat polliceri; alioqui, non habere, vnde malis & procellis imminentibus depoſcant auxilium. Eorum, quæ poſtulent, hoc magis habendam eſſe rationem, quod cogitent poſſe fieri, niſi ipſe prouideat, vt aliæ rationes & conſilia ineantur difficultatibus his expediundis. orare deniq; Beatitudinem ſuam, vt ſcriptum hoc boni conſulat, ab ijs, quos, vt ita ſcribant, cum officij ſui ratio, tum temporum conditio impellat.

Epiſcoporum Germaniæ ad Pontificem literæ, de Concilio Tridentum reuocando.

Egit præterea *Cæſar* ſedulo cum Principibus Proteſtantum, vt omnes Concilio ſe ſubmitterent; etiam inſtando, orando, & ſollicitando, vt ipſius fidei ſeſe permitterent. & quidem apud Electorem *Palatinum* preces minarum loco erant; quippe, cui neceſſariò parendum erat, ob recentem anni ſuperioris offenſionem vix dum obliteratam. *Mauritio* quoque Duci *Saxoniæ* iniecta erat obſequij neceſſitas ab *Cæſare* nuper

E Principibus Proteſtantum quidam Cæſaris ſiue beneficiis illecti, ſiue minis territi, Concilio ſe aſſenſuros promittunt.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

per tot beneficijs aucto, & *Lantgrauium* socerum liberari vehementissime cupienti. Quocirca cùm *Cæsar* ijs prolixè operam suam promisisset, vt in Concilio, quà fieri posset, ijs satisfieret; & vt ipsi fiderent, serio flagitasset: & illi, & Electoris *Brandeburgici*, aliorumque Principum Legati, desiderio *Cæsaris* denique assentiuntur. Ciuitatibus tamen magni res periculi videbatur, omnibus Concilij decretis indifferenter se submittere. Itaque *Granuellanus* cum earum Legatis diu multumque egit, illos præfractos esse dictitans, qui id recusarent, quod Principes ipsi comprobassent: additis quoq; comminationibus, futurũ, vt maioribus quàm antea pecuniarum summis mulctentur. tandem itaque coguntur voluntati *Cæsaris* acquiescere, modò ipsis caueatur de ipsius promissis repræsentandis. Sic vocati ad *Cæsarem* interrogatique, annon ad Principum sententiam vellent accedere, respondent suum non esse, nimiæque peruicaciæ imputandum, responsionem Principum velle corrigere: simulque scriptum ei tradunt, quibus conditionibus Concilium approbare decreuerint, testificati. *Cæsar* scripto eo accepto, neque tamen lecto, per Cancellarium laudat eos, quòd reliquorum exemplo rem sibi permittant, & promissis ipsius fidant: atque eam rem sibi esse pergratam suis *Cæsar* ipse verbis est professus. sic vtrisque placuit, suum agentibus negotium, etiam decipi velle.

Quorum responsionem cum Ciuitates dicerent se nolle corrigere, id in assensum trahitur à Cæsareanis.

Interea Cardinalis *Sfondratus* nullam officij sui partem prætermittit, exponendis *Cæsari* permultis commoditatibus, quas ille percepturus esset, dummodò Concilium, quod *Bononiæ* tum celebrabatur, assensu suo confirmare vellet: atque inprimis commemorat summam rerum in *Anglia* perturbationem, Rege puero, regni Præfectis in diuersa tendentibus, populoque propter religionis dissidium diffidere, & factiones contrarias alere prompto. Neque reticet, quàm arctam Pontifex cum plerisque in eo regno colat amicitiam, quam haud dubiè in ipsius rem esset versurus: propositum esse Pontifici, illum copiarum & nauigiorum magno numero, in incœpto eo attentando prosequendoque adiutare; ac in eam rem, Ecclesiarum reditus, per omnia regna & ditiones ipsius, illi permittere. Neque verò hìc latebat *Cæsarem* quid potissimum Pontifex spectaret, nempe, velle nouis illum bellis atque molestijs implicare, vt ex negotio iam confecto, turbis denuo excitatis, solidum gaudium percipere non posset. Nuncio igitur respondet sui esse propositi, cum Pontifice in re religionis arctissimam fouere coniunctionem; sed in rebus bellicis sibi vni fidere, suisque vti viribus: neque ei se ducem præbere, qui in ipso rerum gerendarum momento eum esset derelicturus; quod in *Germaniæ* bello dudum comperisset. vnde altera parte varia Pontifici emolumenta proponit, Concilio eius opera *Tridentum* reuocato. Cum autem Nuncius super ea re nihil sibi in mandatis datum significasset, continuò *Cæsar* Cardinalem *Tridentinum* ad Pontificem ablegat, ad tractandum cum eo de Concilij restitutione, & alijs nonnullis, de quibus mox dicendum; quo quidem Pontifex non semel audito, neque tamen quid ipse animi haberet patefacto, respondit tandem, illum in Senatu Patrum purpuratorum breui audiendum.

Pontifex per Núcium Cæsarem solicitat de inuadéda Anglia, & se belli socium offert, quò nouis illum turbis implicet.

Cæsar Nuncio respondens, Pontificis in bello societatem respuit; & illum ad operam in Concilio Tridentum reuocando potius collocandam inuitat.

Qua fini Card. Tridentinum Romam ablegat.

Cardinalis *Tridentinus* die IX. Decembris in frequentissimo Cardinalium Senatu, coram Pontifice, commemoratis primum *Cæsaris* laboribus, & ingentibus periculis ad sustinendam Concilij dignitatem susceptis, summaque diligentia & authoritate adhibitis, vt Principes omnes & Ordines *Germaniæ* Synodi decretis sese submitterent; Pontificem rogat *Cæsaris*, *Ferdinandi Regis*, & totius Imperij nomine, per omnia sacra, primùm, vt Patres, qui *Bononiæ* sunt, *Tridentum* reuerti iubeat, ad opus inchoatum reipublicæ adeo necessarium perficiendum: deinde, Legatum vnum & alterum mittat in *Germaniam*, potestate plenissima, absque vlla reseruatione, munitos, de quorum sententia, formula & modus recte viuendi ad exitum vsque Concilij præscribatur, & Ordinis Ecclesiastici emendatio instituatur: ac postremò, consideret atque statuat, si Concilij tempore contingat Pontificem decedere, vtrum eligendi Pontificis potestas, ad Patres in Synodo congregatos, an verò ad Cardinales pertineat, ne si res forte in eum casum deuenerint, ex illa occasione noui motus atque turbæ exoriantur. Tertium hoc caput de industria fuit appositum, ad Pontificem de ætate sua decrepita, & mortis confinio commonefaciendum, vt

Cæsaris à Pôtifice postulata super Concilio, per Cardin. Tridentinum in Cardinalium Consistorio proposita.

Cæsaris

Cæsaris postulato minus grauatè concederet, neque posteros suos hæredes relinqueret eius offensionis, quam *Cæsar* ex ipsius oppositione capiebat. His auditis postulatis, Pontifex laudata prius *Cæsaris* propensione, & in Ecclesiæ commodis procurandis studio, respondet, se pro rei propositæ merito de ea sedulò cogitaturum, ac prout Deo complacitum fuerit, decreturum. Cardinalis, postquam ad Pontificis colloquium iterum, iterumque priuatim admissus, eum, vt aliquid tandem Ecclesiæ bono statueret, solicitasset, neque quidquam ex animi sententia impetraret, *Roma* discedens, *Augustam* reuertitur, relicto cum eisdem mandatis *Didaco Mendoza*, quem *Cæsar* in eum finem *Senis* euocauerat, componendis *Senensium* dissidijs ante intentum. Et quidem *Mendoza* in Consistorio publico, ad Cardinalem *Guisium* in sacrum ordinem admittendum conuocato (quo tempore aliorum ordinum hominibus in Collegium aditus datur) Pontificem accedit, quæ ab Cardinale *Tridentino* proposita fuerant, repetit: in mandatis se habere dictitans, si Pontifex vel dilationem, vel excusationem aliquam negotio interposuerit, vt de Synodi *Bononiensis* vitio palam profiteatur. Pontifex respondet velle se ad Patres, qui *Bononiæ* sint, referre, & quid ipsi sentiant prius intelligere; tum ad cæteros Christiani Orbis Reges ac Principes rem deferre, quò matura deliberatione habita ad Dei gloriam, omnibus satisfiat.

> Pont. amplius deliberandum censet.
>
> Cardinale re infecta abeunte, Mendoza Orator quoq; Cæsareus, eadem vrget postulata: & nisi mox respōdeatur, de Synodi Bononiensis vitio protestaturum se minatur.
>
> Pontifex rem refert ad Patres Bononienses.

Eodem die *Carolus Lotharingius* Cardinalis *Guisius* in Consistorium introductus, Regis Galliæ nomine habet orationem. quà *Francisco* Rege primùm laudato, qui nullis sumptibus & periculis vnquam pepercerit, in tuenda reliquorum Principum libertate; mox subiecit, *Henricum* filium à Patris moribus & ingenio minime degenerantem, simulatque parentis optimi manibus parentasset, nihil habuisse antiquius, quam vt suam erga Sedem *Romanam* obseruantiam hoc officio testaretur. Regum *Galliæ* illustria esse in Pontifices *Romanos* officia, & cæterarum nationum studia anteuertere. sed hoc præsertim tempore Regis illud officium esse percommodum, quo potentissimus Rex suas omnes copias, & facultates pollicetur Ecclesiæ, pro Pontificia dignitate conseruanda, quæ hodierno die adeo despicitur. orare Pontificem, vt Regem Christianissimum in filium admittat, & omnem ab ipso opem ac amicitiam expectet; atque quod reliquum est, studiosè videat, ne quid Ecclesia capiat detrimenti, aut dedecoris. neque enim nescire ipsum, ex quam paruis initijs maximæ olim factiones exarserint, quæ Pontifices in grauissimas coniecerint calamitates. multis denique citatis Pontificum exemplis, qui redacti in angustias, *Galliæ* Regum auxilijs subleuati, dignitatem pristinam recuperarint; concludit, Regi *Henrico* fore curæ, ne in conseruanda Sedis Apostolicæ dignitate, Regum superiorum cuiquam concedere velle videatur.

> Caroli Cardinalis Lotharingij apud Pontificem oratio, commemorantis, priorum Regum studia in PP. & ab hoc Rege tantundem spondentis.

Existimabant plerique Cardinalem *Lotharingium* Pontificis impulsu hac forma locutum, cum vt Cardinalibus suæ factionis animos adderet, tum vt erectos Cæsareorum spiritus retunderet, quibus perspectum volebat, non esse quod cogitent eum posse compelli. Cæterum, vt quod *Didaco Mendozæ* promiserat, re præstaret, datis ad Cardinalem *Montanum Bononiam* literis, expositisque *Cæsaris* per vtrumque Oratorem suum postulatis, simul, quid vtrique respondisset; monuit eum, vt implorata Spiritus Sancti ope, Patribus rem omnem exponat, & perspecta eorum voluntate, quid *Cæsari* respondendum putent, quamprimum ad se perscribat. *Montanus* conuocatis Patribus, exponit, quid sibi præceptum fuerit, & sententiam suam primus aperit; quam cæteri omnes sequuntur. Spiritus enim ille, qui Legatos solet impellere in eam sententiam, quæ ad mentem Pontificis est, dein Episcopos ad assentiendum Legatis, in hac actione antiquum obtinuit. Collectis itaque suffragijs, *Montanus* de communi Patrum sententia rescribit. Cum Concilium, quo tempore *Tridento Bononiam* legitimè fuit translatum, Patres omnes peramanter monuerit, vt *Bononiam* petere vellent: cumque ipse alijque, vbi venissent *Bononiam*, & accepissent nonnullos è Patribus adhuc *Tridenti* permanere, denuo benignè eos hortati sint, vt ad iter se accingerent, & Concilij corpori sese coniungerent; quandoquidem salutaria monita spreuerint, & cum multorum offendiculo, iuxta ac Synodi contemptu ibi pertinaciter substiterint, quasi ipsi sese legitimum esse Concilium velint obtende-

> Pontifex Patres Bononiæ consulit, quid ad Cæsaris de Concilio Tridenti restituendo postulata, sit respondendū.
>
> Card. Montani cōmuni Patrum Bononiensium nomine responsum.

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

obtendere, aut saltem non teneri huic morem gerere; Patres non videre, quomodo salua dignitate & existimatione Synodi de reditu *Tridentum* possit deliberari, nisi qui in ea ciuitate sunt, *Bononiam* priùs accedant, & se reliquis coniungentes, Concilij potestatem agnoscant. id vbi effectum dabitur, in gratiam Nationis *Germanicæ*, posse forsitan agi de Concilio *Tridentum* reuocando: sed ea lege, vt Patribus antè caueatur, fore, vt Synodi decretis *Germania* se submittat, tam ijs quæ iam facta sunt, quam in posterum stabiliendis. Et quia rumor increbuerat, si quando Concilium *Tridentum* redierit, illud fore populare, & licentia plenum; cupere etiam Patres, hoc nomine sibi caueri, ne ordo omnis, modusque Conciliorum, inde ab Apostolorum seculo ad nostram vsque ætatem deductus, & continuatus, immutetur. Illud porro cupere intelligi, qua ratione ipsis cauebitur, vt tutò possint ibi singuli commorari, & vbi commodum videbitur, illinc discedere: item, cum maiori Patrum parti visum fuerit, in alium locum Synodum transferre: denique, cum apparebit, ijs causis, ob quas indictum fuit Concilium, satisfactum esse, Concilio finem imponere. Postremò Beatitudinem suam supplices orare, ne illud inuiti facere cogantur, quod cum Diuini numinis cultu & Ecclesiæ libertate planissimè pugnat.

Id responsum Cardinalibus primò communicatum ac probatum, Mendozæ Oratori Cæsareo mox impertit.

Pontifex his literis redditis, die qui D *Ioanni* Euangelistæ sacer, missâ peractâ, in Cameram, quæ dicitur ornamentorum, conuocatis Cardinalibus, responsionem Patrum *Bononiensium* cum ipsis communicat. quæ cum maiori Cardinalium parti non improbaretur, *Mendozam Cæsaris* Legatum in Cardinalium cœtum accersit, ei, quid Synodus *Bononiensis* responderit, exponit, eamq; sententiam Cardinalibus probari ostendit. Ad se quod attinet, nihil esse, quod non *Germaniæ* causa velit, id *Cæsarem* ipsum posse testificari: sed persuasum habere, quod ab ipso *Cæsaris*, *Ferdinandi* Regis, & imperij Ordinum nomine petitur, habere appositam conditionem, nimirum, modò cum reliquarum nationum pace commodoque, & cum Ecclesiæ libertate sit coniunctum. Quoniam verò Concilium publicum legitime congregatum aliter censeat, eamque sententiam Cardinalium Collegium vehementer probet, se neque posse, neque debere, eam pro alia agnoscere, quàm iuri ac rationi consentanea, neque eam non vti iuridicam approbare. Pro paterno suo in *Cæsarem* & *Ferdinandum* affectu, vouere quidem, vt possit respondere eorum postulatis magis ex animi sententia; sed ab Pontifice, Ecclesiæ Capite id solum expectandum, quod prouida administratio publicæ rei cogit statuere. Satis perspectam esse sibi *Cæsaris* prudentiam & filialem dilectionem: proinde confidere, quæ à tot Patribus necessaria iudicantur, æqui boni facturum, imperaturumque, vt Præsules *Hispani*, qui *Tridenti* commorantur, confestim se *Bononiam* conferant, & *Germania* conditiones à Concilio propositas non reijciat, suosque quamprimum Præsules mittat: ac demum vt Synodo de conditionibus præstandis abunde caueatur. *Mendoza*, audito responso, cum videret quâ Pontifex esset mente, statuit è vestigio protestari, cœtum *Bononiensem* non esse legitimum, imo nisi eum continuò *Tridentum* reuocet, omnia Christiani Orbis mala ac detrimenta ipsi imputanda; *Cæsaremque*, sicuti decet Ecclesiæ Protectorem, si ille officio defuerit, bono publico consulturum. Sed intercedente Cardinale Tranensi Collegij Decano, alijsque eius ordinis nonnullis, ab eo impetratum, vti protestatio differretur, quoad responsum hoc *Cæsari* renunciatum esset, aliæque ab eo literæ expectarentur.

Mendoza Pôtificis & Patrum Bononiensium obstinatione perspecta, ad protestandum se comparabat, sed interuentu Cardinalium Cæsaris responsum expectat.

Pontifex factum hoc *Mendozæ* seriò animo volutans, iudicabat istam de loco Concilij controuersiam posse inter se & *Cæsarem* animorum dissidia parere: eo autem casu rebus suis parum tutum esse, habere Præsules *Germaniæ*, causæ suæ minus fauentes. Dictum est paulo ante, verba vltima literarum, quas ad Pontificem dederant, ipsum grauiter offendisse, dum, quod illi dicebant, cogitaturum *Cæsarem* de alijs consilijs & remedijs adhibendis, ipse apertam minarum denunciationem interpretatur. vnde apud se decreuerat literis illis omnino non respondere, in eaque sententia totos tres menses perstitit: nunc verò recolligens sese, metuebat, ne dum negligi se putant, in præceps aliquod consilium ruant, cui *Cæsar* viam facturus sit, ad ipsum in maiores angustias conijciendum. Itaque malo huic præuortendum ratus, responsoque eos dignatus, illud summo artificio & moderatione contexuit, sed

Pontifex ad Episcoporum Germaniæ literas ante tres menses scriptas, iam demũ respondet.

non

non sine loci dignitatisque suæ sensu. Principio ipsorum pietatem laudat, quam egregia sua solicitudine in reprimendis hæreticorum & factiosorum hominum motibus prodidissent, affirmans se quoque pro pastorali suo munere eadem solicitudine non mediocriter angi; qui nullum sibi tempus abire passus sit, neque etiamnum patiatur, quo non de remedio cogitet. hac de causa, statim ab inito Pontificatu decurrisse ad illud, cuius & ipsi mentionem faciant, remedium, nempe Concilium publicum. Atque hic commemorato successu conuocationis, & impedimentis, quæ Præsules retardarunt, quò minus, quod instituerant, continuo aggrederentur, subjecit, Concilio conuocato multa ibi facta esse decreta cum hæresibus damnandis, tum disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ: *Tridento* postea migratum, atque id se inconsulto factum. sed quando Synodus ipsa habuerit eius rei potestatem, se arbitrari legitimam subesse causam cur ita fecerit, nisi rem aliter se habere liquido cognoscat. Et quamuis pauculi aliquot non assenserint, non idcirco existimandum Concilium esse diuisum. neque vero translatum esse in vrbem, quæ *Tridento* longè absit, vel parum tuta sit: quando ob eam causam magis fida ac tuta *Germania* videri debeat, quod sub Ecclesiæ tutela sit: à qua non solum fidem & religionem Christianam, sed & alia multa liberalitatis monumenta acceperit. nihil vero sua referre, *Tridenti*, an *Bononiæ*, an alibi Concilium celebretur; neque recusare, quin alius locus aliquis deligatur, modo Patres assentiantur, neque cogantur inuiti illic subsistere. quid obstet, quo minus *Tridentum* redire velint, licere, vt ex Patrum literis, qui nunc *Bononiæ* sunt, cognoscant; quorū exemplar vnà mittit. quòd autem aliquanto tardiùs ipsorum literis respondeat, in causa esse, quòd cùm Cardinalis *Tridentinus*, & post hunc *Didacus Mendoza* nomine *Cæsaris* ad se venerint, quorum postulata cum ipsorum literis plane congruant, non prius ad ipsos scribere, quàm *Cæsari* respondere voluerit. ex exemplo literarum à Patribus *Bononiensibus* scriptarum facile apparitarum, quid fieri oporteat prius, quàm de reditu *Tridentum* deliberetur. eà propter hortari, vt vel ipsi super ea re *Bononiam* consultaturi veniant, vel suos eò mittant legatos, & Concilium prosequantur. Quòd verò extremis suis literis addant, nisi Concilium *Tridentum* redeat, fore, vt alia consilia & rationes rei expediendæ suscipiantur, eo se neutiquam commoueri; abunde sibi conscium, nullam officij partem ab se prætermissam, & se *Germaniam* ipsam summo studio & caritate semper complexum. de ipsis verò, deque *Cæsare* sibi polliceri, nihil, nisi maturè consultòque molituros. Quòd si spreta Romanæ Sedis autoritate quidpiam tentabitur, non se quidem prohibere posse, quod *Christus* ipse, quando Ecclesiæ fundamenta jecit, futurum prænunciauit: verùm vt conatus foeliciter succedat, non valde reformidare, Ecclesiæ fundamento in firmissima petra posito. non semel hoc ipsum ab alijs tentatum, sed euersis eorum conatibus Deum in illis exemplum statuisse, quid ab his sit expectandum, qui ijsdem vestigijs insistant. quod si qui futuri sint hodie, quos superiorum temporum clades poenæque nihil deterreant, neque dimoueant ab incoepto; hoc tamen persuasum habere, ipsos in ea pietate atque fide, quam semper præstiterunt, firmiter permansuros: neque in suis conuentibus consilia ab Ecclesiæ dignitate aliena ac remota, locum vllum obtinere passuros.

Paulus 3. Carolus 5. Edwardus. 6. Henricus 2.

Excusat moram in rescribendo.

Et minas aspernatur.

Cæsar ab Oratore suo edoctus cuiusmodi essent Patrum *Bononiensium* postulata, quamque constanter Pontifex in Synodi sententia persisteret, vtcumque ipse exploratissimum haberet Pontificem duntaxat Synodi & Patrum *Bononiensium* nomen actioni suæ obtendere, quos nemo nesciebat omnino ab eo pendere, motumque omnem ac vigorem ab illo inspirante accipere: tamen, vt omnibus perspectum faceret, nullum officium à se prætermissum Concilio in integrum restituendo, ab eo *Bononiam* missi *Franciscus Vargas* & *Martinus Velascus*. Qui die XVI. Ianuarij cum Senatum sibi dari postulassent, in Cardinalium Legatorum *Montani* ac *Sanctæcrucij*, necnon reliquorum Patrum, quorum numerus ab vltima Sessione nihilo auctior erat, Consessum adducti, exhibent Cæsaris literas *Conuentui Patrum Bononiæ* inscriptas. quibus lectis, dum *Vargas* verba facere occipit, ab *Montano* in ipso statim vestibulo interpellatur. Ille scilicet præfatur, coetum eum non teneri vllam ipsius orationem

Vargas & Velascus Oratores ab Cæsare mittuntur Bononiam.

Montanus Vargam verba facientem interpellat.

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

orationem audire, quòd literæ coràm exhibitæ, ad eam Sanctam Synodum minime pertineant, quæ Conuentus non esset, sed Concilium legitime conuocatum: paratos nihilominus Patres aurium operam ipsis commodare, sed præmissa cautione, ne ista actio vel suo præiudicio, vel aliorum compendio cedat: Patribusque liberum sit, Synodum continuare, ac procedere, & in contimaces autoritatem eius detrectantes, atque rebelles, poenas sacris legibus definitas decernere. Mox petijt Vargas hoc ipsum in acta publica referri, quod interpellatus esset, quo minus ipse prior verba faceret. deinde obsecrat Patres totius Reipublicæ Christianæ nomine, vt æquitatem hic adhibeant. obstinatè enim in sententia perseuerando, quam non satis prudenter & prouidè amplexi sint, cum maxima id calamitate publica futurum: sententiam vero mutando, & *Cæsari* morem gerendo, cessura omnia fœliciter. cumque in eo esset, vt Patribus repræsentaret, quàm perniciosè erraturi essent, nisi propositum mutarent; tum, quàm egregia esset *Cæsar* in Dei cultum, & publicum Ecclesiæ bonum voluntate; Cardinalis *Montanus* hominem secundùm interturbat; Adsum, inquiens, ego sacrosancti huiusce Concilij Præses, *Pauli* III. Pontificis, *Petri* successoris, & in terris *Christi* vicarij Legatus, vnà cum sanctissimis his Patribus, vt Concilium, *Tridento* legitimè translatum, ad Dei gloriam prosequamur. oramus *Cæsarem*, vt sententiam mutet, & nobis in hanc rem ferat opem, Concilijque perturbatores coerceat: non nescius, eum, qui sacris Concilijs adfert impedimentũ, cuiuscunque ordinis sit aut dignitatis, in grauissimas legum poenas incurrere. verùm, vtut res ceciderit, & quæcunque demum intententur minæ, non sumus tamen libertati, & honori vel Ecclesiæ, vel Concilij, vel etiam nostro defuturi.

Montani iterum interpellantis verba procacia.

Tum *Velascus* Protestationis formulam, quam descriptam manu tenebat, coram omnibus perlegit, hac fere summa. Religione conquassata, moribus corruptis, & *Germania* ab Ecclesiæ communione segregata, *Cæsarem* ab *Leone*, *Hadriano*, *Clemente*, & demum ab *Paulo* III. Concilij celebrationem efflagitasse. narratis dein difficultatibus & impedimentis, quæ conuocationem eius interpellarunt, ea quoque perstringit, quæ ipso Concilij tempore gesta; quemadmodum interea *Cæsar* bellum in *Germania* tuendæ potissimum religionis causa gesserit, potentemque eam nationem ad pacem & obsequium armis suis adegerit; bona spe fretus, eos, qui Concilium hactenus repudiarant, eo iam non grauatè profecturos. ipso hoc tempore istos Reuerendissimos legatos præter omnium expectationem, inconsulto Pontifice, causa leuissima nescio quà, subito conficta, de transferendo Concilio statim proposuisse, vix dato ad cogitandum spatio. Cumque quidam pij, probique Antistites migrationi minime assentiendum putarent, seque *Tridenti* mansuros profiterentur, ipsos de paucorum *Italorum* assensu translationem decreuisse; & die proximè sequente *Bononiam* migrasse. Cæsarem, bello fœliciter confecto, Pontificem per literas & nuntios sæpius rogasse, iuberet Patres *Tridentum* redire, propositis scandalis & periculis impendentibus, nisi Synodus in ea ciuitate finem habeat. ex eo Conuentum *Augustæ* indixisse, in quo ab Germanis omnibus impetratum, vt vellent Concilio se submittere. vbi id consecutus esset, Cardinalem *Tridentinũ* ilico ad Pontificem misisse, qui id ipsum significaret, & Concilij *Tridentini* continuationem flagitaret. Postea idem negotium *Didaco Mendozæ* datum, Romam eà gratia amandato. Pontificem autem mora interposita ad eos, qui *Bononiæ* congregati sint, rem detulisse; ab his responsum varium, subdolum, & captiosum accepisse, immo eiusmodi, quod ab ipso meritò damnari debuit, vtcumque illud approbauerit, & coetum illum *Bononiensem* illegitimum, tum Generalis Concilij appellatione cohonestarit, tum potestate tanta, quantam ipsi sibi nunquam arrogaturi fuissent, decorarit. Id liquidò constare, Concilium *Tridenti* indictum aliò transferri non potuisse, nisi necessitate premente, diligenti habita disquisitione, & publica omnium ordinum auctoritate interueniente. Eos tamen qui se Legatos dictitant, abitionem *Tridento* maturasse, febriculis quibusdam & vitijs aeris confictis, & submissis Medicorum testimonijs: quæ quàm futilia fuerint, & nullo iusto metu nixa, re euentuque satis comprobatum esse. Certe, si quæ abeundi necessitas incubuisset, cum Pontifice saltem fuisse agendum, & cum *Cæsare*, cui Conciliorum omnium est demandata

Velascus Cæsaris nomine, de Synodi Bononiensis vitio ac defectu profitetur, protestatione coram omnibus perlecta.

demandata tutela: sed hic tantam festinationem adhibitam, vt vix semetipsos in consilium aduocarint. Non audiendas modò, sed & expendendas fuisse diuersas Patrum sententias, eorum præsertim, qui ex animi sententia loquebantur; qui, etsi numero inferiores, alijs tamen erant præferendi, quippe prudentia priores. Quod si omnino erat migrandum, extra eiusdem Prouinciæ fines non fuisse exeundum; sed iuxta sacrorum Conciliorum Decreta, alium in *Germania* locum deligendum. Neque probabilem vllam caussam obtendi posse eligendæ *Bononiæ*, vrbis Ecclesiæ Romanæ imperio subditæ; quò certum sit *Germanos* minimè venturos, & cuius reijciendæ, caussæ vix vnquam cuiquam defuturæ sint. neque id aliud esse, nisi Concilium ex improuiso dissoluere. *Cæsarem* itaque, cuius propriè est tueri Ecclesiam, & Oecumenica Concilia protegere, cum videat in cōponendis religionis per *Germaniam* diffidijs, tum in *Hispaniæ*, cæterorumque regnorum suorum ac ditionum populis ad vitam verè Christianam conformandis, translationem Concilij iniuriâ factam omnes rationes ipsius conturbare, Legatorum nomen sibi vendicantes, cum Episcopis obtestari, vt *Tridentum*, vnde diuerterunt, velint repetere. Id ab ijs nunc recusari non posse, qui se id facturos ante receperant, vbi primùm pestilentiæ metus desæuierit. si fecerint, rem populo Christiano gratissimam facturos. sin minus, ipsos de speciali *Cæsaris* mandatu protestari, Concilij hanc translationem, siue Recessum, illegitimum esse ac nullum, cum omnibus quæ inde consequuta sunt: neque ea esse, qui dicuntur, Legatos atque Episcopos à Pontificis nutu pendentes, auctoritate, vt in caussa religionis morumque emendandorum Christianis omnibus normam possint præscribere, sed maximè ijs Prouincijs, quarum mores & instituta non habent perspecta. Profiteri porro, Pontificis, Patrumque *Bononiensium* responsum esse ineptum, illegitimum, fraudulentum, figmentisque plenum, omniaque inde nata aut nascitura damna, tumultus, ruinas, populorumque excidia, non *Cæsari*, sed huic Conuentui, Concilij sibi nomen vendicanti, imputanda; qui facillime iuxta Canonum sanctiones malo huic mederi poterant. Testificari denique, quando Pontifex, ipsique salutem publicam sua culpa negligant, Imperatorem, Ecclesiæ curam ac tutelam in se suscepturum pro virili, quantum quidem iure licet, ac prout dignitati suæ *Cæsareæ*, Regiæque, & Sanctorum Patrum, totiusque Orbis consensioni est consentaneum. Atque hæc quæ facta essent, mandatum *Cæsaris*, & protestationem ab ipsis recitatam, in Acta publica Conuentus referri petunt.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

Et *Velascus* statim, quam manu tenebat Protestationem Legatis exhibuit, vt tabulis publicis insereretur denuo postulans. Cardinalis vero *Montanus* de voluntate Patrum multa grauiter elocutus, Deum testificatur, se paratos mortem potiùs oppetere, quàm adeo pernicioso Ecclesiæ exemplo pati, vt ciuilis Magistratus pro arbitratu Synodum cogat. Quippe *Cæsarem* Ecclesiæ filium esse; non Dominum, aut Magistrum. Se quidem, & collegam suum, S. Sedis Apostolicæ Legatos esse, neque recusare, quin Deo, & summo Pontifici Legationis suæ rationem reddant: quod autem protestationem attinet, fore, vt intra paucos dies ei respondeant.

Card. Montanus in sententia præsi actior protestationem Cæsaris aspernatur.

Mendoza Romæ accepto *Cæsaris* responso, nempe negotium illud sibi esse prosequendum, & in præsentia Cardinalium & Oratorum Principum apud Papam attestandum: tum audito, quid à *Varga* & *Velasco* factum esset *Bononiæ*, in Consistorio comparet, flexisque coram Pontifice genibus attestationem, quam scriptam habebat in manibus, propalam legit. Ab *Cæsaris* vigilantia & studio in vnienda Republica Christiana, opinionum de religione varietate diuulsa exorsus, commemorat, quibus officijs cum *Hadriano, Clemente*, & ipso *Paulo* actum sit, vt ad indicendum Concilium possint adduci; cui cùm *Germaniæ* perduelles sese nollent submittere, *Cæsarem* eadem pietate motum, ad obsequium armis eos adegisse. Huic bello Pontificem (ne causæ publicæ deesse videretur) leue aliquod militum subsidium contulisse: Verè tamen affirmandum solas *Cæsaris* vires tam graue bellum ad finem perduxisse. Quo dum ille occupatus distinetur, ecce bonum illud opus *Tridenti* inchoatum, perniciosa transferendi Concilij machinatione interturbari, neque veris, neque verisimilibus de causis; sed tantùm ad quietem publicam interpellandam: etiamsi Patrum

Eandem tamen Mendoza Cæsaris Orator coram Pontifice in Consistorio Cardinalium iterat.

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

trum pars longè melior, & sanior, translationi obsisteret, & ibidem manendum existimaret. Quibus certè Concilij nomen tribuendum erat, non illis, qui *Bononiam* se receperant, vtcumque illos Pontifex eo nomine exornet, quòd ipsi adhæreant, eorumque voluntatem *Cæsaris*, *Ferdinandi*, & Principum Imperij rogatibus anteponat, susque deque habita *Germaniæ* salute, & erronum in viam rectam reductione. quibus Concilio *Tridentino* iam se submittere promptis, non aliud superabat, nisi vt Concilium *Tridentum* remearet. Ea de re cùm ab hoc ipso Oratore supradictorum Principum nomine supplicatum fuisset, datam esse responsionem subdolam, artificijs refertam, nulloque rationis firmamento nixam. Vnde cum videret petitiones Euangelicas ab se Oratore *Cæsareo* XIV. & XXVII. Decembris factas, etiam XVI. Ianuarij ab alijs eiusdam Maiestatis procuratoribus *Bononiæ* exhibitas, neque hîc, neque illic vllo loco & numero esse, apertè tunc protestatum, migrationem *Tridento*, & translationem Concilij *Bononiam* nullam esse atque illegitimam: sed & contentiones in Ecclesiam importare, fidem Catholicam, ipsamque religionem in periculum adducere, Ecclesiam scandalis obijcere, eiusque statum deformare. omnia detrimenta, dissidiaque inde euentura, Pontifici esse imputanda. Hunc, etsi capitis periculo malis occurrere teneatur, eorum tamen auctoribus & impensè fauere, & fomenta etiam adhibere. Imperatorem certè cessante in officio Pontifice, omni conatu quod sui muneris est facturum, vti *Cæsarem* Regemque decet, secundum formam à Sanctis Patribus sancitam, & de communi omnium assensu stabilitam. Tum ad Cardinales conuersus profitetur; quandoquidem Pontifex paci religionis, vnioni *Germaniæ* & morum reformationi operam dare abnuerit, si ipsi itidem negligentes fuerint, perinde contra ipsos, atque contra summum Pontificem attestari. Sic relicto, quod in manibus habebat, scripto, cum nemo quisquam ei reponeret, discessit.

Pontificis solicitudo, & artificium, vt Translationis controuersia ad se, non vti partium alteram, sed tanquam Iudicē deferatur.

Pontifex considerata *Mendozæ* protestatione, & negotio cum Cardinalibus diligenti disquisitione excusso, facilè perspexit se coniectum in angustias, è quibus non temere possit euadere. Siquidem valde esse contra nominis sui dignitatem, vt ille partem vnam constituat, & contentionis huius veluti funem ducat: nullum contra superesse remedium, nisi vt ipse neutrarum partium, iudex sit inter eos qui translationem probant, & qui eandem impugnant. eâ gratiâ necessariò declinandam esse protestationem, vt non contra ipsum, sed coram illo contra Patres *Bononienses* facta videatur. Atque id cum dissimulando effici nequeat, statuit mandati *Cæsarei* transgressionem ipsi Oratori imputare, ratus *Cæsarem* perspectâ ipsius in Oratore crimine onerando solertiâ, ad declinandam *Cæsaris* alienationem, debere eius factum sibi imitandum proponere, & quasi protestatio contra *Bononienses* facta fuisset, negotium omne prosequi, causæ iudicio ad Pontificem delato. Quocirca die Mercurij Calendis Februarij, *Mendozæ* in Consistorium accito hunc in modum vbertim respondet. Nimirum, contestationem pessimi esse rem exempli, neque hactenus vsurpatam, nisi ab ijs, qui vel prorsus obedientiæ iugum excusserint, vel in ea cœperint vacillare. dolere sibi & Collegio Cardinalium de inopinata ea actione, propter amorem paternum, quo *Cæsarem* semper prosecutus sit, & propter alienum tempus, cum minime omnium expectaretur eo tempore, quo *Cæsar* cum Ecclesiæ hostibus belligerabat, & de suis Ecclesiæque hostibus victoriam reportabat, Pontificijs copijs ingentibus, & opportunissimis, & quæ magnis sumptibus alerentur, adiutus. id subsidij longe alium recenti parta victoria pietatis fructum meruisse, quàm vt eius belli finis, initium esset aduersus se protestandi. alleuari quidem hac parte mœrorem suum, quòd Orator mandati Cæsarei fines excesserit. *Cæsarem* enim *Bononiæ* procuratoribus suis mandasse, vt coram Legatis protestarentur; & *Mendozæ*, vt coram Pontifice & Cardinalibus contra Concilium *Bononiense*, non contra Pontificem attestaretur. *Cæsarem* certe modesti Principis officium fecisse, qui Pontificem vnicum, & legitimum causæ translationis iudicem esse sciebat: cuius cognitionem si recusasset in se suscipere, tunc demum futurum fuisse debitum protestationi locum. multo æquius fuisse futurum, vt qui *Tridenti* remanserant Patres, si quam habebant contra reliquos, qui *Bononiam* migrarunt, querimoniæ causam, eam ad Pontificem

Pontificis ad Mēdozæ protestationem responsio.

vt-

vti deferrent: sed Oratorem rerum ordinem inuertisse, omissaque ea, quam exhibere debuit petitione, scilicet, vt de causa cognosceretur, indebitum contra Concilium præiudicium vrgere, nempe, vt Decretum de transferendo Concilio factum rescindatur. Vnde actionis ipsius fundamento corruente, sibi nihil fuisse necesse ad contestationem respondere: nihilominus tamen ad diluendas criminationes, & veritatem rei commonstrandam hæc insuper addenda censere. Ac primùm ad illud, vbi *Mendoza* taxat ipsum vti negligentem, & laudat *Cæsarem* vti solicitum & vigilantem, respondet; se *Cæsaris* laudibus & honestis desiderijs non ire detractum, sed vt ætate, ita sedulitate priorem, in cogendo Concilio ei præuortisse. expetiuisse quidem semper, vt Concilium perageretur, & desiderium hoc suum actionibus expressisse (atque hic actiones varias percurrit Concilij promouendi causa susceptas, item impedimenta ab alijs obiecta, in quibus etiam bella ab *Cæsare* gesta) an Concilium legitimè sit translatum, necne, eius rei iudicium sibi quidem reseruari: sed laudare eos, qui *Tridenti* manserunt, perinde esse, atque laudare eos, qui ab Ecclesiæ corpore sese segregarint. non recusare sanè quominus *Tridentum* redeatur, modo id legitimè fiat, & sine reliquarum nationum offensione. nam vt solum *Tridentum* celebrando Concilio putetur idoneum, iniuriam sic fieri *Spiritui S.* qui vbique locorum adoratur, & adest. Neque id respiciendum, quòd *Germaniæ* præ cæteris laboranti medicamine opus sit. pari enim ratione in *Anglia*, & alibi, vbi ijsdem morbis laboratur, generalia Concilia conuocanda: in quibus cogendis, non eorum rationem haberi, quibus præscribuntur leges, sed eorum, qui decreta faciunt, & præscribunt, hoc est Episcoporum. multis ostendi documentis habita sæpe fuisse Concilia extra eas Prouincias, in quibus natæ hæreses. Illud vero in primis *Mendozam* male habere, quod postulatur, vt decreta Concilij tam facta, quam sancienda, rata sint omnia: atque vt is agendi modus & ordo retineatur, qui iam inde ab Apostolorum ætate ad hoc vsque tempus in Ecclesia permansit. Decretum quidem sibi, in rebus Ecclesiæ administrandis negligentiam omnem vitare, & curam industriamque adhibere. quòd si *Cæsar* quoque in Ecclesiæ cura sedulus esse velit, per se quidem licere; modò tamen intra terminos consistat iuris formulâ, Sanctorum Patrum legibus, & officij debito præscriptis. ita vtriusque functionem in se distinctam, Ecclesiæ fore salutarem. Quod autem attinet caput illud protestationis, de cognoscenda translationis causa, vtrum legitima sit necne, se eius controuersiæ cognitionem ad suum tribunal euocare, eamque Quatuoruiris amplissimis *Parisio, Burgensi, Polo* & *Crescentio* Cardinalibus committere. Singulis interea edicere, ne quis pendente lite quidquam in contrarium moliatur; mensis vnius spatio, tam ijs, qui *Bononiæ*, quàm qui *Tridenti* sunt, ad res rationesque suas in medium afferendas dato. Atq; hoc Decretum ab sacri Consistorij Secretario, stylo Curiæ, iudicij forma, in scripta redigi iubet, vtriusque loci Patribus interdicens, vt interea nihil innouent.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Ad singula Contestationis capita singillatim respondetur.

Neque hic facile fuit Cæsareis temperare risum in responso Pontificis, audita, scilicet, distinctione protestandi non contra Papam, etsi coram Papa. Etiam *Mendoza* protestationem iterat, palamque profitetur, se de speciali *Cæsaris* mandato forma ea protestationis vsum. Iam *Bononiæ* cognita Pontificis prohibitione, neque Episcopi, neque Theologi in vnum vltra conueniebant: sed sensim omnes dilabuntur, exceptis quibusdam Pontificis stipendiarijs, quibus id, nisi venia prius impetrata, parum fuisset honorificum. At *Tridentini* pedem loco non mouebant, id imperante *Cæsare*, tam ad speciem aliquam Concilij retinendam, & Catholicos *Germaniæ* bona spe sustentandos, quàm ad Protestantes in officio conseruandos, ne euanesceret promissio ab ijs facta, de se *Tridentino* Concilio submittendis, si nullum eiusmodi extaret.

Mendoza denuo protestatur, in forma protestationis nihil mutans.

Pontifex responsum *Mendozæ* datum *Tridentinis* Patribus communicat; dein dies XV. expectat, num quid aut *Mendoza*, aut illi moturi essent, quo iudex in causa, sicuti animo designarat, constitueretur. sed cum nihil ab ipsis tentari animaduerteret, ad Cardinalem *Paciecum*, Archiepiscopos & Episcopos *Tridentinos* Breue quoddam citationis forma conscriptum transmittit. Quo, causis primùm expositis, quæ illum ad Concilium indicendum adduxerant; tum impedimentis & pro-

Pontifex Patres Cæsareos, qui Tridenti substiterant, ad causã Translationis coram Delegatis à se disceptandam inuitat per Breue citationis in modum

Paulus 3.
Carolus 5.
Edoardus 6.
Henricus 2.

telationibus, quæ inter congregandum acciderant; denique gaudio, quo affectus post Concilium inchoatum, cuius incrementum sibi spondebat spe fœlicis progressus, per quem omnibus Ecclesiæ morbis consuleretur: subiunxit, Quæ in contrarium acciderunt nihilo minorem illi animi ægritudinem attulisse, cum Legatos suos & maiorem Antistitum partem *Tridento* abijsse, ipsos vero ibidem substitisse inaudiuerat. non potuisse non grauiter & iniquo animo id ferre, quod vel maxime progressum Concilij remorari, & in Ecclesia scandalum grauissimum parere velle videretur. hæc cùm ipsis æquè ac sibi sint explorata, mirari se vehementer, quid causæ fuerit, cur, si modo Concilij translatio illis visa sit iusta, vnà cum cæteris Patribus *Bononiam* non migrarint: sin contra iniusta visa sit, cur non ea de re querimoniam ad se detulerint. non nescire ipsos, se ad horum alterum obligatos: quorum vtrumuis amplexi essent, certè omnem scandali occasionem fuisse deuitaturos. neque sine animi dolore posse scribere (scribendum tamen) in horum altero ab officij via exorbitasse; eòque magis, quòd eorum querelas prius ab *Cæsare*, quàm ab ipsorum quouis, vel literis, vel nuncijs resciuerit: huiusque omissionis culpam Cardinali præ alijs imputandam, qui excelsæ suæ dignitatis nomine sibi plus alijs teneatur. Verùm, quandoquidem eas sibi partes sumpserit *Cæsar*, quæ illorum propriæ erant, ac Oratoris sui interuentu, Concilij translationem nullam esse, & illegitimam contenderit; vltro iam ijs offerre, quod nunquam antea negasset, si ipsi supplices id expetiuissent: nimirum, vt querimonias eorum audire, & causam cognoscere velit. Et quamuis præsupponendum habeat, translationem esse legitimam; ne tamen iusti iudicis officio desit, se promptum, paratumque præbere, ad audiendas omnes, quas in contrarium allaturi sint, rationes. atque hic testatum velle, quanti faciat *Hispanos*, eamque totam nationem, contra quos validas præsumptiones locum habere non patiatur. Quapropter cùm causam translationis Concilij de consensu Cardinalium ad se euocauerit, & quibusdam eorum commiserit, vt eam referant in Consistorio: cumque citatis omnibus quorum interest, vetitisque Prælatis tam *Bononiensibus*, quàm *Tridentinis*, ne pendente lite quidpiam attentent (vti ex scripto, cuius exemplum vnà mittit, liquidò apparet) causæ finem quàm ocissimè imponi cupiat; iubere, vt ex eorum numero, qui translationem inualidam esse prætendunt, tres ad minimum controuersiæ statum probè edocti, iudicio se sistant; rationes suas adferant, & quamprimùm compareant. velle enim vt citatio facta Cardinali, & duobus, tribusue ex eo cœtu, valuisque Ecclesiæ *Tridentinæ* affixa, non minùs omnes ad comparendum obliget, quàm si coràm singulis esset denuntiata. Idem hoc Decretum curauit Pontifex Patribus *Bononiæ* congregatis significandum; qui suos confestim Delegatos *Romam* miserunt.

Card. Pacieci ac Patrum Tridentinorum ad Breue Pontificium responsio.

At Cardinalis *Paciecus*, cum cæteris *Hispanis*, qui *Tridenti* substiterant, numero prope XIII, consulto priùs Imperatore, ad Breue Pontificium die Martij XXIII. in hunc modum respondent. Se, pro ea, qua est Pontifex prudentia, ac clementia, confidere, illi facile perspectum iri, nihil minus venisse ipsis in mentem, cùm vel translationi contradicerent, vel nulla facta querimonia silentium colerent, vel in ciuitate *Tridentina* commorarentur, quàm vt Beatitudini suæ essent offensioni. immo verò præcipuam ab alijs dissentiendi causam fuisse hanc, quòd cernerent de re grauissima tractari Pontifice inconsulto: in qua maiorem quoque *Cæsaris* rationem habitam vellent. Sibi quidem visum, Concilij translationem ab Sanctitate sua neque æqui boni consultum, neque facile probatum iri. eam oratam velle, ne existimet, *Cæsarem* illorum querimonijs, ab ipsa expectatis super indebita Concilij translatione anteuertisse, quasi apud *Cæsarem* primùm questi sint; *Cæsarem* enim spontaneo motu rem ad ipsum detulisse, quam vnà cum Ecclesiæ tutela ad curam suam propriè pertinere putabat. nunquam ipsis in cogitationem venire potuisse, Pontifici opus esse illorum hac in re opera, quem crederent ab Legatis suis abundè commonefactum, quid ipsi in publico, aduocatis etiam tabellionum testimonijs, dixissent. se, vbi sententiam suam in medium protulissent, tanquam officio functos, mox conticuisse: neque præsentiam suam alioqui necessariam credidisse. quòd si siqua cessatum sit in officio, animi tamen sui candorem satis sese

hìc

hic prodere, quod ipsis sufficiens videretur à translatione proposita dissentire; neque præ modestia & submissione eum interpellare, quem sciebant minime defuturum ijs, quæ Ecclesiæ vtilitas postulatura esset: non videre quorsum vnà cum Legatis *Tridento* sibi abeundum esset, qui ipsi, & in congregatione generali, & in Sessione publica promiserint se breui redituros, vbi primùm morbi pestilentis suspicio remiserit: maximè si *Germania* Concilio se submitteret. se pedem inde non commouisse reditum eorum expectantes, imprimis postquam disseminatum esset, gratia Dei, & virtute *Cæsaris Germaniam* Concilij decretis esse morigeram. quòd si ipsorum mora *Tridenti* cuiquam fuerit offensioni, (quod Pontificis verba præferre videntur) sibi satis superque esse, quod scandalum sit acceptum, non datum: quòdque diuersa parte, multo plures conturbarit ex vrbe facta migratio. Successores D. *Petri* apud gentem *Hispanam* maxima fuisse semper veneratione, neque hic suum aliquod peccatum esse. Orare itaque Beatitudinem suam, ne ipsis fraudi vertat, quod bono proposito factum. petere etiam suppliciter, ne consentiat, vt inuiti ad forum & tribunalia rapiantur. caussam, qua de agitur, Dei esse, non suam: si ipsorum esset, quamlibet iniuriam sustinere promptos, & alacres, sed cum Dei Christique sit, neminem iuxta tangere ac Christi Vicarium. Id postremò Sanctitatem suam obsecrare, vt velit Concilium hoc interruptum redintegrare, Legatos & Patres pristino loco reddere, atque vt hoc per Breue Apostolicum fiat, omissa translationis quæstione. Hæc vti benignè accipiat rogare, quippe dicta, non vt significent, quid Beatitudinem suam facere conueniat, sed quid ab illa ipsos expectare sit æquum.

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

Responsum hoc *Hispanorum* allatum ad Pontificem, continuò ad Cardinales in causa iudices delegatos mittitur, & ab his rursum Patrum *Bononiensium* procuratoribus communicatur, vt ipsi causam prosequantur. Hi respondent, sibi gratum esse, quod *Hispani* & iudicium, & Iudicem agnoscant, nolintque sibi litigantis partes imponi. esse tamen necessarium, quò veritas magis elucescat, nonnulla ab respondentibus dicta refellere. Nam quod dicitur, prinsquam translatio decreta esset, rem ipsam Pontifici fuisse significandam; id videri superuacuum, cum peculiaris extaret Bulla cum facultate Concilij transferendi, quæ etiam tum recitata. Imperatorem autem fuisse neglectum iure dici non posse, cum idem honos Cæsareæ Maiestati, atque ipsi Pontifici sit delatus, negotio moram, aut deliberationem non admittente. nempe, Concilium necessariò aut dissoluendum, aut transferendum fuisse; tum propter morbum contagiosum, qui per ciuitatem & loca circumiecta latè serpebat: tum propter discessum multorum Patrum, qui vel abierant, vel abituriebant: item propter attestationes medicorum iuratorum; præsertim *Fracastorij*, cui stipendium de publico: ac denique propter metum qui impendebat, ne vicinarum ciuitatum commercium interdiceretur. quæ omnia habentur in actis publicis Pontificis mandato *Romam* perlatis. Legatos quidem statim post lectum translationis decretum eos hortatos esse, vt *Bononiam* peterent: etiam posteaquam peruenissent *Bononiam*, sollicitasse eos per literas vt eodem venire vellent. Neque causam esse cur dicant, Legatos sibi ideo non fuisse sequendos, quod longè diuersa ab ipsis mente essent; Concilium videlicet non esse transferendum. nam quamdiu in Concilio libera erant omnium suffragia, potuisse magna animi libertate ab se inuicem dissentire: vbi verò in Decretum pars maior consensit, tunc his, qui numero pauciores, in aliorum sententiam necessariò concedendum; alioqui nihil vnquam definitum iri. De reditu factam promissionem, sed qualis ea sit, ex decreto satis constare. Immo verò si illi *Tridenti* permansissent, bona spe freti, cæteros eo redituros: quid impediebat, tamen, quo minus responderint literis Legatorum *Bononiam* versus illos solicitantium? Vbi autem suspicionem pestilentiæ obtendi asserunt, verisimile esse, hanc ijs vocem casu excidisse: alioqui cum neque causam vllam idoneam proferre possint contra translationem, neque iuxta Sanctitatis suæ decretum *Romam* miserint, in censuras necessariò incurrere. Neque respiciendam illam distinctionem vtrum causa Dei sit, an illorum. Nam quantum ad illos attinet, neminem ijs offerre iniuriam:

Patrum Bononiensium procuratores ab Tridentinis obiecta refellunt.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

am: quatenus autem Christum spectat, cùm de facto instituatur quæstio, esse quidem necessarium, elucidare prius illud, quod in facto non est perspicuum, sed controuersum. Idcirco cùm *Cæsari* visum sit, ita de Legatis loqui, ac si id muneris prætendant, quod non habent; neque Patres, qui *Bononiæ* sunt, Concilij nomine dignari, sed Conuentum priuatum vocare, aliaque multa opprobria contra translationem accumulare: consentaneum fuisse rationi, vt eius causæ cognitionem sibi sumeret Pontifex, non (quod obijcitur) ad fomentandas lites, sed magis ad sopiendas. vtrum verò offensiones ex migratione *Bononiam*, an ex mansione *Tridenti* exortæ sint, inde facilè posse dijudicari, quòd illorum *Tridenti* permansio in causa sit, cur eò non redeatur. Cæterùm vbi Pontificem rogant, vt Concilium interruptum velit restituere; id si accipiant de congregationibus vulgo vsitatis, has sane nunquam intermissas fuisse. sin de publicatione decretorum intelligant, etiam hanc in eorum gratiam duntaxat dilatam fuisse: iamque tot fidei & reformationis capita *Bononiæ* discussa & disceptata, vt satis amplæ Sessioni conficiendæ possint sufficere. Quocirca rogare Sanctitatem suam, vt ad sententiam ferendam velit procedere, maximè quòd constet nullum omnino Concilium, extra schismatis tempus, ita diu, atque hoc, continuatum: Episcopos autem ab Ecclesijs suis passim desiderari; quibus vti restituantur, æquissimum esse. Hoc scriptum exeunte Aprili fuit exhibitum.

Cardinales Romæ cognitioni caussæ delegati exitum non expediunt.

Ab eo tempore in hac caussa non est vlterius itum. Cardinales enim delegati non temerè huius negotij exitum expediebant. nam si translationem legitimam pronuntiassent, absentibus ijs, qui contrariam opinionem tuebantur (quos tamen cogere non poterant, vt sententiæ suæ adstipularentur) à schismate erat periculum. sed cum altera parte, vt iudicio se sisterent nihilo magis possent cogi, ea res Pontificem animi valde anxium habuit: quippe, qui nullam cerneret rationem, nisi causâ iudicio disceptatâ, litis huius terminandæ.

Pontifex cum de restitutione Placentiæ nihil ab Cæsare impetraret, censuras ac diras contra eos, qui ciuitatem eam occupassent, intentat.

Interea dum hæc tractantur, *Paulus* Pontifex mortuo iam *Aloisio* filio, *Cæsarem* de restituenda *Placentia*, alijsque in agro *Parmensi* occupatis, natæ suæ, quæ *Octauio Aloisii* filio nupserat, ius obtendens, varijs solicitationibus interpellarat. At *Cæsar*, cui fixum erat, ciuitatem eam *Mediolanensi* Ducatui adiungere, generumque suum alia compensatione renumerari, variè respondendo, aliaque ex alijs proponendo, tempus extrahit: Pontificem iam octogenarium, ac morte filij, alijsque multis infortunijs animo exulceratum, posita mortalitate, controuersijs hisce omnibus finem quoque breui positurum mente auguratus. Pontifex verò cum se procrastinationibus ludificari, assiduis de Concilio *Tridentum* reuocando petitionibus interturbari, & obstinata Præsulum *Hispanorum Tridenti* mora violari cerneret; vt saltem *Cæsaris* consilia aliorsum verteret, ei significat, suos, qui *Placentiam* Sedis Apostolicæ territorium occupassent, Ecclesiasticis censuris iam obnoxios, sibique ad earum declarationem continuo procedendum, nouis itidem intentatis, nisi intra certum diem *Placentia* restitueretur. Rescribit *Cæsar* literis satis aculeatis, monens Pontificem, ne exules *Neapolitanos* authoritate sua foueat, simulque declarat, sibi abunde esse perspecta, quæ contra illum machinatus sit, quasque contra eum disseminarit calumnias; quasi Christiani Orbis vniendi, Concilijque *Tridentum* reducendi specie, schisma in Ecclesia concitare contendat: de *Placentia* item significans, partem esse Ducatus *Insubriæ*, ab Pontificibus ante aliquot annos iniuriâ vsurpatam; in quam si quid Ecclesiæ competat iuris, se in eo, quod æquum iustumque erit, statuendo, officio non defuturum. Hic Pontifex, quòd arma spiritualia sine temporalibus nihil magnum effectura videret, ad fœdus contra *Cæsarem* faciendum cogitationem confert. Sed hic pleræque obijciebantur difficultates. siquidem & *Veneti* ab omni cum Pontifice confœderatione erant alieniores; & *Galli*, quòd Pontifex esset capularis, Consistorij assensum postulabant, & pecunias in numerato deponi. ad eas tamen numerandas Pontifex ægre adducebatur, propter multiplices sumptuum causas, & maiorum impensarum metum: quo nomine subditos suos magnis oneribus aggrauarat; quæcumque vendi, & impignorari poterant, in eos vsus impenderat; atque vt dispensationum, & gratiarum

Cæsaris responsum.

Pontifex de fœdere cum Gallis & Venetis cogitat contra Cæsarem, sed intercurrunt difficultates.

tiarum omne genus expediretur nummis in vsus Sedis Apostolicæ conflandis, curauerat. Iam quod ad Concilium attinet, illi decretissimum erat non permittere, vt extra ditionis suæ fines celebretur. ad alias verò graues validasque rationes accedebat & illa, de existimatione sua Sedisque Apostolicæ plane actum, si penes Imperatorem esset, illum subigere. neque tamen perspiciebat, quibus artibus *Cæsaris* & *Germaniæ* assensum posset elicere. Vt Concilium euanesceret, rebus suis interdum cõmodum, interdũ incommodũ videbatur: variosq; super ea re cũ Cardinalibus, & publice in Consistorio, & seorsim cũ suis sermones habebat. tandẽ verò decreuit deliberationem illam, cui vires suas impares sentiebat, fortunæ permittere; non solũ ob causas supradictas, verum etiam propter ea, quæ maximi in *Germania* momenti indies eueniebant.

Enimuero *Cæsar* ex Cardinalis *Tridentini* reditu *Augustam*, tum ex responsione sub finem Decembris Oratori suo *Mendozæ* data (quâ ille coactus, vti supra dictum est, protestari) Pontificis mentem conspicatus, & existimans eum ideo Placentiæ restitutionem postulasse, vt omnem de Concilio mentionem amoliretur; in animum suum credere induxit, quamdiu Papa superstes foret, Concilium *Tridentum* non rediturum, aut certe rem in longum iri extractam; atque idcirco necessarium judicauit, antequam arma deponeret, pacem religionis in *Germania* constituere. hac de re in conuentu Ordinum propositum, delectique nonnulli, qui pio huic operi incumberent, sed cum inter delectos minime conueniret, *Cæsari* tandem causa tota permittitur. ab illo negotium datum *Iulio Pflugio*, *Michaeli Sidonio*, & *Ioanni Islebio*. Hi longa habita consultatione formulam religionis composuerunt; quæ sæpius examinata, immutata, & sub incudem reuocata, primùm ab se ipsis, deinde ab alijs viris doctis, quibus *Cæsar* inspiciendam dederat. accersiti etiam è Protestantum ministris præcipui aliquot, qui suffragio eam suo comprobarent. verùm tot mutationes, additiones, & detruncationes passa est, vt luculenter constaret fuisse opus variorum hominum contrarios inter se fines spectantium. tandem verò in eam coaluit formam, qua nunc conspicitur. Eius exemplum legatus *Romam* misit ita suadente *Cæsare*, ad Pontificis animum explorandum, & maiori Præsulum Germaniæ parte, qui ex controuersijs inter *Cæsarem* & Pontificem natis, scissuram aliquam metuebant, quâ *Cæsaris* obsequium Pontificatui decederet. Ea res summam Prælatis *Germanis* incutiebat formidinem, apud quos inualuit opinio Pontificiam dignitatem maximo nisu sibi sustentandam, quòd ea sola Imperatorum potentiæ æquo velut libramine trutinandæ obijci valeat: quibus illi sine subsidio Papæ resistere non possunt, si iuxta morem antiquum Principum Christianorum illos in officio continere, & libertatis Ecclesiasticæ adeo decantatæ abusus tollere tentent.

Cæsari decretum pacem religionis in Germania constituere.

Inde in conuentu Ordinum de componenda religionis formula consultatio.

Liber ille de religione XXXV. capita complectebatur. De statu hominis in natura integra, & incorrupta. De conditione hominis post lapsum. de redemptione per Christum. de iustificatione. de fructu ipsius, de modo quo obtinetur. de charitate & bonis operibus. de fiducia remissionis peccatorum. de Ecclesia. de notis veræ Ecclesiæ. de potestate Ecclesiæ. de Ministris Ecclesiæ. de summo Pontifice & Episcopis. de Sacramentis. de baptismo. de confirmatione. de pœnitentia. de eucharistia. de extrema vnctione. de ordine. de matrimonio. de sacrificio missæ. de memoria, intercessione, & inuocatione Sanctorum. de memoria eorum qui piè mortui sunt. de communione. de cæremonijs & vsu sacramentorum. Longum foret, & fastidiosum, imo inutile omnia hic recensere, quæ libro isto comprehenduntur; quando quæ inde orta, secutaque sunt, ad breue tempus valuerunt. quod & ipse libri titulus arguit, qui inscriptus *Interim*, quòd præscriberet formulam doctrinæ, & cæremoniarum in religione interea tenendam, quoad de vniuersa re religionis Concilio publico esset definitum.

Capita libri cui nomen *Interim*.

Eius exemplar vbi *Romam* allatum plerosq; omnes in stuporem dedit, quòd Princeps sæcularis, in conuentu Ordinum, magna parte sæcularium, de re religionis, non solum in vno aliquo articulo, sed in omnibus fere capitibus statuere sustineret. Viri docti eiusce temporis reuocabant in memoriam Ἑνωτικὸν *Zenonis*, Ἔκθεσιν *Heraclij*, & Τύπον *Constantis*; aliasque id genus scissuras Ecclesiæ, quibus Imperatoriæ de religione

Romanensium super Libro *Interim* censura generalis.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Edwardus* 6. *Henricus* 2.

ligione constitutiones causam dedere: dicebantque, ad tria illa nomina, antè æuo, vnitatis prætextu Ecclesiæ propter diuisiones infausta, quartum hoc *Caroli* V. *Interim* non immeritò posse adnumerari. Subuerebantur, ne *Cæsaris* hoc factum, esset prooemium Tragoediæ illius, quam in *Anglia* concitarat *Henricus* VIII. Capitis Ecclesiæ elogium sibi sumens; idque eò maiori cum Ecclesiæ iactura, quod non Iusulæ vnius finibus se includi pateretur, sed *Hispaniam*, *Italiam*, *Germaniam*, & regiones finitimas videretur peruasura: specie quidem præ se ferens doctrinam Catholicam, sed quæ à religione Catholica toto coelo distabat. Atque peculiaria quædam capita attingentes, id reprehendebant, quòd in capitibus de peccato originali, de iustificatione, de sacramentis, de baptismo, & de confirmatione, libri huius consarcinatores eandem doctrinam non attulissent, quæ decretis Concilij fuerat stabilita. Cùm enim ea collectio ad vsque Concilium duntaxat obtinere debuerit, cumque de his capitibus ab Synodo hactenus pronunciatum sit, quid aliud hic fuisse dicendum, nisi vt Concilij decretis omnino staretur? diuersam à Concilij decretis doctrinam velle promulgare, esse vim omnem Concilio adimere. immo hôc magis suspiciosum argutum illud *Cæsaris* artificium, quòd quo tempore instanter vrget Concilium reuocari Tridentum, hoc ipso tempore omnem Synodi *Tridentinæ* decretorum auctoritatem eneruat. Damnabant insuper totum illius doctrinæ corpus, quòd ambiguis loquendj formulis exprimeretur; sensum satis commodum prima facie admittentibus, introrsum verò veneno tinctis: etiam alicubi, de industria verba generalia consectantibus, quò *Lutheranis* detur effugium ad interpretationem ijs ex suo sensu affingendam. Certè libri eius autores de concupiscentia loqui *Lutheranorum* in morem, ac similiter de iustificatione, fiduciam omnem in diuinis promissionibus reponentes, ac nimium, immo verò totum fidei tribuentes. in capite de operibus, de merito ex condigno, in quo cardo est eius controuersiæ, ne verbum quidem fieri. in capite de Ecclesia, eius vnitatem à capite visibili, quod tamen ei essentiale est, non, vt solet, deducere: imo quod est deterius, Ecclesiam sibi fingere per charitatem inuisibilem, eandemque postea visibilem efficere, non aliud esse, nisi subtili quadam & occulta ratione Hierarchiam euertere, & *Lutheranorum* sententiam adstruere. Notas item veræ Ecclesiæ statuere puram doctrinam, & legitimum sacramentorum vsum, omissâ interim notâ indubitata, erga Pontificem *Romanum* obedientiâ; id Sectarijs omnibus, ad Ecclesiæ nomen maxima animorum obstinatione sibi arrogandum, viam haud dubiè aperire. neque vllo modo ferendum illud, vt summi Pontificis institutio sit *in remedium schismatis*, Episcoporum autem de *iure diuino*. Sacramentum poenitentiæ factum ab ijs Lutheranissimum, quando dicitur, ijs, qui credunt, hoc sacramento id accipi, quod Christus promisit, fieri sicuti credunt. ad hæc de sacrificio missæ id subticeri, quod caput est, nempe, expiatorium, & propitiatorum esse pro viuis & vita functis. Quod autem Sacerdotibus permittitur vxores ducere, & Laicis coenam Domini sub vtraque specie sumere, cuique esse perspicuum horum abusuum concessione fidem omnem Catholicam labefactari. Vna & communis vox erat Curialium omnium, agi nunc de *Summa rerum*, iam conuulsa esse Ecclesiæ fundamenta, hic vires omnes colligendas, Principes omnes exsuscitandos, ad omnium nationum Episcopos, Nuncios quaquauersum mittendos, vt principio huic obstent, vnde sine dubio secutura esset, Ecclesiæ *Romanæ*, si non euersio, (quæ certe impossibilis) saltem maxima, quæ fuit vnquam, & fædissima deformatio.

Peculiares quædam in librum *Interim* animaduersiones.

At Pontifex senex sagacissimus, qui singularis judicij acumine plus coeteris omnibus prospiciebat, animi oculo in penitissima quæque huius negotij penetrans, facile perspexit factum hoc *Cæsaris*, illi perniciosum, sibi verò fore salutiferum. Miratur Principem tanta prudentia, totque consultorum ope fretum, vnius victoriæ successu sic efferri, vt se generis humani arbitrum continuò existimet, sibique adeo confidat, ac si cum vtraque parte colluctari possit. non esse forsitan ita arduum vnius factionis copijs fulto alteram opprimere, sed insolentis audaciæ & vanitatis cum vtraque confligere. Doctrinam illam præsentiebat *Catholicis* in vniuersum, magis quàm *Curialibus* displicituram, *Protestantibus* verò omnium maximè, imo ab omni manu

Pontifex animum hucilluc versat, vt Cæsaris in cudendo *Interim* studium, sibi commodo, auctori in perniciem vertat.

manu vapulaturam, nemine Patrono. neque opus esse in ea oppugnanda sibi creare molestiam, quando aduersarij eam multo acriùs essent impetituri. itaque è re sua magis esse, vt in publicum prodeat, quàm vt cohibeatur : & liber exeat inemendatus, (vti nunc est) quàm in meliorem formam reformatus, quò facilius in præceps ruat. Hic solùm tria attendenda : ne *Cæsari* is animi sui sensus innotescat : vt negotium quàm ocissimè ope sua promoueatur & procedat, atque vt Protestantes primum ictum sentiant. primum effici posse, dum quædam libri capita leui brachio, nec magno conatu impugnantur : secundum, dum Præsules *Germani* ad iura sua tuenda excitantur : quò tertium obtineat, id callidè tentandum, vt libri eius doctrina non tam consuta videatur ad partium conciliationem, quàm ad frœnum Protestantibus injiciendum. hac enim ratione magnum quidpiam obtineri, nempe, *Cæsarem* non fidei decreta fidelibus, sed deuijs & erronibus condere. *Paulus 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.*

Quocirca Cardinali *Sfondrato* Pontifex mandat, vt aduersus libellum nonnulla objiciat : sed vbi doctrina ea euulganda fuerit, cum bona *Cæsaris* venia inde discedat. Cardinalis de mandatu Pontificis *Cæsari* significat, consuetudinem sumendi cœnam Domini sub vtraque specie esse pridem abrogatam, eoque facultatem indulgendi calicis in sacra communione (etiam cum eo, vt reprehensione omni vacare debeat quisquis calicem non recipit) nulli competere, præterquam *Romano* Pontifici, perinde ac matrimonij concessionem Presbiteris ordinatis. Quamuis enim veteri Ecclesiæ consuetudine, præsertim apud *Græcos*, & cœteros Orientis populos (vbi sacerdotes non obligantur ad cœlibatum) permissum sit, vt vxorati sacris ordinibus initientur, & functiones suas obeant retentis vxoribus : non permittere tamen, neque vnquam permisisse, vt iam ordinati vxores ducant. Neque omnino dubitandum, quin, si *Cæsar* ista concedat tanquam licita, in maiestatem Diuinam grauissimè peccet : sin verò pro illicitis & illegitimis habeat, possit ea deuijs tanquam minus mala permittere. Esse enim tolerabile, imo prouidi & prudentis Principis esse, quando omnibus malis resistere non datur, minus aliquod tolerare, ad aliud maius extirpandum. ideò Pontificem, cùm librum hunc euolueret, statim perspexisse, *Lutheri* sequacibus quædam permitti, ne ab vno errore in alium incidant, atque ita progrediantur in infinitum : Catholicis autem ea permissione neutiquam concedi, vt aliter, aut credant, aut operentur, quàm sacrosanctæ Sedis Apostolicæ sanctionibus est præscriptum ; cui soli, quippe fidelium omnium magistræ, fas est in rebus religionis decreta procudere. Cumque Pontifici sit persuasum, in libro hoc euulgando non alia esse mente *Cæsarem*, hoc ei significatum velle, apertam huiusce rei declarationem videri plane necessariam ; adducendasque *Lutheranis* habenas aliquanto arctius : ac potissimùm in potestate mutandarum cæremoniarum restringenda. Vltimo enim capite frænos illis nimis laxari, quando facultas datur ritus omnes abrogandi, qui superstitioni caussam dare possint. Subiunxit demum, *Lutheranos* sacri Ordinis bona, & iurisdictionem Ecclesiasticam ab se occupata, tanquam suo sibi iure debita retenturos, nisi illa restituere iubeantur. neque hic expectandum Concilij decretum, sed ad executionem confestim veniendum. nam cùm de spolio planè constet, legum apices & solemnia iuris non attendenda, sed cognoscendum de plano, & manu regia agendum.

Card. Sfondratus de mãdatu Pontificis aduersum quædam excipit ab Cæsare in libro *Interim* permissa.

Quæ tolerari possunt vt illicita, non conceds vti licita.

Censuram hanc *Septemuiri* Ecclesiastici ab *Cæsare* sibi communicatam approbant, & nominatim caput illud de bonorum sacrorum restitutione, quam adeo necessariam affirmant, vt citra eam, neque Diuini numinis cultus recuperari possit, neque religio Christiana conseruari, neque paci satis consuli, Etiam quia de vi ac spolio constat, æquum esse, vt negotium breui manu conficiatur. quorum sententiæ cæteri omnes Episcopi accedunt. Principes vero Seculares ad vitandam *Cæsaris* offensionem, silentia tenuere : horumque exemplo ciuitatum Legati pauca verba fecere, & quorum non magna habita ratio. Cœterùm *Cæsar* Legati Pontificij censurâ commonitus, libro præscriptionem huiusmodi præponi imperat : Se tranquillitatis *Germaniæ* perstudiosum, cùm deprehenderet pacem constitui non posse, nisi compositis priùs de religione controuersijs, vnde simultates, odia, atque bella suscitata ; cumque præsentius nullum remedium appareret, quàm

Censurã Pontificiam libri *Interim* Principes Ecclesiastici probant, inprimis sacrorum bonorum restitutionem : seculares silent.

Præfatiuncula quam Cæsar libro *Interim* præmittendam censet.

Concilium

Paulus 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

Concilium in *Germania* publicum, omni studio effecisse, vt Concilium *Tridenti* cogeretur, omnesque Imperij Ordines huius auctoritati sese adiungerent & submitterent. Sed cum iudicaret non esse consentaneum res suspensas & perturbatas adusque Concilij celebrationem relinquere; verùm ad moderationem potius aliquam res reducere, à viris quibusdam magnis & Reipublicæ diligentibus formulam exhibitam. Eam Theologis *Catholicis* & doctis examinandam vbi commisisset, hos retulisse, scriptum illud modò rectè intelligatur, religioni Catholicæ non repugnare, nisi in duobus capitibus, de communione calicis, & coniugio sacerdotum. Petere itaque ab Ordinibus, qui Ecclesiæ Catholicæ leges hactenus seruarunt, vt in his permaneant, nec aliquid immutent; quod se antea facturos receperunt: ab ijs autem, qui religionem innouarunt, contendere, vt vel ad antiquam professionem redeant, vel suam doctrinam ad huius confessionis præscriptum moderentur; intra huius limites consistentes, ne amplius errent: neque vel doctrinâ, vel scripto, vel concionibus eam impugnantes, sed Concilij declarationem expectantes. Et quoniam vltimo capite conceditur abolere ritus omnes superstitiosos, huiusce capitis, &, si quæ aliæ suboriantur difficultates, elucidationem sibi reseruare. Die Maij XV. in conuentu publico liber recitatur: neque more consueto singulorum sententiæ perrogantur, sed *Moguntino* Electore consurgente, ac veluti publico nomine *Cæsari* gratias agente, ea certè gratiarum actio publicæ approbationis & communis consensus loco habita. palam quidem reclamatum à nemine; sed seorsim plerique ex Principibus, *Augustanæ* confessionis socijs, professi sunt, se salua conscientia, Decretum illud ratum habere non posse: ciuitatibus etiam quibusdam eandem sibi esse mentem subindicantibus; etsi metu *Cæsaris* animi sui mentem verbis non exprimerent. atque hunc librum *Cæsar* Latino simul & populari sermone typis euulgari iussit: ac deinde in linguam *Italicam* & *Gallicam* traductum excudi.

Interim ab Cæsare Ordinibus offertur, & Electoris Moguntini astu omnium calculis approbari creditur.

Adhæc *Cæsar* die XIV. Iunij formulam emendationis Ecclesiasticæ ab Præsulibus, alijsque viris doctis, & pijs, maturo iudicio collectam, digestamque, in publicum emisit; cuius capita erant XXII. de Ordinatione & electione Ministrorum. de Ordinum Ecclesiæ officijs. de officio Decanorum & Canonicorum. de horis canonicis. de monasterijs. de scholis & Academijs. de locis hospitalibus. de concionatoris officio. de administratione Sacramentorum. de ministratione Baptismi. de confirmatione. de ceremonijs Ecclesiasticis. de Missæ cæremonijs. de administratione pœnitentiæ; item extremæ vnctionis, & matrimonij. de disciplina Cleri. de disciplina populi. de pluralitate beneficiorum. de visitatione. de Synodis. de excommunicatione. In his capitibus reperire est monita CXXX. honestati, æquitatique adeo consona, vt, si quis affirmarit ante eum diem vix prodijsse formulam reformationis magis exactam, partium studio minùs obnoxiam; ab technis & laqueis, quibus incauti capiantur, magis liberam; in reprehensionem incurrere non debeat. Et quidem certe, si Prælati eam soli fabricassent, *Romanis* non fuisset displicitura, duobus tantum locis exceptis, vbi Concilij *Basilæensis* auctoritatem adstruit, & vbi dispensationibus, & exemptionibus Pontificis, alijsque rebus Papæ reseruatis manum admouet. Sed vt istiusmodi reformatio auctoritate *Cæsarea* stabiliatur, id scilicet minùs, quàm *Cæsaris* in euulgando *Interim* factum, tolerandum videbatur: cum Curiæ Romanæ pronunciatum sit, instar Principij, secularibus, cuiuscumque sint dignitatis, aut sanctimoniæ, fas non esse, Clero leges præscribere, in quemcunque, etiam optimum finem. Verùm tyrannidem istam (ita loquebantur) cui se opponere non poterant, quod reliquum erat, patientiâ leuiorem reddere conabantur.

Formula emẽdationis Ecclesiasticæ Cęsaris item iussu conscripta.

Non tolerabilis modò sed & pene vbiq; laudabilis, nisi Curiæ Romanæ effatum in contrarium obstaret.

Post aliquot dies *Cæsar* porro præcepit, vt Synodi Diocesanæ ad diem D. *Martino* sacrum, & Prouinciales ante quadragesimam peragerentur. Et quia Præsules postulabant, vt Pontificis assensus impetraretur, saltem his capitibus, quibus Pontificiæ potestati nihil decedit, *Cæsar* scripto dato die XVIII. Iulij pollicetur ijs, se nullum apud Pontificem officium prætermissurum, vt adducat eum, ad ea, quæ sui muneris sunt, præstanda. Atque hæc emendationis formula apud Catholicos in plerisque

Synodi Diocesanæ ac Prouinciales imperantur quotannis.

plerisque per *Germaniam* locis, & eodem anno *Mediolani Innocentij Ciconiariæ* typis fuit euulgata. Die vltimo Iunij Comitia *Augustana* finem habuere: inque Recessu promulgatum Decretum, quo promittit *Cæsar* Concilium *Tridenti* continuandum; seque daturum operam, vt ibi quamprimum redintegretur. id vbi factum erit, imperat vt Ecclesiastici omnes ei intersint, & confessionis *Augustanæ* Sectatores, publica fide, quam ipsis daturus sit, tuti eodem veniant: vbi ipsi quantum satis, sint audiendi, omniaque iuxta sacras literas, Patrumque doctrinam definienda.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Cæsaris sub finem Comitiorum promissa, de Concilio Tridenti redintegrando, & sua apud Pontificem in eam rem opera.

Cardinalis *Augustanus*, alijque *Germaniæ* Præsules subueriti, ne per istæc principia Confessionis & Reformationis conscriptarum, & in Conuentu Ordinum euulgatarum, potestas Pontificia apud *Germanos* nutaret, orant *Cæsarem*, vti Pontificem inuitare vellet, ad Legatum de industria mittendum, qui decretorum ab se factorum executionem adiutaret. nullam enim esse viam expeditiorem rei conficiundæ; permultis, in quorum animis Sedis Apostolicæ cultus adhuc viget, eò alacriùs obtemperaturis, quo maiori Pontificem auctoritate actioni huic interuenire vident. *Cæsar*, qui iam animo conceperat, compositis religionis dissidijs, *Germaniam* colla veluti sub iugum sibi missuram, omnem rei expediendæ rationem lubens exaudiebat: certus omnia sibi ad votum deinde successura. Itaque expositis per Oratorem suum Pontifici omnibus, quæ circa reformationem facta essent, vt vnum aliquem, pluresue Legatos in *Gemaniam* mittere velit, hortatur. Ille verò continuò *Fanensem* Episcopum præsulem *Cæsari* pergratum Nuncium mittit, his in speciem nominibus, vt *Cæsaris* mentem de postulatis propositis rectiùs intelligat; vt restitutionem *Placentiæ* proponat, & Præsulũ *Hispanorum*, qui *Tridenti* remanserant, abitionẽ procuret. Vbi verò primùm à *Fanensi* responsum accepit, re cum Cardinalibus deliberata, statuit protinus suæ dignitatis non esse, ministrum aliquem suum, qui decreta *Cæsaris* exequeretur, mittere. quin potius ratione ea adductus, quæ Cardinalem *Augustanum* impulit, mediam instituit viam, nimirum, Nuncios esse mittendos, non vt *Cæsaris* destinationi inseruiant; sed vt venias & absolutiones resipiscentibus indulgeant. illud enim incredibiles effectus in auctoritate sua sustentanda fine dubio producturum: neque tamen hoc facto incursurum in discrimen assentiendi, vt alius eam auctoritatem sibi sumat, quam alteri ab ipso non competere probè intelligat.

Cæsar Præsulum Germaniæ suasu Pontificẽ solicitat, de Nuncio in Germaniam mittendo, qui decretorum executioni suffragetur.

Pontifex Episcopum Fanẽsem primùm, dein alios submittit, destinationis certus, non Cæsaris fines, sed suos respicere.

Post *Fanensem* igitur, *Veronensem* & *Ferentinum* Episcopos Nuncios in *Germaniam* amandat, quos de voluntate Senatus Cardinalium, Bulla pridie Cal. Sept. data instruit, ac mandato significandi omnibus, qui in rectam veritatis Catholicæ viam redire volent, se paratum obuijs eos vlnis amplecti, facilemque, in gratiam eos recipere; modò leges accipiant, non præscribant. Legatorum quoque conscientijs relinquere, vt de veteri pœnitentiæ formula relaxent, quantum sine publica offensione ipsis remittendum videbitur: adeoque potestatem ipsis facere absoluendi in vtroque foro personas quascunque Seculares, etiam Reges ac Principes, tum Ecclesiasticas & Regulares, Collegia & Vniuersitates, ab omnibus excommunicationibus, alijsque censuris, & pœnis etiam temporalibus, quas in hæresin lapsi incurrerint; immo si relapsi sint. Item dispensandi ab omnibus irregularitatibus, quocunque respectu contractis, etiam propter bigamiam, & eosdem famæ, honori, & dignitati restituendi, ac abiurationem quamcunque, & satisfactionem debitam moderandi, siue omnino remittendi: atque tam Vniuersitates, quàm singulas personas ab omnibus pactis, & conuentionibus illicitis, quibus seductoribus suis tenentur, liberandi; absoluendique ab iureiurando, fide, & periurio quocunque, cui sunt obstricti omissionis cuiuspiam nomine. Absoluendi præterea Regulares ab apostasia, concessâ ijs facultate induendi habitum regularem Sacerdotis secularis amictu coopertum; veniam quoque concedendi quibusuis, etiam Ecclesiasticis, vt vescantur carne, cibisque vetitis, diebus ieiunij, & quadragesimæ de Medici corporei & spiritualis consilio, aut certe solius spiritualis; immo absque eo si ipsis ita videbitur. Item dierum festorum numerum moderandi; denique illis, qui sub vtraque specie communicarint, calicis vsum ad vitam, aut ad certum tempus,

Indultum Põtificium per Episcopos in Germaniam, resipiscentibus in Ecclesiæ gremium colligendis, missum.

Paulus 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

pus, prout ipsis visum fuerit, concedendi, modò demissè id postulent, & fateantur Ecclesiam non errare, dum calicem negat Laicis; & dummodò separatim communicent alio tempore, & loco, quàm vulgò sub vna specie communicatur. Iisdem etiam fecit potestatem beneficia Ecclesiastica Academijs, & Scholis, & locis hospitalibus vniendi, & bonorum Ecclesiasticorum occupatores post bonorum soli restitutionem absoluendi, de fructibus perceptis, & mobilibus consumptis cum possessoribus transigendi. facta demum potestas facultates has viris alijs per *Germaniam* illustribus delegandi & communicandi.

Bulla Pontificia in varias hominum reprehensiones incurrit.

Bulla hæc Pontificis, vbi per eam, de qua mox erit dicendum, occasionem, prælo commissa in manus hominum peruenit, varijs sermonibus exagitatur. primùm, illud quod præfatur Pontifex; in turbis Ecclesiæ id sibi afferre consolationem, quod prædixit Christus, triticum Ecclesiæ, ab *Satana* cribratum, per fidem *Petri* conseruatum iri; maximè adhibito à se generalis Concilij remedio. ac si Ecclesia non alio fundamento niteretur, nisi Pontifice, & sexaginta Præsulibus *Tridenti* congregatis. Dein illud insimulabant vanitatis & arrogantiæ; Papam velle Reges & Principes honori, famæ, & dignitati restituere. Etiam contradictionem implicare putabatur, absoluere resipiscentes à iuramentis illicitis. nam si illicita sunt, absolutione nihil opus: sin iusiurandum est rite conceptum, nemo quisquam absoluendi habet potestatem. Illud quoque contradicentia complecti videbatur, concedere calicem duntaxat his, qui credunt Ecclesiam non errare, cùm eiusdem vsu Laicis interdicunt. quomodo enim verisimile sit aliquem ita credere, qui tamen non postulet inter eos censeri, quibus interdicitur? Ridicula verò visa conditio apposita absolutioni Monachorum, qui claustra dereliquissent, operiendi se amictu Sacerdotali: quasi regnum Dei situm esset in colore & forma vestimenti; atque quod foris non licet, id intus saltem necessariò gestandum foret. Quamuis autem in designandis Nuncijs cessatum non est, profectio tamen in annum proximum fuit dilata; *Cæsare* formam mandati non probante, quippe, quo nulla fiebat mentio aut adiutandi, aut rata habendi decreta ab ipso facta: Neque Pontifice vnquam permittente, vt administer aliquis suus in decretis ijs exequendis partes vllas suo nomine obiret.

Catholici iuxta ac Protestantes *Interim* auersantur.

Cæsar Augusta digressus omni studio contendit, vt à ciuitatibus Protestantium liber *Interim* recipiatur; sed vbique reclamatum, obiectæque passim difficultates, & molestiæ: Protestantibus vehementiùs, quàm Catholicis librum illum auersantibus. dicebant eo Papismum planè stabiliri; sed inprimis damnabant doctrinam de iustificatione: & quòd in dubium vocaretur calicis communio, & coniugium Sacerdotum. *Ioannes Fredericus Saxoniæ* Dux, etsi captiuus, liberè tamen professus est, Deum & conscientiam, quibus ante omnia parere tenebatur, non permittere, vt in ista consentiret. ac profectò vbicunque *Interim* obtinuit, ij tumultus rerumque perturbationes secutæ, in eoque introducendo tam multa acciderunt, tot, tamque variæ conditiones & restrictiones adhibitæ, vt veriùs ab omnibus reiectum, quàm à quibusdam receptum dici debeat. neque Catholicis curæ erat ei introducendo adminiculari, vtpote quibus haudquaquam probandum videbatur. *Cæsaris* verò in hoc incœpto studium nihil magis retardauit, quam modesta exiguæ & immunitæ ciuitatis libertas, quæ supplex eum obtestabatur, vt, quandoquidem vitæ facultatumque ipsum Dominum agnoscerent, conscientias saltem Deo relinqueret. nam si ille doctrinam ipsis propositam pro indubitata acciperet & agnosceret, habituros sane insigne exemplum quod sequantur: sed cum sacra sua maiestas, eam pro certa non habeat, neque amplectatur, ad quam tamen recipiendam & fide tenendam ipsos studeat impellere, non videre se, qua via huic se conformare debeant.

In quibus Saxo captiuus.

Ciuitates Saxoniæ & Magdeburgenses *Interim* reijciunt: vnde hi proscribuntur & difficili bello premuntur.

Mense Septembri *Cæsar* in *Germaniam* inferiorem profectus, ibi nihilo minores reperit rerum difficultates. ciuitates enim *Saxoniæ* multa causati sunt, cur decretum religionis nuper euulgatum repudiarint, & *Magdeburgum* reiectioni suæ contemptum addens, offensionem auxit. vnde *Magdeburgici* à *Cæsare* proscripti armis se tutantur, bello longo lentoque, quo flamma ea in *Germania* continuata, quæ post annum

num tertium ipsa Cæsaris trophæa combussit, sicut infra suo loco dicetur. Cæsar turbis his compescendis, ac vt *Belgæ Philippo* filio fidem & obsequium iureiurando profiterentur, relicta *Germania* in *Belgium* contendit. & quamuis rigidis edictis vetuerat, ne quis doctrinam libri *Interim* scripto, professione, aut pro concione impugnaret, multis tamen Protestantum scriptis impetebatur. Pontifex ipse, quòd ita rebus suis expedire credebat, *Franciscum Romæum* ordinis *Dominicani* Generalem, de illius ordinis eruditissimorum sententia & opera, accuratam & solidam illius decreti confutationem conscribere iubet. *in Gallijs* etiam variorum scriptis refellebatur. breuique prodijt turma scriptorum, tam Catholicorum, quàm Protestantium, maxime è ciuitatibus *Hansiaticis* scriptum illud lacessentium. denique id hic accidit, quod vsu venire solet ijs, qui contrarias opiniones student reconciliare: vt vtrique in media opinione oppugnanda vires suas consocient, ipsi interim in opinione sua multò quàm antè obfirmatiores. Dedit etiam ansam dissensioni inter ipsos Protestantes. illi enim qui metu *Cæsaris* coacti decretis eius aliqua parte paruerant, & ritus veteres reuocarant, excusabant se, affirmantes ea, quibus assensi fuissent esse adiaphora, neque ad salutem necessaria, siue reijciantur, siue recipiantur; atque hoc in casu, seruitutem aliquam esse tolerandam, modò non sit coniuncta cum impietate; ac proinde in his omnino morem *Cæsari* esse gerendum. Alteri verò, qui eundem necessitatis impetum nondum senserant, fatebantur cæremonias & res indifferentes ad salutem animæ propriè non pertinere, sed per res illas medias perniciosis viam aperiri. atque inde colligebant, ritus & cæremonias, vtcumque suâ naturâ medias & indifferentes, tum demum euadere noxias, quando qui his vtitur credit eas esse bonas aut necessarias. Hinc exortæ sunt duæ sectæ, quæ in alijs quoque abiere in diuersa, neque vnquam poterant conciliari.

Romæus Romæ, Robertus Cenalis in Gallia, Lubecenses Luneburgenses, Hamburgenses, alijque in Germania Interim varijs scriptis refellunt.

In Ecclesijs Saxonicis dissidium super Adiaphoris.

Neque magis pacatæ in *Anglia* sub id tempus res religionis. *Eduardus* enim comes *Herfordensis*, Regis *Eduardi* VI. auunculus, parta apud nepotem & Regni Proceres auctoritate, vnà cum *Thoma Cranmero* Archiepiscopo *Cantuariensi* Protestantum fautor, adductis in *Angliam* præstantibus aliquot in eà professione viris; post disseminatam in nobilium maximè virorum animis eam doctrinam, in publicis Regni comitijs, (quæ vocant Parlamentum) Regis Ordinumque decreto, Missæ sacrificium per vniuersum Regnum aboletur, quo nomine post paulò nata popularis seditio, summaque rerum in Regno perturbatio, dum mutatione religionis offensior populus, sex *Henrici* VIII. articulos postulat restitui.

In Anglia Rege Eduardo VI. Missa abolетur.

Vnde seditio popularis.

Etsi in *Germania* turbæ nondum consiluerant, tamen cum venisset dies D. *Martino* sacer, Synodi Diocesanæ in multis ciuitatibus celebrantur, reformationis Cæsareæ formula recipitur, nisi quà in modo variabant, prout cuique Diœcesi hic aut ille magis conuenire videbatur. sed cùm de decretorum executione nulla ratio iniretur, facilè apparebat decreta hæc in speciem solummodo facta. Ante Quadragesimam Synodus Prouincialis nusquam habita ex decreto *Cæsaris*. eius principio Archiepiscopus *Coloniensis* suam auspicatur, necessitatem emendandi Clerum commemorans, & spem, quæ affulgebat ex *Tridentino* Concilio bonis auspicijs olim inchoato, quæ nunc per insperatam procrastinationem, Patrum in eo transferendo dissidijs suscitatam, plane est debilitata. *Cæsarem* quidem ne officio suo deesset, hostibus publicis bello subiugatis, doctrinam & Ecclesiæ Catholicæ ritus restituisse; duorum tantum articulorum definitionem ad Concilium retulisse, & Cleri reformationem instituisse. Eius mandata Synodum exequi volentem, post multas actiones in *Dominicam passionis* formam Metropoli suæ commodam præscripsisse. Ea VI. decretis constabat, quibus nullum fidei dogma explicatur, sed disciplinæ tantùm emendandæ rationes afferuntur: de scholis instaurandis; de ordinandorum examine, de officio cuiusque ordinis; de visitationibus; de Synodis; de restitutione iurisdictionis Ecclesiasticæ; cum multis in singula capita decretis. super quorum vnoquoque factâ longa dissertatione, multisque additis præceptis, (quod in tractatione speculatiuâ speciosum valde sit) annectit tandem capita XXXVIII. ad antiquas cæremonias, & ritus Ecclesiasticos restituendos. Inferioris *Germaniæ* prouinciæ *Cæsari* hæreditariæ, iurisdictioni Metropolitani *Coloniensis* parent. Itaque Imperator

Synodi Diœcesanæ in Germania ab Archiepiscopis celebrantur.

VI. Synodi Coloniensis decreta.

Quæ Cæsar in Belgij Prouincijs obtinere iubet.

Paulus 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

tor Synodi huius decreta nactus, postquam à Consiliarijs & Theologis suis accuratè examinanda curasset, literis suis datis IV. Iulij rata esse iussit; præcepitque, vt in suis passim dominijs accepta obseruarentur: Magistratibus illorum executioni, vbi requirentur, opem, operamque suam commodare iussis.

Synodus Prouincialis Archiepiscopi Moguntini, eiusque decreta maxime memorabilia.

Sebastianus Elector *Moguntinus* tertiâ à Paschate hebdomadâ Prouincialem itidem Synodum habuit, diuerso à superiore stylo; in qua de fidei dogmatis decreta XLVIII. & de reformatione LVI. edidit. In doctrinæ capitibus ab Concilio *Tridentino* definitis, eius Synodi decretis insistendum putauit: in cæteris receptam *Scholasticorum* opinionem secutus, à locis inter eos controuersis abstinuit. In quibus memoratu maximè digna capita XLI. & XLII. vbi docet, iteratque, imagines nón ad adorationem, aut ad cultum ijs deferendum in templis proponi, sed ad ea tantùm in memoriam reuocanda, quæ adorari oportet. quòd si ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam diuinitatis tribuunt, eam hoc casu inde auferendam, aut aliam diuersæ magnitudinis in eius locum reponendam; ne populus inducat animum credere, Deum & Sanctos supplicum votis annuere per imaginis illius solummodo intercessionem. Neque minus obseruatu dignum est caput XLV. quo asseritur, cœlites esse quidem honorandos, sed ciuili, & dilectionis cultu, non secus atque viros sanctos in hac vita suo merito colimus: nisi quòd Sanctis beatitudinem adeptis cultum magis religiosum tribuimus, vtpote in statu magis tranquillo constitutis. Quæ quidem si quis expendat diligentiùs, facilè apparebit, quanto interuallo opiniones Præsulum Catholicorum *Germaniæ* eius seculi, à Curiæ *Romanæ* dogmatis diffideant, & à positionibus, postquam Concilium *Tridentinum* obtinuit, vsu quotidiano stabilitis. Etiam ab huius Synodi decretis, in qua tot de religione articuli firmati, quiuis exemplum capiens facile sibi persuadeat, quam verè illud à Pontificibus in *Germania* toties iactatum sit, res religionis in Concilio Nationali non posse commodè tractari. Et quamuis ad vanitatem eius dicti arguendam, firmamenta validiora peti possunt à diuersis Synodis Prouincialibus in *Africa*, *Aegypto*, *Syria*, alijsque Prouincijs *Orientis* habitis; hæc tamen, quippe recens, etsi non adeo nobilitata, lectoris forsitan attentionem magis excitauerit.

De cultu imaginum.

Item de veneratione Sanctorum.

Electoris Treuirensis aliorumq; Metropolitanorum Synodi Prouinciales.

Suam quoque Synodum celebrauit Elector *Treuirensis*, alijque Metropolitani, ab Pontificis, Ecclesiæque *Romanæ* communione nondum seiuncti, *Augustana Cæsaris* decreta, tam super Interreligione, quam super emendatione Ecclesiastica euulgantes.

Pōtificis Núcij in Germania passim despecti.

Nuncij anno superiore à Pontifice in *Germaniam* designati, cùm ob causas prædictas profectionem distulissent, iter iam ingrediuntur; quàcunque transibant, ab ipsis Catholicis spreti, contemptique: nomine iam Pontificis, necnon amictu, & insignibus omnium ministrorum ipsius, propter discrepantes à *Cæsare* sensus, & vias procedendi, apud omnes Ordines exosis. Sub exitum Maij ad *Cæsarem* in *Belgium* veniunt, vbi, post multam disceptationem de ratione exequendi mandata Pontificis, plurimis in hac, aut illa parte cuiusque propositi obortis difficultatibus; statuit demum *Cæsar*, quandoquidem instructi essent à Pontifice facultate substituendi alios, qui rem executioni mandarent; vt Episcopos in sua quemque Diœcesi, & alios maximi nominis Præsules, alijs in locis iurisdictioni suæ obnoxijs subdelegarent: re omni ipsorum conscientijs commendatâ. Conditionem eam Nuncij auidè amplexi non sunt, postremò tamen assensi, *Indultum* curarunt omnium trium nominibus imprimendum; lacunâ relictâ, cui inseratur nomen eius Præsulis, qui indultum executurus esset; descriptoque primùm Bullæ Pontificiæ tenore, ac prolata dein substitutionis causa, nempe, quòd fieri non possit, vt loca omnia ipsimet accedant, auctoritatem suam cum ipsis communicare; cum eo tamen, ne communionem calicis, aut veniam vescendi carne largiantur cuiquam, nisi matura cum deliberatione, & manifesto accipientis emolumento: tum eâ lege, ne quicquam ob harum gratiarum largitionem pendatur. *Cæsar* sibi sumit curam, *Indultum* mittendi ad quos, & quò mitti conueniebat; vbique monens, vt leniter agant, & blanditias experiantur. Atque harum certè facultatum non magnus fuit vsus. nam qui in obedientia Pontificis permanserant, ijs opus non habebant: eam verò qui exuerant,

Nuntij Episcopos per Germaniam substituunt Indulto Pontificio exequendo.

Cuius tamen non magnus vsus.

gra-

gratias eius non modò negligebant, sed etiam respuebant. Paucis post diebus abijt inde *Ferentinus*; *Fanensis* autem & *Veronensis* apud *Cæsarem* tam diu hæserunt, donec Archiepiscopus *Sipontinus* à *Iulio* III. in *Germaniam* missus, vti suo loco dicetur.

Paulus 3. *Carolus* 5 *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

Per idem tempus *Henricus Galliæ* rex Lutetiam Parisiorum die IV. Iulij primùm ingressus, supplicationes publicè habet; deinde Edictū euulgat, supplicationis causam apud populum professus, vt constaret omnibus, se religionis Catholicæ, & Sedis Apostolicæ patrocinium, sacrique ordinis tutelam suscipere; se ab nouitatibus in religione abhorrere penitus; publicèque testificari voluisse, sibi constitutum exemplo maiorum in *Ecclesiæ Romanæ* doctrina persistere, & hæreticos nuperos è regni sui finibus prorsus exterminare. quod Edictum linguâ populari compositum, per totam *Galliam* dimitti iubet. Omnibus quoque regni sui Prælatis permittit Synodum Prouincialem Ecclesiæ reformandæ conuocare. id Roman allatum pessimi exempli credebatur; quippe, quòd Ecclesiam *Gallicanam* redditurum esset Sedi *Romanæ* minus obnoxiam. Idem rex, *Lutetiæ* multorum ob *Lutheri* doctrinam ad ignem damnatorum supplicia spectauit: annique sequentis initio edictum contra *Lutheranos* renouari iussit, pœnis grauissimis iudices mulctans, qui in illis detegendis, & castigandis essent indiligentes.

Galliæ Rex suam cum Ecclesia Romana communionem seuero contra Protestantes Edicto testificatur, suppliciorum ipse spectator.

Postquam Concilium toto biennio *Bononiæ* obdormiuisset, Pontifex die VII. Nouemb. conspectis Ducis *Octauij* nepotis sui literis, quibus scripserat, se cum *Fernando Gonzaga* velle transigere, vt *Parma* potiatur (quam vrbem Pontifex Sedis Apostolicæ nomine teneri iusserat) tanta animi perturbatione, atque ira exæstuauit, vt in deliquium subito inciderit; recollectisque licet post aliquot horas spiritibus, febre tamen correptus, ex ea intra triduum decesserit. Qua occasione Cardinalis *Montanus Bononiâ* relictâ *Romam* aduolat, vt electioni noui Pontificis intersit: cæterique omnes Præsules inde recedentes ad sua reuertuntur. In more positum est Cardinalibus, IX. diebus Pontifici vitâ functo parentare, & X. post die Pontificis creandi causa ire in conclaue. hìc verò, quòd è Cardinalibus plurimi abessent, non ante diem mensis XXVIII. in conclaue itum est. Cardinalis *Paciecus Tridento* non antè abijt, quàm à *Cæsare*, cognitâ *Pauli* morte, *Romam* petere iussus: vnde factum, vt non eò peruenerit, nisi compluscułos dies post obstructas conclauis portas. Cardinalibus ad eligendum nouum Pontificem coeuntibus, & capitulis quibusdam pro more factis (in quorum obseruationem singuli iurant, si forte Pontificatum obtinuerint) inter primas capitulorum leges fuit hæc, de continuando Concilio. Plerique omnes fore putabant, vt ante Christi diem natalem nouus Pontifex eligeretur. cum enim pridie eius diei aperienda esset porta Sancta, ad Iubilæum anno sequente M.D L. incipiendum; & præsentia Pontificis, qui portam aperiret, necessariò requireretur, eoque anno ad delictorum expiationem consequendam, homines magno numero confluxissent: vnusquisque sperabat Cardinales ea de caussâ electionem Pontificis maturaturos. Tres omnino erant Cardinalium factiones: *Cæsareorum*, *Gallorum*, & à Pontifice defuncto, adeoque à *Farnesijs* demortui nepotibus pendentium. *Cæsarei Polo* Cardinali, *Galli Saluiato* fauebant. verùm non modò harum factionum alterutra non sufficiebat electioni constituendæ: sed nec ipsæ, propter pugnantes Principum suorum fines, inter se poterant consentire. factio quidem *Farnesiorum* cuicumque demum parti sese coniunxisset, electionem eò inclinaturam persuasum omnibus erat. his Cardinalus *Polus* ob singularem morum probitatem, & perpetua erga *Paulum* Papam, & Cardinalem *Farnesium* studia principio satis acceptus fuit: sed obiectante *Carafa* Cardinale *Theatino* eum à macula *Lutheranismi* non esse vsquequaque purum, complures facti ab eo alieniores. *Saluiato Farnesius* non suffragabatur, certus suffragio suo neminem iuuare, nisi qui aui sui Pauli beneficiarius esset. atque hìc factionum studijs ita distrahebantur Patres Purpurati, vt neque contemplatio anni Iubilæi, neque tam frequentis populi expectatio, vsque ad multam noctem rei exitum opperientis, in acceleranda electione quidquam effecerint. *Farnesiana* tandè factione, & *Gallicarum* partium Cardinalibus, in *Ioannem Mariam Montanum*, *Tridenti* atq; *Bononiæ* in Concilio Præsidem, & Principem legatum consentientibus;

Pontifex indignatione subita oppressus, febre violenta corripitur, ex eaque intra triduum moritur.

Ab Cardinalibus ad nouum Pontificem eligendum in conclaue itur.

In capitulum de prosequendo Concilio iuratur.

Anno Iubilæo porta aurea aperienda.

In conclaui partium dissidia.

Card. Montanus creatur Pontifex, & assumit nomen Iulij III

Iulius 3. *Carolus* 5. *Euardus* 6. *Henricus* 2.

bus; is demũ Pontifex renunciatur. *Farnesiorum* propensa fuere in eum studia, quòd Cardinalis *Farnesij*, auique fuisset semper obseruantissimus; *Gallorum* verò, quòd tum Regis sui rebus propitius crederetur, tum *Cæsaris* aduersus, propter translatum *Tridento* Concilium. Neq; tamen Cardinales *Cæsareani* in suffragijs ferendis ei aduersati sunt, eò quòd *Cosmus Florentiæ* Dux fidem ipsis fecisset, eũ *Gallis* non alio aspectu addictum, nisi quà gratitudinis superiori Pontifici debitæ officium impelleret: cujus commoda cum procurare ac promouere teneretur, caussa ea deficiente, quod æquum iustumque esset, sine dubio curaturum. Plerique etiam in eo diligebant ingenij libertatem, ab fuco & dissimulatione alienissimi, ac omnibus patentis. Ille statim ab electione iuxta leges capituli iurat, se Concilium continuaturum. Die VIII. Febr. electus, & XXIII. inauguratus, biduo post, die XXV. portam, quam Sanctam vocant, aperit.

Cæsar Augustæ conuentum indicit; Iulio Pontificatum gratulatur, & Concilij restaurationem per Oratorem solicitat.

Cæsar res religionis in *Germania* ex animi sui sententia non procedere conspicatus, difficultates tamen eas præsentia sua facilè superari posse ratus, Ordinum Imperij conuentum *Augustam Vindelicorum* eo anno indixit: nec non *Ludouicum Auilam* Oratorem misit ad Pontificem, qui & dignitatis eum apicem illi gratularetur, & Concilij redintegrationem solicitaret. Ei benigne respondens Pontifex, de sua egregia in *Cæsarem* voluntate prolixè omnia pollicetur: sed de Concilio verbis tantùm generalibus; quasi nondum apud se constituisset, quid esset facturus. Ijsdem quoque verbis, parique incertitudine Cardinalem *Guisium* affatus est, reditum in *Galliam* cogitantem: id modò addens, se ante Concilium restauratum, cum *Galliarum* Rege consilia communicaturum. Cardinali antem *Paciecø* de Concilio apud eum mentionem sæpius inijcienti, alijsque *Cæsareis* affirmabat, in hoc negotio facile se *Cæsari* assensurum, modò bona fide & candidè hìc ageretur, & Concilium ad exscindendas hæreses celebraretur; rerum quidem *Cæsaris* beneficio, sed absque Sedis Apostolicæ præiudicio. qua de re multa se animo agitare, quæ suo tempore *Cæsari* esset explicaturus. Et quidem Pontifex futuri regiminis ipso statim Pontificatus initio documenta dedit; totos dies hortis, & amœnis substructionibus designandis impendens; rebusque voluptarijs, quàm negotijs arduis & molestis tractandis magis deditus. Quo hominis ingenio ab *Didaco Mendoza* Oratore *Cæsareo* accuratè obseruato; ille ad *Cæsarem* scripsit, se non dubitare, quæ, cum Pontifice illi essent negotia, satis commodè cessura. hominem enim delicijs & amœnitatibus captum, injecto ei metu, ad quiduis efficiendum impelli posse. atque hanc hominum de *Iulio* existimationem, eum scilicet priuatis caritatibus, quam necessitatibus publicis fore attentiorem, honos die Maij XXXI. in iuuenem quendam collatus comprobat, quem nouus Pontifex, pro antiqua consuetudine galerum suum cui velit largiendi, pileo suo Cardinalitio donauit.

Pontifex Iulius homo animi in delitias & licentiam soluti.

Priuatæ in adolescentem obscurum caritati indulget.

In familiam adscriptum in delitijs habet.

Ioannes Maria Montanus, Episcopus adhuc *Sipontinus*, ciuitatis *Bononiensis* præfecturæ præpositus, adolescentem *Placentinum*, obscuris natalibus, in familiam suam adscripsit, quem instar filij vnicè charum habuit. Hunc ferunt, cùm morbo graui, lentoque *Tridenti* laboraret, desperata secundum medicorum opinionem valetudine, à *Montano Veronam* missum liberioris aëris hauriendi caussa. vbi verò sanitati restitutus *Tridentum* remeabat, ipso aduentus sui die *Montanum*, Pontificium tunc Legatum, velut animi oblectandi gratiâ vrbe egressum, magno Præsulum comitatu, eum obuiam venientem magno cum applausu, multisque lætitiæ signis excepisse. quæ actio multis per ora hominum sermonibus fuit traducta; siue occursus iste fortuitus fuerit, siue Cardinalis de industria, sed aliud simulans, ad eum excipiendum vrbe exierit. Solitus erat dicere, se adolescentem illum dilexisse, & amasse tanquã fortunæ suæ fabrum; quòd Astrologi prædixissent illum insigni dignitate, & magnis opibus auctum irj; quarum tamen assequendarum nulla spes esset, nisi ipso ad summi Pontificatus fastigium euecto. *Iulius* itaque Pontificatum adeptus, curauit *Innocentium* (id enim erat adolescenti nomen) à fratre suo *Balduino Montano* adoptandum in filium; vnde ex eo dictus *Innocentius Montanus*. Hunc multis beneficijs locupletatum die supra dicta creauit Cardinalem; relicta aulicis *Romæ* obloquiorum & libellorum famosorum materia, quibus illi, ex varijs præteritorum euentuum coniecturis, actionis adeo inusitatæ veram causam certatim prodere non dissimulabant.

A fratre adoptandum curat, & Cardinalem creat.

Iulius 3. *Carolus 5.* *Eduardus 6.* *Henricus 2.*

Cæsar in Belgio Inquisitionem Edicto in Lutheranos promulgat.

Carolus Cæsar antequam *Belgio* discederet, in illis Prouincijs Inquisitionem edicto stabilire satagit; quod promulgatum mercatores *Germanos* & *Anglos*, qui in ea natione maximo numero negotiabantur, adeo conturbauit, vt concursu ad Reginam *Mariam* & Magistratus facto, edicti mitigationem flagitarint, alioqui inde demigrandum sibi esse professi. Ea res fecit, vt ijs quibus edicti executio & Inquisitionis instituendæ cura fuit demandata, vbique repugnatum sit. Vnde coacta *Maria* Regina eà de caussa *Augustam* petere, vbi *Cæsar* Ordinum conuentus tunc agebat, vt ad eum de re tota referret, decreti seueritatem deprecata: ne regione eà nobilissimis frequentissimisque emporijs celeberrimâ, mox desertâ & in solitudinem mutatâ, periculosissima seditio concitaretur. *Cæsar* ægre se exorari patitur, tandem tamen impetratum, vt Inquisitionis odiosum nomen aboleretur, & edictum quà exteros negotiatores spectabat, reuocaretur, eodem quà ciues & indigenas tangit vim suam nihilo minus obtinente. Egit *Cæsar* cum Pontifice tum per literas, tum Oratoris interuentu, de Concilio *Tridenti* instaurando; responsum certum postulans, non quale *Auilæ* dedit, neque ambiguum, cuiusmodi Cardinalis *Paciecus* ab eo tulit: sed quo postulatorum suorum capita diserte proponantur, quò ipse statuere possit, vtrum de illa medicina tanquam curandis *Germaniæ* morbis accommodatâ cogitandum sit, an verò ad alia decurrendum: quando fieri non possit, vti res in eo, quo nunc sunt statu diutius permaneant.

Quod tamen, Maria sorore deprecante, qua mercatores exteros tangit reuocatur.

Cæsar de Concilio instaurando certam à Pontifice responsionem requirit.

Pontifex intimis suis in consilium secretius aduocatis, considerans deliberationem eam ex omnibus quæ ipso Pontifice euenire possent, esse longè grauissimam, rationum momenta, quæ Concilij continuationem vel suaderent, vel dissuaderent accuratè perlibrauit. Reputat primùm, Concilio *Tridenti* restituto, translationem, quæ facta *Bononiam* sua præsertim opera, omnino damnari; seque confitentem esse reum, vel sua sponte, vel aliorum impulsu Concilium transferendo perperam à se factum. Quod si præter Concilij translationem aliud actum non fuisset, id forsitan parui pendendum: cum autem se autorem & patronum actionis eius sit professus, nec sine aliqua in aduersæ partis propugnatores acerbitate; malitiæ notam effugere vix posse, si tam facilè sententiam retractarit. Illud verò præ cæteris eum premebat, quòd se ipsum Sedemque Apostolicam obiecturus esset omnibus periculis, quibus vt se extricaret *Paulus* prudentissimus Princeps, iudicauit res suas in tuto collocandas, in ea opinione ad mortem vsque persistens: manifestum esse erroris, si ijsdem se periculis denuo inuoluat. Et quamuis multi forsitan sint erga eum, quippe nouum Pontificem, non male animati; id tamen esse certissimũ, maiorem partem hominum non tam de Pontificis, quàm de Pontificatus grauaminibus queri: immo quod indiuiduum hoc spectat, neminem esse rebus ita bene constitutis, vt non temporis decursus aliquid apportet, quod etiam immerito suo odium ei maius concitare possit. Præterea, non omnes homines ad nocendum odio impelli, sed vt quisque est lædere promptissimus, ita alijs deprimendis sibi decus & rem quærere. Quare inde colligi posse, easdem rationes quæ adegerunt *Paulum*, adhuc superesse ad *Iulium* in eandem sententiam necessario pertrahendum. Diuersa parte reputabat ingentes labores totis XXVI. mensibus ab *Paulo* hac de caussa exantlatos, multas quas perpessus est indignitates, cum summa auctoritatis Pontificiæ non in *Germania* tantùm, sed etiam in *Italia* imminutione. Tum, si *Paulo* in ea militia veterano, & magnum nomen adepto de fama eam ob causam aliquid delibatum fuerit, ecquid sibi expectandum in Pontificatu plane tironi, neque dum idoneis fœderibus & amicitijs ad aliquid suscipiendum, cui potentes aduersarij contrastent, & repugnent, instructo. Si protestatio contra se aliqua afferatur, aut Decretum quale *Interim* sanciatur, auctoritatem mox suam apud omnes periclitaturam. Neque verò nunc id respiciendum, quàm sedulam ipse operam in transferendo Concilio olim nauarit, aut quàm constanter translationem propugnarit. Mutata enim conditione sua, quæ ab ea pendebant etiam immutata. Neque actionum ab *Ioanne Maria Montano* Cardinale patratarum rationem ab *Iulio* Pontifice exigendam: nec expectandum, quæ illi existimationem peperere, eadem huic nomen & gloriam paritura. Tum sibi, tanquam seruo fideli in Domini sui commoda inuigilandum: nunc vero cum herum aut

Anxia Pontificis deliberatio cum intimis, an Concilium sit Tridenti restituendũ, nec ne.

Considerationes primum proponuntur, quæ suadent minimè restaurandum.

Rationes in alteram partẽ, *Iulium* ad Cõcilium Tridenti redintegrandum inuitantes.

Iulius 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

aut superiorem agnoscat neminem, aspectum fidei & constantiæ in seruiendo testandæ plane cessare, & in eius vicem alium successisse, prudentiæ scilicet in seruiendo tempori, & ingenio rebus accommodando. Considerabat adhæc, quàm speciosum esset *Cæsaris* postulatum de *Germania* ad obsequium Ecclesiæ reducenda; & quantum nasciturum esset scandalum nisi ei auscultaretur. Caussas, quæ ad Concilium cogendum inuitabant, in propatulo esse & omnibus compertas: at quæ à Concilio cogendo dehortabantur, in occulto, nec nisi paucissimis notas. Denique iusiurandum in Conclaui conceptum, & ab electione repetitum, non pro leui habendum. Quod etsi ipsum ad Concilium modò prosequendum adstringeret, absque certi cuiuspiam loci designatione; id tamen certò constare, fieri non posse, vt inuito *Cæsare*, qui sit Imperator, Hispaniarum & Neapoleos Rex, Inferioris Germaniæ & variarum in Italia ditionum Princeps, Concilium generale congregetur: ita vt perinde sit Concilium omnino prosequendum negare, atque recusare ne Tridentum remittatur. Omnibus sedulo consideratis *Iulius* in hanc partem animo plus propendebat, ingenium suum sequutus, præsentia mala fugere, quàm futura pericula euitare magis auidum: tum quod hac electione molestia se liberabat, quam *Cæsar* ei videbatur creaturus. Nam quæ à Concilio timeri possent pericula, ea verbis eleuare cœpit. Non eandem nunc esse *Cæsaris* fortunam, quæ fuit ante biennium. Tunc temporis siue expectatione victoriæ, siue pòst victoria potitum, maxima fama & celebritate fuisse. eandem nunc magis oneri & grauamini esse. Duos enim captiuos Principes detinere, sed veluti qui auribus teneat lupum. In ciuitatibus *Germaniæ* clarè sese prodere spiritum rebellionis. Ecclesiasticos dominationis eius iam pertæsos. nec deesse domestica mala, filio, fratre, ac nepote Imperium inhiantibus: quod, ne ei supra vires negotium facessat, metum esse. Genio itaque obsequutus in hæc verba concludit: *Quæ nunc nos premunt, difficultates excutiamus, haud vana spe, bonam fortunam indiuiduam nobis semper fore comitem.*

Iulius instigāte Genio in tutiorem partem propēdet.

Re apud animum suum sic constituta, congregationem Cardinalium & aliorũ Præsulum conuocat, qui plerique omnes *Cæsaris* partibus studebant, quò magis consilio à se iam sumpto accederent, quibus accitis paucis aliquot ex intimis suis, quò res ex animi sui sententia magis procederet, postulatum *Cæsaris* proponit, vtrisque præcipiens, vt alio omni aspectu seposito, quisque liberè profiteretur, quod ad Dei gloriam, & Sedis Apostolicæ bonum inprimis tendere existimaret. tum vbi quid factu optimum esset, consultassent, de modo, quo maxima cum dignitate, securitate, ac fructu confieri posset, simul deliberarent. Congregatio ea re iterum iterumque deliberata, retulit Pontifici videri sibi omnino necessarium, vt ille Concilium prosequatur. In id enim & in Conclaui, & postquam assumptus esset in Pontificem fuisse iuratum: nec aliam esse rationem scandali declinandi; quod, ni faciat, in ipsum grauissimè esset incubiturum. Duas porro eius prosequendi esse vias, vnam, si *Bononiæ* continuetur: alterum, si *Tridentum* remittatur. *Bononiæ* continuari non posse, quando *Paulus* cognitionem translationis semel euocarit ad se, & Patres porro pergere vetuerit, nisi prius decreto suo pronuntiarit translationem rite atque ordine factam, vt sic in ea ciuitate procedatur. quod tamen si tentare velit, suspicionem nunquam vitaturum, se suum negotium agere, cum eam actionem omnes illi, quippe primo Legato, & Concilij Præsidi tanquam propriam tribuant. Quare alteram solam viam superesse, vt remittatur *Tridentum*. Ita *Germaniæ* recalcitrandi occasionem adimi, &, quod rei caput est, *Cæsari* satisfieri. Consilium hoc ad Pontificem delatum, ei valde placuit; vnde ad cætera porro itum.

Iulius conuocata Cardinalium & Præsulum Congregatione eorum consilium super postulato Cæsaris exquirit.

Congregatio quid sui sit cōsilij exponit.

Ac Principio determinatum, consensum & opem Regis Galliarum necessariò procuranda, & Præsulum eius regni interuentum: sine quibus & manca foret omnis Synodi existimatio, & periculum esset amittendæ Galliæ, quæ iam possidetur, spe recuperandæ *Germaniæ* hactenus amissæ, & iuxta Apologum, vmbræ pro corpore consectandæ. Nec facile putabatur aut Regem eò adducere, aut suspiciones ei demere, si Concilium in loco *Cæsari* obnoxio, & armis ipsius prope cincto celebraretur. Sed vbi ad examinandas suspicionum caussas ventum est, non aliæ repertæ, nisi hæ, metum, ne Concilium aliquid statueret rerum in Gallia administrationi publicæ perniciosum,

Iidem difficultates quas ex Concilio Tridentum reuocato verisimile sit exorituras, excutiunt.

Prima difficultas à Rege Galliæ.

niciosum, aut sceptri eius priuilegijs repugnans, aut immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrarium. Hæc modò tuta atque inuiolata sint, nihil dubitandum, quin Galliæ Rex, pro hæreditaria Sedis Apostolicæ protegendæ iuuandæque obligatione, Patribus in Synodo congregatis fauore suo adesse velit, & Præsules suos eò mandare.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Secunda rei conficiendæ difficultas inde nata, quod Præsules Itali, vt plurimum inopes, & sumptibus ferendis impares locum illum auersentur; & Camera Apostolica iam exhausta, ægrè subleuandis ijs, quantum opus sit, sufficiat; præter sumptus necessarios in sustentandis Legatis, & Concilij administris, alijsque extraordinarijs. Cui malo, re quantumlibet agitata, remedium nullum repertum; quòd cum sumptus in Synodum fieri oporteat, calix hic necessario esset ebibendus. hoc modò præuisum, superuacaneas impensas posse præcidi, Synodo mox ad finem perducta, & quàm breuissimâ ibi morâ factâ.

Secunda à sumptibus qui in Synodum faciendi.

Tertia difficultas ex eo orta, si forte Protestantes in dubium vocare vellent, quæ in Synodo fuerant determinata. qua de re vnanimi Congregationis suffragio confestim pronunciatum, disertis verbis significandum, ea pro indubitatis habenda, neque permittendum, vt in disputationem veniant; atque hanc declarationem etiam ante Concilium, non expectato Synodi tempore, faciendam.

Tertia à Protestantibus, iam decreta retractari petentibus.

Quarta omniumque maxima erat, auctoritas Sedis Apostolicæ tam in Concilio, quàm extra, & supra Concilium, quam non modò Protestantes oppugnant, sed multi Principes certis limitibus circumscriptam cupiunt, & inter Episcopos non pauci de ea moderanda cogitant. quod in causa potissimùm fuit, cur vltimi Pontifices ægerrimè Concilium admiserint; & *Paulus*, qui in illud cõsenserat, errore suo tandem deprehenso, translatione erratum sarcire voluerit. Huic periculo, licet ab omnibus animaduerso, nemo vnus effugium reperire poterat, nisi quod dicerent, Deum, qui Romanam Ecclesiam fundauerat, & supra alias omnes extulerat, consilia omnia in eius perniciem dissipaturum. quod quidem à nonnullis per imperitiam & animi simplicitatem, ab alijs propter suam vtilitatem creditum, à quibusdam nihil aliud allegare valentibus dictum, satis ad rem facere non videbatur.

Quarta, ab auctoritate Pontificis, quam limitibus circumscriptam plerique omnes cupiunt.

At Cardinalis *Crescentius* confidentiæ huius fundamento insistens, disseruit, nullum esse negotium humanum non alicui periculo expositum. Id in bello actionum humanarum apice manifestum: quod, quantalibet sit belli dux victoriæ fiduciâ, nunquam sine cladis aut internecionis periculo sumitur. neque vllum suscipi negotium tanta fœlicis euentus certitudine, vt non possit vel à causis latentibus, vel quæ pro leuibus habentur, in maxima incommoda præcipitare. Ei verò qui ad alia mala vitanda deliberationem arduam subire cogitur, id neutiquam respiciendum. Hunc esse rerum præsentium statum, vt, nisi Synodus celebretur, populis ac Principibus offensis, & à Pontifice alienatis, atque forte viam facti tentantibus, maius periculum impendeat, quàm à disputationibus ac Decretis Synodalibus sit pertimescendum. quando periculo nihil vacet, satius esse, conditionem maximè honorificam, & minus periculosam accipere. Sed ad periculum hoc amoliendum multas cautiones adhiberi posse; cuiusmodi sunt, Patres in Synodo alijs, quantum potest, materijs occupatos distinere, vt illis otium non sit ad cogitationes in hanc impendendas; multorum sibi fauorem conciliare, Italorum præsertim, officijs, promotionis spe, alijsque modis consuetis: etiam Principes æquo veluti libramine vtilitatum diuersarum hinc inde propositarum retinere, ne ad tale quidpiam moliendum in commune consentiant, sed horum vno id tentante, alius mox proprij emolumenti intuitu ei aduersetur: denique alia huiusmodi remedia adhibere, quæ è re nata viris prudentibus occurrunt, quorum ope & sua negotia promouent, & his aduersa disijciunt. Hac opinione ab omnibus probatâ, statuunt, nullam timoris significationem ostentandam, sed *Cæsari* tantùm innuendum, mala esse præuisa, neque vllam esse de fœlici euentu dubitandi causam, quandoquidem remedia in promptu sunt, quibus difficultatibus his omnibus prospiciatur.

Hanc omnium periculosissimam Cardinalis Crescentius varijs in contrarium cautionibus adhibitis amolitur.

Pontifex deliberatione hac maturata, simul de Concilio *Tridentum* remittendo iam

Pontifex Cæsari & Galliarum Regi suum per Nuncios consilium exponit.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

iam animi certus, *Cardinali Ferrariensi*, & *Regis Galliæ* Oratori rem omnem impertit: dein per cursitorem, ad Regem de industria missum, animi sui mentem ei aperit; hoc addito, se Nuncium breui mandaturum, qui singillatim rationes, quæ ad id *faciendum* eum impulerant, sit expositurus. Et quidem Iunio exeunte duos Nuncios eodem tempore ablegauit, *Sebastianum Pighinum*, *Archiepiscopum Sipontinum* ad *Cæsarem*, & *Triuultium Episcopum Tolonensem* ad *Galliæ* Regem. Illi mandauit, vt ad deliberationem in Congregatione factam, orationem suam conformaret. Huic præcepit, vt per equos dispositos iter accelerarer, quò citiùs animum Regis sibi renunciaret, quem omnino decreuerat cognitum habere, antequam vltra procederet. Tum, vt causas sigillatim commemoraret, quibus ille adductus Synodum *Tridentum* reuocabat, has videlicet: *Germaniam* nunc subiugatam, *Cæsarem* id obnixè petere; in *Bononia* continuari non potuisse propter rationes supra allegatas: tum ne Protestantes in præiudicium suum res compositas querantur, culpa in se coniecta. Primum verò præcipuumque huius incœpti fundamentum esse, opem ac fauorem Maiestatis suæ Christianissimæ, & Præsulum regni eius interuentum: quæ se impetraturum non dubitabat, quod protector esset fidei, & maiorum suorum æmulus, qui ab opinione & consilijs Pontificis nunquam discesserunt. Decretum sibi, dogmatum fidei declarationem, & perpurgationem, ac morum reformationem in Concilio tractare: politica autem, quæ status ac dominia spectant, aut peculiaria sceptri Gallici priuilegia, prorsus non attingere. Ad postulatum *Cæsaris*, vt scilicet Pontifex declaret, vtrum velit Concilium *Tridenti* prosequi an non, responsum dedisse, se id velle prosequi, legibus in Congregatione Cardinalium agitatis, quas ab Nuncio Regi communicari præceperat, cuius mentem quàm ocyssimè perspectam habere cupiebat, spei plenus, eam solitæ Maiestatis suæ pietati, & affectui, quem erga se perpetuo commonstrasset, ac fiduciæ, quam in illo reponebat, haud dubiè responsuram. Eidem quoque Nuncio commiserat, vt Cardinali *Guisio* mandata sua impertiret, eumque sibi optionem sumeret, nisi aliter videretur, ad eadem Regi, alijsue, quando opus esset, exponenda.

Triuultius Galliarum Regi commemorat causas Synodi Tridentum reuocandæ.

Et quid Cæsaris postulato Pontifex responderit.

Neque ab his diuersa erant, quæ alteri Nuncio dederat in mandatis, nimirum vt *Cæsari* nunciaret, se re effectisque promissa *Petro Toletano* facta repræsentaturum; hoc est, se candidè, apertè, & sine fuco ac fallacijs cum *Cæsare* acturum. tum, vt testaretur in Concilio prosequendo animi sui promptitudinem, ad Dei gloriam, conscientiæ suæ exonerationem, & Cæsareæ Maiestatis, Imperijque emolumentum. Et quoniam *Cæsar* auebat scire, quibus conditionibus Concilium esset processurum, hoc nomine suo diceret *Cæsari*, se nunquam ne per somnium quidem cogitasse de Concilio pactionibus articulosè interpositis celebrando, sed considerationes aliquot necessarias animo agitasse, quas ipsi Nuncius esset expositurus. Has quatuor esse.

Iulius per Nuncium impertit Cæsari considerationes habitas super difficultatibus de Concilio reuocando.

Primam, Esse necessarium, vt Rex Christianissimus Synodum fauore suo subleuet, & Præsules Galli ei intersint: absque quibus multum de eius existimatione sit decessurum; vel ab Concilio Prouinciali, & vel de amittenda *Gallia* impendeat periculum. Deinde tota via errare, qui nesciant ciuitatem Tridentinam esse locum, cui *Cæsarem* valde fidere, Regem verò Christianissimum valde diffidere deceat: ideoque rationem excogitandam, quâ rebus eius securitas reddatur. Rationem eam, quæ hactenus reperta, *Cæsari* impertiendam: nisi idonea videatur, ab ipso aliquid præterea adiungendum.

Secundam considerationem esse de sumptibus, quos Cameræ Apostolicæ facere conueniat iam exhaustæ, & ære alieno graui, in Legatos, & alias occasiones extraordinarias, quæ Synodum comitantur: item de impensis, quibus Præsules Itali tenuiores ea in vrbe ægre sufficiant. Ea gratia temporis rationem exactè subducendam, vt nec in Synodo inchoanda, nec in prosequenda horæ vnius fiat iactura: alioqui Sedem Apostolicam nec tantis sumptibus parem futuram, neque vlla arte effecturam, quin Præsules Itali impatientiam suam prodant: quod superiorum temporum experientia fecit exploratum. Præterea, non esse è dignitate Sedis Apostolicæ, vt Legati ipsius otiosi velut in anchoris stent, sine vllo fructu. Necesse itaque

que esse, vt, priusquam ad rem ipsam veniatur, Imperator certus sit de voluntate & obsequio tam Catholicorum in *Germania*, quam Protestantum, rebus in Conuentu Ordinum Imperij denuo stabilitis, & mandatis authenticis emissis, tum è ciuitatibus, tum à Principibus, quibus & Maiestas Cæsarea, & Ordines omnes ad executionem decretorum Synodi teneantur: vt labores, sumptus, operæque ad irritum non cadant, aut ludibrio habeantur; atque vt spei quoq; irriti sint, qui Concilio negotium facessere velint.

Iulius 3. *Carolus 5.* *Edwardus 6.* *Henricus 2.*

Tertio verò loco *Cæsari* considerandum, declarationem necessariò requiri, vt Decreta in re fidei *Tridenti* hactenus facta, & in alijs superioribus Concilijs, nullatenus in dubium reuocentur, neque ad ea disceptanda Protestantibus locus detur.

Postremò considerandum Imperatori, Pontificem habere persuasum, *Cæsaris* affectum erga se esse mutuum; adeo, vt quemadmodum ipse se *Cæsaris* Imperijque rebus fauentem ac propitium exhibuerit, Concilio in locum ijs adeo opportunum destinato; ita ille vicissim sinceritatem hanc fidemque suam ipsi oneri fraudiue esse non sinat. Quod si quis criminationibus calumnijsue in contrarium nitatur, caussæ nihil esse, cur *Cæsari* mirum videri debeat, si ipse ex occasionibus vtatur remedijs ad auctoritatem sibi Sediq; Apostolicæ à Deo immediatè concessam, tam in Concilio, quam extrà propugnandam.

Iam Pontifex rebus suis conducere ratus, consilium hoc suum per *Italiam* & *Germaniam* innotescere, per *Iulium Cananum* Secretarium suum, re, amicitiæ specie, aulicis aliquot familiaribus suis communicata, sed ea lege, ne secretum emanaret, mandata supradicta vndequaque disseminanda curauit. Et *Galliæ* Rex per nouum Nuntium desubitò Pontifici respondit. Cùm enim sciret non deesse illi ex anteactis caussas, cur *Cæsari* fidere non debeat, & vnà reputans, illum erga Gallorum partes bene animatum, insigni beneuolentiæ officiorumque testificatione Nuncium complexus, fauorem omnem à se Pontifici obtulit, & Concilio opem, ac Præsulum regni sui interuentum; promissis insuper de auctoritate Pontificia, studio, protectioneque sua subleuanda additis.

Pontificis arcana per Secretarium, illo non nescio emanant.

Galliarum Regis per Nuncium responsum.

Cæsar audita *Sipontini* Legatione, & matura super ea deliberatione habita, respondit, se ingenuitatem & prudentiam Pontificis probare, qui perspecta publica necessitate Concilij *Tridentum* conuocandi, rationem idoneam repererit, qua commodè eò remitteretur, lite super translationis æquitate repudiata, vtpote fastidiosa, ardua, & ad nullam rem vtili. Addidit, quatuor considerationes sibi videri graues, & iure propositas. De rebus *Gallicis* non laudare modo consilium ipsius, sed opem quoque suam & operam libenter offerre, ad securitatem omnem Regi *Gallorum* præstandam. Aequissimum esse, vt in sumptibus superuacuum vitetur, Patresque post apertum Concilium otia agere non permittantur. Anno superiore decretum *Augustæ* factum, vt *Germania* vniuersa, etiam ipsi Protestantes se Synodo subijciant: cuius exemplar Nuncio dandum curarit; & quod in conuentu Ordinum, qui iam instet, confirmare cogitet. Sibi non videri tempestiuum in præsens tractare, ne in dubium reuocentur, quæ *Tridenti* hactenus definita. Illud enim magis opportunè fieri posse, postquam Concilium in eam vrbem conuenerit. Cæterùm, quod ad auctoritatem Pontificis, Sedisque Apostolicæ attinet, sicuti eam antea protexerit, ita dehinc eius protectorem fore, certumque habere, omnibus viribus & copijs, ac vita ipsa, si opus sit, eam tueri & defensitare. Non esse potestatis suæ promittere, in Synodo nihil ab ingenio irrequieto dictum tractatumue iri: hoc tamen spondere, si quid tale euenerit, se tam fortiter repugnaturum, vt operam suam Pontifici sine dubio sit approbaturus.

Cæsar Pontificis per Archiep. Sipontinum Legationi respondet.

Erat tum *Augustæ Cæsar*, vti supra dictum, Comitiorum Imperij initium facturus: quæ licet tot signis militum cincta non essent, quot *Augustana* proximè superiora, erant tamen præsidiarijs armata. In eo Conuentu proponit de Concilio prosequendo, de seruando Decreto dicto *Interim* superiore Conuentu facto, de bonorum sacrorum restitutione, & Iurisdictione recuperanda. Principibus Catholicis placuit Concilium esse prosequendum: sed Principum Protestantum Legati aliquot in id assentiendum non putabant, nisi his conditionibus. Vt omnia ab

Comitia Augustana, & in ijs varia ab Cæsare proposita.

Protestantes se Concilio assensuros negant, nisi certis legibus.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Queritur Cæsar quòd Decreto suo de *Inter religione* obtemperatum non sit.

ab initio *Tridenti* decreta retractentur: Vt *Augustanæ* Confessionis Theologi non solùm audiantur, sed vocem quoque decisiuam habeant: vt Pontifex in Concilio Præsidis locum non obtineat, sed eidem se submittat, & Episcopis iusiurandum remittat, quò sententiam liberè dicant. Apud Protestantes questus est Imperator, quod Decreto suo de religione *Interim* non paruissent; & apud Catholicos, quod emendationem Ordinis Ecclesiastici ab se præscriptam non seruassent: sed vtrique excusationes suas obtendunt. Hi lento pede progrediendum affirmant ad turbas vitandas, & vt paulatim homines assuescant: etiam quorundam exemptiones & priuilegia plurimum officere causantur. Protestantes verò culpam conijciunt in populum, qui conscientijs suis vim afferri ægrè patitur, ad seditionem procliuis, si quis ex animis religionem reuellere tentet. De his omnibus sigillatim Nuncium *Cæsar* certiorem facit, tum de Catholicorum omnium, & maioris partis Protestantium assensu, tum de limitatione ab alteris proposita, vt, si forte id aliunde ad ipsius aures esset perlatum, nihil aliorsum, atque diceretur, acciperet. Addidit etiam se noluisse permittere, vt Principum, qui videbantur dissentire, contestatio in acta referretur, sicuti fieri consueuit, quod ijdem sibi promisissent, se voluntati ipsius obtemperaturos. Vnde posse eum fidenter Pontifici asseuerare, vniuersæ *Germaniæ* placere, vt Concilium procedat. Agit deinde seriò *Cæsar* cum præcipuis è sacro ordine, vt ad Concilium ante festum Paschatis inchoandum ipsi *Tridentum* proficiscantur, impetratoque Septemuirorum assensu, Pontificem solicitat, vt ad illud tempus, aut certe statim à Paschate Synodi conuocationem indicat, de totius *Germaniæ* consensione iam certus. quam tamen vt firmius constabiliret, orat Pontificem, vt indictionis diplomate confecto, eius schedulam priusquam euulgetur, ad se mittat, quò eâdem omnibus in Conuentu Ordinum communicatâ, Decretum Comitiorum ad eam componat, atque ab omnibus recipiendam procuret.

Vrget Cæsar Synodi inchoationem, & schedulam diplomatis de eadem indicenda auet inspicere.

Enimuerò Pontifex nihil à se actum putabat, nisi illud prius fixum esset, Decretis Synodi omnes parituros. Nam si ipso Synodi initio id disceptandum foret, facilè præuidebat hunc negotij exitum, vt multo tempore frustra consumpto, Concilium tandem absque vllo operæ positæ pretio dissolueretur. Id habebat pro comperto, disceptationem generalem, An decretis standum esset, trahere secum peculiarem super singulis decretis controuersiam: neque auctoritatem suam hic valituram, quippe, quem pro Iudice suspecto Protestantes sint habituri, nempe actionis totius Præsidem, ac primarium auctorem. Tum metuebat, si quæstionis huius decisionem apud *Cæsarem* instantiùs vrgeret, ne illum in difficultates inextricabiles coniectum, à caussa sua redderet alieniorem. In his angustijs versanti non defuere qui suaderent, caput hoc pro indubitato ac deciso tenendum, atque in diplomate siue Bulla præsupponendum, Decreta superioribus Synodi conuocationibus facta, ab omnibus fuisse accepta. Nam vbi diploma hoc tenore ad Conuentum Ordinum Imperij peruenerit, *Germanos* id vel approbaturos, vel improbaturos. si probauerint, tum voti compotem factum. sin minus, tum in ipsis Comitijs controuersiam eam agitatum iri, adeoque se molestia ea liberatum. Placuit Pontifici hoc consilium, idque sequutus, vt *Cæsari* gratificaretur, non schedulam diplomatis, quod id parum è dignitate sua videretur, sed diploma ipsum concinnatum, datum, ac bullatum, verùm nondum euulgatum misit in *Germaniam*, cuius dies XV. Nouembris.

Ambigit Pontifex vtrum Protestantes Decretis iam in Synodo factis parere velint.

Erant qui suaderent, id pro confesso tenendum, vt maiori molestia liberetur: quibus assentitur.

Hoc diplomate profitebatur, *Cum ad tollenda religionis dissidia in Germania, opportunum & expediens esse videatur, sicuti etiam Imperator sibi significari fecit, vt Concilium generale per Paulum III. indictum, & à se tunc Cardinale & Præside inceptum ordinatum & continuatum, in quo pleraque tam in caussa fidei, quàm reformationis, sancita & promulgata decreta, ad ciuitatem Tridentinam reducatur; Se, ad quem spectat generalia Concilia indicere & dirigere, ad Christianæ fidei atque Orthodoxæ religionis incrementum, & tranquillitatem Germaniæ procurandam, quæ sane prouincia retroactis temporibus in debita obedientia & reuerentia maximis Pontificibus Christi Vicarijs exhibenda, nulli Christianorum prouinciæ fuit secunda, sperantem Reges, & Principes Christianos fautores & adiutores; hortari & monere Patriarchas Archiepiscopos, Episcopos, Abbates,* aliof-

Bulla resumptionis Concilij Tridentini.

aliosque omnes & singulos, qui de iure, vel consuetudine, vel priuilegio, Concilijs generalibus interesse debent, vt proximis Calendis Maij Tridenti conuenire velint, quo die, de Apostolicæ authoritatis plenitudine, & Cardinalium assensu statuerit Concilium, in eo; in quo nunc reperitur, statu resumendum & prosequendum. Seque operam daturum, vt eò Legati sui veniant, per quos Concilio præsidebit, si ipse coràm adesse nequiuerit, quacumque Concilij translatione, & suspensione, cæterisque quibuscunque contrarijs non obstantibus, ac præsertim illis, quæ idem Paulus in Bulla conuocationis, & alijs ad Concilium spectantibus voluit non obstare: quas quidem Bullas cum omnibus clausulis & decretis in eis contentis in suo robore velit permanere; & quatenus opus sit, confirmari atque innouari. Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Ministri Cæsarei alijque Catholicæ religionis amantes, quibus *Cæsar* rem communicarat, iudicabant futurum, vt Protestantes literarum Pontificis stylo exacerbati, Concilij repudiandi occasionem inde arriperent: quippe, qui hisce profiteatur, se non tantùm velle prœsidere in Concilio, sed & actiones dirigere. Præterea, quòd dicat resumendum & prosequendum sibi, id illis videri suspicionis plenum: & verba illa, quibus auctoritatem suam adeo effert, & magni facit, esse ad iracundiam incentiuum. Quamobrem suadent *Cæsari* vti agat cum Pontifice de diplomate moderando, atque in eam formam redigendo, quâ Protestantes non habeat alieniores. Ac profectò *Cæsar*, & Nuncium Apostolicum de ea re appellauit, & ad Oratorem suum scripsit *Romam*, vt obnixis & serijs precibus Papam obsecraret per charitatem, quæ decet Christianos, vt diplomatis verba commitigaret, quæ ad abalienandos à Synodo Germanos facere videbantur. Neque verò negotio dexteritate Hispana procurando defuit Orator, pari in Protestantũ, atq; in ferarũ captura contendens artificio vtendum. Nam qui feras in laqueos inducere tentet, vt eas ad locum insidijs destinatum alliciat, fugam simulare, & loco cedere; non ignem, non arma ostentare, quibus irritentur; & ad desperationem, à qua vires sumant, adigantur. Ad eundem modum Protestantes comiter & benignè habendos, instruendo, & auscultando ad Concilium pelliciendos; vbi eò venerint, tum fore tempus idoneum ad veritatem commonstrandam. nam contra inauditos ferre sententiam, id eos magis magisque exasperare, & bilem accendere. Pontifex solita libertate respondit, sibi animum non esse dimicandi cum hoste tanquam fele, in caueam incluso: sed magis velle, vt fugiendi potestatem habeat. Protestantes enim, si verborum blanditijs trahantur ad Synodum, neque ibi reperiant facta dictis consona, occupante animos desperatione præceps consilium capturos: esse satius, vt quid ipsis futurum sit, clarè audiant. Orator replicans, Pontificis opinionem probat in ijs, quæ dictu necessaria, & opportuna sunt: sed hìc non fuisse tempestiuum, Conciliorum dirigendorum potestatem sibi vendicare. Id quidem esse verissimum: sed veritati id priuilegij minimè datum, vt quocumque tempore & loco efferri debeat. imo rectiùs taceri, cùm enuntiata sequiorem aliquem paritura est effectum. Meminerit flammam hanc, quæ nunc latè ardet, *Leonis Decimi*, & *Cardinalis Caietani* legati sui verbis asperioribus fuisse accensam: quam verborum lenitate tum facile erat opprimere. Sequutos Pontifices, *Clementem* maximè & *Paulum*, Principes prudentes sæpius id indoluisse. nunc si commodis moderatisque vijs Germaniam recuperandi spes subest, quid attinet duris & amarulentis eam magis indies abalienare? Pontifex indignabundus asserit, id, quod *Christus* ipse docuit, palam semper prædicandum, inculcandumque; Maiestatem Diuinam Vicarium suum caput Ecclesiæ, & præcipuam mundi lucernam constituisse. veritatem hanc esse ex ijs, quas in ore perpetuò habere oporteat, & vbique, atque (vt *Diuus Paulus* loquitur) *tempestiuè & intempestiuè*. qui aliter fecerit, contra Christi præceptum, *ponere lucernam sub modio, quæ super candelabrum ponenda sit*. neque esse è dignitate Sedis Apostolicæ artificiosè aut dissimulanter, sed apertè sincereque loqui. Orator contrà comiter disserit, verum officium Apostolicum sibi videri, virgam abscondere, benignum se præbere, & ad aliorum omnium voluntatem descendere. apud *D. Paulum* legisse, *illum, cum esset liber, factum omnium seruum, vt omnes Christo lucrifaceret; cum Iudæis, Iudæum; cum Ethnicis Ethnicum; cum infirmis infirmum, vt illos etiam saluos faceret*: neque aliam esse Euangelij pangendi conserendique viam. Pontifex

Cæsar administris ipsius interpellantibus, per Oratorem obsecrat Pontificem vt Bullam velit cõmitigare.

Oratoris & Pontificis dialogismus.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

tifex demum vt vltra disputandi ansam subterfugeret, ad hoc se effugium recepit, Bullam stylo cancellariæ formatam, quam nefas sit immutare. se à nouitatibus alienum, decessorum vestigijs insistere paratum: quandoquidem recepta forma vtatur, euentum sibi minimè imputandum. si nouam ille excogitasset, malum omne meritò sibi adscribendum. Orator, vt tempus illi ad amplius deliberandum daret, statuit hoc Pontificis responsum pro opinione negatiua non admittere, sed potius bene sperare, Papam affectu verè paterno *Germaniæ* mala commiseraturum. Ideo quòd medium Decembris iam esset exactum, placuit festum Natiuitatis prætergredi, & dein nouo eum impetu adoriri.

Iulius nihil in Bulla mutare certus, Breue vna cum diplomate suo euulgat.

Verùm Pontifex animi certus ne vnum quidem apicem immutare, ac vocem eam sæpius vsurpans, *Volo præuenire, & non præueniri*, vt interpellatorum molestia sese liberaret, die qui *D. Ioanni* sacer, Breue conficiendum curauit, quo summatim breuiterque perstrictis diplomatis supradicti capitibus, prætentoque hoc colore, quòd diplomate nondum promulgato cuiuis obuium esset eius ignorationem prætexere, statuit, vt tam Breue hoc, quàm diploma ipsum palam lecta publicataque Basilicis *B. Petri* & *D. Ioannis Lateranensis* affigantur: vtriusque exemplar typis excusum Archiepiscopis missurus, vt illi rursum ad Episcopos aliosque Præsules amandandum curent. Orator *Cæsaris* conspicatus hac ratione præreptam sibi omnem super ea re compellandi Pontificis occasionem, cursitorē continuò ablegat ad Imperatorem, qui omnia illi exponat. Is verò Papæ deliberatione animaduersa de remedijs cogitans in Conuentu Ordinum Bullam publicitus legi imperat: quæ perlecta, eundem planè, quem ille animo prasagiuerat, effectum produxit: nempe vt, cùm Protestantes fidem verbo datam de submittendis se Concilio reuocarent; tum Catholici *Tridentum* ire abnuerent. Catholicis ipsa denuntiandi ratio, quippe aspera & intractabilis displicuit: Protestantibus verò tota rerum verborumque compages. Quo in genere hæc erant, sui muneris esse Concilia non indicere modò, sed & dirigere ac gubernare. sibi decretum continuare & prosequi iam inchoata: vnde retractandis, quæ ante decreta, nihil loci relictum. ad locum & rem parum appositè dictum, *Germaniam* Pontifices pro Christi vicarijs agnouisse. Ineptè sese Præsidem Concilij declarasse; neque alios quam Ecclesiasticos, illi satis morigeros eò inuitasse; ac denique Bullam conuocationis *Pauli* III. tam affectata verborum amplitudine confirmasse. Dicebant Protestantes Concilium frustra tentari, quod his nitatur fundamentis: cui si quis eorum se summittat, grauiter peccet contra Deum & conscientiam. Catholici rursum affirmabant, nisi spes aliqua subesset de Protestantibus ad Ecclesiam reducendis, tantum operæ & sumptuum frustra impendi. *Cæsar* vtriusque partis intemperiem attemperare conatus hoc dicto, Concilium Oecumenicum ex omnibus orbis Christiani Nationibus institui. cæteris omnibus obsequium Pontifici deferentibus, indictionem hanc pro illorum ingenio formatam. Quod ad *Germaniam* attinet, eius vniuersæ curam sibi relinquendam, rerum cum Germanis tractandarum gnarò. alias nationes conuenire finant: se deinde *Tridentum*, aut saltem in locum aliquem propinquum iturum; neque verbis, sed factis, vt omnia debito ordine procedant, operaturum. Nec quid Pontifex loquatur respiciant; sed quid ipse fide *Cæsarea* & Regia spondeat, id vnum attendant.

Bulla in conuentu Ordinum Cæsare iubente lecta, tam Catholicos quàm Protestantes offendit.

Cæsar speciosis promissis vtrosq; delenire studet.

Vnde in Conuentu Augustano fit Decretum.

Hac arte pacatis per *Cæsarem* amborum animis, Idibus Februarij, dum dimittitur Imperij conuentus, decretum hac forma promulgatur. Cum superiori Ordinum conuentu propositum fuerit, dissidium religionis in *Germania* nulla ratione posse sarciri, nisi per pium liberumque Concilium generale: cumque omnes Imperij Ordines propositionem hanc confirmarint, & Concilium accipere, probare, eique se submittere decreuerint, quòd ea executioni nondum demandata fuerit, eandem propositionem, deliberationemque denuo iteratam, ratamque factam. Ea gratia *Cæsarem* egisse cum Pontifice, ac demum impetrasse, vt Concilium Tridentinum in Calendas Maias anni sequentis remittatur. Quando igitur in id Pontifex assenserit, & Bulla conuocationis in Comitijs lecta propositaque sit, æquum esse, vt in eadem sententia expectandi Concilium cum obedientia debita, & eidem interueniendi omnes acquiescant. Hinc omnes Principes Christianos opem allaturos; ipsumque *Cæsarem*,

Cæsarem, tamquam Sanctæ Ecclesiæ aduocatum, & Conciliorum defensorem, quicquid Imperatoris officio conueniat, sicuti iam ante promiserit, præstaturum. Notum itaque facere omnibus, suæ esse voluntatis, vt, pro *Cæsarea* qua pollet auctoritate ac potestate, singulis, qui ad Concilium venturi sunt, idoneè caueatur. Vt ijs liberè ire, commorari, domumque redire liceat: eaque in medium adducere, quæ conscientiarum suarum quieti necessaria videbuntur. Sibi interim propositum, intra ipsos Imperij fines, aut certè in loco aliquo vicino ad Synodi defensionem permanere. Septemuiros igitur, aliosque Principes & Ordines Imperij, Ecclesiasticos præcipuè, & eos qui in religione innouarunt, monere atque hortari, vt se ad Concilium comparent, instructique veniant, ne excusatione aliqua postmodum vti necesse habeant. Se enim curaturum, vt res tota legitimè debitoque ordine procedat; daturumque operam, vt piè omnia, ac Christianè iuxta sacram scripturam, & Patrum doctrinam tractentur ac definiantur. Quod autem attinet violationem decretorum de religione & reformatione *Interim* factorum, quandoquidem intelligat difficultates, quæ intercurrunt, esse insuperabiles, resque, quò plus in eas operæ ponitur, hoc ipso in deterius ire, ad maiorem rerum perturbationem vitandam, omnem secus admissorum cognitionem ad curam suam reuocare: mandare tamen Principibus, & Ordinibus Imperij, vt in posterum seruentur diligentiùs.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Vbi primùm decretum hoc *Cæsaris* publicum aspexit, cum Pontificis diplomate quàq; sui parte arietare putabatur. Hic enim Conciliorum dirigendorum potestatem sibi arrogat: ille vt debito ordine ac iuridicè omnia fiant, sibi curæ esse vult. Hic in Synodo amat præsidere: ille iuxta Scripturam & Patres sententiam ferri. hic bene cœpta postulat continuari: ille quod sententia cuique dictat, liberè proponi. In summa, Curia Romana, quæ tantam ignominiam ægrè potuit concoquere, queritur ab *Cæsare* nouam Concilij conuocationem institui; dum Pontifex suo more facetus, fatetur Imperatorem talionis vicem ei reddidisse, propter Bullam indictionis ipso inconsulto euulgatam.

Bulla Pontificis & Decretum Cæsaris confligunt, & colliduntur.

Ineunte anno M.D.LI. Pontifex animo totus in Concilium iam indictum defixus, duo potissimùm spectabat, quos viros sibi fidos ad præsidendum mitteret; & quomodo sumptibus, quàm maxime posset, parceret. Ad sumptus vitandos optimum videbatur vnicum tantùm Legatum adhibere: sed hic rursum metus erat, vt tanto oneri ferendo parem non temerè reperturus esset. Non enim quemquam iuxta se esse pari secum studio, cui penitus posset confidere. tum quæ gerenda essent omnia, illi, tanquam auspici, auctorique vnico tributum iri. Has ob caussas necessariò requiri, vt ea Prouincia inter plures diuidatur. Hic Papa via media incedere instituit, misso Legato cum duobus Nuncijs, sed auctoritate pari: ad ministeria obeunda hoc attentiores fore existimans, quo in præmiorum, ac promotionis spe acriores sunt stimuli ad operam sedulò nauandam. Tum oculis in vniuersum Purpuratorum Senatum coniectis, nemo vnus inuentus fidus magis, atque vnà eximijs dotibus instructus, quàm *Marcellus Crescentius Sancti Marcelli Cardinalis*, cui optiones dati *Sebastianus Pighinus Archiepiscopus Sipontinus*, & *Aloisius Lipomanus Episcopus Veronensis*, Nuncij. In illo elegit arctam amicitiam, quæ sibi cum eo ante Pontificatum intercesserat, summamque fiduciam: in hoc insignem pietatis, probitatis ac fidelitatis opinionem. Cum tribus his multis arcanis consilijs communicatis, reuelatoque cordis penetrali, vt ad plenum edocerentur, mandato eos itidem copioso muniuit, quo, nomine suo Concilio interesse iubebantur, in hanc fere sententiam.

Pontifex post anxiam de idoneis Concilij Præsidibus cogitationem, Legatum vnum, & duos Nuncios mittere constituit.

Quandoquidem boni Patrisfamilias sit vicariam aliorum operam surrogare, vbi ipse commodè interesse non potest, Se, qui Concilium generale à *Paulo* indictum olim, *Tridentum* nunc conuocauerit, bona spe fretus Reges & Principes fauorem ei suum operamque commodaturos, Præsules huic actioni interuenire solitos ad Calendas Maias citasse, ad Concilium in eo, in quo nunc reperitur statu resumendum: sed cum ipse propter affectam ætatem, aliaque impedimenta pro voto coram adesse nequeat, ne per absentiam suam bonum publicum detrimentum patiatur, *Marcellum* Cardinalem, virum pium, prudentem rerumque intelligentem Legatum suum, *Sipontinum* verò, ac *Veronensem* scientia, rerumque agendarũ experientia præcellentes, cum

Mandati Pontificii in Præsidibus Concilii constituendis forma.

speciali

Iulius 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

ſpeciali mandato & idoneis clauſulis Nuncios conſtituere. Hos tamquam Angelos pacis mandare, poteſtate ipſis demandata Concilium reſumendi, gubernandi & proſequendi, aliaque omnia neceſſaria ac opportuna faciendi, iuxta tenorem literarum ab ſe & deceſſore ſuo ſuper conuocatione Synodi editarum. *Cæſar* etiam, quem hoc Concilij negotium diſtinebat, ad abſolutum *Germaniæ* dominatum adipiſcendum id vnicum eſſe medium ratus, ad omnes Proteſtantes, qui inter Ordines Imperij erant, tam pro ipſis, quam pro Legatis ipſorum, & Theologis ad Synodum ituris, *Saluum Conductum* forma vberiori conſcriptum miſit.

Iulius Pontifex Octauio Farneſio Parmam ex condicto reſtituit.

Verùm dum *Romæ* atque *Auguſtæ* fundamenta hæc iaciuntur ad Concilij Tridentini ſtructuram, non defuere, qui telas alibi ordirentur, quæ contextæ dignitatem auctoritatemque illius Synodi plurimùm offuſcarent; fabricatæque machinæ, quæ eandem & conquaſſarunt, & labefactarunt. *Iulius* enim Pontificatus ſui initio, vt promiſſa in Conclaui facta repræſentaret, *Octauio Farneſio Parmam* reſtituit, (in quam *Paulus* 3. Eccleſiæ nomine manum iniecerat) eique bis mille aureos menſtruos ad vrbis tutelam aſſignauit. *Octauius* enim propter inimicitias, quæ erant illi cum *Fernando Gonzaga Cæſaris* per *Inſubriam* præfecto, & ex multis indicijs colligens, *Cæſari* eſſe animum *Parmam* armato milite occupandi, detracto nuper ab Pontifice, quod ad alendum militem antea aſſignauerat menſtruo bis mille aureorum ſtipendio, veritus, vt ſuis ipſe viribus vrbem tueri poſſet, per Cardinalem fratrem ſuum, Pontificem de auxilio interpellauit, aut certè, vt cum bona ſua venia alterius Principis opem imploraret, qui ſatis validus eſſet ei contra *Cæſarem* propugnando. Cum vero Pontifex, re non ſatis meditata iuſſiſſet, vt ageret quod è re ſua videretur, *Octauius* interuentu fratris *Horatij*, qui Regis Galliarum erat gener, in *Henrici* fidem & clientelam ſeſe dedidit, & vrbi Gallicum præſidium impoſuit. Eam rem *Cæſar Octauij* ſocer, adeo moleſtè tulit, vt Pontifici perſuaſerit, id valde ſpectare ad dignitatem ipſius imminuendam, cui tam in vrbem, quàm in ipſum Ducem ſummum deberetur imperium. Itaque rigido Edicto contra *Octauium* promulgato edicit ei Papa, vt *Romæ* ſe ſiſtat, & niſi compareat, perduellem, læſæque Maieſtatis reum denunciat: tum *Cæſaris* fidem opemque in eo plectendo implorat. Ille verò & cauſſam Pontificis probat, & ad eam armis defendendam ſe paratum oſtendit. Hinc belli manifeſti inter *Cæſarem* & *Galliarum* Regem fit initium, ac ſimul grauiſſimarum inter eundem Regem & Pontificem ſimultatum. In *Saxonia* item ſuper *Albim*, inter *Saxones* & *Marchionem Brandeburgicum* cœptum eſt agi de fœdere contra *Cæſarem*, ad eum ab occupando *Germaniæ* vniuerſæ dominatu prohibendum, ſicuti ſuo loco dicetur. Quæ quidem belli ſemina, aliaq; Aprilis initio in *Italia* expullulantia Pontificem remorari non potuere, quin Legatum Nuncioſq; *Tridentum* amandaret, dieque præſtituta, Kalendis ſcilicet Maij, Concilium cum ijs ſolis qui aderant, aperiendum ediceret, etiamſi nullum idoneum numerum reperirent; exemplum Nunciorum *Martini* V. imitati, qui ſoli nullo alio Præſule præſente Papienſe Concilium aperuerunt.

Quã ille Gallorũ præſidio firmatam, ſeq; Regi Galliarũ in fidẽ tradit.

Vnde Pontificis abalienatio, & belli ſemina inter Cæſarem & Henricum.

Quibus ab Germania quoque fomenta.

(***)

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER QVARTVS.



CVm Legati & Nuncij Præsulibus aliquot comitati, qui abeuntes *Roma* prosequuti erant, *Tridentum* peruenissent, ac deinceps alij nonnulli Antistites, Pontificis rogatu eòdem subsequuti; Calendis Maij in Ecclesiæ Cathedralis locum consuetum, necdum deformatum coëuntes, solitas peragunt ceremonias, rem diuinam procurante *Archiepiscopo Turritano*, diploma verò Conuocationis, & Pontificis Mandatum ad Concilij Præsides legente Secretario. Missam autem qui peregerat, idem Decretum interrogationis formulâ proponit in hunc modum. *Placetne vobis Patres iuxta tenorem literarum Pontificiarum Tridentinum Concilium resumi debere, & ad vlteriora esse procedendum?* Cumque omnes assensissent, percunctatur denuò. *Placetne vobis proximam Sessionem habendam esse in futuris Calendis Septembris?* Et cum respondissent cuncti, *Placet* Cardinalis primus Præses, de totius Synodi assensu & verbis significauit cœptam esse Synodum, eamque deinceps prosequendam. Neque aliud pene eo die aut sequentibus factum. Nam etsi Antistites in ædes Legati sæpiusculè conuenerant, debita tamen Congregationibus forma deerat, per absentiam Theologorum. Ea modò recitantur quæ *Bononiæ* discussa fuere, ad maturandam de ijs, quæ post tractanda, deliberationem: præsertim in materia reformationis, quæ maximum putabatur habere momentum.

Præsides Concilij Tridentum veniunt, & Concilium restaurant: eaque fini celebratur

SESSIO XI.

Dies proxima Sessioni dicitur.

Sub finem mensis Pontifex ad Heluetios mittit *Hieronymum Franchum*, non multò ante Papæ *Pauli* ad eosdem Nuncium, tum ad impediendum ne Galliarum Rex ex ipsorum militibus conscriberet exercitum, tum ad milites ex ipsis ad bellum Parmense conducendos. qua occasione amanter ad eos scripsit Maij XXVII. se, sicut Iulij II. qui magna charitate sit ipsos complexus, nomen sibi sumpserit; ita etiam in ipsis diligendis, operaque eorum vtenda, idem exemplum sibi ad imitandum proposuisse; idque Pontificatus sui initio testatum fecisse, satellitio ex ea gente ad sui corporis custodiam delecto, cum in vrbe, tum *Bononiæ*. Nunc autem cum ad Calendas Maij indictum sit Concilium, & *Tridenti* inchoatum, orare, vt qui sunt per ipsorum fines atque ditionem proceres Ecclesiastici, Calendis Septembris, quo die alter ibi consessus est habendus, adesse non recusent.

Pontificis ad Heluetios legatio.

Galliæ interim Rex per Oratorem suum *Paulum Thermum* Pontifici persuadere cona-

Gallus per Oratorem, susceptum à se Octauij Parmæque patrocinium excusat apud Pontificem.

Julius 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

conatur, sibi graues ac iustas non defuisse causas, cur Parmæ defensionem cum *Octauio* in fidem suam susciperet. Rogare itaque, vt in bonam partem id interpretetur; nisi faciat, & paci bellum præferat, non modò futurum id maximo totius *Italiæ* detrimento, sed occasionem daturum, vt aut Concilium non coeat, aut si coierit, vt mox dissipetur: certe vt Concilium Generale merito dici non debeat, quòd eo rerum statu nemini Episcoporum sui regni eò sit proficiscendum. Papa quidem se promptum offert, ad ea omnia, quæ Rex cuperet, hoc vno dempto, præstanda. Orator vicissim Pontifici ostendit, rem Regi non esse integram, neque posse eum vllo aspectu causam susceptam deserere. Quod si Pontifex nolit vtriusque partis expertem se præbere, sed à *Cæsaris* potius arbitrio pendere malit, cuius se libidini mancipauerit; tum Regi suo necessariò ad ea iuris factique remedia confugiendum, quibus maiores sui contra Pontifices partibus addictos in consimili causa vti consueuerint. Quibus verbis Papa siue re vera irritatus, siue iracundiam simulans, respondit, se, modo Rex illi *Parmam* auferre velit, ipsi *Galliam* erepturum. aut si Rex, *Galliæ* obsequium ipsi adimere conetur, se Orbis totius Christiani commercio illum interdicturum. si Rex armis rem tentet, se pro virili repugnaturum: sin edictis, interdictis, alijsque similibus agat, se in calamo, carta, atramentoque exercendis nihilo segniorem futurum. Sed quamuis ille virium sic confidentiam crepabat, non erat tamen liber à metu. Per Episcopum enim *Imolensem* Nuncium suum, qui in *Sipontini* locum successerat, ea omnia significanda *Cæsari* curauit, quæ in sermone cum Oratore Gallo dicta fuerant: hoc insuper adiecto, Romanos, propter crebros de Turcarum & Gallorum aduentu rumores, ab altero excidio vrbis malè sibi metuere; Ecclesiasticos etiam in Conciliorum Prouincialium aliquo metu esse. Quare, tam præuortendis hostium molitionibus, quàm in tutelam sui, si qua premat necessitas, exercitum necessariò comparandum.

Minacibus vtrimque verbis agitur.

Ab Gallo Pōtificis & Ecclesiasticorum metus.

Rex Pontificis à causa sua alienatione animaduersa, publico scripto omnibus ditionis suæ Episcopis, tam extra, quàm intra *Galliæ* regnum edicit, vt intra sex menses ad Ecclesiam quisque suam reuertatur, atque ad Concilium Nationale se comparet. quod scriptum cùm nonnullis, qui forte tum *Romæ* commorabantur, esset traditum, non est ausus Pontifex profectionem eorum remorari, ne cùm damno ipsos afficeret, tum suam ipsius existimationem impensius læderet. sed visum potius ad eum Regem *Ascanium Cornæum* Nepotem suum amandare, vt omnes ingenij machinas admoueret, ad illum a *Parmæ* protectione alienandum. Singillatim verò exponeret, quandoquidem *Octauius Farnesius* esset sibi feudatarius, ab eo contemni, esse iniuriam intolerabilem; facti vero infamiam nunquam intermorituram, pessimo ad omnem posteritatem in authoritate Pontificia flocci facienda exemplo. Maximam esse suam in regnum *Galliæ*, & Regiam Maiestatem propensionem, atque ab vtriusque æmulis animo esse alienissimum; idque omnibus esse compertum. Valere tamen apud se tantùm rationem iam dictam, vt, nisi Rex idoneis remedijs prospiciat, ad eius opem decurrendum habeat, cui non supplicaturus sit, nisi ingratijs. Quod si in animum minime inducat, hoc saltem cum animo meditetur, quot quantaque incommoda secum apportet Nationale Concilium, quod & subditis ipsius eam ad licentiam fenestram erit patefacturum, cuius postmodum ille esset pœniturus; & Concilio Generali præpedito, offensionem nomini Diuino, qua nulla maior, detrimemtum verò fidei atque Ecclesiæ, quo nullum damnosius, daturum. Hortari igitur, Oratorem *Tridentum* mittat, quem à Præsidibus & Præsulibus erga se bene affectis, comiter & honorificè excipiendum nihil addubitet. Sin id non concedat, sed in edicto suo promulgando persistat, ne alijs offendiculo sit, moderationem adhibeat, facta declaratione, nihil minus sibi propositum, quàm Edicti eius publicatione impedimentum adferre Concilio Generali.

Gallus Nationale Cōcilium indicens Pontifici metum addit.

Inde per Nepotem Legatio ad Gallum.

Legatione hac audita Rex ostendit, ad honorem quoque suum nihilo minus pertinere, vt in *Octauio* protegendo, & in Edicto suo tuendo constanter perseueret, idque ijs verbis, quæ ex offensionibus doloris simul sensum, & medendi animum arguerent. Vt tamen officio erga Papam nulla parte deesset, misit ad eum *Ioannem Monlu-*

Rex vtcumque propositi tenax Monlucium tamen demitigando Pontifici Romam mittit.

Monlucium designatum Episcopum *Burdegalensem*, aliqua adhuc spe, posse animum eius commitigari. At Pontifex cætera satis æquus, de cœpta in rebus *Parmæ* obstinatione nihil putat remittendum; quin per eundem Oratorem iubet significari, sibi iustam esse causam de Rege querimoniam instituendi, qui etiam *Romam* vsque miserit suum de Concilio Nationali Edictum, literisque eò solicitarit Antistites in temporalibus sibi subiectos (*Episcopum* innuebat *Auenionensem*) quod omnes non alia fini factum interpretentur, nisi ad Generalis Concilij progressum interpellandum. Hoc saltem Regem oratum velle, quando vtrique certum sit in sententia permanere, sibi in *Octauio* castigando, Regi in protegendo, ne extra hoc *Parmæ* negotium ipsorum controuersiæ egrediantur. qua parte licet hactenus ab eo peccatum sit, euocatis *Româ* in *Galliam* Cardinalibus & Præsulibus, sibi tamen non visum abeuntes remorari, quippe, qui non desperet Regem iracundiæ primo impetu deferuescente, à Deo illuminatum, ad saniora consilia rediturum. Sed neque hac officiorum vicissitudine, neque Concilij contemplatione, ab alterutro horum Principum quicquam de solita peruicacia atque rigore remissum est. Maior pars hominum Regis causæ fauebat impensius. Occupatâ enim à Cæsare iam *Placentiâ*, si *Parma* illi quoque permitteretur, facile perspiciebant rerum *Italiæ* arbitrium ipsi relictum. Deinde pro indigno habitum, posteros *Pauli*, qui pro libertate *Italiæ* adeo desudauerat, tam repente omnibus præsidijs destitutos. Ad hæc, si Pontifex non iniquè ferebat *Placentiam* detineri, saltem restitutionem eius Ecclesiæ non solicitabat; quorsum indignetur *Ducem Octauium* id operam dare, vt *Parmam* sibi habeat tutam? Atque hæc considerati apud nonnullos tanti erat, vt nihil dubitarent eam *Iulio* satis meditatam; sed illum belli caussas inter *Cæsarem* & *Galliæ Regem* fouere de industria, vt sic Concilio remora aliqua objiciatur, quæ aliunde proueniens sibi non tribuatur. Id quidem constat, à Pontifice & crebriùs & efficaciùs actum cum *Cæsare* de *Parma* & *Mirandula* armorum vi tentandis, quàm cum Rege de rebus pacificandis. Cùm autem nullis se Pontifex demulceri pateretur officijs, ad extrema Rex decurrens remedia, per Oratorem suum *Thermum* contra Concilium, quod ille conuocabat, protestatur, vt hoc aspectu ab incepto dimoueri possit: cuius protestationis, pòst *Tridentino* in Conuentu Patrum etiam iteratæ, capita infra subijcientur.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

Per eundem Iulius Regi respondet.

Hominum iudicia in Galliæ Regem fauorabiliora.

Pontifici gratum Concilio remoras obijci.

At in *Germania* omnia Concilium altiùs, quàm vnquam personabant. *Mauritius* enim *Saxoniæ* Dux, quid animi *Cæsar* haberet, intellecto, simul manifestis indicijs testatum cupiens, sibi decretum, sequi *Cæsaris* voluntatem mittendis *Tridentum* Theologis; *Philippo Melancthoni* alijsque è suis mandat, doctrinæ capita in Concilio publicè post exhibenda conscribere, omnes Doctores Theologiæ, & Ecclesiæ ministros intra ditionem suam, ad ea examinanda *Lipsiæ* congregare. *Christophorus* quoque *Dux Wirtembergicus*, qui paulo ante patri successerat, alium eiusdem generis libellum, à suis curat conficiendum. Vtriusque scripti eadem erat sententia, etiam vtriusque partis Theologis hinc inde probata: placuit tamen separatim ea exhiberi, ne *Cæsar* societatis iterum initæ conciperet suspicionem. Post aliquot dies *Mauricius* datis ad *Cæsarem* literis nunciat, paratos esse cum scriptis Theologos, sed fidem, quam ipse dederit, non videri idoneam. Concilio quippe *Constantiensi* decretum, inquirendum in eos, qui ad Concilium vocati venissent, etiamsi *Cæsar* ipsis idoneè cauisset: atque id decretum vstulato *Ioanne Husso* comprobatum, qui *Sigismundi Cæsaris* fidem secutus eò venerat. Itaque non posse se quenquam è suis mittere *Tridentum*, nisi Concilij Patres fidem quoque suam interponant: sicut in Concilio *Basileensi* factum sit, ad quod *Bohemi*, *Constantiensis* exemplo commonefacti, ire recusarunt, nisi totius Concilij fide publica prius accepta. Petere igitur, ipse vt efficiat à Patribus *Tridentinis* eadem forma sibi caueri, qua *Bohemis* olim *Basileæ*; quando eadem ipsi nunc sint, qua quondam *Bohemi*, conditione. *Cæsar* rem omnem in se recipit, Oratoribusq; suis ad Synodum sub idem tempus missis mandat, vti rem ad Patres delatam perficiant.

Mauritius Saxo, & Wirtembergicus confessionem doctrinæ suæ conscribi iubent, in Concilio Tridentino deinde exhibendam.

Iidem à Synodo æquè ac ab Cæsare caueri sibi petunt.

Eam prouinciam Oratoribus suis ad Synodum missis Cæsar commendat.

Eò autem miserat tres Oratores, siue ad Concilium eorum præsentia cohonestandum, siue ad res plurium ministrorum ope meliùs ac faciliùs peragendas; vnum, qui Imperij negotijs, alium, qui Hispaniæ, & tertium, qui aliarum ditionum rebus incum-

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

incumberet : omnes verò in solidum omnia Domini sui commoda procurarent. Mandati porro die VI. Iulij dati hæc summa. Cùm *Papa Iulius* sopiendis de religione in *Germania* controuersijs, ad Calendas Maij reuocauerit *Tridentum* Concilium à *Paulo* III. conuocatum, inchoatum & intermissum; cumque ipse valetudine impeditus coràm adesse non queat, ne muneri suo desit, Procuratores eo mandasse. fide itaque, probitate, experientia, & zelo *Hugonis Comitis Monforti*, *Francisci Toletani*, & *Gulielmi Pictauij* Archidiaconi *Campaniæ* fretum, hos Oratores & Mandatarios suos constituere, tam dignitatis Imperialis, quàm regnorum ac ditionum hæreditariarum nomine; his, horumque singulis concessa facultate Concilium adeundi, locum ipsius supplendi, consultandi, tractandi, suadendi, & suffragium ferendi, imo suo nomine decernendi, & quiduis faciendi, quod ipse, si adesset, præstare potuisset; ipsis in suum locum substitutis, factaque promissione, se, quod à tribus his, eorumue vno aliquo gestum actumque fuerit, ratum habiturum.

Oratorum Mandatum.

Et quidem certe, vtcumque Pontifex de Concilio aperiendo valde laborare videbatur, vbi tamen semel ei datum est principium, pensi non habuit, vt Antistites eò festinarent, siue quòd magis attentus esset ad bellum, quod ad *Mirandulam* iam feruescebat; siue quòd eâ curâ non valde distinebatur : *Cæsaris* certè ea potissimùm cura fuit, qui primò *Moguntinum*, & *Treuirensem* Electores, dein *Coloniensem* cum quinque alijs maximæ celebritatis Episcopis, ac denique multorum absentium Procuratores, literis & crebris hortatibus impulit, vt eo proficiscerentur. Nonnullos etiam Præsules ex *Hispania* euocauit, præter eos, qui *Tridenti*, & per *Italiam* versabantur. nam ex *Italia* ipsa pauci aduenerant, nisi qui è ditionibus *Cæsaris* : adeo vt octo mensium spatio, quibus Synodus hoc Pontifice habita, Præsidibus etiam & Principibus computatis, Præsulum numerus LXIV. non excesserit.

Iulius bello Mirandulano, quàm Cõcilio promouendo attentior.

Contra Cæsar literis & nuntijs Præsules solicitat, vt adesse velint.

Vbi Calendis Septembris venit dies Consessui dictus, ad ædem oppidi primariam more solito hoc ordine itum est. Primum locum tenebat *Cardinalis Legatus*, secundum Cardinalis *Madrucius*. hos sequebantur duo Nuncij, tum Electores duo, (nam *Coloniensis* nondum venerat) ac post hos duo ex Oratoribus Cæsareis, absente Archidiacono qui tertius : Tum Orator Regis Romanorum, & post hunc suo ordine Archiepiscopi. Peracta Missa, reliquisque ceremonijs Ecclesiasticis confectis, Secretarius Concilij legit exhortationem Patribus Præsidum nomine factam, in hanc fere sententiam.

Sessio XII. Ordo Consessus.

Quandoquidem ex præsentia duorum Principum Electorum bene sperent, complures Episcopos ex eadem natione, aut alijs, Concilio adfuturos, non alienum interim existimare ab eo, quem teneant loco, paucis cùm seipsos, tùm illos officij commonefacere, vtcumque sponte sua ad officium boni pastoris præstandum satis procliues. Id rerum tractandarum momentum suo iure flagitare, hæreseon videlicet extirpationem, disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem, (ex cuius corruptela prognatæ hæreses) & discordiarum inter Principes conciliationem. Principium Exhortationis non aliunde melius peti, quam à conscientia propriæ imbecillitatis, quæ ad Diuinum subsidium cogit confugere. Id implorantibus nunquam defuturum, sed eiusdem clara nunc apparere indicia, in hoc præsertim duorum Principum aduentu. Authoritatem Conciliorum Generalium merito suo semper habitam maximi, in quibus Spiritus ipse Sanctus præsideat : eorumque Decreta non humana, sed Diuina ducenda. Eius rei exempla ab Apostolis & primœuæ Ecclesiæ Patribus relicta, à quibus Conciliorum interuentu hæretici damnati, Sacerdotum populique vita ac mores emendati; & Ecclesiæ contentionibus diuulsæ pax & quies restituta. Cum itaque eas ipsas ob causas in præsens conuenerint, cuique expergiscendum, tum ad oues, quæ gregem Domini deseruerunt, ad ouile reducendas, tum ad eas quæ nondum deerrarunt, vigili cura custodiendas : atque hoc magis, quòd hac solicitudine, non de illarum modò salute, sed de propria agitur : singulis ad reddendam Maiestati Diuinæ villicationis rationem muneris suscepti nexu adstrictis; proque opera sedulò nauata mercedem expectaturis. Ad hæc, tam piam actionem Patribus Concilij in immortale nominis decus ad omnem posteritatem cessuram : quamuis non hic oculos aut mentem habere conueniat, sed suum cuiusque debitum spectare, & charitatem erga Ecclesiam, quæ afflicta, lacera, &

Exhortatio ad Patres Concilij Præsidum nomine facta, de scripto recitatur.

ra, & tot cariſſimis pignoribus orbata, ad Deum, & ad ipſos manus tendit opem eorum eiſdem recuperandis implorans. Quamobrem poſito contradicendi ſtudio, comiter ac modeſtè prout tam celebri corona dignum eſt, omnia in Concilio tractanda, cum perfecta caritate, & animorum conſpiratione, cunctis Deum actionum ſuarum & ſpectatorem & iudicem cogitantibus. *Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.*

Exhortatione perlecta, ab Epiſcopo Miſſæ celebratore recitatur Decretum in hæc fere verba. *Sacroſanctam Synodum, quæ in proximè præterita ſeſsione, ſequentem hanc hodie habendam & ad vlteriora procedendum eſſe decreuerat, cum ob Germanicæ nationis abſentiam, ac non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere hactenus diſtulerit, de duorum Principum Electorum aduentu exultantem, & firmam ſpem concipientem quamplurimos alios, tam ipſius Germanicæ, quam aliarum nationum Prælatos hoc exemplo commotos propediem eſſe venturos, Seſsionem futuram ad quadrageſimum diem, qui erit vndecimus menſis Octobris ſequentis, indicere; Concilium ipſum in ſtatu in quo reperitur, proſequendo. Cumque de ſeptem Sacramentis in genere tractatum ſit, & in ſpecie de Baptiſmate, & Confirmatione, iam decernere de Euchariſtiæ Sacramento proximo loco agendum. necnon, quod ad reformationis rem attinet, de reliquis quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum reſidentiam pertinent.* Decretum Prorogationis Seſſionis.

Lectum deinde ab eodem Secretario Mandatum *Cæſaris* procuratorium: ſimulque commemorat *Comes Monfortius Cæſareus legatus*, quemadmodum Imperator poſt impetratam à Pontifice Concilij reductionem *Tridentum*, non deſierit omnem mouere lapidem ad Præſules ſibi ſubiectos eò transferendos. Id ſatis eſſe teſtatum Electorum Sacri Imperij Principum præſentia, & frequentia Patrum: ſed hos ipſos qui miſſi ſunt Oratores, luculentiſſimo eſſe eius rei teſtimonio, *Franciſcum Toletanum* ex Hiſpania, alium è prouincijs ſibi hæreditarijs, ſeque ipſum è Germania, quem licet tanto oneri imparem, vt benigne accipiatur, orare. Cui *Ioannes Baptiſta Caſtellus* promotor, Concilij verbis reſpondet, ſe magnam voluptatem ex *Cæſaris* mandato percepiſſe, ex quo, ſimul, ex Procuratorum, quos mandarit, dignitate facile perſpiciant, quantum & ab eo ſibi debeant promittere, & ſperare ab ipſis ſubſidij: ea propter mandatum *Cæſareum* lubenter admittere. Lectum pariter Regis Romanorum mandatum procuratorium *Paulo Gregoriano Epiſcopo Zagabriæ, & Friderico Nauſeæ Epiſcopo Viennæ* datum, quorum poſteriore verba faciente, ad eundem modum ijs, ſicut *Cæſareis* Oratoribus reſponſum eſt. Formula Mandati ab Cæſare III. legatis exhibiti legitur. Item Ferdinandi Regis II. Legatis.

Ex eo comparet *Iacobus Amiotus* Abbas *Belloſanus* Regis Galliæ orator, & redditis Pontificis Legato literis, eas legi petijt, & mandata ab Rege ſuo fiduciaria exaudiri. Vbi traditæ Secretario legendæ, inſcriptio ſic habuit, *Sanctiſsimis in Chriſto Patribus Conuentus Tridentini.* Quâ lectâ, Epiſcopus *Arauſienſis*, & alij aliquot Hiſpani alta voce profitentur, literas illas neutiquam ad ſe miſſas, qui Concilium Generale & legitimum, non autem Conuentum conſtituerent; eóque in publico conſeſſu neque legendas, neque aperiendas: ſin vero Nuntius mandatum aliquod haberet, domuitionem capeſſeret. De ſignificato verbi *Conuentus* multa fuit altercatio, Hiſpanis in contumeliam Patrum id verbi vſque eò rapientibus, vt Elector *Moguntinus* cogeretur ab ijs ſciſcitari, quando Regis Galliarum literas reijcerent, quibus indigitantur *Sanctiſsimus Conuentus*, qua fronte accepturi eſſent Proteſtantes, nuncupantes eos *Conuentum Malignantium?* Sed Hiſpanis tumultuoſe clamorem continuantibus, Legatus cum Nuntijs & *Cæſaris* oratoribus in adytum, ſiue ſacrarium templi ſecedentes, de ea re diu diſceptarunt. In eundem tandem locum reuertentes per Promotorem ſignificant, Synodo placere, Regis literas abſque præiudicio legi, quod *Conuentus* nomen in bonam partem accipi putent: alioqui literas pro non ſcriptis habere. Literæ ergo XIII. Auguſti datæ palam recitantur in hæc verba. Videri conſentaneum priſtinæ maiorum ſuorum erga Eccleſiam obſeruantiæ, cauſas promere, propter quas, integrum ſibi non ſit, Epiſcopum aliquem ſuæ ditionis mittere *Tridentum*, ad Conuentum à *Iulio* publici Concilij nomine conuocatum: qui certò ſciat à Patrum mente alieniſſimum, ipſum inauditum damnare, quem haud dubie commendaturi ſint, vbi, quæ ab eo facta, intellexerint. Dignitatis ſuæ tuendæ cauſa coactum perſiſtere in ſuſcepto Ducis *Parmæ* patrocinio: ab ea tamen deliberatione diſcedere paratum, Galliæ Regis Orator in Synoda Regis ſui literas exhibet ad Conuentum Tridentinū. Eam Inſcriptionem in cōtumeliam Patrum Hiſpani accipiunt. Regis tamen literas legi placet.

tum,

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

tum, vbi iustum æquumque aliud suadebit. itaque ad ipsos tanquam arbitros honorarios prouocare, orareque, vt ipsius literas non respiciant, tanquam hominis vel inimici, vel ignoti, sed tanquam hæreditario iure maiorum, natu maximi Ecclesiæ filij, qui decreuerit Patrum vestigijs insistere, & dum iniuriarum vindicis personam induit, charitatem in Ecclesiam non exuere, sed his omnino stare, quæ ipsi præscribent, debitâ in Decretis conficiendis formâ seruatâ. Lectis literis Abbas de scripto recitat attestationem, qua commemorat, quid per *Thermum*, Oratorem suum in Cardinaliũ Senatu, *Romæ* protestatus sit, Nimirum, Regem, post susceptum *Parmæ* patrocinium, animaduertentem, quæ laudabiliter ab se gesta essent, in maleuolorum reprehensionem incurrere, nihil pensius habuisse, quàm vt *Paulus Thermus* Orator suus cum Pontifice & Cardinalium Senatu agens, omnem ipsis sinistri suspicionem demeret, atque ostenderet, tutelam Ducis à se susceptam, opus esse animo pio, humano & Regio dignum; in quo nihil simulatum aut fictum, nullum commodum priuatum, sed Ecclesiæ modo bonum quæritur: quod ex ipsis pacificationis propositionibus manifestum euadat, hoc vnum spectantibus, ne ciuitas ea Ecclesiæ subripiatur, atque vt *Italia* pace ac libertate fruatur. Quod si inde Papa arripiat causam, Europam omnem bello funesto implicandi, id sibi esse per quidem molestum, sed minimè imputandum, qui omnes honestas & opportunas pacis conditiones non acceperit solùm, sed obtulerit: nihiloque magis illi ascribendam Concilij conuocati dissolutionem. Orare igitur Papam, vt mala quæ bellum comitantur, & præuideat, & pace facta præuortat. Sin nolit sanis consilijs animum aduortere, sed *Europæ* incendium, & Concilij turbamentum malit consectari, simulque excluso Rege Christianissimo alere suspicionem, Concilium non boni publici, sed priuatorum emolumentorum gratia congregatum: Tum Maiestati suæ apud Papam, & Collegium purpuratorum necessario protestandum, se neque posse Episcopos suos mittere *Tridentum*, in quem locum aditus non est liber & tutus; neque id Concilium Ecclesiæ pro Generali habere, sed vt priuatum potius, à quo ille excludatur; denique neque se, neque populum, neque Præsules *Galliæ* eius Decretis astringi. Quin etiam remedia ea adhibiturum, quibus maiores sui in consimili rerum statu vsi sunt; non vt obseruantiæ Sedi Apostolicæ debitæ quicquam detrahat, sed vt melioribus eam temporibus reseruet, quibus bellum contra se parum honestè sumptum, desiturum nihilo honestius speret. Atque hanc protestationem in tabulas redigi, & exemplar sibi vtendum dari, à Pontifice contendisse. Iam ea omnia, quæ per *Thermum Romæ* Rex protestatus sit, eadem pariter *Tridenti* Regem se interpellante non minus instanter protestari, atque vt in acta Synodi referantur, sibique publicum ea de re scriptum loco & tempore opportuno vtendum concedatur, rogare.

Regis deinde Protestatio legitur.

Protestatione perlecta, Promotor, Præside quid dicendum esset suggerente, respondit: Sacrosanctæ Synodo gratam esse Regis in scribendo modestiam. Eandem non admittere personam Abbatis, nisi in quantum sit legitima: eique denunciare, vt vndecimo Octobris eodem in loco responsum literis Regijs expectet. vetare interim ne Notarij actionis huius tabulas vllas conficiant, nisi conscio Concilij Secretario. Neque vero potuit Orator vllum actionis documentum impetrare. Atque hunc finem habuit hic Consessus.

Præses per promotorem diem præfigit Oratori, quo responsum expectandũ.

Quando *Thermus Romæ* protestatus est, vtcumque ea res ad paucorum notitiam id temporis peruenerit, creditum tamen ab ijs, quibus innotuit, Pontificem hac occasione dilaturum Concilium; quodquidem, si inuita aut refragante natione tam potenti celebraretur, nouas absque dubio scissuras erat pariturum. Verùm hic Pontifex fefellit hominum expectationem, non tam studio Concilij celebrandi, quam quia in eo dirimendo nihil de suo volebat interuenire: quippe certus, si aliunde quàm à se dissipationis Synodi causa proficisceretur, habiturum se, quod ore patulo respondeat, si quis denuo de Concilio interpellet, fecisse iam se, quod suarum erat partium: cætera *Hipoclidi* non esse curæ. At protestatione eadem *Tridenti* in tam celebri conuentu repetita, eiusque fama longe lateque manante, de ea multus erat hominum sermo, variaque iudicia. Vanitatis eam *Cæsarei* insimulabant, acta Concilij hoc ipso legitima reputantes, quod populi Christiani pars maior in ea consenserit,

De vtraque Regis attestatione hominum censuræ & iudicia.

Cæsarei Regis factum vanitatis coarguunt.

ferit, vtcumque minor pars eò vocata, ibi præsto esse noluerit, aut non potuerit. Omnibus Pontificis diplomate denuntiationem factam; etiam Gallis aditum satis liberum ad Synodum patuisse extra fines Pontificiæ ditionis: si interesse abnuant, eorum absentiam Concilio non derogare, qui non neglecti, sed inuitati. Alij contra dicebant, non inuitari eos, qui verbis tantùm accersantur, factis verò arceantur: tum iri quidem posse è *Gallia Tridentum* aliâ viâ, quàm per ditionem Pontificis; sed per Imperatoris tunc esse transeundum. Atque vt verum sit integram authoritatem esse penes maiorem partem, quando minor aut non potest comparere, quia tacendo consentire præsupponitur: aut non vult præsto esse, quia pro contumace habetur: certe vbi pars ea protestatur, locum sibi suum clare deposcere; & si per eundem, qui accersit, impedimentum objicitur, tum maxime actionem, quæ per absentiam partis geritur, esse inualidam.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Aliorum in contrarium opinio.

Senatus verò Parisiensis Centumuiralis insuper adijciebat, totius vniuersitatis authoritatem ad maiorem partem transferri, cum causa omnium est communis, & singulos non attingit: verùm quando tota causa ad omnes spectat, & sua singulis pars debetur, hoc casu vniuscuiusque assensum esse necessarium, & *probibentis conditionem potiorem*, atque absentes nisi suffragantes minime obligari. Ex hoc genere esse cœtus Ecclesiasticos, in quibus, quantumuis frequens sit Concilium, Ecclesias quæ non adsint, minimè ad eius decreta obligari, nisi ipsis recipiendum videatur. Id obtinuisse antiquitus, peractis vt Concilijs, Ecclesiæ quæ non intererant, vocarentur ad ea confirmanda, alioqui vires apud ipsas non habitura. Quod *Hilarium*, *Athanasium*, *Theodoretum*, & *Victorinum* consulentibus obuium sit, qui de hac re nominatim tractarunt. Accidisse verò interdum, vt in Ecclesia aliqua pars Canonum acciperetur, alijs relictis, prout necessitati, moribus, ac consuetudinibus suis quæque maximè opportunum iudicabat. Imo ipsum *D. Gregorium* attestari, Canones Concilij II. *Constantinopolitani*, & *Ephesini* primi ab Ecclesia Romana neutiquam admissos.

Senatus Parisiensis sententia, absentes nisi consentientes non obligari, modò ipsorū intersit.

At qui missis subtilitatibus actionem hanc prudenter considerabant, Regem dicebant hoc facto plagam insanabilem Concilio imposuisse, quod cùm alio non nitatur fundamento, nisi charitate Christiana, & Spiritus Sancti præsidio, credibile posteris non sit futurum, Regem Christianissimum, & sectariorum vindicem acerrimum, cum regno ab omni in religione labe puro, ea forma contra id protestatum. Illud enim quod Præsides, *Cæsaris* Oratores seuocarint à Patribus ad Consilium super ea re capiendum, experientia manifesta comprobare, cuius ductu res Synodi administratæ. Tum illud multo grauius, quòd habita inter solos quinque deliberatione, neque reliquis communicata, Promotor affirmarit, Sacrosanctam Synodum literas accipere. At Dij boni quàm sanctitate conspicuam? Pariter illud, quod lecta Abbatis protestatione eiusdem Synodi nomine responsum sit, Præsidibus solis deliberantibus. Neque tolli difficultatem, si dicatur, res ea non magni fuisse momenti. Primum enim, annon momentum habeat, vbi periculum sit de Ecclesia distrahenda in partes, ac diuellenda? Deinde, momentum habeat an non, ecquis sibi arbitrandi facultatem arrogabit, nisi maior aliquis & superior? Vnde liquidò apparet, eum esse rerum statum, quem Pontifex diplomate, & Legati Præsides in exhortatione lecta agnoscunt, à se dirigi scilicet Concilij actiones, quod re vera fiebat.

Et viri prudentes ab ipso modo procedendi in Concilio, rei male gestæ Synodū damnant.

At sermonibus hominum occasio renouata, vbi nunciatum, Regem *Galliæ* Pontificis Nunciū è regno dimisisse, scriptoque publico, typis, vt ad omnium manus perueniret, excuso, causam suscepti à se patrocinij Parmæ manifestasse, in *Iulium* culpam omnem, & belli tam alieno tempore cœpti, & fraudis ad Concilium interturbandum frausæ, conferentem. Neque enim iustum esse, aiebat, è suo regno pecuniam subministrari ad belligerandum contra se, è quo tamen magna vis auri vacantiarum, bullarum, gratiarum, dispensationum, & expeditionum nomine quotannis *Romam* transportetur. Itaque de consilio Procerum edixit, ne *Romam* equis dispositis eatur; ne qua pecunia, aut aurum, argentumue non signatum licitandis beneficijs, gratijs, & dispensationibus per nummularios *Romæ* repræsentetur, denunciata confisca-

Rex Galliæ edicit, ne pecunia è regno per nummularios, aut aliter deferatur.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

confiscationis pœna tam Ecclesiasticis quàm secularibus, his verò vt luant etiam corpore, & mulctæ tertia pars fraudis indici pendatur. Cui edicto sanciendo interpositum *Parlamenti Parisiensis* Decretum postulante Cognitore Regio, & dictitante rem non esse nouam, sed à *Carolo* VI. *Ludouicis* XI. & XII. antea factam, & legibus Regni consentaneam, vt ad hostes regni pecuniæ non deferantur, durumque nimis videri, vt *Galliæ* denarijs *Galliarum* Regi bellum inferatur: imo multo præstabilius Regni subditis, suos sibi nummos retinere, & dispensationes in minimis habere, quibus conscientijs hominum securitas & quies non paratur, tantùm glaucoma aut fucatus color oculis objicitur, qui veritatem apud Deum offuscare non potest.

Sedem Apostolicam non idē esse quod Pontificem, antiquitatis testimonio euincitur.

Sed *Romæ* & *Tridenti* ista Regis insolentia immanis & intoleranda videbatur, contra Papam protestari, eundem bello lacessere, & simul debitam Sedi Apostolicæ reuerentiam profiteri, quæ idem cum Pontifice sit. Verum Galli respondebant, antiquitatis longè aliam fuisse opinionem. Etiam *Victorem* III. vnum ex ijs Pontificibus qui sibi plus æquo arrogarunt, Sedem Apostolicam *Dominam* suam dixisse; quam vocem ante eum *Stephanus* IV. vsurpauerat. His autem antiquiores *Vitalianum* & *Constantinum* constat Sedis Apostolicæ nomine Ecclesiam Romanam subindicasse: alioqui errores omnes & defectus Pontificis Sedi Apostolicæ ascribendos.

Galliæ Rex, ne suum cum Pontifice dissidium Protestantibus animos addat, rigidum in eos quoque Edictum euulgat.

Atqui *Galliæ* Rex metuens ne mutationis in religione per *Galliam* cupidi, propter suum cum Pontifice dissidium rebus nouandis seditionique concitandæ hoc acrius incumberent; tum ne apud populum sinistra fama mutati erga religionem Catholicam animi laboraret; siue vt aditum ad conciliationem secum Pontifici aperiret, atrocissimum Edictum in Lutheranos euulgat, & superiorum annorum decreta confirmans, & grauiora supplicia violatoribus intentans; simul rationes plures sontibus detegendis, & præmia maiora denuntiantibus proponens.

Monet Cæsar Pontificem de augendo Cardinalium suæ factionis numero, ne à Gallis vincantur.

Cæsare interea apud animum suum recogitante Regem Gallorum propter numerum Cardinalium eius gentis, & aliorum ab eo regno pendentium, in Collegio purpuratorum nihilo se inferiorem; accedente vero ad eius partes Farnesiorum factione, longe esse superiorem, Papa licet adnitente sibi; mittitur ab eo *Romam* *Ioannes Manriques*, vt agat cum Pontifice de nouis Cardinalibus creandis; quò Gallos, si non superare, saltem numero æquare possint. Et quidem in eam partem vergebat Pontifex, sed videbat non deesse difficultates. Se in Pontificatu nouo & exhausto constitutum; tempora difficilia & turbulenta, quibus Cardinalium omnium consensum sperare vix audeat; neque nisi de eorum assensu vllos creare tutum credat. Ambigebat etiam, an expediret multos simul, an paucos diuersis temporibus creare. Posteriorem rationem si sequeretur, magis ad assentiendum procliues expectabat Cardinales, quòd amicorum fidissimis locus aliquis superesset ad bene sperandum: multis vero promouendis magis fore aduersos, & exclusos, de successu tum desperaturos. Neque consilium explicabat, an è Patribus Concilij aliquot essent dignitate ea iornandi. Multi enim ex eo cœtu erant de ipso optime meriti: sed cumprimis triū Electorum ratio videbatur habenda, & in his *Moguntini* potissimùm ad eam dignationem respicientis. Sed altera parte putabat non cariturum inuidia, si ad Concilium mitterentur pilei purpurati. Statuit ergo secum, diem aliquem non expectatum actioni huic deligere, nec eam ad vsque festum Natiuitatis differre, quo tempore omnes prodeunt candidati & prensatores, & fora sponsionibus solent esse referta: nullum tamen tempus ante Christi Natalem ijs creandis repperit opportunum.

Pontifex id facere certus, de personis, numero & tēpore consilii ambiguus.

In Congregatione generali Patrum designantur nonnulli articulis de Eucharistia colligendis.

Verùm vt res Tridentinas repetamus, die II. Septembris, qui proximus à Sessione fuit, habita Congregatio Generalis, in qua deputati Patres cōficiendis de Eucharistia articulis, quos Theologi erant discussuri; simul colligendis corruptelis in eam materiam importatis. Dein de reformatione habitus sermo, per quam cum remouendæ essent omnes causæ, quæ Episcoporum residentiam impediunt, pleræque in medium afferebantur partim *Tridenti* & *Bononiæ* antea propositæ, partim tunc primitus auditæ.

auditæ. Denique ad Iurisdictionem sermo deuenit, dictumque Episcopis eam omnino ademptam, siue aduocationibus causarum, siue appellationibus, siue denique exemptionibus: immo verò à subditis frequentiùs in & contra ipsos exerceri, vel specialibus *Româ* mandatis, vel virtute Conseruatoriarum, quàm ab ipsis in subditos. vnde delecti etiam Patres, qui super ea re conderent articulos. Legatus verò & Præsides secum expendentes Pontificis mandatum de fugiendis periculosis inter Theologos concertationibus; & arduis, ac inextricabilibus quæstionibus, & disputationibus, quibus animi exasperantur & confusio gignitur, proferunt articulos iam formatos, quorum examinatio inchoanda erat die Martis, altera à meridie hora: addito etiam ordine ac modo certis limitibus circumscripto, in congregationibus deinceps seruando, quo sobriè & sapere, & loqui imperatum. Articuli hi è Lutheranorum & Zuinglianorum doctrina petiti erant decem.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

X. Articuli excutiendi damnandique proponuntur.

I. In Eucharistiæ Sacramento non esse verè corpus, & sanguinem, & diuinitatem Christi, sed tantummodo vt in signo.

II. Christum in Eucharistia non exhiberi manducandum sacramentaliter, sed spiritualiter solùm & per fidem.

III. In Eucharistia esse quidem corpus & sanguinem Christi, sed vnà remanere substantiam panis & vini, neque vllam esse Transubstantiationem, sed vnionem hypostaticam humanitatis & substantiarum panis & vini; sic vt verè prædicari possit, hic panis est corpus Christi, & hoc vinum est sanguis Christi.

IV. Eucharistiam institutam ad solam peccatorum remissionem.

V. Christum in Eucharistia non adorandum, neque peculiari festiuitate venerandum, neque in processionibus circumgestandum, aut ad infirmos deferendum, & eius adoratores esse veros Idololatras.

VI. Eucharistiam in sacrario non asseruandam, sed statim à consecratione consummandam, & distribuendam astantibus; quique aliter faciat, abuti Sacramento, neque cuiquam licere celebranti seipsum communicare.

VII. In particulis consecratis, quæ post communionem supersint, verum corpus Domini non remanere, sed in ipso tantum vsu dum sumitur, non autem ante, vel post.

VIII. Esse de iure diuino, populo & pueris communionem sub vtraque specie præbere, & grauiter peccare, qui populo vnius tantum speciei necessitatem imponunt.

IX. Tantum non vna specie contineri, quantum duabus, neque tantundem accipere, qui vnà communicat, quam qui vtraque.

X. Solam fidem, esse sufficientem ad Eucharistiam sumendam præparationem: neque necessariam Confessionem Sacramentalem, sed eam liberam relinqui, doctis præsertim, neque fideles ad communicandam singulis annis in festo Paschatis teneri.

Articulis his appositum fuit præceptum hac forma. Theologis opiniones suas Sacræ Scripturæ verbis, Apostolorum traditionibus, probatorum Conciliorum decretis, ac Constitutionibus, & sanctorum Patrum authoritate firmandas; breuitatem adhibendam, superfluas & inutiles quæstiones fugiendas, à proteruia & contentionibus abstinendum. Ordinem porro in sententijs pronuntiandis hunc seruandum, vt primo loco dicant Theologi à Romano Pontifice missi, post hos, qui à Cæsare, dein Theologi seculares, vt quisque Doctoratus tempore præcedit, ac tandem regulares pro Ordinum suorum dignitate. Legatum vero Pontificium, & Præsides, vi authoritatis Apostolicæ ipsis demandatæ, cuique Theologorum sententiam dicturo, facere potestatem habendi & euoluendi libros prohibitos, veritatis indagandæ, falsarumque opinionum confutandarum causa. Atqui hic ordo in hunc modum præscriptus Italis Theologis non satis placebat, nouitatis eum arguentibus, & Theologiæ Scholasticæ damnatæ, quæ in omnibus difficultatibus rationum momenta, non authoritatum ponderare solebat. Cur enim sibi non licere in thematis discutiendis *D. Thomam*, *D. Bonauenturam*, & alios magni nominis authores sequi? Doctrinam alteram, quæ dicitur positiua, & versatur in colligendis Sacræ Scripturæ Patrumq; dictis, esse solam memoriæ laudem, aut scribendi laborem;

Theologis forma præscribitur & quæstionum tractãdarum, & sententias suas proferendi.

Quam Theologi Itali nouitatis arguũt, nec probant.

satis

Julius 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

ſatis quidem vetuſtam, ſed à Doctoribus, qui à CCCL. annis Eccleſiam propugnarunt, quòd eam minus ſufficientem & vtilem experientiâ comprobarint, plane deſitam. Imò hac via futurum, Lutheranis vt victoriam cedant vltrò. Vbi enim res erit memoriæ, aut variæ lectionis, illos propter exactam linguarum cognitionem, & operoſam in bonis auctoribus legendis induſtriam, palmam prærepturos ijs, quibus iſtiuſmodi minutijs vacare non licet, propter ſedulum Theologiæ ſtudium, quod ingenij acumen exercet, & homines rebus expendendis, non numerandis idoneos facit. Querebantur id eò fieri, vt ipſi coram Theologis *Germaniæ* loqui erubeſcant, propter frequentes cum Lutheranis concertationes in hac literarum palæſtra exercitatis, quibus *Italia* nondum aſſueuit; ſed vbi ad ipſos Theologiæ apices ventum erit, planè rudibus. eòque Præſides, quò magis eos demereantur, *Italiæ* Theologos in ruborem datos cupere. Hæc Itali quidem querebantur, ſed fruſtra, patribus fere omnibus cupientioribus ea, quæ intelligerent, audire, quàm ſpinoſas verbis abſtruſis quæſtiones, ſicuti in dogmate *Iuſtificationis*, & alijs antea exagitatis factum eſſet. Hoc certum, rerum tractationem hoc ordine acceleratam.

Theologorum de ſingulis articulis opiniones.

In diuerſis Congregationibus ſuper primo articulo in eandem ab omnibus itum eſt ſententiam, pro hæretico nunc cenſendum, ſicuti olim damnatus eſſet.

De II. tres erant opiniones. alij dicebant omittendum, quod communionem Sacramentalem hæreticorum nemo negaret: alij pro ſuſpecto habendum: alij denique verbis apertioribus concipiendum.

De III. communis opinio erat eſſe hæreticum, ſed parum eſſe tempeſtiuum eum damnare; immo ne mentionem eius facere. Opinionem enim eam, ante CCCC. annos à *Roberto Tiucienſi* primum excogitatam, fautorem deinceps nullum reperiſſe. itaque qui de ea verba facturus ſit, ſapientis conſilium negligere, qui monet, malum bene conditum non mouendum. Ad hæc, Concilium ad noſtri temporis hæreſes exſcindendas conuocatum, non ad veteres ſuſcitandas.

De IV. quoque articulo ſententijs variatum, alijs dicentibus, ſublato adiectiuo *Sola* Catholicum eſſe, affirmare Euchariſtiam dari in remiſſionem peccatorum, eamque vocem quando hæreticorum nullus apponat, articulum meritò omittendum: alijs contra aſſerentibus etiam ſublata dictione *ſola* poſitionem eſſe hæreticam, quòd Sacramentum Euchariſtiæ in remiſſionem peccatorum non fuerit inſtitutum.

De V. non modò vnum omnes ſentiebant, ſed verò ad perſuadendam Euchariſtiæ adorationem multæ amplificationes adhibitæ, varijque modi propoſiti dignitati eius exaggerandæ, prout vniuſcuiuſque deuotio ſuggerebat.

In VI. omnes aſſentiebant, niſi quà dicitur in fine, cuiquam non licere ſeipſum communicare. De eo enim alij dicebant, ſi de Laicis acciperetur, eſſe Catholicum: ideo diſertè exprimendum; damnari ſolùm, quoad Sacerdotes. Alij verò, ne de his quidem habendum pro hæretico, cum in VI. Concilio cap. CI. damnatus minimè fuerit. Alij etiam quoad Laicos caſum neceſſitatis excludi volebant.

Cum ad VII. ventum eſt, eius odio, omnes in Proteſtantes, tanquam opinionis execrabilis, & in Eccleſia ante inauditi authores, acerbiſſimè inuehuntur.

De VIII. ab omnibus copioſe, ſed ſumma animorum conſenſione dictum. Rationes autem quibus adducti articulum illum damnabant, hæ erant præcipuæ. quod Lucæ XXIV. Dominus noſter *Chriſtus* duobus diſcipulis ſolum panem benedixerit. quòd in oratione dominica ſolus panis quotidianus petatur. quòd in Actis Apoſtolorum cap. II. & XX. ſolius panis fiat mentio. & cap. XXVII. *D. Paulus* in naue ſolum panem benedixerit. Veterum quoque Eccleſiæ Doctorum & Patrum authoritatem citabant: ſed Concilio Conſtantienſi, & Eccleſiæ conſuetudine potiſſimùm nitebantur. Nec abſtinebant à diuerſis Veteris Teſtamenti figuris; in ſuum ſenſum multas quoque prophetias obtorto collo rapientes. De communione verò pueris impartienda, non negabant, ab hoc, aut illo id olim factitatum; ſed alijs omnibus per errorem factum agnoſcentibus.

Articuli

Articuli IX. partem priorem, tantum non contineri vna ſpecie, quantum duabus, *Germaniæ* Theologi hæreticam iudicabant, *Itali* diſtinguendam prius, quàm damnandam putabant. Nam ſi vis conſecrationis attendatur, liquere, ſpecie panis ſolum corpus, ſpecie vini ſolum ſanguinem contineri: ſed per conſequentiam, quam Theologi vocant *Concomitantiam*, ſub ſpecie panis etiam ſanguinem, animam & diuinitatem, ſub ſpecie vini etiam corpus & alia comprehendi. itaque partem illam verbis adeo generalibus non damnandam. De altera vero parte articuli, tantum percipere, qui vna ſpecie communicat, quàm qui vtraque, ideo variatum; quod multi crederent, etiamſi plus Sacramenti non perciperetur, plus tamen gratiæ percipi: quæ res maiorem elucidationem requirere videbatur.

De articuli X. prima parte, quæ erat de fide, quidam volebant expreſſam fieri fidei mortuæ mentionem. fidem enim viuam ſine dubio ſufficere. De ſecunda parte, quæ erat de confeſſionis neceſſitate, à Dominicanis propoſitum, multos Catholicos, viros doctrina ac ſanctitate ſpectatos opinionem eam tenuiſſe, quos omnes damnatum eat, hanc qui condemnet. Alij moderationem adhibentes, non damnabant vt hæreticam, ſed tanquam pernicioſam. Nec deerant, qui conditionem adiectam vellent, ſi modò copia eſſet confeſſoris. Tertiam vero partem de communicando quotannis in feſto Paſchatis, communis opinio non cenſebat damnandam, quaſi hæreticam; cùm id lege Diuina imperatum non ſit, ſed ſolius Eccleſiæ præcepto. Inauditum porro eſſe, hæreſeos damnare, qui peculiare aliquod præceptum humanum non probet. His articulis erant è Theologis plerique, alium qui adiectum vellent, è *Lutheri* ſcriptis depromptum, & cenſura dignum: nempe, vtcumque *Christi* verba in miniſtrando Euchariſtiæ Sacramento neceſſariò ſint recitanda, ea tamen non eſſe cauſam præſentiæ *Christi* in Sacramento, ſed recipientis fidem.

Expoſitis in hunc modum Theologorum ſententijs, Patres deſignati VII. Anathemata inde collecta in Congregatione generali proponunt. Sed hic ante omnia vetus cantio occinitur, hoc argumentum non ſolis anathematis tranſigendum: ea enim ad confutandum ſolummodo eſſe comparata, non ad docendum. Nec in priſcis Concilijs aliam rationem initam, ſed declaratam primò ſententiam Catholicam, tum contrariam damnatam. atque idipſum in re *Iuſtificationis* huic Concilio ceſſiſſe fœliciter, licet in ſequenti de Sacramentis ſeſſione Patribus ob graues cauſas & vehementes conſilium neceſſario eſſet mutandum. Sed nunc cœptum potius vrgendum ſolidis rationibus ſubnixum, quàm quod duræ neceſſitatis violentia poſt immutatum. In opinionis huius ſubſidium mox adſunt Theologi Itali, hanc vnicam conſpicati viam exiſtimationi ſuæ prope deploratæ recuperandæ. Germanos enim & Belgas in concluſionibus authoritate firmandis plurimùm valere, ſed ijſdem explicandis, & veris cauſis indagandis neceſſariam eſſe Theologiam Scholaſticam, in qua ipſi excellant. Valuit apud Patres hæc opinio, ſubitoque imperatum, capita vt doctrinæ conficerentur, Patrum nonnullis ad id deſignatis. Iam ad VIII. capita redacta fuit doctrina: de præſentia reali, de Inſtitutione Euchariſtiæ, de Excellentia, de tranſubſtantiatione, de Adoratione, de Præparatione ad Sacramentum ſumendum, de vſu Calicis laicis communicantibus, & de Communione puerorum: cùm mox propoſitum, vt abuſus quoque in ea re occurrentes colligerentur, appoſitis etiam remedijs. Et quidem Patres tam in ea congregatione, quàm in aliquot ſequentibus, opiniones ſuas protulerunt ſuper VII. anathematis. ſed hic nihil dictum magno dignum hiatu, niſi quod in damnandis ijs, qui realem corporis *Christi* præſentiam non agnoſcunt, multi, quibus Canon paulo macilentior videbatur, deſiderabant eum habitiorem reddi, & pinguiorem (ſic illi loquebantur) & his additis ſuffarcinari; nempe declarando in Euchariſtia idem *Christi* corpus eſſe, quod ex virgine natum, in cruce paſſum, & ſepultum, quod reſuſcitatum aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei, venturum ad iudicium. Maior vero pars monuit deſiderari adhuc caput vnum magni momenti explicandum, nimirum huius Sacramenti miniſtrum, eſſe Sacerdotem legitimè ordinatum. quod adijciendum eſſe propter Lutherum, & ſuæ ſectæ homines, qui cuiuis Chriſtiano, etiam fœminæ poteſtatem eam tribuunt.

Vetus queſtio renouatur, vtrum doctrina de Euchariſtia ſolis Anathematis expedienda ſit, an etiam capita doctrinæ explicanda.

Et Italis ſuffragantibus VIII. capita doctrinæ proponuntur.

Quibus superpondij loco alia addi deſiderantur.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Edwardus* 6. *Henricus* 2.

Cæsaris Oratores ac Ferdinandi, Præsides dehortantur ab Eucharistiæ controuersia tractanda, ac præsertim de Calicis communione.

At *Comes Monfortius* vbi videt caput adeo controuersum tractari, & in primis de communione Calicis agi, re adeo populari, familiari, & omnium sensibus obuia, facile animum induxit credere, si ea quæstio fuisset definita, operam omnem impendi frustra in inuitandis ad Concilium Protestantibus. Vocatis itque in consilij partem collegis, & *Ferdinandi* Regis Oratoribus, vnà cum ijs Præsides adit, immensos *Cæsaris* labores bello paceque exantlatos commemorat, Protestantes vt adducat, ad se Concilij Decretis subijciendos: Quando vero id fieri nequeat, nisi ipsi Concilio intersint, in eam curam maximè incumbendum. *Cæsarem* quidem cauisse ipsis fide publica, sed cautionem eam non videri satis idoneam, quod Concilium *Constantiense* decreuerit, reque comprobarit, Synodum nulla cuiusquam alterius cautione obligari. Petere igitur, vt Synodus ipsis fide publica caueat; quod quidem futurum, & *Cæsar* in se receperit, & ipsi nunc *Cæsaris* mandato à Synodo exoratum veniant. Legatus Oratoribus verbis officij plenis respondet, sed ad insequentem Sessionem rem reijcit, scilicet, vt tempus sit ad Pontificem commonefaciendum. Subiungit Comes, eadem de causa sibi opportunum non videri, vt ante illorum aduentum controuersiæ de Eucharistia excutiantur, cum alia non desint, vel reformationem spectantia, vel cum illis minimè controuersa. Excepit Legatus iamdudum constitutum de Eucharistia agere; cumque principio decretum sit, in singulis Sessionibus, in fidei dogmatis, & re Reformationis pari passu pergere; ac doctrina Eucharistiæ Confirmationis doctrinam necessario sequatur, de qua priusquam Synodus migrasset *Bononiam* vltimo loco actum esset, nullam aliam tractandi rationem nunc institui posse: sed videlicet hanc de Eucharistia controuersiam magis sibi esse cum *Heluetijs*, qui *Zuingliani*, quàm cum Protestantibus, qui instar illorum, *Sacramentarij* non sunt. Deinde ad Communionem Calicis Comes transitu facto ostendit, abijciendam planè spem omnem conciliandorum Protestantum, si semel intelligant articulum illum quem tantopere vrgent, contra suam sententiam decisum. *Cæsarem* enim in Decreto suo de re religionis *Interim* attemperanda, eundem ipsis condonare coactum. proinde nunc etiam ad Protestantum vsque aduentum differendam eius tractationem. Hic Legatus non admodum renitens benigno sermone rem producit, vt quid Pontifex animi habeat prius exploret. Et quidem mox rem omnem ad eum refert, quid à Theologis tractatum, quæ Anathemata confecta, quid item in materia reformationis dictum (de quo mox plura) simul quid ad duo Oratorum *Cæsaris* postulata Synodus respondendum habeat, sententiam eius exquirit.

Legatus Pontificis sententiam exquirit.

Re à Pontifice ad suos relata, de Diplomate tuti & liberi comeatus (vulgo Saluum conductum vocant) Protestantibus concedendo, non idem omnes sentiebant. Alij enim in fidem publicam recipiendos negabant, quod itidem nunquam factum esset, nisi in Concilio *Basilæensi*, quod nulla parte sit imitandum: & fraudi damnoque esse, perduelles fide publica tutos esse iubere. Tolerabile id fortasse, si de causa ea expugnanda spes aliqua affulgeret: sed vt sunt tempora, metuendum magis, ne opinionum suarum illecebris aliquos, aut omnino, aut parte aliqua irretiant; sicuti *Vergerio* ante aliquot annos accidit. certè periculum esse, ne contages ea afflatu suo Præsules existimatissimos, & Sacrosanctæ Sedi obligatissimos hactenus attigerit. Alij contra aiebant Protestantibus cautione interposita satisfaciendum, non tam compendij ex eorum conuersione faciendi spe, quàm excusationis omnis obtentusque ipsis præcidendi studio. Inprimis vero *Cæsari* suarum rerum causa id obnixius flagitanti, hoc tempore non denegandum, quo *Galliarum Rege* abalienato à Pontifice, ei à *Cæsare* pendendum est, cui omni officiorum genere gratificari necesse sit. Illud autem, ad quod faciendum necessitas cogat, anteuertere, & sponte facere, esse præstabilius. Nam ad fraudem damnumue quod attinet, eà formà publicam cautionem interponi posse, quæ nullo, aut nisi leuissimo nexu astringat. Primùm, si nominatim Protestantum mentio non fiat, sed in genere Ecclesiasticis, & Secularibus Nationis Germanicæ cuiuscunque conditionis caueatur. Verbis enim generalibus comprehendi Protestantes recte dici posse: ac rursus defendi posse, ijsdem verbis Catholicos solos intelligi, illos vero minimè; quos alioqui distinctè ac specificè nominari conueniebat. Deinde fidem publicam à Synodo interponendam; vt

De saluo conductu Protestantibus concedendo Cardinalium Romæ delegatorum sententiæ.

Pontifici nihilo minus sua constet authoritas. Deniq; Iudices, qui in admissa inquirant, delegandos, quorum electio suspicionis amplicndæ causa ipsis permittatur. Ita coercendi potestatem disciplinæque vigorem retentum iri, nec quicquam cedendo largiendoue de iure remissum. Vicit hæc sententia apud *Iulium*, qui, & cautionis schedulam iuxta eam formulam conscribi iussit, & Legato respondcri, se prudentiam eius in responsionibus in Synodo factis valde probare; Saluum conductum ea, quam ipse præscripserit, forma concedi velle; articulum de communione calicis dum Protestantes expectantur, differendum censere, sed non multum vltra tres menses: interim, ne segne ducant otium, sessionem vnam intermedio tempore habendam, eaque agendum de pœnitentia, neque longe extra XL. dies protollendam. Monere etiam Canones de Eucharistia esse paulo diffusiores, eoque diuidendos.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Pontifex Saluum conductum dandum affirmantibus adstipulatur: qua de re Legatum monet.

Interea dum de his *Roma* consultatur, Patres Tridentini in dogmatis explicandis pergunt, eadem facilitate, qua prius in articulis discutiendis. Verùm vbi ad exprimendum existentiæ modum ventum est, videlicet quo modo Christus sit in Sacramento, & ad Transsubstantiationem, id est, quem ad modum panis fiat corpus Christi, & vinum sanguis, tum inter Dominicanorum & Franciscanorum fodalitia acriter dimicatum: eaque concertatio subtilis magis quàm fructuosa, Patribus admodum fuit ingrata, Theologis ipsis, quid sibi vellent vix satis expedientibus. Sed huc redibat summa rei. Volebant scilicet *Dominicani*, *Christum* dici esse in Eucharistia, non quod ex alio loco, vbi antea fuerat, in Eucharistiam veniat, sed quòd substantia panis conuertatur in corpus *Christi*, quod fit eo in loco, vbi panis erat, absque in eum locum profectione: tum quòd tota substantia panis transmutetur in totam corporis substantiam, materia panis in materiam corporis; & forma in formam, idque proprie dici *Transsubstantiationem*. Duplicem itaque modũ statuendum essendi *Christi* Domini nostri, & vtrumque realem, verum, & substantialem. Vnum; quo est in coelo, in quod ascendit, relicta terra, vbi prius versabatur: alterum, quo est in Sacramento, in quo reperitur, vt in loco, vbi substantiæ panis & vini in ipsum conuersæ prius erant. Priorem modum dici naturalem, quòd omnibus corporibus conueniat: alterum quia sit singularis, non posse exprimi nomine, quod alteri competat. Imo Sacramentalem dici non posse, ne credatur non esse realiter, sed veluti in signo, cum Sacramentum aliud non sit, quam sacrum signum: nisi forte per Sacramentalem intelligatur modus realis, soli huic Sacramento proprius, nec alijs competens Sacramentis. At *Franciscani* hoc volebant, corpus per omnipotentiam Dei, posse verè & substantialiter esse in pluribus locis, & quando nouum aliquem possidet locum, in eo esse, quòd eum adeat, sed sine mutatione successiua, quasi priorem relinquat ad secundum occupandum; verùm mutatione in instanti facta, per quam secundum occupat, priore non omisso. Atque Deum ita statuisse, vt vbi corpus *Christi* est, alterius rei substantia non permaneat, sed ea esse desinat, non tamen euadat in nihilum, quia in eius vicem *Christi* substantia succedat; eoque verè vocari Transsubstantiationem, non quòd hæc ex illa fiat, quod asserunt Dominicani, sed quia hæc illi succedit. Modum enim quo *Christus* est in coelo, non differre à modo, quo est in Sacramento, quoad substantiam, sed solùm quoad quantitatem. Dum est in cœlo, magnitudinem corporis sui occupare tantum spatij, quantum corpori proportione respondeat: at in Sacramento esse substantialiter, & nullũ occupare spatium. Vtrumq; ergo modũ esse verum, realem & substantialẽ, & quoad substantiam etiam naturalem: sed ratione habita quantitatis, modũ essendi in coelo esse naturalem, essendi in Sacramento miraculosum. atq; hoc solo differre, quòd in coelo quantitas effectũ sortiatur quantitatis, in Sacramento verò conditionem induat substãtiæ. Vtriq; certe ita in sua sibi sententia blandiebantur, vt eam planam, perspicuam, & cunctis perceptibilem assererent, contrariam absurditatum myriade onerantes. Elector vero *Coloniensis*, qui cum *Ioanne Gropero* assiduus erat harum disceptationum auditor, fertur dixisse, quæ à partibus inuicem obijcerentur, ea niti ratione aliqua, sed in his, quæ positiuè affirmarent, sibi parum probabile videri, eos rem, de qua tam confidenter loquantur, satis intelligere; quin potius formam & consuetudinem scholarum sequi. Confectæ statim schedulæ, quibus mysteria hæc ab vtraque parte prodita conscribuntur; &

Inter Dominicanos & Franciscanos de modo, quo Christus est in Sacramento, & quo panis fit corpus Christi, controuersia. Sententia Dominicanorum.

Franciscanorum sententia.

Electoris Coloniensis de vtrisque iudicium.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

post alteræ nonnihil ab vtrisque decerptum complexæ. Sed harum nulla placuit Patribus, ac potissimum Nuntio, qui *Veronæ* Episcopus, & præcipuus in litibus his dijudicandis arbiter. In Congregatione mox generali statutum, in dogmate conficiendo verbis vti quàm paucissimis, ijsque adeo vniuersalibus, vt vtrisque queant satisfacere, & ad vtriusque partis sensum commodè aptari. Ea cura Patrum ac Theologorum nonnullis commissa, summa animaduersione, ei quem nunc diximus, Nuncio, relicta.

In conficiendo dogmate vnica cura, vt vtrisque satisfiat.

Sub finem eiusdem Congregationis data nonnullis prouincia colligendi abusus in hac ipsa Eucharistiæ materia, vnà cum remedijs ad eosdem extirpandos idoneis; inque proximis congregationibus recitati complures. Sanctum Eucharistiæ Sacramentum in quibusdam peculiaribus Ecclesijs omnino non reseruari; in alijs non satis honorificè haberi. Quando per compita defertur, multos in eius honorem non genu flectere, alios ne caput aperire. In quibusdam Ecclesijs tam diu asseruari, vt cariem ac putredinem trahat. A nonnullis Parochis sanctam Communionem adeo indecorè administrari, vt sæpe pannus desit, quem communicans manu teneat. Communicantes ipsos, quod magis est dolendum, quid accipiant non intelligere, neque à Curionibus suis, quanta sit Sacramenti huius dignitas, aut quis fructus, vnquam erudiri. Ad Sacramenti perceptionem admitti Concubinarios, concubinas, aliosque immanium criminum reos, imo complures, qui nec Orationem Dominicam, neque salutationem Angelicam callent. Inter communicandum pecuniam exigi eleemosynæ nomine, &, quod est deterius, Romæ in consuetudinem vertisse, vt, qui communicaturus est, candelam accensam teneat manu, & nummum eidem infixum, quem cum candela relinquit sacerdoti. qui vero nullam eiusmodi candelam affert, non admittatur ad communionem. His alijsque corruptelis medicandis fabricati V. Canones, cum exordio bellissimo, sancientes; Vt quoties Sacramentum in Altari commonstratur, aut per compita circumgestatur, vnusquisque capite nudato, procumbat in genua. Vt in omnibus Ecclesijs paroecialibus Sacramentum seruetur, & singulis quindecim diebus, renouetur; & iuxtà, dies noctesque lampas exardescat. Vt à Sacerdote decenter amicto ad infirmos Sacramentum deferatur, nec sine lumine. Vt curiones suum quique gregem edoceant gratiam, quæ Sacramento obtinetur; & pœnam capitulo *Omnis vtriusque sexus*, denunciatam contra suos exequantur. Vt Ordinarij executionis curam non negligant, & in delinquentes pœna arbitraria animaduertant, præter sancitas ab *Innocentio* III. in Capite *Statuimus*, & ab *Honorio* III. in Cap. *Sanè*.

Abusus commemorantur qui circa Eucharistiam contingunt, eorumque remedia.

Ad hos abusus tollendos V. Canones sanciuntur.

De reformatione quidem eodem tempore fuit tractatum, quo de fide disceptabatur, sed in alijs Congregationibus, quibus plurimùm interfuerant Canonistæ: Ego tamen ne filum tractationis interrumperem, vtraque in vnum comportanda existimaui. Et quoniam constituerat Synodus Episcopalem Iurisdictionem reformare; ad faciliorem eorum quæ hac occasione multisque alijs sequentibus commemoranda sunt, intelligentiam, postulat hic locus, vt de Iurisdictionis eius origine narratio instituatur, ex qua appareat, quibus gradibus eò potentiæ creuerit, quæ, & Principibus suspecta est, & nationibus cunctis formidanda. Cùm Apostolis *Christus* Euangelij prædicationem & Sacramentorum administrationem delegauit, ipsis sub persona omnium fidelium magnum quoque mandatum reliquit, vt *diligerent inuicem, & offensas mutuò condonarent*, singulis præcipiens, vt intercederent inter diffidentes, & dissidia componerent; atque in summum ac vltimum remedium, eam curam corpori Ecclesiæ commendans, adiecta promissione, ligatum & solutum iri in cœlo, quod in terris ipsi ligassent ac soluissent, & à Patre concessum iri, quod de communi consensu duo postulassent. Nimirum pium hoc charitatis officium, procuranda ei qui iniuria violatus, satisfactione, & delinquenti venia, perpetuum erat Ecclesiæ primitiuæ opus & exercitium. Huic autem mandato conuenienter præcepit *D. Paulus*, quoties inter fratres lites ciuiles exoriebantur, infidelium tribunalia ne adirent, sed viris prudentibus inter suos delectis controuersias dijudicandas permitterent. Atque hoc speciem constituit

De Episcopalis Iurisdictionis origine & incrementis dissertatio.

tuit iudicij ciuilis, sicut alterum illud criminali iudicio magis affine videtur: quæ à iudicijs mundanis hoc discrepabant, quòd ista executionem sortiuntur authoritate Iudicis ad parendum homines adigentis; illa verò sola voluntate rei acceptantis. quam si commodare abnuat, tum Iudex Ecclesiasticus nihil vltra exsequi, aut præstare potest, nisi Diuino præiudicio rem permittere; quod, secundùm Omnipotentis beneplacitum in hac vita, aut in futura dabitur effectum.

Iulius 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

Et certe iudicio Ecclesiastico meritò tribuebatur nomen charitatis, quando eâ solâ & reus adducebatur ad submittendum se Ecclesiæ, & Ecclesia, ad iudicandum, cum tanta tum iudicis sinceritate, tum delinquentis obedientia, vt neque in illo, prauo affectui, neque in hoc querimoniæ vllus esset locus: faciebatq; immensa hæc charitas pœnam in castigando ipsi emendatori grauiorem videri; adeo vt in Ecclesia ad pœnam infligendam nunquam accederetur, sine magno multitudinis, sed maiore procerum planctu: quod in causa fuit, vt eo tempore *plangendi* vox pro castigandi vsurparetur. Ita *D.Paulus* Corinthios increpans, quòd in hominem incesto flagitio pollutum non animaduertissent, *Non planxistis*, inquit, *vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Et in altera Epistola. *Metuo ne forte cum venero, non vos inueniam quales volo, ne forte contentiones* & *seditiones sint inter vos: & ne cum venero, plangam multos ex ijs qui ante peccarunt.* Iam par erat Ecclesiæ iudicium (quod in omni multitudine fieri amat) ab vno aliquo dirigi, qui præsideret, & actioni præesset, res proponeret, suffragia, cum in deliberationem itur, colligeret. Quæ prouincia, cùm primæ notæ viro, maximeque idoneo debeatur, sine controuersia in Episcopum conferebatur. Vbi verò multæ erant Ecclesiæ, propositiones & deliberationes fiebant ab Episcopo, primùm in collegio *Presbyterorum* & *Diaconorum*, quod dicebatur *Presbyterium*; atque ibi maturescebant, vt in generali Ecclesiæ congregatione vltima ijs manus adhiberetur. Hæc forma vigebat etiam anno CCL. vt ex *Cipriani* Epistolis liquidò patet, qui de *sacrificatis* & *libellaticis* ad *Presbyterium* scribit, sibi non constitutum ipsis inconsultis, & nisi plebe consentiente quicquam agere; & ad Populum scribit, se, vbi reuerterit, coram ipsis, & ex eorum arbitrio causas & merita examinaturum: ad sacerdotes denique eos, qui suo ingenio freti nonnullos reconciliassent, scripsit, rationem plebi reddituros.

Iudicium Ecclesiasticum principio à sola charitate profectum.

Qua quod Episcopus alijs anteestaret, iudicij dirigendi cura ei tributa, sed caussa in Presbyterorum collegio excussa examinataque, & in Ecclesiæ cœtu determinata.

Fecit Episcoporum id temporis probitas ac charitas, vt in illorum opinione prope omnes acquiescerent; paulatimque Ecclesiæ causam dedit, postquam charitas illius refrixerat, & munus à *Christo* illi impositum negligenter administrari cœperat, curam omnem in Episcopum conijciendi: ambitio autem, affectus admodum subtilis, & in animum vmbra specieque virtutis sese insinuare aptus, persuasit Episcopis; obuijs eam vlnis amplexari. Verùm isthæc mutatio ad summum non peruenit, nisi postea quàm à persecutionibus cessatum esset. Tunc enim Episcopi veluti Tribunal sibi erexerunt, quod, litigandi causis vna cum accessione facultatum temporalium auctis, euasit subito frequentissimum. Et iudicij forma, quamuis non eadem erat cum veteri illa, quâ de Ecclesiæ assensu omnia statuebantur, eandem tamen retinuit sinceritatem. Vnde *Constantinus* Imperator explorato huius iudicij in controuersijs terminandis fructu, quantúmque posset vis religionis capturis ac fraudibus actionum detegendis, quas Iudices deprehendere non poterant, legem sanxit, vt à sententijs Episcoporum prouocatio non esset, easque Iudices exsequerentur. Quinimo, lite coram iudice seculari pendente, quicumque esset causæ status, si alterutra pars, altera licet obluctante, Episcopum sibi Iudicem deposceret, ilico ad eius cognitionem lis vti referretur.

Ecclesijs verò singulis, charitate frigescente, in ea cura indiligenter versantibus, ea dein in Episcopum solum coniecta.

Postea vero Imperatorum fauore aucta, dato Iudice qui Episcopi sententiam exequeretur.

Exinde iudicium Episcopi cœpit esse forense, & cum Magistratum haberet sententiæ exequutorem, Iurisdictionis Episcopalis, item Audientiæ Episcopalis, & similium titulorum nomina sibi vendicare. Etiam *Valens* Imperator forum illud ampliandum censuit Anno CCCLXV. inspectione in pretia rerum promercalium ei attributa. Quæ forensis negotiatio bonis moderatisque Antistitibus parum placebat. Refert enim *Possidonius Augustinum* huic cognitioni interdum adusque prandij horam, nonnunquam vsque ad vesperam vacantem, solitum eam *Angariam* dicere, quæ animum à rebus ad se propriè spectantibus auocabat, perque eam res

Inde Iurisdictio forensis, & Tribunal, & potestatis etiā ad secularia ampliatio, sed cum reuerētiæ pristinæ sæpe imminutione.

 vtiles

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

vtiles omitti, vt perplexis ac tumultuosis incumberetur. Neq; *D. Paulum* id sibi muneris sumpsisse, quod Prædicatori minus couenіebat, sed ad alios ablegasse. Episcoporũ verò non nemine, authoritate per *Constantini* legem concessa, abutente, eadem lex LXX. post annis ab *Arcadio* & *Honorio* reuocata, statutumque, vt religionis modò causas dijudicarent, ciuiles autem non aliter, nisi de partium voluntate & consensu; simul declaratum, nullum illis forum deberi. Quæ quidem lex, cùm *Romæ* propter summã Episcopi potestatẽ parum attenderetur, *Valentinianus* anno CCCCLII. in ea ipsa Vrbe degens, legem restaurauit, & exequutioni curauit mandandam. Verùm ab Principibus insequentibus potestatis antea ademptæ bona pars reddita; *Iustiniano* etiam forum stabiliente & *Audientiam*, ijsque, vnà cum causis religionis, delicta Clericorum Ecclesiastica, & in Laicos varias Iurisdictiones spontaneas assignante. His gradibus, quæ charitatis intuitu à Christo primùm instituta correctio, in Dominationem vertit, causamque dedit perdundæ veteri, qua Christiani Præsules suos prosequebantur, reuerentiæ & obedientiæ. Verbis, sat scio, negant Iurisdictionem Ecclesiasticam esse dominatum, qualis est secularis; sed qua via realem inter eas differentiam constituant, non video. *D.* quidem *Paulus* clarè discriminat ad *Timotheum* scribens, & ad *Titum* præcipiens, *Ne Episcopus sit lucri cupidus, aut percussor*, cùm hodierna consuetudine solens sit, Episcopo litis æstimationem dependere, illoq; imperante in custodiam dare, perinde atq; in foro seculari solet vsuuenire.

Ex eo Episcopis in Principum Consilia aduocatis magna ipsorũ Iurisdictioni accessio facta.

At vbi separatis à se inuicem in Occidente Prouincijs, ex *Italia*, *Gallia*, *Germania* conflatum erat Imperium, & ex *Hispania* regnum, in quatuor his regionibus, Episcopis, vt plurimùm à Principibus in Consiliarios adscitis, ex illa muneris spiritualis, curæque temporalis commixtione, immane quantum ad fori Episcopalis authoritatem accesserit. Nondum anni bis centum præterierant, cum omne iudicium criminale & ciuile in Clerum sibi arrogabant, & in Laicos plerisque in rebus, causam esse Ecclesiasticam obtendentes. Deinde forum mistum comminiscuntur, quo contra Laicum agere possit tam Episcopus, quàm Magistratus, vtercumq; actionem prior intentarit: cuius fori intuitu, ad rem suam attentissimi, nullum seculari locum relinquentes, in omnes tanquam sui iuris inuolant. Si quis autem hanc tendiculam effugiat, neque ea capiatur, restat vnicus adhuc ad eos comprehendendos laqueus, nempe Regula generalis pro fidei fundamento tradita, Omnem causam ad forum Ecclesiasticum deuolui, si Magistratus vel ius dicere nolit, vel in iure dicundo segnior sit. Quod si intra hos limites Cleri prætentiones substitissent, de Reip. Christianæ statu profectò conclamatum non fuisset. Nam in Populorum ac Principum potestate fuisset, vbi intolerandum in modum æqui bonique terminos excessissent, legibus ac sanctionibus iudicia ad tolerabilem aliquem modum reuocare, sicuti premente rerum necessitate aliquando esset factum. Verùm qui Christianis iugum imposuit, idem ille omnem iugum illud excutiendi rationem sustulit. Etenim ab anno M. L. cum iam omnes Clericorum causæ factæ essent peculiares foro Episcopali, & tot Laicorum causæ spiritualitatis obtentu, aliæque prope omnes misti fori aspectu parte aliqua huic foro debeantur, ac denique iuris iustitiæque negatæ colore, Magistratus seculares sibi subiecerint, eò tandem ventum est, vt affirment, Episcopũ habere eam iudicandi postestatem, quæ tam latè patet ac diffunditur, neq; concessione, neq; conniuentia Principum, neq; voluntate populi, neq; inueterata consuetudine, sed Episcopi dignitati penitus insitam esse & essentialem, atq; ab ipso *Christo* donatã.

Item ex foro misto quod cõmenti sunt.

Tum ex Magistratus ciuilis in iure dicundo cunctatione.

Postremo arrogata ea potestate tamquã essentiali, & à Christo donata.

Cuius asseuerationis cõtra Cõstitutiones Imperatorias & manifestam veritatem Doctores Iuris Canonici, putidi & impudentissimi assertores.

Et quanquam multæ exstent Leges Imperatorum in Codicibus Theodosiano & Iustinianeo, in Capitularibus *Caroli Magni* & *Ludouici Pij*, alijsq; Principũ insequentium, tam Orientalium, quam Occidentalium, ex quibus clarum est, ad quem modum, quando, & à quo ea potestas fuerit concessa; historiæque omnes Ecclesiasticæ & profanæ in eisdem concessionibus narrandis & consuetudinibus consentiant, additis simul earum causis & rationibus: manifesta tamen hæc veritas nondũ adeo præualere potuit, vt non soli in contrarium assertioni nullis probationibus nixæ succubuerit, iurisque Canonici Doctores, illos pro hæreticis habendos publice declararint, qui se ad instar cæcorũ in foueam duci non patiuntur. Neq; his tantùm se finibus cõtinent, sed addunt, neque magistratum, neque Principem ipsum, posse immiscere se cuiquam earum

carum causarum, quæ Cleri sunt propriæ, cum spirituales sint, quarum laici omnino sunt incapaces. Neque tamen veritati tenebræ adeo densæ sunt obductæ, vt non statim sub ipsum erroris huius principium, viri docti ac pij doctrinæ huic bellum indixerint, vtramque assertionis huius propositionem falsitatis manifestæ conuincentes. Maiorem, Laicos esse rerum Spiritualium incapaces absurdam & impiam asserebant: cum ipsi à Patre cælesti in adoptionem assumpti, vocati filij Dei, fratres *Christi*, facti participes regni coelorum, & digni gratia diuina, Baptismo, & communione carnis *Christi*. Ecqua enim Spiritualia sunt, nisi hæc sunt? Et si alia forte essent, an ei, qui summa hæc & maxima participat, tanquam rerum spiritualium incapaci status controuersia mouenda sit? Et Minorem æque falsam, causas fori Episcopalis proprias, esse merè spirituales: cũ delicta & contractus, quæ huius Iurisdictionis sunt, si qualitates eæ inspiciantur, quas scriptura rebus spiritualibus tribuit, ab his tanto interuallo, quantum coelum à terra, distent. Sed meliorum oppositione minime est effectum, vt maior pars voti compos non fuerit. Nec aliter super spiritualem *Ligandi*, & *Soluendi* potestatem à *Christo* Ecclesiæ concessam, & super præceptum *D. Pauli* de dissidijs inter Christianos componendis, re ad infideles Iudices minime delata, temporis decursu per multos gradus fabricatum tribunal temporale, omnium quæ sunt, aut fuerunt maxime gloriosum: & in medio ciuilis cuiusque regiminis institutum aliud, à publico illo minimè pendens; vt qui de administrandi formis præcepta tradiderunt, huiusmodi Reipub. Ideam viuere & vigere posse vix vnquam animo conceperint. Neque verò mihi consilium est commemorare, quomodo non contenti ex tot tantisque sudoribus finem sibi propositum assequi, & forum, quod à ciuili regimine minime pendeat sibi extruxisse, alium finem consequuti sint inexpectatum, & Imperium fabricarint, noua & insolenti opinione exorta, quæ puncto temporis mirabiles fecit progressus, soli Romano Pontifici id tribuentes, quod tot Episcopi tam varijs, tamque admirandis artibus mille ac CCC. annis sibi compararunt, Iurisdictionis suæ fundamentum constituentes, non, vt antea, in ligandi & soluendi potestate, sed pascendi prouinciam substituentes, & eius virtute efficientes, vt Iurisdictio omnis à *Christo* in persona *Petri* soli Põtifici delata sit, verbis ijs *Pasce oues meas*. de hoc (inquam) in præsens verba facere non est animus, quia in tertia Concilij conuocatione ea de re tractabitur, quando per eam opinionem magni concitati tumultus, qui tum commemorandi. Sed ex ijs quæ iam recitata, quiuis facile intelligat, quæ remedia fuerint necessaria, ad rem, quæ in tam multiplices corruptelas abierat, intolerabilem aliquam formam reducendam, & cum propositis ea facile comparauerit.

Paulus 3. Carolus 5 Eduardus 6. Henricus 2.

Vtraque assertionis pars falsitatis conuincitur.

Ab immensitate potestatis spiritualis ventum ad tribunal temporale extruendum in medio status cuiusque politici.

Vtrumque Imperium Episcopis adeptum sibi soli vendicat Pontifex Romanus.

Tridenti vbi de reformatione actum, duo defectus deprehensi. In Proceribus Ecclesiasticis, charitas mutata erat in dominatum: in subditis, obedientia exhiberi maioribus sueta, verterat in rixas, subterfugia, & querimonias. Et primo quidem visum vtrisque facere medicinam. Sed in progrediendo vbi ad priorem defectum ventum, à quo tanquam fonte alter dimanat, non aliud remedium adhibitum, nisi lene, ad Præsules exhortatorium dominationi minuendæ, charitatique restituendæ. In altero verò qui spectat subditos, cùm multa subterfugia cõmemorarentur, quibus illi iustitiæ illudere conantur, de tribus tantum capitibus actum est, appellationibus, gratijs absolutorijs, & contra iudices querimonijs. De *appellationibus Ioannes Gropperus* in Concilio & Theologi, & Iureconsulti munere perfunctus, plurima cum dignitate disseruit in hunc modum. Dum fidei feruor Christianorum pectora insederat, inauditum *Appellationis* nomen; sed deferuescente in Iudicibus caritate, datoque loco affectibus, irrepsisse in Ecclesiam, propter eas ipsas causas, ob quas in forum seculare fuerat introductum: nempe ad oppressos subleuandos. Eapropter sicuti iudicia primitus solus Episcopus non constituebat, sed Episcopus de Consilio Sacerdotum: sic olim non ad vnum aliquem, sed ad aliam Congregationem vniuersam appellatum. Verùm Episcopis visum, sublatis Synodis, more Iudicum secularium, forum & Officiales instituere. Neque in hoc vestigio malum pedem fixisse, sed ad abusus mage maiores, quàm in foro seculari, gradum non cunctanter fecisse. Illic enim prouocationem non fieri nisi ad Iudicem immediatè superiorem;

De corruptelis Iurisdictionis Episcopalis reformandis agitur.

Appellationum in foro Ecclesiastico abusus ac eorum remedia Gropperus exequitur.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

tantum abesse, fas vt sit, ad supremum primo saltu tendere. Neque licere in articulis causæ prouocare à Decretis Iudicis, quæ vocantur Interlocutoria, sed causæ finem, & Decreta litis decisoria necessariò esse expectanda. At contra in iudicijs Ecclesiasticis & appellari à singulis actis Iudicis, vnde causarum immensitas nascitur; & immediatè ad supremum, vnde sequitur, extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas. Atque hæc non alium ob finem à se referri dicebat, nisi quia rei huiusce reformatione iam instituta, quæ & ipsa tota scatet corruptelis, & non solum residentiæ est inimica (vti in congregationibus à tot eruditis Doctoribus ac Patribus est declaratum) sed & omnem prorsus corrumpit disciplinam, cum maximo Populi & onere, & sumptu & offendiculo; eam ad originem suam, saltem quàm proximè potest, reuocandam censeat, idea quadam perfecta ob oculos posita, in quam obtutu fixo ad eam, quantum rei corruptela patitur, tam maximè accedatur. Monachorum omnium societates probe institutas, *Appellationem* omnem vetuisse: atque hoc vnicum esse remedium. Alias quæ tam sublime fastigium attingere non poterant, moderationem adhibuisse, Appellatione intra Ordinis sui cancellos tantùm permissa, & ad alios extra eum Ordinem prouocatione prohibita. Eam rem, sicuti sodalitia ea intra rectæ administrationis regulas fœliciter continere conspicitur: ita haud dubiè in publico Ecclesiæ regimine eundem effectum producturam, si *Appellationes* extra Prouinciæ cuiusque fines non euagarentur. Ad hoc itaque efficiundum, simul ad coercendam litigantium malitiam, Appellationes ad iuris ciuilis formam reducendas; vetandumque, ne intermedios iudices superiores præteruecti ad supremum pleno saltu prouocent: item ne, ab articulis aut decretis interlocutorijs prouocationes fiant. his adhibitis cautionibus futurum, vt neque causæ domo procul facessant, neque lites in longum extrahantur: neque in sumptus immodicos, & molestias insuperabiles à litigantibus incurratur. Atque vt ius maiori fide ac sinceritate dicatur, restituenda Iudicia Synodalia tot tantisque corruptelis non adeo obnoxia, profligandos cum suo foro officiales, per quos in orbem tantum scandali est inuectum, vt *Germania* eos diutius perferre non possit.

Remedia cōtra Appellationum abusus.

Hunc sermonem soli Hispani & Germani auidis auribus acceperunt: at *Cardinali*, Nuncioque *Sipontino* pro indigno habitum, rem eousque dicendi libertate prouectam. Hac enim ratione non modo Curiæ Romanæ commodis plus nimio decedere, sed eiusdem dignitatem quoque concidere; futurum breui, vt nulla controuersia *Romam* deferatur, vt paulatim Pontificis Romani Primatus obliuioni tradatur, solemni hominum more, superiorem illum non magni æstimantium, cuius potestatem non reformidant, aut parum apud se valere intelligunt. Actum tamen, *Ioannes vt Baptista Castellus Bononiensis* in congregatione insequenti de eadem re verba faceret, non tanquam *Groppero* contradicturus, sed rationum ab eo allatarum aciem oratione sua hebetaturus. Quam quidem à priscæ Ecclesiæ laudibus exorsus, illorum temporum defectus præsentibus quadamtenus maiores mira calliditate notauit; gratijs Deo actis, quòd Ecclesia nunc non ita atteratur, sicut *Arrianorum* sæculo, per quos eī vix respirare dabatur, aut in publico apparere. Dicebat eos, qui præconio suo *Synodalia iudicia* extollunt, in eorum defectus vix vnquam inspexisse; nempe, causarum multitudinem, in ijsdem diiudicandis moram, in diligenter examinandis obstacula, in tot iudicibus informandis difficultates, & à factionibus inter partes tumultus, propter quæ, cùm parum prospere succederent, credibile esse, tum illa iudicia intermissa, tum confusioni huic vitandæ forum, & officiales introductos. Negari quidem non posse, non deesse etiam in his, quæ requirant emendationem: sed hoc faciendum, neque tamen illa reuocanda, quæ quòd intolerabilia essent, abrogata sunt. In Appellationibus consuesse per intermedios iudices procedere, neque his præteritis ad supremum transilire. id ideo sublatum, quia Prouinciarum & regnorum capita Ecclesiam tyrannide premebant; & remedium maxime opportunum repertum, causarum negotiorumque cognitionem *Romam* referre.

Castellus cōtra Synodalium iudiciorum incommoda, officialium instituendorum, & Appellationū ad Pontificem necessitatem commemorat.

ferre. Id equidem fatebatur suis non vacare incommodis, ac in primis temporis & pecuniæ iactura: sed quæ oppressione multò sint tolerabiliora. Si quis pristinum iudiciorum statum restituat, eum, dum vni malo medetur, multa, & horum quodque maius grauiusque concitaturum. In primis verò considerandum, eandem regiminis rationem in repub. non omnibus temporibus accommodam: sed vt temporum sunt inclinationes, ita variandum gubernationis modum. Veterem regendæ Ecclesiæ formam conducibilem non fore, nisi Ecclesiæ quoque status antiquum obtineat. Tota via erraturum, qui, quòd libertatem eam, quæ datur paruulis edendi, bibendi quod lubet, quocumque tempore, ad valetudinem corpusque firmandum salutarem deprehenderit, viri annis ac ætate confecti senectutem ad eundem modum gubernandam putet. Ecclesias olim fuisse paruas, Ethnicis circumseptas, & quia hosti vicinas, hoc inter se magis vnitas: at nunc & amplas, & sine aduersario, qui in via officij contineat. Itaque communia cùm negligantur, necessum esse, vnus aliquis in eorum curam ac procurationem incumbat. Si vnaquæque prouincia suas causas cognosceret, tantam intra paucos annos varietatem exorituram, vt pugnare inter se, neque eiusdem esse fidei ac religionis cernerentur. Pontifices Romanos multas Ecclesiastici regiminis partes, quamdiu omnia rite atque ordine administrabantur, sibi haudquaquam vendicasse; administrationem vero ab alijs neglectam, aut male procuratam, sibi sumpsisse. Nec è succedentibus Pontificibus defuisse multos, & summa vitæ sanctimonia, & egregia erga Ecclesiæ bonum voluntate, qui ea ipsa in pristinam formam restituissent, nisi præuidissent ijsdem corruptelis recurrentibus, vix vllam subesse spem rectæ administrationis. Quamobrem ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem, res eo, quo nunc sunt statu, relinquendas.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Sed nec hæc sententia Præsulibus *Italiæ* placuit, qui quantumuis authoritatem Papæ saluam cuperent, sese aliquo certè loco & numero haberi volebant, præsertim sibi si residendum esset. Cum igitur opus esset temperamento, primò iudiciorum *Synodalium* restitutionem prope omnes auersabantur, quod Episcopalem dignitatem imminutum iret, & populare quiddam saperet. Deinde, in Appellationibus gradatim procedere, non ab imo ad supremum transilire, probatum multis, sed plurium suffragijs reiectum. Tum in hoc assensum est, vt à solis definitiuis Iudicum sententijs prouocatio fieret, sed restrictione apposita, in solis causis criminalibus: quasi Iudicia ciuilia non etiam multo magis medicam reformantis manum deposcerent. Cum autem ventum est ad iudicium contra ipsas personas Episcoporum, nemo vnus facilem suimet iudicio coercendi rationem expediebat; nemo de iudicijs ijs Synodo prouinciali, cuius olim erant propriæ, restituendis verba faciebat. Hoc modo satagebant, dum manent penes Pontificem, Ordinis vt Episcopalis dignitati plus consulatur: idque attemperatis, quæ Roma proficiscuntur, iussionibus; quibus coguntur sistere se, & submittere viris loco atque ordine inferioribus. Quod ab omnibus tanto studio animique ardore flagitatum, vt Legatus necessariò assentiendum habuerit, licet Episcoporum exaltationi inuitus auscultans; quibus quicquid concedebatur, id omne de summi Pontificis peculio decedebat.

Præsules Itali vtramque sententiam quadã tenus moderantur, alia parte reiciũt.

Hic *Germaniæ* Præsules rogant legibus *Degradationis* modum aliquem statui, quæ intolerabiles factæ, maximam querendi occasionem Germanis ministrabant. Meram enim esse ceremoniam, quæ interturbat iuris exequutionem: eius moderationem anno M.D.XXII. XXXI^mo^. è centum grauaminibus seriò postulatam. abusus illius continuationem, alijs offendiculo esse, alijs obtrectandi materiam dare. Veteri Ecclesiæ consuetudine, cùm Ecclesiastico cuiuis ad statum secularem erat redeundum, ne Ecclesiæ ministerio designati secularia tractare conspicerentur, Episcopi gradum ei Ecclesiasticum demebant, (vnde degradationis nomen) ad exemplũ militiæ armatæ, quæ ad tuendam professionis eius dignitatem, non permittebat militi munus castrense deserere, aut iudici ciuili subijci, nisi prius exauctorato, & ordine militari priuato; cingulo scilicet & armis, militaris priuilegij insignibus, ei detractis. Cum ergo cuiuis in sacris Ordinibus constituto ad secularia siue propria voluntate, siue ex legum præscripto erat reuertendum, aut si quis ob delictum seculari potestati tradendus,

De abusu Degradationis Germanorum Præsulũ querela, qua occasione vniuersa Degradationis ratio explicatur.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

dus, hunc Episcopi gradu dimouebant eisdem cum ceremonijs, quibus in Ordinem fuerat admissus, vestibus exutum, & calice, libro, alijsque, quæ in ordinatione ipsi tradita fuerant, instrumentis spoliatum. Ornabatur enim primùm ad eundem modum, ac si in munere suo solemniter esset ministraturus: deinde singula singillatim demebantur, initio facto ab illo, siue vestimento, siue ornamento, quod in ordinatione vltimo loco datum erat; verbis etiam additis ad terrorem, planè contrarijs his, quæ in conferendis ordinibus pronunciata. Atque hæc consuetudo etiam post *Constantinum* annos CCC. inualuerat. At circa annum sexcentesimum, cœptum interdici Clericis in sacris Ordinibus constitutis, ne omnino ad secularia redirent: alijs verò concessum id pro ingenio facere. Ita degradatio minorum sensim in desuetudinem abijt; maiorum verò, hucusque solum permissa, quando foro ciuili erant subijciendi. Et *Iustinianus* Imperator Clericorum iudicijs normam præscribens, cum statuisset in delictis Ecclesiasticis ab Episcopo castigandos; in secularibus verò, quæ ciuilia vocat, ab seculari iudice coercendos, subdit, in eos non ante animaduertendum, quam rei ab Episcopo sacerdotijs, & priuilegijs clericalibus exuerentur. Et quidem postquam permissa Episcopis in Clerum iudiciorum criminalium potestas, degradatio hoc solo casu permansit, vbi à capitali supplicio est periculum. quod etiamsi Ecclesiastici propter Ordinis sui dignitatem nemini suorum infligi vellent, quia tamen vbi delicta sunt enormia, non videbatur posse sine scandalo deuitari, quod directe fieri non poterat, id obliquè effectum dari volebant, mortis sententiam flagitijs clericorum meritò debitam agnoscentes, sed necessariam prius esse degradationem dictitantes. Ad eam verò modo solemni perficiundam tot circumstantijs requisitis, factum rei difficultate, vt rarissimè eo sit peruentum. Imo ad augendam ordinis clericalis reuerentiam valere plurimum putabatur, quod Iudex ne iusto quidem iudicio Clerici sanguinem fundere poterat, nisi multa solemnitatum serie præcedente. Ob hanc caussam concessum non fuit, vt ab Episcopis fieret degradatio nisi in loco publico, ipsis amictis sacris vestibus, assistentibus alijs XII. Episcopis, si Episcopus ordine & gradu esset mouendus; sex autem, si Presbyter; & tribus, si Diaconus, ijsque indumentis Pontificalibus ornatis. Et cum mirum videretur, Episcopum solum nullo comitatu ordinem & gradum conferre posse, eundem verò solum auferre non posse, *Papa Innocentius* III. similitudine licet parum apposita admirationis caussam sustulit, affirmans ædificia secularia magno labore extrui, nullo negotio dirui: at in spiritualibus contra sese habere; facile enim ædificari, ægerrimè destrui. Vulgus hominum degradationem necessariam existimabat, & si quid eiusmodi interueniret, magna frequentia spectatum adueniebat. At rerum periti veritatem ex imo putei haurire edocti, sciebant, eos, qui statuunt, collatione Ordinis signum animæ imprimi, quod *Characterem* vocant, vnà profiteri, signum illud esse indelebile. Cum itaque degradatione character non auferatur, quicquid porro agitur, meram esse ceremoniam authoritati apud populum conseruandæ. In *Germania* propter Episcoporum paucitatem, non absque magnis sumptibus tot Episcopi ad degradandum in vnum conuocabantur locum. Ij vero, qui Concilio tum intererant *Germaniæ* Antistites, maximam partem Principes, omnium optimè gnari, quantum publicè interesset Sacerdotes ob vitã scelerate actam pœnas pendere, eò cupiebant vehementiùs huic rei esse consultum. Sed post multam disceptationem placuit tandem in ritu hoc exauctorationis nihil prorsus innouare; difficultati tantum conueniendi leuandæ, & sumptibus moderandis temperamentum reperire.

In ritu degradationis nihil mutatum.

Quousq; Cæsaris postulatis in gratiã Protestantũ, concedendum sit, à Patribus consultatur.

Legatus, etsi singulis hebdomadis, quæ in Concilio occurrebant, Romam nunciarat, volebat tamen in Congregatione Decretorum Breuiaria confici, vt horum exemplari ad Pontificem misso, ante Consessum responsum acciperet. Generali itaque congregatione conuocata, reticens ea, quæ *Roma* erant scripta, id modò retulit ad Concilium, quod Comes *Monfortius* proposuerat, vtramque postulationem sibi æquam videri affirmans, vt & Synodus fide publica caueret: & quæ salua dignitate Synodi omitti possent, eorum tractationem differret. Calendis enim Septembris iampridem de Concilij sententia ad agendum de *Eucharistia* præstitutis, non esse integrum tractationem eam penitus omittere: Sed in ea materia caput aliquod primarium,

marium, aut maximè controuersum in præsens intactum vt relinquatur, id quidem fortasse indulgeri posse. At verò vbi ad suffragia ventum, de cautione à Synodo interponenda ab omnibus est assensum; sed de argumento quod erat præ manibus differendo sententijs variatum; alijs negantibus id esse è dignitate Synodi, nisi Protestantes vicissim cauerent, se ad eam tractationem venturos, & se Concilij Decreto submissuros: alijs asserentibus (quæ sententia apud plures valuit) hoc ipso, quòd id sibi licere postulabant, satis saluam esse Concilij dignitatem. Censet itaque Legatus articulum de ministrando laicis Calice in aduentum Protestantum reseruandum; &, ne vnius tantum gratia veniant, huic alium de paruulorum communione adiungendum. Sed cum imperatum vt super ea re Decretum formaretur, & coeptum esset legi, visum est nonnullis perparum duos modò articulos reseruare, satiusque esse, primum in tres diuidi. ita quatuor articulos reseruatum iri. quibus si Sacrificium missæ adiungatur, de quo grauis & multiplex sit controuersia, tum manifestò omnes conspicaturos, multas, & magni ponderis quæstiones de industria relictas. In id omnes vbi assensissent, & diceretur, Protestantes enixè petere, vt super ijs articulis audiantur, Antistes quidam *Germanus* in pedes assurgens percunctatur, ecquis id petijsset, & à quo? id enim vt appareat plurimum interesse, ne si à se postmodùm illud minimè factum dicant, ad infamiam Concilij redundare videatur. Sed cùm præter Comitem *Monfortum* nemo id profiteretur, &, quod ille dixerat, neque ad quatuor articulos, neque ad Eucharistiæ materiam restringendum putaretur, sed in genere de omnibus cum Protestantibus controuersijs accipiendum, hic scilicet aqua hærebat, neque difficultatis huius exitum reperiebant. Nàm si proprio motu id Synodus faceret, præterquam, quòd è dignitate Synodi non esse videretur, etiam merito sibi obijci posse animaduertebant, pari ratione cætera omnia capita controuersa esse reseruanda. Visum itaque sibi optimè sic consultum, si dicerent, Protestantes non flagitare, neque petere, sed desiderare tantum, vt in Synodo audiantur. id enim indubitatæ veritatis esse, & varijs occasionibus ab ipsis significatum. Et quamuis de omnibus controuersijs audiri cupiant, verè tamen de parte aliqua affirmari, quod vniuersè de omnibus dicatur, cæteris neutiquam exclusis. Id perinde esse plerique putabant, ac si quis filum sibi, quo tegeretur, obduceret: sed cum melius nihil occurreret, pedibus in hanc sententiam itum est. Cum igitur ob hanc causam articuli qui reseruabantur, tum ex doctrinæ capitibus, tum ex Anathematis eximendi essent, placuit ea quæ restabant anathemata, ad maiorem rei perspicuitatem diuidere, & ad vndecim redigere. Verùm in Decretis contra abusus stabiliendis noua rursum exorta difficultas, vbi ea collocanda. Nam inter dogmata fidei non erat ijs locus, quæ ceremonias tantùm & ritus spectabant. neque appositum videbatur capitibus reformationis ea inserere, propter argumenti diuersitatem. Tertium autem genus ab illis separatum instituere nouitatem sapiebat, & ab ordine instituto discessionem. Post multam demum disceptationem placuit ea in præsens omittere, & postmodùm Decretis de Missa annectere. In capitibus reformationis approbandis nihil erat difficultatis, quod iam ante ab eisdem essent stabilita. Reliquum erat diploma liberi commeatus, cuius conficiendi cura Præsidibus tradita, aduocatis in consilium talium formularum gnaris. vnde facile erat Legato, illud, quod Roma missum fuerat, Synodo obtrudere.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Articulos aliquot de Eucharistia in aduentũ Protestantum reseruandos de communi Patrum consensu statuitur.

Cum dies Octobris vndecimus venisset, Patribus in æde sacra more consueto congregatis, Missam celebrauit *Maioricæ* Episcopus; concionem in encomium Sacramenti Eucharistiæ habuit Archiepiscopus *Turretanus*, reliquisque ceremonijs, quæ solent fieri, peractis, Decretum de doctrina ab Episcopo celebrante recitatur, cuius hæc fere summa.

SESSIO XIII.

Sanctam Synodum congregatam, vt antiquam de fide doctrinam exponat, & incommodis quæ in Ecclesia ex sectis oriuntur remedium afferat, à principio in votis habuisse, stirpitus conuellere zizaniam in doctrina Eucharistiæ seminatam. Catholicam itaque doctrinam ab Ecclesia semper creditam tradentem, omnibus Christi fidelibus interdicere, ne in posterum aliter credant, doceant, aut prædicent, quàm est hoc præsenti Decreto explicatum.

Decretum de Eucharistiæ sacramento, VIII. capitibus constans.

Docere

CAPVT. I. De reali præsentia Christi.

Docere primùm in Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Iesum Christum verè, realiter, & substantialiter sub specie rerum sensibilium contineri. Neque hæc inter se pugnare, Christum esse in coelo, iuxta modum existendi naturalem, & nihilominus multis alijs in locis sua substantia Sacramentaliter esse præsentem, ea existendi ratione, quam per fidem faciliùs assequi, quam verbis exprimere possumus. Enimuerò maiores omnes hoc apertissimè professos, hoc Sacramentum in vltima coena Christum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus ac Sanguinem præbere disertis & perspicuis verbis testatus est, quæ verba cùm apertissimam significationem præ se ferant, indignissimum esse flagitium, ea ad imaginarios tropos, quibus veritas carnis & Sanguinis Christi negatur, detorquere.

II. De ratione institutionis Eucharistiæ.

Deinde docere, Sacramentum hoc à Christo institutum in sui memoriam, præcipiente, vt sumeretur, tanquam spiritalis animæ cibus, & tanquam medicina culpis quotidianis purgandis, & antidotum ad præuortendum peccatis mortalibus: tum vt pignus esset gloriæ nostræ futuræ, & Symbolum illius corporis, cuius ipse est caput.

III. De excellentia huius Sacramenti super reliqua.

Et quamuis huic Sacramento cum cæteris hoc sit commune, quod rei sacræ sit Symbolum, illud tamen in eo proprium ac singulare; quod reliqua tunc primùm sanctificandi vim habeant, cum quis illis vtitur: hoc vero ipsum sanctitatis authorem ante vsum contineri. nondum enim Apostolos Eucharistiam de manu Domini accepisse, cum ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat. Atque hanc Ecclesiæ fidem semper extitisse, verum Christi corpus sub specie panis, & sanguinem sub vini specie esse vi consecrationis; sed per concomitantiam sub alterutra specie vtrumq; contineri; & tantundē sub qualibet ipsius speciei parte quantum sub vtraq;.

IV. De Transubstantiatione.

Declarare porro, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ ipsorum in substantiam corporis & sanguinis Christi; eamque conuersionem vocabulo proprio & conuenienti ab Ecclesia Catholica appellari Transubstantiationem.

V. De veneratione huic Sacramento exhibenda.

Ideo fideles omnes Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento deferre, pieque admodum ac religiose peculiarem quendam diem festum quotannis in eius honorem celebrari, perque vias & loca publica cum supplicatione solemni honorifice circumgestari.

VI. De consuetudine eius asseruandi, & ad infirmos deferendi.

Similiter consuetudinem in sacrario Eucharistiam asseruandi, à Concilij Niceni tempore inualuisse, & deferendi eam ad infirmos vetustissimo vsu receptam; præterquam quòd cùm summa ratione nitatur, tum in Concilijs plerisque præceptum inueniatur.

VII. De præparatione adhibenda, vt quis digne percipiat.

Cumque ad nullam rem sanctam nisi animo perpurgato sit veniendum, quò maior est Sacramenti huius sanctitas, hoc maiori reuerentia & præmissa sui probatione ad eius perceptionem accedendum. Probationem vero sic instituendam, vt nullus peccati mortalis sibi conscius, quantumuis contritus videatur, nisi Sacramentali prius confessione expiatus, Eucharistiam attingat: idque Sacerdotibus, quorum officium est celebrare, diligenter attendendum, modo non desit copia confessoris; sin desit, statim à celebratione confitendam.

VIII. De vsu huius Sacramenti.

Docere insuper tres esse Eucharistiæ percipiendæ rationes. Vnam, qua sumitur Sacramentaliter tantum, vtpote à peccatoribus. II. qua Spiritualiter duntaxat nempe

nempe ab his, qui per fidem viuan, & voto panem illum cœlestem edunt. III. qua vtroque iunctim modo sumitur ab ijs, qui vt supra dictum est probati, diuinam hanc mensam accedunt. Item in tali sumptione traditionem Apostolicam retinendam: vt Laici à sacerdotibus communionem accipiant, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicent. Hortatur dein Synodus Christianos omnes, vt in hanc doctrinam consentiant.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Decreto sic perlecto anathemata dein vndecim recitantur. Canones XI.

I. Si quis negauerit in Eucharistia contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vnà cum anima & diuinitate Christi ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura aut virtute.

II. Si quis dixerit in Eucharistia permanere substantiam panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Christi, negaueritue mirabilem illam conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; quam quidem conuersionem Ecclesiæ aptissimè appellat Transubstantiationem.

III. Si quis negauerit in Eucharistiæ sacramento sub vnaquaque, specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta, totum Christum contineri.

IV. Si quis dixerit, peracta consecratione in Eucharistiæ sacramento non esse corpus & sanguinem Christi, nisi tantùm in ipso vsu dum sumitur, non autem ante vel post: & in hostijs seu particulis consecratis, quæ post communionem reseruantur, verum Domini corpus non remanere.

V. Si quis dixerit, præcipuum Eucharistiæ fructum esse peccatorum remissionem, vel ex ea non alios effectus prouenire.

VI Si quis dixerit Christum in Eucharistia non esse cultu Latriæ adorandum, aut peculiari festiua celebritate venerandum; neque in processionibus solemniter circumgestandum: vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum; aut eius adoratores esse idololatras.

VII. Si quis dixerit non licere eam in Sacrario reseruari, sed statim à consecratione astantibus distribuendam: neq, licere, vt ad infirmos honorificè deferatur.

VIII. Si quis dixerit Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, & non etiam sacramentaliter, ac realiter.

IX. Si quis negauerit, fideles adultos, ad communicandum singulis annis, saltem in Paschate teneri.

X. Si quis dixerit non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare.

XI. Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem ad sumendum Eucharistiæ sacramentum præparationem. Declarat tandem Synodus ad eam præparationem requiri Confessionem sacramentalem. Qui verò contrarium docere, prædicare, pertinaciter asserere, aut in disputationibus publicis propugnare sustineat, eum pro excommunicato habendum.

Decretum de reformatione monet principio Episcopos, *vt in Iurisdictione exercenda moderationem ac charitatem adhibeant. Dein statuit vt in causis visitationis & correctionis, siue habilitatis & inhabilitatis, nec non in criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali; ante sententiam definitiuam, ab*

Decretum de Reformatione, cuius VIII. capita.

Iulius 3. Carolus 5. Edoardus 6. Henricus 2.

ab interlocutoria, aut alio quocumque grauamine inemendabili non appelletur.

II. *Vbi vero appellationi locus fuerit, si Apostolica authoritate in partibus eam committi contigerit, non alteri quàm Metropolitano, seu illius in Spiritualibus Vicario generali committatur. Aut si ille aliqua de causa suspectus foret, aut longius absit, seu ab ipso appellatum fuerit, non nisi vni ex vicinioribus Episcopis, seu illius Vicario committatur.*

III. *Reus item ab Episcopo, aut eius Vicario generali sic appellans, teneatur coram iudice ad quem prouocauit in secunda instantia, omnia primæ instantiæ acta producere: quæ quidem iudex ille, à quo appellatum fuit, intra triginta dies, postulanti gratis exhibere debet.*

IV. *Tum vt Episcopus per se, aut per Vicarium generalem, contra quemuis clericum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem procedat. Imo ad solemnem Degradationem, adhibitis totidem Abbatibus, vsum mitræ & baculi habentibus, si commodè reperiri possint, aut alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quot Episcoporum præsentiam numerus à Canonibus definitus requirebat.*

V. *Vt Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, per seipsum cognoscat, super absolutione alicuius delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam delinquens per eam summariè condemnatus fuerat, compertoque gratiam eam impetratam vel per narrationem falsi, vel per veri reticentiam, istam gratiæ obreptionem non admittat.*

VI. *Vt Episcopus ad personaliter comparendum non citetur, nisi ob causam, propter quam iure deponendus veniret, quacumque iudicij forma contra eum procedatur.*

VII. *Vt testimonia contra Episcopum in causa criminali ad informationem non recipiantur, nisi testes bonæ existimationis & famæ fuerint: quod si odio & affectibus adducti testimonium dixerint, tum grauibus pœnis mulctentur.*

VIII. *Neque Episcoporum causæ, quoties criminum insimulantur, per alium quàm ipsum Pontificem terminentur.*

Decretũ prorogationis, definitionis IV. articulorum.

Posthæc aliud Decretum fuit promulgatum, quo Synodus dicebat, *se, cupientem errores omnes, tanquam vepres ex agro Dominico euellere, quatuor articulos accuratè tractasse.*

I. An necessarium sit ad salutem, & diuino iure præceptum, vt singuli Christi fideles sub vtraque specie sacramentum accipiant.

II. An minus sumat, qui sub altera, quam qui sub vtraque specie communicat.

III. An errauerit Ecclesia, Laicos, & sacerdotes non celebrantes, sub vnica panis specie communicando.

IV. An paruuli etiam communicandi sint. Sed quoniam Germaniæ *Protestantes, super his ipsis articulis, antequam definiantur, audiri cupiunt, eamque ob causam cautionem publicam postularunt, vt ipsis tutò venire, commorari, liberè coram Synodo loqui, quæ sentiant proponere & postea recedere liceat: Synodum bene sperantem fore, vt illi in vnius fidei, spei, charitatisque concordiam reduci possint, hac in re morem ijs gessisse, securitatem & fidem publicã, quam Saluum conductum vocant interposuisse, quantum ipsorum interesset, eo, qui mox sequitur, tenore; ipsorumque causa Articulorum definitionem ad diem vicesimum quintum Ianuarij anni*

anni sequentis, distulisse: atque illud simul decreuisse, in eadem Sessione de Sacrificio Missæ agendum, propter magnam vtriusque connexionem. Interea Sessione proxima in XXV. Nouembris indicta, de Poenitentiæ, & extremæ vnctionis Sacramentis tractandum.

Paulus 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Salui autem conductus hic erat tenor. *Sacrosanctam Synodum concedere publicam fidem & plenam securitatem, quam saluum Conductum appellant, cum omnibus clausulis necessarijs & opportunis, etiamsi specialiter exprimi deberent, quantum ad ipsam spectat, omnibus & singulis personis, siue Ecclesiasticis, siue secularibus vniuersæ Germaniæ, cuiuscunque gradus, status & conditionis sint, quæ ad Oecumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint; vt possint de rebus, quæ in Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ad Concilium tuto venire, in eo morari, articulos tam scripto, quàm verbo offerre, cum Patribus à Synodo delectis conferre, & absque vllis conuitiis & contumelijs disputare, nec non quando ipsis placuerit, recedere. Placere præterea ipsi Synodo, vt si pro maiore eorum libertate & securitate, certos sibi iudices deputari cupiant, pro delictis siue commissis siue committendis, quantumuis enormia sint, aut hæresim sapiant, penes ipsos sit nominare eos, quos sibi beneuolos expectent.*

Saluus Conductus Protestantibus datus.

Lectum dein *Ioachimi* Electoris *Brandeburgici* Mandatum per Legatos suos *Christophorum Strasium* Iurisconsultum & *Ioannem Ossmannum* ad Concilium missum. Horum ille præclaram Principis sui voluntatem, & erga Patres obseruantiam prolixè commemorat, quid de re religionis sentiret, planè reticens. Respondet Synodus, aut Synodi potius nomine *Promotor*, magna se cum voluptate Legati sermonem audisse, præsertim illud, quod Synodo se Princeps omnino submittat, eiusque Decretis staturum se spondeat; sperare futurum, facta dictis vti respondeant. Atque hanc *Brandeburgici* Legationem plerique suggillabant, quod, cùm fidem ille profiteretur *Augustana confessione* testatam, tamen rerum suarum aspectu officij simulationem egregia specie Synodo ostentaret: nempe, quo *Romam*, & Catholicos in *Germania*, qui *Friderico* filio, ad *Magdeburgensem Archiepiscopatum*, locupletem & amplum Principatum à Collegio Canonicorum electo remoras & impedimenta obijciebant, magis fauorabiles experiretur. Neque minori fuit admirationi Concilij responsum, propter bellissimam & fructuosissimam contrahendi rationem, stipulando X. & pacti eius vigore decem millia exigendo. quandoquidem numeri hi inuicem comparati non magis proportione distent, quam obseruantia ab Electore Synodo promissa, à submissione quam illi expectabant. Sic tamen excusatum à nonnullis, quod Synodus non tam attendat quid dicatur, quàm quid dicendum fuerat: familiaremque esse Ecclesiæ Romanæ piam illam illecebram, ad filios debiles lucrifaciendos, quando languidos eorum conatus in eam partem accipere se ostendit, tanquam omnibus debiti officij partibus perfuncti essent. Nam, cum Patres Concilij *Carthaginiensis* ad *Innocentium* primum Pontificem scriptis literis, de condemnatis à se *Celestino* & *Pelagio* nunciassent, petijssentque vt ad ipsorum sententiam vellet accedere, ab eo responsum, esse quidem laude dignos, qui antiquæ traditionis & Ecclesiasticæ disciplinæ memores, rem omnem arbitratui suo permisissent, à quo omnibus addiscendum esset, quem absoluere, quemue condemnare debeant. Et mehercle gratiosa admodum ea est ratio, sermonem hominibus per silentium affingere, quem verbis nunquam exprimant.

Electoris Brãdeburgici Mandatum per Legatos, & Synodi responsum.

Vtrumque hominum censuris obnoxium.

Synodi astutia, ab Pontificibus etiam vbi vsus, adhibita.

Deinde, quòd *Abbati Bellosano* Galliæ Regis Legato dies ille dictus fuerat, ad expectandum Synodi ad Regias literas & protestationem responsum, præconi publico imperatum ad templi fores inclamare, si quis Christianissimi Regis nomine adesset. Nemine autem comparente, quòd Consiliarijs Regijs aliter visum, ne

Synodi responsum Galliæ Regis Legato etiam absenti datum: quo nonnullis Protestationis capitibus occurritur.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

causam ibi disceptaret, vbi responsum accepturus non esset, nisi quod *Romæ* à Pontifice Hispanisque cusum; Promotor, quod Synodus respondendum decreuisset, publicitus legi petijt, idque Præsidibus annuentibus factum, in hanc sententiam. Patres Concilij, qui de Regia erga se beneuolentia amplissima sperassent, ex Legati verbis, propter expectationem eam imminutam, maximum dolorem cepisse. quoniam tamen sibi conscij sint, nullam offensionis causam à se datam, spem omnem nondum abiecisse. Nam, quod Concilium priuatæ paucorum vtilitatis causa dicat indictum, in eo consessu locum minimè habere, qui non ab hoc modo Pontifice, sed a *Paulo* quoque III. conuocati sint ad extirpandas hæreses, & disciplinam emendandam, quibus caussæ nullæ magis piæ aut latius patentes afferri possunt. Orare igitur, permittat suæ ditionis Episcopis, vt hoc tam sanctum opus adiuuent, animi sui sensum libere elocuturi. Etenim, si patienter & attentè auditus nuper ipsis Nuncius homo priuatus, & parum iucunda referens, quanto plus viris primarijs & in summa dignitate constitutis, deferendum? Et quanquam neminem mittat, Concilio certe nihilo secius suam constare dignitatem & authoritatem: quod & legitimè sit indictum, & iustis de causis restitutum. Quod autem protestatus sit, vsurum se remedijs, quæ maiores sui adhibere consuessent, Synodum bona spe esse, quæ maximo regni Galliarum emolumento iam abrogata sunt, ea nunquam reuocaturum; sed ad maiores suos respicientem ad illud *Regis Christianissimi* cognomen, & ad parentem *Franciscum* magnum Synodi illius decoramentum, imitantemque domesticum hoc exemplum, ingratum in Deum, aut in communem omnium matrem Ecclesiam neutiquam futurum, sed priuatas offensiones publicæ rei condonaturum.

Decretum de Eucharistia in varias hominum censuras incurrit.

Euulgatis Sessionis huius Decretis doctrina de Eucharistia *Germanis*, alijsque in rebus examinandis curiosis, multiplicem disserendi materiam præbuit. Primum, vbi de modo existentiæ agitur, qui dicitur vix verbis posse exprimi; mox tamen affirmatur conuersionem eam propriè vocari *Transubstantiationem*, & alibi, vocem eam esse aptissimam. vnde dubitandum non fuisse, quin posset verbo exprimi. Deinde, quod dicitur *Christum* post panis vinique benedictionem dixisse, se suum ipsius corpus & sanguinē præbere, pugnat cum omniū Theologorū, & totius Ecclesiæ Romanæ opinione, quasi consecrationis verba non fuerint, Hoc est corpus meū, cum ea post consecrationem dicta esse affirmet. Ad hæc quod asseritur, corpus Christi esse in Eucharistia ante vsum, quia *Christus* affirmabat, corpus suum esse, quod præbebat, antequam Apostoli Eucharistiam de manu Domini acceperant, arguere videtur præbitionem non pertinere ad vsum, licet contrarium in manifesto sit. Tum quod Cap. V. doctrinæ, dicitur Sacramento Eucharistiæ deberi cultus latriæ siue Diuinus, tanquam loquutio admodum impropria subnotabatur, cum per Sacramentum non res significata, aut contenta, sed significans & continens intelligatur: ideoque in Canone VI. loquutionem eam emendatam, vbi dicitur, Dei filium in Sacramento adorandum. Notatum denique, quod dicitur Anathemate III. totum *Christum* contineri sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta, quasi inde sequeretur, non esse totum in singulis partibus etiam ante separationem.

Protestantium exceptio contra prorogationem definitionis IV. articulorum.

De Decreto reformationis soli Sacerdotes querebantur eo Episcoporum authoritatem nimiopere auctam, Clerum vero in seruitudinem grauiorem adductum. At Protestantibus, vbi acceperunt, se à Synodo postulasse, vt de quatuor tantum articulis audiantur, res admiranda videbatur, quempiam ipsorum nomine tale quidquam desiderare, qui cum in publicis Ordinum *Germaniæ* Conuentibus, tum scriptis quaquauersum sparsis toties professi sint, se omnium controuersiarum disceptationem requirere, neque quidquam eorum, quæ *Tridenti* definita, admittere, sed ad incudem denuo reuocanda censere. forma quoq; fidei publicæ visa ipsis admodum captiosa, quandoquidē tā in Decreto quo cōceditur, quàm in ipsis Salui Conductus verbis clausula reseruatiua inseritur, *quantū ad ipsam Synodū spectat*. Neminē enim ab alio deposcere, nisi quod ad ipsū spectet concedere. itaq; affectatā istā in clausula hac exprimenda iterandaq; diligentiā indicio esse, excogitatam iam rationē, qua & fidē datam violare, & alienū nomē culpæ prætexere valeant. Neq; dubitare se, hic oculos & mentem habuisse Synodum, quomodo Pontifici ianuā relinquerent apertam, per quā sua

Item contra formam Salui conductus.

Conci-

Concilijque dignitate incolumi, id operari possit, quod vtrique bono sit cessurum. Tum illud de deputatione certorum iudicum, pro delictis admissis & admittendis, decipulæ quoddam genus esse incautis illaqueandis. Ipsos denique Grammaticastros Salui Conductus structuram irridere, in qua inter verbum principale & nominatiuum suum in principio sententiæ positum, dictiones plus minus C. L. intercurrant. Visum certe Protestantibus de communi assensu, huic fidei nequaquam fidere, aut se committere, sed cautionem eiusdem modi, qualis à Concilio *Basileensi* Bohemis fuerat concessa, eodemque prorsus verborum tenore exposcere. Quam si impetrassent, tum controuersias omnes sacra scriptura iudice arbitrandas. Sin minus, esse cur apud *Cæsarem* excusatiores esse debeant.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

Die Consessum subsequente habita Congregatio generalis, ad institutam de *Pænitentia* & *extrema Vnctione* tractationem ordine digerendã; & de reformatione prosequendam. Ac principio illud Patribus in mentem veniebat, Theologos modum rerum tractandarum ipsis præscriptum negligere, & prætergredi. inde nasci contentiones, quibus animorum ille consensus & conspiratio ad oppugnandos Lutheranos necessaria, euertitur. Renouandum itaque decretum, neque permittendum, vt in Synodo agatur scholarum in morem, spinosis argumentorum aculeis, sed Theologia politiua, iuxta ordinem propositum, quem oporteat denuo stabiliri, cùm ad confusionem vitandam, quæ ex eius neglectu suscitata, tum ad satisfaciendum Belgis, alijsq; Theologis in comitatu *Germanorum Præsulum*, sui rationem pro merito non haberi quiritantibus. Iam decretum erat agere de *pœnitentia* & *extrema vnctione*: dictumque erat aliquid de re reformationis, illis etiam designatis, qui cum Nuncio *Veronensi* articulos in dogmatis fidei, & cum Nuncio *Sipontino* in materia reformationis concinnarent. In re fidei super sacramento pœnitentiæ, è libris *Martini Lutheri* & suorum XII. articulos ad verbum exscripserant, de quibus disceptandum erat inter Theologos, an hæretici essent, & damnari idonei. Sed in Anathematis formandis, post audita Theologorum suffragia, articulorum ea facta mutatio, vt cùm vix vestigium aliquod prioris formæ remanserit, eos recitare sit superuacaneum. His additi articuli IV. de *extrema Vnctione*, sed ij Anathematis totidem vsquequaque respondebant. Vbi autem articuli hi conspiciuntur, ibidem videre est III. Decreta sub id ipsum tempus facta. Vt Theologi in sententijs pronuntiandis, Sacræ Scripturæ, traditionibus Apostolorũ, Concilijs approbatis, summorum Pontificum Constitutionibus, Sanctorum Patrum authoritatibus ab Ecclesia Catholica vnanimi consensu receptis insistant, breuitatem adhibeant, quæstiones inutiles, & contentionum peruicaciam fugiant. Vt in loquendo hunc ordinem seruent; A Pontifice missi primo loco dicant; Secùndo, qui à *Cæsare*; Tertio, qui Louanio à Regina *Maria Cæsaris* sorore; Quarto, Theologi qui in comitatu Electorum; Quinto Clerici seculares pro tempore promotionis; Sexto, regulares pro dignitate Ordinum suorum. Vt congregationes quotidie bis habeantur, mane & à meridie singulis vicibus ternis horis. De reformatione formati XV. articuli, qui omnes respondent capitibus deinceps stabilitis excepto decimoquinto. quo propositum, ne beneficia cuiquam darentur in Commendam, nisi ea esset ætate, quam lex requirit in habente cum titulo; ille verò statim in ipsis cunis suffocatus, quippe qui permultis Præsulibus impedimento fuisset, ne beneficia sua nepotibus resignarent.

Theologi à spinosis quæstionibus ad solidam doctrinã ex præscripto Patrũ denuo reuocantur.

Articuli de pœnitentia & extrema vnctione è Protestantum libris excerpti.

Decreta III. de ordine procedendi in Synodo.

Pontifex literis (vti iam dictum est) *Heluetios* Catholicos ad Concilium inuitarat, & per *Hieronymum Francum* Legatum suum, *Cæsare* etiam adminiculante, id ipsum sollicitare non destiterat. At *Galliæ* Rex per Legatum quoque suum *Morletum Musam* tendebat in contrarium, ne quem eò mitterent, adnitente *Vergerio*, arcanorum & artium Pontificis probe conscio. Ille *Morleto* & argumenta subministrat, quibus persuadeat *Heluetijs* quod volebat, & de fugiendo Concilio ipse libellum emittit. Vnde in conuentu *Badensi*, qui tum celebrabatur, non *Heluetij* modò, tam Catholici, quam Euangelici, omnino statuunt neminem esse mittendum; sed & *Rhæti*, monitu *Vergerij*, Pontificem aliquid moliri, quod sibi fraudi esset futurum suspicati, *Thomam Plantam*, *Curiensium* Episcopum, qui Concilio iam interfuerat, reuocant.

Regis Galliæ Legatus adminiculante Vergerio persuadet Heluetijs, ne quem è suis ad Concilium mittant.

Iam *Tridenti* Theologi in Congregationibus seduli, ordinem quidem XII. articu-

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

lorum propositorum seruant, sed in materia pœnitentiæ discutienda, eam non solum iuxta Scholasticos, sed etiam secundum Canonistas pertractant, sequuti *Gratianum*, qui super ea re vna proposita quæstione, ob prolixitatem in sex distinctiones eandem post partitur. Neque ratio tractandi à Præsidibus Concilij præscripta de doctrinæ capitibus & petendis, & firmandis ex quinq; illis fontibus & Locis supradictis, quidquam valuit ad vitandam prolixitatem & superfluitatem, aut ad inutiles & vanas quæstiones resecandas: quin potius maioris confusionis dedit occasionem; Theologis scholasticis, se sermone suo rem ipsam premere, eumque totum serium ac seuerum esse persuasis. Ita nouo isto modo, quem *positiuum* vocabant (voce *Itala* à vestitus modestia, apparatu ac luxu destituti) in ineptias præcipitatum. E sacra scriptura citant omnia loca Prophetarum & Psalmorum, inprimis vbi occurrit verbum *Confiteor*, aut eius verbale *Confessio*, quod Iudæorum lingua significat *Laudem*, aut potius professionē religiosam, quæ ad Sacramentum *Confessionis* velut obtorto collo rapiunt. Tum, etsi minus ad rem faciat, figuras afferunt è Testamento veteri decerptas, quibus Confessionem præfiguratam imaginantur, quam apposite in rem præsentem possint accommodari non attendentes, sed quò plures quisque in medio ponat, ita plurimi eum facientes. Præterea, ritus omnes, humilitatem, dolorem, & pœnitudinem confitentibus familiarem significantes, Traditionum Apostolicarum nomine audacter adumbrabant: miracula innumerabilia vetera ac recentia, ex quibus appareat confessioni addictis omnia fœliciter cessisse, eiusdem incuriosis ac indiligentibus improsperè cuncta euenisse, cōmemorabant. Recitabantur etiam authoritates à *Gratiano* citatæ, quibus alium atque alium sensum pro instituto suo affingebant, aliorum quoque sententijs accumulatis. Adeo, vt qui horum Doctorum sermonibus aurem commodare vellet, facile animum induceret credere, Apostolos, & veteris Ecclesiæ Episcopos, quicquid sibi erat temporis impendisse, aut peccatis suis flexis genibus confitendis, aut aliorum confessionibus audiendis. Sed inter omnia nihil æquè faciebat ad rem, aut omniū vocibus adeo laudabatur, quàm *Concilium Florentinum*. Equidem si quis libellos memoriales illorum temporum euoluat, vix quicquam reperiet præcipuè memoria dignum, quod non mox dicendum, vbi doctrinæ summa explicatur; isthuc tamen meo quidem animo tacendum minime videbatur. Iam ex hisce tam diuersi generis palearum manipulis in aream comportatis, mirum videri non debet, si excussa fuerint varia granorum genera, dum capita doctrinæ inde seliguntur, quæ propter mixturam perpaucis placuit in vniuersum. Atque in hac materia variatum est ab eo, quod in alijs omnibus studiosè seruatum: nempe nulla vt Catholicorum opinio damnaretur, sed discrepantibus Theologorum sententijs, Synodus in sua exprimenda eo vteretur temperamento, vt omnibus satisfieret. Quæ res nos quoque cogit ordinem inchoatum derelinquere, ac substantiam Decreti qua forma exhibita fuit legenda in consessu, primo loco exponere, dein quod quibusdam è Concilio parum probabatur, id subnectere.

Theologi in articulis de pœnitentia discutiendis nihilo minùs quàm antea, in allegationibus suis & immodici, & inepti.

Decretum igitur erat istiusmodi. *Quamuis, vbi de Iustificatione tractatum, multus fuerit de Poenitentiæ Sacramento sermo, ad profligandos tamen diuersos huius ætatis errores, veritatem fidei Catholicæ esse porro illustrandam; quam Sancta Synodus Christianis omnibus perpetuo seruandam proponit.*

Decretum de Pœnitentia constans IX. capitibus.

CAP. I. De necessitate, & institutione sacramenti Pœnitentiæ.

Nempe Pœnitentiam *omnibus sæculis fuisse necessariam, etiam post* Christi *aduentum, illis qui Baptismate abluendi essent; sed poenitentiam eam, neque ante aduentum* Christi, *neque post illius aduentum, cuiquam ante Baptismum esse Sacramentum. Aliam verò ab ipso* Christo *institutam, quæ Sacramentum esset, cum in discipulos suos insufflauit Spiritum sanctum, cum potestate* remittendi & retinendi *peccata, id est, reconciliandi fideles post Baptismum in peccata lapsos. Atque eo sensu* Christi *verba Ecclesiam semper accepisse, eundemq; Sanctam Synodum probare ac recipere, damnatis reiectisq; eorum interpretationibus, qui verba illa ad potestatem Euangelij annunciandi falso detorquent.*

Porro

Porro hoc Sacramentum à Baptiſmo multis nominibus differre. Nam præterquã quad materiâ & forma longiſſimè diſſident, certe Baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere; ſed qui poſt Baptiſmum ſe crimine aliquo contaminauerit, ante ſacerdotis tribunal tanquam reum ſiſti, vt illius ſententiâ à peccato poſſit liberari. Deinde, per Baptiſmum plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem obtineri, per Sacramentum verò poenitentiæ, non ſine fletibus ac laboribus eò perueniri. Neque minùs neceſſarium hoc pœnitentiæ Sacramentum ad ſalutem, lapſis poſt Baptiſmum, quàm Baptiſmum ipſum nondum regeneratis. II. De differentia Pœnitentiæ & Baptiſmi.

Verùm formam huius Sacramenti poſitam eſſe in illis miniſtri verbis, Ego te abſoluo &c. quibus de Eccleſiæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, vtcumque ad Sacramenti adminiſtrationem minimè neceſſariæ. Ipſius etiam quaſi materiam eſſe poenitentis actus, Contritionem, Confeſſionem, & ſatiſfactionem: qui hac ratione poenitentiæ partes dicuntur. Rem verò ſignificatam & effectum huius Sacramenti eſſe, reconciliationem cum Deo, quam interdum pax & ſerenitas conſcientiæ ſequitur. Vnde à Synodo non iniuria damnari eos, qui conſcientiæ terrores, & fidem partes eſſe pœnitentiæ contendunt. III. De partibus & fructu huius Sacramenti.

Iam Contritionem eſſe animi dolorem de peccato commiſſo, cum propoſito de cætero non peccandi. Eius motum quouis tempore ad impetrandam peccatorum veniam fuiſſe neceſſarium: ſed in homine poſt Baptiſmum lapſo, eſſe ad remiſſionem peccatorum præparationem; dummodo coniunctus ſit cum voto reliqua omnia præſtandi, quæ ad Sacramentum hoc rite percipiendum requiruntur. Neque ſolum ceſſationem eſſe à peccato, & propoſitum ac inchoationem vitæ nouæ, ſed etiam anteactæ vitæ odium. Et quamuis aliquando coniunctam habeat charitatem, hominemque Deo reconciliet, ante perceptum hoc actu Sacramentum; ipſam nihilominus reconciliationem ei nequaquam adſcribendam, niſi adſit Sacramenti percipiendi votum. Actionem autem illam, quæ vel ex peccati turpitudine, vel ex ſupplicij metu, cum ſpe veniæ naſcitur, hypocriſin haudquaquam eſſe; ſed Dei potius donum, quo poenitens adiutus, viam ſibi ſternit ad iuſtitiam. Quæ quidem licet peccatorem per ſe ſine Sacramento poenitentiæ ad iuſtificationem perducere nequeat: eum tamen ad Dei gratiam Sacramento Poenitentiæ impetrandam diſponere. IV. De Contritione.

Ea propter Eccleſiam ſemper intellexiſſe, inſtitutam à Chriſto integram peccatorum confeſſionem, tanquam iure Diuino omnibus poſt Baptiſmum lapſis neceſſariam. Relictis enim à Domino ſacerdotibus ſui ipſius Vicarijs, tanquam omnium peccatorum mortalium iudicibus, liquidò conſtare, neque iudicium hoc ab illis ſine cauſæ cognitione exerceri potuiſſe, neque æquitatem in pœnis inferendis ſeruari, niſi peccatis in ſpecie ac ſigillatim, non in genere duntaxat manifeſtatis. Ideo poenitentibus omnia peccata mortalia, etiam occultiſſima, in confeſſione recenſenda; quando venialia, vtcunque vtiliter retegi, certe citra culpam taceri poſſunt. Neque ipſa ſolùm peccata, ſed & circumſtantias peccatorum, quæ ſpeciem ipſorum mutant, in Confeſſione explicandas; cum alioqui neq; de grauitate criminum, neque de poena pro merito infligenda commode liceat iudicare. Quamobrem impietatis arguendos, qui eiuſmodi confeſſionem impoſſibilem dicant, aut carnificinam conſcientiarum appellent; quâ non aliud à confitentibus exigitur, quam vt, poſt V. De Confeſſione.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

excussos omnes conscientiæ sinus, quisque ea agnoscat, quibus se Deum offendisse meminerit: cùm, quæ diligenter animo reputanti non occurrunt, eâdem confessione inclusa esse intelligantur. Et quanquam non vetuerit Christus *delicta publicè confiteri, non esse tamen hoc diuino præcepto mandatum: imo nec imperantium bono futurum, delicta, præsertim secreta, publica confessione propalare. Vnde, cum secreta Confessio Sacramentalis Patrum consensu semper fuerit probata, manifeste refelli inanem eorum calumniam, qui eam inuentum vocant humanum, à Concilio* Lateranensi *primitus excogitatum, quod confessionem non instituit, sed vnicuique præcepit, vt saltem semel quotannis sua secus admissa Sacerdoti indicaret.*

VI. De ministro huius Sacramenti & absolutione.

Circa ministrum autem huius Sacramenti, Synodum declarare, doctrinas eas falsas, quæ Clauium ministerium ad omnes fideles extendunt, vt quiuis potestatem habeat Ligandi & Soluendi, Remittendi & Retinendi *peccata publica per correptionem, secreta vero, per confessionem spontaneam cuicumque factam. Docere etiam, Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, potestatem habere remittendi peccata; quæ potestas non est solum nudum ministerium declarandi peccata esse remissa, sed actus iudicialis. Nemini itaque de sua sibi fide blandiendum adeo, vt per eam sibi remissionem polliceatur, etiamsi nulla illi adsit contritio, neque Sacerdoti sit animus verè illum absoluendi.*

VII. De Casuum reseruatione.

At quoniam sententia nullius est momenti lata in eum, qui Iurisdictioni non est subiectus, absolutionem Sacerdotis esse etiam nullam, qui in poenitentes nec ordinariam, nec subdelegatam habeat Iurisdictionem. Maiores quoque Sacerdotes atrociorum criminum absolutionem sibi meritò reseruare, atque in primis Pontificem Maximum, *pro suprema sua in Ecclesia potestate. Neque esse dubitandum, quin & Episcopis, in sua cuique dioecesi hoc ipsum liceat; & ista delictorum reseruatio, non in externa tantum politia, sed & coram Deo vim habeat. In Ecclesia tamen semper obtinuisse, vt in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet poenitentes, à quibusuis peccatis absoluere possint.*

VIII. De satisfactionis necessitate & fructu.

De satisfactione denique Synodum declarare, culpâ à Deo remissâ, non etiam poenam vniuersam condonari: neque consentaneum esse diuiniæ iustitiæ, vt in gratiam tam facilè ac cito recipiantur, qui post Baptismum peccarunt, à peccati & Dæmonis seruitute semel liberati, quàm qui ante baptismum ex ignorantia deliquerunt; aut vt peccatores sine fræno relinquantur, quod ab alijs eos peccatis abducat. Imo æquum esse, vt conformes efficiamur Christo *Domino, qui extrema passus satisfecit pro peccatis nostris, à quo vim habent satisfactiones nostræ, ab illo Patri oblatæ, illoque intercedente Patri acceptæ. Sacerdotibus igitur prouidendum, vt satisfactiones conuenientes poenitentibus iniungant, quæ eos non solùm à nouis peccatis arceant, sed veteres in ijs noxias castigent.*

IX. De operibus satisfactionis.

Eam tamen esse Dei erga suos benignitatem, vt satisfieri sibi patiatur non modo pœnis sponte susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; verum etiam patienter tolerandis flagellis, quibus suos cædere ipsi visum.

De pœnitentiæ Sacramento Canones XV.

Iuxta hanc doctrinam Anathemata XV. conficiuntur contra asserentes.

I. Poenitentiam non esse verè & proprie Sacramentum à Christo institutum, fidelibus post baptismum in peccata lapsis Deo reconciliandis.

II. Baptismum esse Poenitentiæ Sacramentum, Poenitentiamque non rectè secundam post naufragium tabulam appellari.

III. Christi

III. Christi *verba* Quorum remiseritis peccata *non intelligenda de Sacramento Pœnitentiæ, sed de authoritate prædicandi Euangelium.* *Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.*

IV. Contritionem, Confessionem, & satisfactionem non requiri in pœnitente, quasi materiam, aut tanquam partes sacramenti pœnitentiæ. Item terrores conscientiæ & fidem esse eius partes.

V. Contritionem non esse vtilem, sed facere hominem hypocritam; & esse dolorem coactum, non liberum ac voluntarium.

VI. Confessionem Sacramentalem non institutam, nec ad salutem necessariam iure Diuino; modumque confitendi in aurem sacerdoti, esse inuentum humanum.

VII. Non esse necessarium confiteri omnia peccata mortalia, etiam occulta, & circumstantias, quæ speciem peccati mutant.

VIII. Fieri non posse, vt quis omnia peccata confiteatur; neque fideles omnes teneri ad confitendum semel quotannis iuxta Concilij Lateranensis *Constitutionem.*

IX. Absolutionem Sacramentalem *non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium declarandi remissa esse peccata credenti. Item absolutionem ioco pronuntiatam iuuare; & confessionem pœnitentis ad absolutionem non requiri.*

X. Sacerdotes, qui sunt in peccato mortali, potestatem Ligandi & soluendi non habere: aut potestatem eam singulis fidelibus concessam.

XI. Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam.

XII. Totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque non aliam requiri, quàm fidem, quâ apprehendunt Christum *pro eis satisfecisse.*

XIII. Deo non satisfieri toleratis patienter afflictionibus ab eo immissis, vel poenis à Sacerdote iniunctis, aut sponte susceptis; optimamque poenitentiam esse tantùm vitam nouam.

XIV. Satisfactiones non esse cultum Dei, sed traditiones hominum.

XV. Claues Ecclesiæ esse datas tantum ad soluendum, non etiam ad ligandum.

Hic Theologi *Louanienses* contra illud de reseruatione casuum objiciunt, rem non esse perspicuæ veritatis. A nullo enim Patrum mentionem eius vnquam factam: immo *Durandum*, qui ipse fuerat pœnitentiarius, & *Gersonem, & Caietanum* magni nominis viros, affirmare, non peccata, sed censuras modò Pontificis iudicio reseruatas; adeoque durum nimis videri, hæreticis eos annumerare, qui aliter sentiant. Horum vero sententiæ accedebant *Colonienses* Theologi, & ipsi quoque affirmantes, neminem ex antiquis scriptoribus reseruationis meminisse, nisi in casu peccatorum publicorum; & neque bonum factum, neque Concilio decorum censentes, damnare *Cancellarium Parisiensem*, ita pium ac Catholicum scriptorem, qui scriptis suis reseruationes exagitasset. Certè hæreticos, eas incusare, tanquam pecuniarum aucupes: neque aliud esse Cardinalis *Campegij* de ijs in sua reformatione iudicium. Itaque cauendum Patribus, ne aduersarijs materiam præbeant ea objiciendi, quæ Theologis non promptum sit refellere: quin potius ea moderatione vtendum, tam in doctrina, quàm in Canone, vt Catholicis ipsis offensioni non sint. Addunt porro ijdem *Colonienses*, sensum verborum, *Quæcunque ligaueritis*, Canone X. damnatum, esse ipsam *Theophilacti* disertis verbis interpretationem, cuius condemnatione Protestantes triumphaturi sint. Item quod dictum sit, potestatem *Ligandi* de iniungendis pœnitentijs accipiendum, à Sanctorum Veterum mente longe abesse, qui *Ligandi* voce intelligebant, arcendos à perceptione sacramentorum, quoad plene satisfecissent. Instabant etiam pœnitentiæ publicæ mentionem esse faciendam, quam adeo frequenter memorant Patres, *Cyprianus* in primis, & *D. Gregorius* Pontifex, quoram hic in Epistolis

Theologi Louanienses & Colonienses excipiunt contra cap. VII. prioris decreti de casuum reseruatione.

Et Colonienses contra Canonem X. de potestate Ligandi & soluendi.

Iulius 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

pistolis iure diuino necessariam asserit; & quanquam nisi in vsum reuocetur, sperandum non sit, Germaniam hæreticis, & scelerum manifestis liberatum iri, nullum tamen neque in Decreto de doctrina, neque in Canonibus in eius commendationem verbum editum, sed eneruari potius,& vim omnem ei detrahi. Postulabant denique certo aliquo signo externo sacramenti huius materiam manifestari: alioqui obiectiones aduersariorum satis commode dilui non posse.

Item Franciscani contra cap.III.quo pœnitentis actus constituuntur pars sacramenti.

Theologis Ordinis *Franciscanorum* duo admodum displicebant, Alterum, quod Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem materiam esse sacramenti pœnitentiæ declarassent; non quòd ea ad pœnitentiam necessario requiri negarent, sed quod pro partibus essentialibus non agnoscerent. Materiam enim dicebant esse quiddam quod à ministro applicatur recipienti, non autem actum ipsius recipientis: sicuti in omnibus apparet sacramentis.absurdum itaque esse pœnitentis actus sacramenti partem constituere. Immo non minus requiri contritionem in sacramento Baptismi, quàm in pœnitentia, neque tamen partem efficere Baptismi. Olim ante baptismum peccatorum confessionem requisitam, sicuti in illis videre est, quos *D. Ioannes* baptizauit: & egisse pœnitentiam Catechumenos. Neque tamen ista quis, aut partes, aut materiam Baptismi dixerit. Quamobrem, qui opinionem istam damnet, quam & veteres Theologi *Franciscani* tenuerunt, & nunc schola vniuersa P*arisiensis*; terminos egredi, quos Patres posuerunt. Rursus male habebat eos, quod hæresi adscriberetur, dicere absolutionem Sacramentalem esse declaratiuam, cum hæc fuerit *D. Hieronymi, Magistri sententiarum* & *Bonauenturæ* dilucida sententia; ac prope omnes Theologi scholastici perspicue dixerint, absolutionem in sacramento pœnitentiæ, esse absolutionis declarationem. Atque cùm hic quidam responderent, pro hæretico non damnari, qui affirmet absolutionem esse declarationem, quod peccata sint remissa; sed declarationem quod peccata sint remissa ei, qui certo credat sibi esse remissa, vt sola Lutheri opinio anathemate hoc feriatur: ea responsio Franciscanis haud satisfaciebat. Aiebant enim, vbi de hæresi agitur perspicue loquendum, neque ad manum adfuturum semper aliquem, qui istam adferat declarationem; ideo tam in capite doctrinæ, quam in Anathemate articulum hunc elucidandum. Adhæc *F. Ambrosius* Pelargus Electoris Treuirensis Theologus,monuit, verba *Christi, Quorum remiseritis,* vix ab vllo Patrum exponi de institutione sacramenti pœnitentiæ, sed à nonnullis accipi de Baptismo, ab alijs de quocumque modo, quo peccatorum remissio obtinetur. Itaque qui verba ea ad solam institutionem sacramenti pœnitentiæ restringat, & hæreticos pronunciet omnes, qui verba aliter accipiant, magnam aduersarijs palmam dare,& materiam gestiendi, ob damnatam in Concilio veterem Ecclesiæ doctrinam. Hortari igitur, suspenso vt gradu incedentes, omnes Patrum expositiones priùs consulant, ac singulis examinatis, quid statuendum sit denique deliberent. Patrum plerique monitis his auscultandum judicabant, postulabantque, vti nouam deputati inirent consultationem, solitoque more, submotis ijs quæ cuiuis offensionem creabant, Decretum conficerent omnium suffragijs approbandum.

Et cap.VI.quo absolutio dicitur actus Iudicialis,non nudum ministerium declarans remissa esse peccata.

Ac denique Pelargus verba *Quorum remiseritis*,&c. aliorsum quam de sacramento Pœnitentiæ accipiens.

Card. Legatus nullam in superioribus decretis immutationem admittit.

At *Cardinalis Crescentius* in alia omnia potius iturus, ostendit esse à dignitate Synodi alienissimum Decreta sic eneruari, & vita animaque priuari, priuatorum hominum affectibus obsecundando. Ea, quia maturo iudicio stabilita, æquum esse obseruari. sin hæc non omnibus arrideat sententia, tum ante omnia in congregatione generalem quæstionem proponendam, An expediat Decretorum mutationem instituere, nec ne: dein ad particularia descendendum. Neque hìc quid animi haberet, quoue spectaret, vsquequaque aperuit, quod collegis amicorumque intimis pòst synceriter indicauit; nempe Decretum sibi, non tolerarare consuetudinem contendendi,aut tam effrænem loquendi licentiam;admodum periculosam, si Protestantes interuenirent. Illos enim in opinionum suarum fauorem tantum sibi arrogaturos, quantum ij,qui è Synodo sunt Theologi. Ad honestam, & cum ratione consentientem Concilij libertatem sufficere, vt quisque suam possit promere opinionem, interea dum materiæ disputationibus vexantur. Sed vbi, perrogatis omnium sententijs, Decreta sunt confecta, à Præsidibus laudata, *Romæ* visa, examinata, Pontifi-

cique

cique probata, ea tum demum reuocare in dubium, & quia priuatorum interſit, omnia innouare, rem nimis licentioſam videri. Vicit hæc Cardinalis ſententia, Patrum quamplurimis, doctrinam Decreto ſtabilitam, & laudatiſſimorum eſſe Theologorum, & nouitatibus Lutheranorum maximè aduerſam, perſuaſis. *Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.*

Et quandoquidem, quæ in eo conſeſſu dogmata fidei ſpectabant, maximam partem explicata ſunt, reliquum eſt, vt paucula, quæ de Sacramento *Extremæ Vnctionis* fuere decreta, ſubiungantur. De quo ſatis quidem multa à Theologis dicta, ſic tamen, vt ſententijs non ſit variatum. Vnde de communi aſſenſu III. doctrinæ capita & Anathemata. IIII. conficiuntur. Doctrinæ capita autem hæc. Synodi doctrina de ſacramento extremæ vnctionis, cuius III. capita.

Vnctionem infirmorum eſſe verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino noſtro apud D. Marcum inſinuatum, & per Iacobum Apoſtolum fidelibus commendatum: ex cuius verbis, vt ex Apoſtolica traditione, Eccleſia didicit, materiam Sacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; formam vero, verba, quæ à miniſtro pronuntiantur. Cap. I. De inſtitutione Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Rem porro & effectum Sacramenti, Spiritus Sancti gratiam, quæ peccati reliquias abſtergit, ægroti animam alleuiat; & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, reſtituit. II. De effectu huius Sacramenti.

Miniſtros denique Sacramenti, presbyteros rite ordinatos: quo nomine, non ætate ſeniores, ſed Sacerdotes intelligendi. Atque hanc vnctionem huiuſmodi infirmis potiſſimum adhibendam, qui in confinio mortis conſtituti videntur; qui tamen ſi conualuerint, iterum huius Sacramenti ſubſidio iuuari poterunt, vbi in ſimile vitæ diſcrimen inciderint. III. De miniſtro Sacramenti, & quo tempore dari debeat.

Anathemata ergo denunciari, contra aſſerentes. De hoc Sacramento Canones IV.

I. Extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Christo inſtitutum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum.

II. Non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quippe quæ olim tantùm fuerit gratia curationum.

III. Ritum quem Romana Eccleſia obſeruat, pugnare cum ſententia D. Iacobi, & poſſe à Chriſtianis abſque peccato contemni.

IV. Proprium extremæ Vnctionis miniſtrum, non eſſe ſolum Sacerdotem, & D. Iacobi verba de ætate ſenioribus accipienda, non de Sacerdotibus ab Epiſcopo ordinatis.

Quod ſi cuiquam mirum videatur, cur primo capite doctrinæ de hoc Sacramento dictum ſit, Vnctionem extremam à *Chriſto* Domino noſtro apud *D. Marcum* inſinuatam, & per *D. Iacobum* promulgatam, cum verborum antecedentium & ſubſequentium contextus requireret potius *Inſtitutum*, quàm *Inſinuatum*; ſciat principio ſic quidem fuiſſe ſcriptum, ſed monente quodam Theologo, mutationem factam. Monuerat enim ille, Apoſtolos, quos *D. Marcus* ait vnxiſſe infirmos, ea tempeſtate nondum *Ordinatos Sacerdotes*; Eccleſia Romana eam opinionem tenente, Sacerdotium non niſi in vltima Domini cœna in ipſos collatum: ideoque pugnare inter ſe hæc, *Vnctionem*, quam illi miniſtrabant, *eſſe Sacramentum*, & ſolos *Sacerdotes* eius eſſe *Miniſtros*. Et quamuis nonnulli, & illam eſſe Sacramentum, & à *Chriſto* tum temporis inſtitutam credentes, reſponderent, *Chriſtum*, quo tempore Apoſtolis imperauerat *Vnctionis* miniſtrationem, eodem *Sacerdotes*, quoad hunc ſolum actum inſtituiſſe, perinde ac ſi Papa ſimplicem Sacerdotem Sacramentum *Chriſmatis* miniſtrare iubens, Epiſcopum, quoad hunc actum, illum crearet: tamen quod iſta aſſertio audax nimis & periculoſa videretur, placuit in vicem verbi *Inſtitutum*, ſubrogare *Inſinuatum*. Quodquidem verbi quid in re ſimili poſſit ſignificare, cuique æſtimandum relinquo, qui & vocabuli vim intelligat, & illud, ad id, quod ab Apoſtolis operatum, ac ſimul à *D. Iacobo* imperatum, & iterum ad Decretum à Concilio factum applicare dignabitur. Qua occaſione in I. Cap. proxime ſuperiori dictio *Inſinuatum*, ſucceſſerit in locū alterius; & quam parum appoſitè inſerta.

In

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Decretum de Reformatione XIII. constans capitibus.

In materia reformationis XIIII. articuli (vti dictum est) propositi fuerant, omnes ad Episcoporum Iurisdictionem spectantes; in quibus tractandis, intellecta Canonistarum in Congregationibus opinione, omnibusque in Congregatione generali perlectis, ad Decretum fabricandum ventum tandem est. Hic Episcopi non aliò respiciebant, nisi ad authoritatis suæ incrementum, qua ratione possent id recuperare, quod Curia Romana ipsis ademptum sibi vendicarat. Præsides rursus hoc spectabant, vt quàm possent, minimum ipsis concederent. Sed vtrique mira dexteritate procedebant, ad eundem verbo tenus scopum, Dei videlicet cultum, & veteris Ecclesiasticæ disciplinæ restitutionem collineantes.

CAPVT. I. Existimabant Episcopi, sibi in officio exequendo impedimenta obijci, quia cum ob graues & iustas causas sibi perspectas, quemuis à suis ordinibus, gradibus, aut dignitatibus Ecclesiasticis exercendis suspendebant, aut ascensu ad sacros ordines interdicebant, quicquid illi fecerant, retractabatur per licentiam, aut dispensationem Roma impetratam. cumque id non modò existimationem Episcopalem imminutum iret, sed in damnationem animarum, & vniuersalem disciplinæ subuersionem cederet, I. decreti capite statutum fuit, *Ne istiusmodi licentiæ de se promoueri faciendo, aut restitutiones ad priores ordines & dignitates cuiquam suffragarentur.* Atque hic, vt salua permaneret Sedis Apostolicæ dignitas, à Præsidibus cautum diligenter, ne aut Pontifex, aut summus Pœnitentiarius, aut alius quiuis Curiæ Romanæ minister, à quibus istas licentias impetrare consuerant, nomine designaretur.

CAPVT. II. Deinde Episcoporum Iurisdictioni impedimento erant Episcopi Titulares, qui se decreto sexta Sessione publicato prohiberi animaduertentes, ne in aliena Diocesi Pontificalia officia exerceant, nisi de expressa eius, qui est loci Ordinarius, licentia; *Ad loca exempta, nullius dioecesi subiecta se recipiebant, ad sacros presbyteratus ordines admittentes, qui à suo Episcopo tanquam inhabiles reiecti essent, idque vigore priuilegij sibi de promouendo quoscumque ad se venientes concessi. Id II. capite interdictum*; cum cautione tamen, ne, ob reuerentiam Sedi Apostolicæ debitam, vlla fiat eius, qui priuilegium concesserat, mentio.

CAP. III. Similiter III. capite *facta potestas Episcopis suspendendi ad tempus, quo ipsis videbitur, quemuis absque suo examine ac licentia ordinatum, quacumque authoritate promoueatur.* Quæ omnia Episcopi prudentes leuia & ludicra esse sciebant, quandoquidem de Canonistarum sententia licentiæ, facultates, & priuilegia à Pontifice concessa nominibus generalibus minime comprehenduntur, nisi specialis eorum fiat mentio. Sed cum maiora impetrare non possent, his contenti videri volebant, spe freti, tempus ad pleniorem distentioremque gradum viam patefacturum.

CAP. IV. Eadem sexta Sessione decretum, ne quis Clericus secularis virtute personalis priuilegij, nec regularis extra monasterium residens, vigore priuilegij Ordinis sui eximatur à correctione Episcopi, tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati. Quod quidē nonnullis existimantibus non pertinere ad Ecclesiarum Cathedralium Canonicos, aut alias Collegiatarum dignitates, quæ non priuilegijs, sed vel antiquissima consuetudine, vel sententia rei iudicatæ, vel concordijs cum ipsis Episcopis pactis iuratisque, in possessione erant exemptionis à Iurisdictione Episcopali: alijs autem id restringentibus ad solum tempus visitationum, statutum capite IV. *Quoad Clericos seculares, Episcoporum correctionem extendendam ad omnia tempora, quoties, & quando opus fuerit, & ad omnia genera excessuum & delictorum, neque quicquam supradictorum esse impedimento.*

CAP. V. Neque minor rerum perturbatio inde oriebatur, quod Pontifici solens esset, cuiuis supplici ea via, qua in Curia Romana omnia obtinentur, Iudicem ad supplicis voluntatem deputare, qui authoritate sua illum tueatur ac protegat, & in possessione rerum ac iurium suorum conseruet, molestias & iniurias, si quæ inferantur, amoueat; fauore etiam hoc ad domesticos & familiares eius pertinente: quos Iudices Conseruatores inde dixere. Cum autem Iudices isti, quorum erat supplicem à molestijs tantùm liberare, authoritate sua abuterentur ad eundem iustæ ac debitæ animaduersioni eximendum, & ad alios molestandos, immo ad Episcopos, aliosque superiores Ecclesiasticos censuris fatigandos, capite V. huic malo prouisum

prouisum est, statuendo, *ne Litera Conseruatoriæ vsque eò cuiquam prosint, quo minus coram Iudice Ordinario in causis criminalibus & mixtis conueniri possit, accusari, & in eum inquiri. In ciuilibus autem causis, vbi ille actor extiterit, ne quem in iudicium ad Conseruatores suos trahere permittatur: sin reus sit, & Conseruatorem actor suspectum habeat, aut si qua inter ipsos iudices, Conseruatorem & Ordinarium, de competentia fori controuersia oriatur, vt arbitri secundum iuris formam eligantur, literæ conseruatoriæ, quæ ad familiares pertinent, ad duos solummodo extendantur, qui alantur sumptibus ipsius: earumque beneficium non protendatur vltra quinquennium; nec fas sit conseruatoribus vllum erigi tribunal. Limitatio tamen addita, vt hoc Synodi decreto Vniuersitates, Collegia doctorum, aut scholasticorum, loca Regularia, & Xenodochia non comprehendantur.* Super qua exceptione, in capite hoc tractando inter partes magna contentione certatum, Episcopis rem absurdam iudicantibus, exceptionem regula esse ampliorem, cùm multo plures sint, qui in collegijs, monasterijs ac Xenodochijs viuunt, quàm cæteri omnes, qui ex literis conseruatorijs commoda captare studeant: longeque facilius sit priuati hominis cuiuscumque improbitati occurrere, quàm morbos in Academijs & collegijs (à quibus maximè metuendum) aggrauescentes depellere. Ea quidem res per Legatum *Romam* fuit nunciata. Sed re non ita pridem, *Paulo* III. Pontifice, determinata, nimirum, esse necessarium ad tuendam authoritatem Apostolicam, vt fratrum conuentus & Academiæ omnino à Pontifice pendeant, nihil opus erat noua deliberatione; vnde *Romà* continuò responsum, horum literas Conseruatorias vllatenus non attingendas. Qua opinione à Patribus Synodi Curiæ Romanæ addictis, approbata, cæteri numero longè inferiores officijs & pollicitationibus aliqua parte deleniti exceptionem eam tandem admittunt.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

VI. Sextum caput erat de modo Clericorũ vestiendorum, de quo nullo negotio decretum, *Ecclesiasticis omnibus, qui sint in sacris, aut beneficia & dignitates Ecclesiasticas teneant, habitum gestandum, ordini & dignitati illorum conuenientem, iuxta Episcopi ordinationem; potestate ei demandata delinquentes ab officio, & beneficiorum prouentibus suspendendi, si ab eo moniti non paruerint: etiam per priuationem officiorum & beneficiorum coercendi, si correpti semel, erratum non emendarint, sed denuo deliquerint; renouata Concilij Viennensis in eam rem Constitutione.* Quæ nihilominus eiusmodi est, vt hisce temporibus parum congruat, quippe, quæ vetat vti Epitogio virgato & versicolore, seu tabardo ita breui, vt vestis inferior videatur, aut caligis scacatis, rubeis, aut viridibus, quæ diu ante desueta, necesse non erat prohiberi.

VII. Vetus erat & laudabilis nationum omniũ *Christi* nomen profitentium consuetudo, ad imitationẽ mãsuetudinis, Domini nostri *Iesu Christi*, in omnibus Ecclesiæ ministris manus puras & ab humano sanguine intaminatas requirere; neque ad vllum Ordinem Ecclesiasticum quemuis homicidio siue voluntario, siue fortuito inquinatum promouere: & si quis in sacris constitutus voluntate, aut casu patrasset homicidium, functionem omnem Ecclesiasticam statim ei adimere. Atque id apud omnes Christianos, quibus erant incognitæ dispensationes contra Canones, & fuit inuiolabiliter obseruatum, atque in præsens obtinet. In Ecclesia vero Romana, vbi dispensationibus est locus, & opulentis ad eas impetrandas facultas, nusquam nisi apud tenuiores locum habet. Cum itaque quarto quintoque articulis, de abusu hoc moderando fuisset propositum, Decreti Capite VII. statutum, *Vt qui sua voluntate homicidium perpetrauit, omni ordine, beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat. Qui vero non ex proposito, sed casu homicidium commisit, vt ei iure dispensatio debeatur, hac dispensatio non alteri, quàm loci Ordinario committatur; aut si subsit causa, cur ei committenda non sit, Metropolitano, seu viciniori Episcopo tradatur.* Cuius decreti vsum ecquis non videt, non tam in corruptelis moderandis consistere, quàm in dispensationibus auctiori pretio licitandis? Neque enim in homicidio voluntario Pontifici manus alligabantur. Et in fortuito, seruabatur hactenus decretum, vt non alteri quam Episcopo committeretur. Verũ nihil hercle vetabat Pontificem directè per se dispensare, causa alteri non commissa, sed probationibus primùm Romæ factis, aut dispensatione nomine proprij motus festinata, aut aliarum clausularum, quibus Cancellaria abundat, quoties magnum aliquod inde operæ pretium expectat.

Episcopali

VIII. Epiſcopali quoque dignitati præiudicium afferre videbantur Præſules nonnulli, qui ad authoritatem ſibi in eo, in quo commorabantur, locó conciliandam, impetrabant à Pontifice poteſtatem coercendi Eccleſiaſticorum delicta ibi perpetrata; Epiſcoporum etiam aliqui obtendentes vicinarum dioceſeon presbyteros, vita impiè & impuriter acta, ſuis eſſe ſcandalo & peſſimo exemplo, animaduertendi in eos facultatem obtinebant. Huic malo quidam medendum cenſebant reuocatis omnibus huius generis facultatibus. Verùm cum id pleriſque Cardinalibus, & alijs præpotentibus Prælatis abutentibus ea poteſtate, offenſionem daturum crederetur, repertum temperamentum, quomodo priuilegia ea ſine fraude Epiſcopi conſeruarent, ſtatuendo capite VIII. *Vt iſti contra Clericos ſibi non ſubditos procedere nequeant, abſque ipſius Epiſcopi, aut perſonæ ab Epiſcopo deputandæ interuentu.*

IX. Alia etiam ratio fuerat excogitata ſubijciendi Eccleſias & perſonas vnius diœceſis Epiſcopo alterius, Eccleſijs & beneficijs in perpetuum vnitis. Quod etiamſi verbis generalibus Seſſione VII. interdictum eſſet, erant tamen, qui clariorem magiſque expreſſam rei declarationem poſtularent. Vnde decreuit Synodus *vnionem in perpetuum Eccleſiarum aut beneficiorum in diuerſis diœceſibus, qualiſcunque prætextus obtendatur, prohibendam.*

X. Inſtabant vehementer Regulares, vt beneficia ſua poſſent conſeruare, atque etiam ea, quæ Commendarum perpetuarum inuento amiſiſſent, recuperare. nec deerant ex Epiſcopis complures, qui varijs de cauſis, ſuffragari ipſis cupiebant, ac proinde proponendum putabant, Commendas perpetuas in vniuerſum exterminandas. Sed metu contradictionis moderationi libenter auſcultaturi fuerant. Præſides altera parte conſpicati, quantum Curia Romana diſcrimen eſſet ſubitura, re adeo periculoſa in medio poſita, leue quoddam remedium proponunt, vt ſolidioris applicationem amolirentur; nimirum, *Vt Beneficia Regularia, religioſis in titulum dari conſueta, cum ea in poſterum quouis modo vacare contigerit, non conferantur niſi in religioſos illius ordinis, aut certè in eos, qui habitum & profeſſionem ordinis ſuſcipere teneantur.* Quod decimum erat decreti caput, quod neque Curiæ Romanæ multum incommodabat, omnibus, quibus per Commendas aliquid adijci poterat, iam ſatis ſuperque commendatis; neque Præſulibus, non magno conatu maiora nunc inhiantibus; etiam in Eccleſiarum ſuarum honorem cedere, quod ibi Abbates Regulares reſideant, interpretantibus.

XI. Verùm ne ſolidum Monachi gauderent gaudium de gratia ijs facta, in non occupandis eorum rebus, vltra quàm iam factum eſſet, ſequenti capite, veluti libramine appoſito, ſtatutum, *Vt beneficiorum ſecularium, etiam curatorum, omnino ſint incapaces.* Quod quidem decreti caput, etiamſi de illis ſolùm loquatur, qui de vno ordine ad alium transferuntur, ſtatuens, vt horum nemo ad habitum & profeſſionem admittatur, niſi ea lege, vt in ordine, ad quem transfertur, ſub ſuperioris ſui obedientia, in clauſtro perpetuò maneat: à paritate tamen rationis, imo vi argumenti à minori ad maius, de regularibus omnibus, etiam non tranſlatis, ſit intelligendum.

XII. Et quoniam in Curia Romana, ex gratia Eccleſiarum ius patronatus concedebatur; ac quò vberior eſſet ea gratia, impetranti ius patronatus poteſtas fiebat deputandi Eccleſiaſticum quemuis, qui præſentatum inſtitueret; ad medendum vtrique huic malo, ſtatutum primò capite duodecimo in remedium prioris, *Ne cuiquam competeret patronatus ius, niſi ei, qui Eccleſiam de nouo fundauerit, & conſtruxerit: aut iam erectam, ſed abſque dote ſufficienti, de ſuis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit.*

XIII. Deinde in remedium alterius, capite decimo tertio *interdictum Patrono, ne cuiuſuis priuilegij prætextu aliquem ad beneficia ſui Iuriſpatronatus alteri præſentet, quam Epiſcopo loci Ordinario, ad quem, ceſſante priuilegio, ipſius beneficij inſtitutio iure pertineret.*

Ducis Wirtembergici Legati Tridentum veniunt doctrinæ ſuæ confeſſionem Concilio exhibituri.

Dum hæc aguntur *Tridenti*, eò veniunt *Ioannes Theodoricus Pleningerus*, & *Ioannes Heclinus* à Duce *Wirtembergico* Legati ad Concilium miſſi, cum mandato, vt doctrinæ confeſſionem, de qua ſupra dictum eſt, ſcripto comprehenſam, publicè exhiberent, & Theologos venturos dicerent ad eam copioſius explicandam & propugnandam, modò ad *Baſileenſis* Decreti formulam idoneè ipſis caueatur. Hi *Comitem Monfortium Cæſaris* Legatum adeuntes, exhibito diplomate, Legationis fidem faciunt; ſuique Principis

Principis nomine, se quædam habere in Concilio proponenda demonstrant. Re à Comite ad Cardinalem *Crescentium* relata, ille respondet; *Wirtembergicis* id faciendum, quod alij omnes Oratores facere consueuerunt; nempe Legatum Pontificium, & cæteros Concilij Præsides primùm conueniendos, ijsque summam Legationis exponendam. Eant itaque bonis auibus, & ab eo omnia humanitatis officia expectent. *Wirtembergici* responso hoc per Comitem accepto non contenti, aiunt, vnum esse è capitibus quæ *Germani* requirunt, vt in Concilio Papa non præsideat. Se igitur cum eius Legato non communicaturos, nisi Principem suum id velle cognoscant, ad quem literas iam daturi, & quid in eo fieri vellet, expectaturi essent. Et quidem à Comite summa ingenij dexteritate tentatum, ab Oratoribus Legationis suæ arcana elicere, quò Legatum de ijs certiorem faceret. At illi generalibus suis affixi, adduci non poterant, vt ad specialia descenderent. Legatus interea re Pontifici per literas nunciata, quid sibi in hoc negotio agendum suadeat, explorat: maximè quod alios eiusdem farinæ homines identidem venturos inaudiuisset.

Crescentius Concilij Præsides ante conueniendos censet, quàm palam audiantur.

Vnde illi Ducem suum, Legatus Pontificem consulit.

Initio Nouembris *Cæsar*, quò & Concilio, & bello Parmensi esset vicinior, *Oenipontem* venit, tridui itinere satis commodo distantem Tridento, vbi intra vnum diem, quid *Tridenti* gereretur, ex Oratoribus suis poterat cognoscere. Et Pontifex quidem eodem tempore *Cæsaris* aduentum *Oenipontem*, & *Wirtembergicorum Tridentum* resciuerat. Ac licet *Cæsaris* promissis ante Concilij conuocationem factis, totiesque iteratis confideret, eorumque tam clara documenta cerneret, (Oratoribus ipsius Hispanorum audaciam retundentibus; in Episcoporum autoritate contra Sedem Apostolicam asserenda, & communia vtriusque contra Regem *Galliæ* commoda propugnantibus) vt crederet in amicitia perseueraturum: cum tamen ad aures eius accidisset fama rerum in *Germania* se inconsulto tractatarum, incessit eum aliquis metus, *Cæsarem* aut necessitate, aut rerum commodo suo gerendarum opportunitate, posse de sententia dimoueri. Obfirmauit nihilominus animum, secum reputans, si in *Germania* belli consilia procederent, tum Concilij authoritatem corruituram: sin pax esset, se rebus suis satis consulturum. Cùm enim Ecclesiasticos *Germaniæ* habeat suarum partium fautores; & Præsules Italos, quorum numerum ad voluntatem facile sit augere, ijs qui in aula Romana essent, eò ablegatis; & Legatum *Crescentium*, qui & ipse maxima potiundi Pontificatus spe esset, omnia tanquam sua causa facturum sciat; & Nuncium *Sipontinum* sui studiosissimum intelligat; aditumque sibi semper patere ad reconciliationem cum Rege *Galliæ*, quam ille ambiat; nihil addubitare, quin Regis eius fauore, & regni sui Præsulum ad superiora accedentibus, possit omnes conatus & consilia contra autoritatem sua suscepta, nullo negotio eludere.

Ex Cæsaris Oenipontem aduentu Pontificis animus suspicax.

Legato respondit, non esse quod eum moneat, quid fieri velit, qui superiorum omnium actionum in conficiendo Indictionis Concilij diplomate non modo conscius, sed autor actorque fuerit primarius. Meminerit, in eo approbata diligenter, quæ antea *Paulo* Pontifice decreta. inibi dictum, Pontificis esse, non solùm conuocare, sed regere Concilia, & in ijs per administros suos præsidere. forum aliud in horum præiudicium institui non sinat: de cætero consilium in arena ex re capiat. media autem consilia ac temperamenta rerum, tanquam pestem fugiat, si quis ea adferat. difficultatem, si qua suboriatur confestim perrumpat; neque aduersarijs penitiùs in eam introspiciendi tempus permittat. Sibi decretum, onus transferendi aut dissoluendi Concilij illius humeris haud imponere; petere tantum, si quæ talis occasio inciderit, vt quàm ocyssimè sibi significet. Reliquum esse, vt dogmatum segetem, quantum possit copiosam, proponat in publicum, effectibus bonis producendis. Sic enim futurum, vt Lutherani de spe conciliationis animum despondeant, nisi se Concilij decretis plane subijciendo; vt Præsules contra illos magis excitentur; vt istis in doctrinæ negotio adeo occupatis, otium non sit ad reformationem solicitandam; vt denique quod est rei caput, Concilij exitus maturetur: à quo quamdiu durat, alicuius incommodi perpetuum impendet periculum. Quod si forte cogatur aliquid ijs concedere in amplianda Episcoporum authoritate, certè retrogrediatur quantum potest minimum. Neque si quid

Pontifex Crescentium Legatum, quid fieri velit in singulis accuratè monet.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

in præſens largiatur Curiæ Romanæ vtilitatibus detrimentoſum, cuius generis nonnulla iam ante indulta, multum ſubeſſe periculi, quando, ſalua atque integra manente authoritate Pontificia, non magni ſit laboris res ad ſtatum priſtinum reuocare.

SESSIO. XIV. Cuius Decreta, capitaque nuper ſupra memorata.

Venit interim dies Nouembris XXV. conſeſſui publico deſtinatus. quo conuocatis Patribus, ſolitoque ordine fanum primarium adeuntibus, ceremonijs peractis, ab Epiſcopo miſſam celebrante, doctrina fidei, anathemata, & decretum de reformatione recitantur, eo, quem iam commemorauimus, tenore. Cuius in fine declaratio addita, proximè futura Seſſione, quam ad XXV. diem Ianuarij Synodus habendam decreuerat, vnà cum ſacrificio Miſſæ, de Sacramento Ordinis eſſe agendum. Quod Legatus de induſtria ſignificandum curauit, Papæ dicto audiens, dogmatum copiam Patribus proponendam ſuadentis. Finito Conſeſſu, diligenter vetuit Legatus ne Decreta excuderentur. Et *Ripæ* quidem, vbi erat Typographia, & vbi priora prælo commiſſa, ſedulò id curatum. Sed cum ita caueri non poſſet, quin exemplaria pleraque *Tridento* emanarent, in *Germania* mox typis excuſa emittuntur. factumque difficultate ac mora prodeundi in publicum, vt in ea homines curioſiùs inquirerent, & Critici accuratiori examine decreta ipſa, & ea celandi cauſam indagarent.

Ea legatus excudi vetat, ſed fruſtra.

De nonnullis Decretorum capitibus Germanorum cenſuræ ac iudicia.

Multam ſermonis materiam dedit, quod primo capite doctrinæ, & Sexto Canone definitum, *Chriſtum* Sacramentum pœnitentiæ tum inſtituiſſe, quando inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Conſideratum enim, *Baptiſmum* à *Iudæis* principio vſurpatum in munditiem Legalem; dein ab *D. Ioanne Baptiſta* applicatum, tanquam præparatorium euntibus ad Chriſtum: ac nouiſſimè à Chriſto expreſſis, diſertiſque verbis inſtitutum Sacramentum in remiſſionem peccatorum, & aditum in Eccleſiam, cum mandato, vt miniſtretur *In nomine Patris, filij, & Spiritus Sancti.* Similiter inſtitutum à Iudæis in captiuitate Babylonica *Poſtcœnium* cum pane & vino, in gratiarum actionem, & memoriam exitus ex *Egypto*, interim dum procul terra promiſſionis, ijs agno Paſchali veſci non dabatur. Hunc ritum imitantem *Chriſtum* Dominum noſtrum, Euchariſtiam inſtituiſſe, ad agendas Deo gratias de vniuerſo genere humano liberato, & in memoriam ſui ipſius, qui ſanguine ſuo effuſo Liberationis huius fuit author. Atque iſtiuſmodi ritus vſu olim receptos, licet alios in fines, ſicuti iam dictum eſt, ſcripturam tamen ſingillatim cum circumſtantijs ſuis omnibus exprimere. Mirum igitur meritò videri, eundem Chriſtum, inſtituentem ritum confitendi homini ſua peccata, adeo ſingillatim & exactè, vt nulla extet iſtiuſmodi vetus conſuetudo, verbis id apertis non effari, ſed eiuſmodi ex quibus per conſequentiam ſolam, eamque peſſimè connexam Chriſti mens eliciatur, imo per conſequentias plurimas valde remotas, ex Synodi ſententia petatur. Nec minus mirum illud, quod cum inſtitutio habeat verbum *Remittendi*, Patres in ſolemni ſua forma, non dicant *Remitto tibi peccata*, ſed potius *Abſoluo te à peccatis.* Alij addebant, ſi per hæc verba Sacramentum abſolutionis inſtituitur, cum hac forma, *Abſoluo te* propter eum qui abſoluitur, ineuitabili neceſſitate ſequi, alterum Sacramentum, aut ipſum hoc inſtituendum propter eum qui ligatur, cuius hæc ſit forma, *Ligo te:* cùm intelligi ſatis non poſſit, quomodo eadem poteſtas abſoluendi & ligandi fundata in verbis Chriſti plane ſimilibus, in ſoluendo requirat pronuntiationem verborum, *Abſoluo te:* & in ligando non requirat ea verba pronunciari, *Ligo te.* Aut qua de cauſa, ad exequendum illud, quod Chriſtus dixit, *Quorum remiſeritis &c.* Et *quæcumque ligaueritis*, neceſſe non ſit dicere *Ligo te:* ſed ad exequendum, *Quorum remiſeritis, & quæcumquè ſolueritis*, neceſſario dicendum ſit, *Abſoluo te.*

Super V. capite doctrinæ animaduerſiones variæ.

Nec diſſimile erat Criticorum iudicium de verbis ijs Capite V. doctrinæ, vbi dicitur, *Chriſtum*, eiſdem illis verbis conſtituiſſe Sacerdotes peccatorum Iudices, ad ſententiam remiſſionis aut retentionis peccatorum pro proteſtate clauium ipſis tradita pronuntiandam; ac proinde à pœnitentibus peccata omnia in ſpecie

ac

ac sigillatim ipsis in confessione recusanda, etiam circumstantias, quæ peccati speciem mutant. Ex verbis enim *Christi* liquidò apparere, *Christum* non distinxisse *duo genera* I.
peccatorum, vnum, quod oporteat remittere, & alterum quod retinere; ideoque sacerdoti sciendum, vtrius generis delinquens sit reus: sed *duo potius genera peccantium*, verbis ijs *Quorum*, & *Quorum*, vnum *pœnitentium*, quibus remissio peccatorum conceditur; alterum *impœnitentium*, quibus remissio denegatur. Ideoque, sacerdoti cognoscendum potius statum delinquentis, quàm naturam & numerum peccatorum. Illud autem quod additur de *circumstantijs* peccati speciem mutantibus, ad- II.
modum insipidum iudicabant, posseque quemuis virum bonum salua conscientia deierare, *Sanctos Apostolos*, & ipsorum discipulos, rerum cœlestium peritissimos, nunquam adeo curiosos subtilitatum humanarum speculatores fuisse, vt ipsis curæ esset intelligere, esse in peccatis circumstantias speciem mutantes: & plerosque omnes forsitan id adhuc ignoraturos, nisi *Aristoteles* ad istam speculationem viam præiuisset, quæ iam nunc, si dijs placet, articulum fidei ad salutem necessarium nobis concinnauit. Id quidem probabant, *Absolue* verbum esse Iudiciale, & valere consequentiam, III.
Sacerdotes, si absoluant, esse Iudices. Sed inconstantiæ rursus esse videbatur, damnare eos qui dicerent, absolutionem nudum esse ministerium pronuntiandi remissa esse peccata; cum manifestum sit, in hoc versari Iudicis officium, vt innocentem pronunciet ac declaret eum, qui immunis est à culpa, & reum qui deliquit. Non permittere autem personam Iudicis, quam sustinet sacerdos, vt delinquentem iustum reddat, quod tamen sibi vendicat. Enimuero Principem esse, qui delinquenti pœnam remittat, ac famæ restituat: huic similiorem, qui ex impio faciat iustum, quàm Iudici, qui muneris sui partes transgreditur, quoties alium insontem pronunciat, quàm eum, quem verè talem comperit. Illud verò supra omnia admirationi fuit, quòd inte- IV.
gram & singularem cum circumstantijs omnibus peccatorũ confessionem inde euincere satagebant, quòd neque iudicium sine causæ cognitione exerceri, neque in pœna pœnitentibus imponenda æquitas seruari poterat, peccatis sacerdoti in genere solummodò cognitis: tum quod *Christus* ipse hoc genus Confessionis ideo præcepisset, quò condignam pœnitentibus pœnam possint imponere. Sic sanè ridiculos mortales facere, & palam fatuos censere, quibus quiduis quantumuis absurdum ipsis asserentibus tanquam fide dignum persuaderi possit. Neminem enim esse adeo simplicem, qui nesciat, aut non videat à Confessarijs quotidie pœnitentiam præscribi, non modo delictorum meritis non ponderatis, sed ne minima quidem eorum habita ratione. Qui verba Concilij audiat, credat forsan esse Confessarijs trutinam, ad quam peccatorum minutissima & veluti atomos expendant: atqui nimio plus compertum esse, multorum homicidiorum, adulteriorum, ac furtorum reis sæpe numero in pœnam denunciari *Orationis Dominicæ* quinis vicibus recitationem. Esseque familiare confessarijs plerisque omnibus, etiam literatis, in pœna denuncianda dicere, se partem modò pœnitentiæ imponere. Quorsum igitur exactam illam pœnitentiam ad modulum delictorum? aut cui fini particularem peccatorum cum suis circumstantijs enumerationem? Sed quid opus est longius prouehi, aut plura consectari, cum ipsa Synodus doctrinæ capite IX. & anathemate rursus XIII. statuat, pœnis pro peccato vindicando sponte susceptis, & rebus aduersis patienter toleratis apud Deum satisfieri. Itaque neque necessarium, neque iustum, aut pœnam quæ peccato respondeat in confessione imponere, aut particularem peccatorum enumerationem ea de causa, vt illi aiunt, institutam, adhibere. Verùm, vt quæ dicta sunt, in considerationem non veniant, negabant omnino fieri posse, vt Confessarius, quamlibet doctus, attentus, ac prudens, audita hominis moderati de admissis vnius anni confessione, multoque minus, si insigniter flagitiosum pluriũ annorum commissa retegentem audiat, adeo certum de pœna peccatis eius debita iudicium ferat, Canonibus etiam cuicumque peccato suam pœnam assignantibus adiutus, vt non dimidio plus erret. Imo ne eiusmodi quidem Confessorem, etiamsi peccatorum catalogum in scriptis habeat, & plusculis diebus secum expendat, ita circumspectè stateram vnquam appensurum, vt pœnas peccatis æquilibres faciat, tantum abesse, vti (quod hodie fit) extemplo ab audita confessione, rem acu queat attingere. Quam-

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

obrem Concilij Patres meliùs rectiúsque facturos, si cæteros mortales non ita despiciant, neque tam malesanos ac vecordes existiment, vt his, quæ tam absurdè atque ineptè ab ipsis statuuntur, credendum habeant. De reseruatione casuum cum Theologis Louaniensibus & Coloniensibus pariter sentiebant, eâ Curiæ Romanæ auaritiæ, & dominandi cupiditati imputatâ.

Themata in Congregationibus discutienda in Sessionem proximam.

Altero post consessum die habita generalis Congregatio, ad statuendum de thematis, quæ Theologis erant discutienda: de Missæ sacrificio, de communione calicis & paruulorum. Et quanuis de his Decreta iam essent confecta Sessione ea, quæ fuit II. die Octobris, sed tum dilata: visum tamen Synodo, nouam denuo tractationem ordiri, ac si nihil ante actum fuisset, designatique Patres alij articulis colligendis ad futuras disceptationes, alij ad Decreta post explicatam cuiusque sententiam conficienda. Nec mora, septem mox articulis propositis, de quibus bis quotidie disputatum. Disputantibus autem aderant tres Germanicæ nationis, *Ferdinandi Regis Orator*, *Iulius Pflugius Episcopus Numbergensis*, tum ad actionem magis honestandam *Elector Coloniensis*: quò doctrina ea è media *Germania* non autem *Roma* exire conspiceretur. Confecta item Anathemata XIII. quibus damnati pro hæreticis, qui *Missam* negant verum ac proprium esse sacrificium, aut viuis & defunctis prodesse; qui Canonem missæ non admittunt, aut Missas priuatas damnant, aut ceremonias, quibus Ecclesia Romana vti consueuit. Concinnata denique quatuor capita doctrinæ, videlicet, In Missa offerri verum & proprium sacrificium à Christo institutum. De necessitate sacrificij Missæ, & similitudine eius cum cruento in cruce sacrificio. De fructu sacrificij Missæ, & eius etiam ad non communicantes applicatione. De ritibus & ceremonijs Missæ. Quæ omnia in festo Natiuitatis definita, fusiùs hic non explicantur, quoniam sequenti consessu euulgata non fuerunt.

Ex quibus confecta Anathemata XIII. & IV. doctrinæ capita.

Oratorum Principis Wirtembergici in Concilio postulata per Card. Tridentinum Legato Crescentio communicata

Atque interea dum Patres actionibus Concilij distinentur, Oratores *Wirtembergici* Principis sui literas accipiunt, quibus mandabat, vti pergerent doctrinæ confessionem, quam possent maximè decorum in modum, Synodo exhibere. Itaque illi per absentiam Comitis *Monforti* Cardinalem *Tridentinum* adeunt, orantque, vt cum Concilij Præsidibus agat de literis Principis accipiendis, Patribusque ad mandata sua audienda conuocandis. Cardinalis à se beneuolentiam officiose pollicetur, sed ante omnia rem ad Legatum Pontificium referendam, quòd inter Patres ita conuenerit, propter indecorum in publico motum concitatum, cui occasio data per Legationem *Abbatis Bellosani* Oratoris Gallici, Præsidibus non ante communicatam. Illi negotij promouendi studio Cardinali mandati literas exhibent, quibus imperatum, vt eiusdem modi fidem publicam Theologis suis peterent, qualis in Concilio *Basileensi* Bohemis concessa: tum, doctrinam scripto offerrent, quam Patres interim excutere & examinare possint, quò ad conferendum cum Theologis suis sint paratiores.

Legatus Crescentius vtrũq; postulatum reicit.

Re à Cardinali ad Legatum relata, ille vicissim quid ab Pontifice sibi mandatum sit significat, censetque neutiquam tolerandum, vt vel ipsi, vel alij Protestantes scripto doctrinam suam offerre, multoque minus eam propugnare cogitent, quòd ita nullus esset futurus contentionum finis ac modus. Patrum quidem esse, quam hucusque rationem tenuerint, prosequi: in doctrina è libris petita examinanda pergere, damnatis qui occurrunt, erroribus. Si quid difficultatis occurrit Protestantibus, modò id modestè proponant, neque sese difficiles ad salutarem doctrinam addiscendam præbeant, Synodum ipsis instituendis non defuturam. Se certe nunquam concessurum, vti Patres ad eorum doctrinam recipiendam conuocentur; neque de hac sententia, etiam si vita hoc nomine ponenda sit, decessurum. Alterum verò, quod fidem publicam alia forma interponi cupiant, cum maxima Synodi indignitate postulari, cuius fidei iam interpositæ diffidant; atque si de ea re tractaretur, intolerabilem Ecclesiæ *Christi* iniuriam fieri, in qua vindicanda quiuis fidelis non dubitet mortem oppetere.

Card. Tridentinus Legati Pontificii responsum cõmitigat & dierum aliquot moram suadet

Visum Cardinali *Tridentino* *Wirtembergicis* non significandum tam præfractum Legati Pontificij responsum, sed hoc tantùm; ipsum indignari, quòd doctrinæ suæ scriptum principio offerre cogitent, qui ipsi fidei regulam ac modum à maioribus suis reuerenter atque obedienter accipere debebant, non autem tam absurde atque

indecenter credendi normam alijs præscribere. Suadere dies aliquot interponendos, dum ira deferueat; tum ab alio capite propositionem inchoandam, vt ad duo illa de doctrina & saluo conductu deinceps veniatur. Illi consilio huic auscultantes, diebus aliquot interiectis, post Cardinalis *Tridentini* discessum, *Toletanum Cæsaris* Oratorem adeunt, rogantque, vt pro sua apud Legatum gratia ei persuadeat, audire ipsorum mandata, vt intellecta ipsius mente, secundum ea, quæ à Principe suo imperata sunt, consilium capiant. Orator re cum Legato cmunicata, non aliud, quàm prius *Tridentino* dat fuerat, responsum tulit; vt non iã ab indignatione, sed animo meditato proficisci videretur. Vbi videt igitur negotium non procedere, & *Cardinalis* responsionem non censet referendam, quia non sit pro dignitate *Cæsaris*, qui Protestantibus promiserat, vnumquemque eorum in Concilio auditum iri, & permissum iri, vt liberè quibus de rebus quique vellent, proponerent & conferrent, ne verum responsum edat, excusationes varias obtendit, futuræ actionis spem præcidere veritus. neque tamen ille, vtcumque *Hispanus*, artificijs suis efficere potuit, vt non Germanis hominibus statim suboleret, causas ac prætextus quæri ad negationem apertam celandam aut dissimulandam.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Oratores Wirtembergici Toletanum Cæsaris Oratorem de responso sollicitant.

Ille vero re comperta subterfugia quærit, & excusat.

Per id tempus Legati *Argentinensis* ciuitatis & aliarum quinque *Tridentum* veniunt, communem cum *Wirtembergicis* causam acturi, doctrinamque suam exhibituri. Hi operam vtuntur *Gulielmi Pictauij*, qui tertius erat è Legatis *Cæsareis*. Ille vero, ne in easdem cum collega suo *Toletano* rerum difficultates incurreret, legationis eorum diploma capit, ad paucorum dierum patientiam eos hortatur, interea dum ille exemplo eiusdem ad *Cæsarem* misso, responsum expectat, vt ita pede magis firmo progrediatur. Hac occasione *Wirtembergici* sibi discedendum non putant, & *Pictauius Cæsari* nunciat Legati deliberationem, dignitati nominis *Cæsarei* mirificè derogantem, qua tam pro leui habeat fidem ab ipso in causa adeo iusta honestaque promissam. At *Cæsar*, cui propositum, & indignitati huic Legati mederi, & suum ex Concilio emolumentum dexterè captare, dum Electoris *Saxoniæ Mauritij* legati breui adfuturi expectantur, scribit, quoad illi, aduenerint, vti cæteri humaniter excipiantur, persuasumque habeant, se suo tempore audiendos, & cum ipsis benignè amicéque conferendum.

Legati Argentinenses Wirtembergicis iuncti per Pictauium Cæsaris Oratorem responsum sollicitant: ille verò Cæsari rem nunciat.

Die Decembris decimo tertio *Maximilianus Ferdinandi* filius cum vxore & liberis per *Tridentum* transijt, cui à Legato, ac Præsulibus Italis & Hispanis, etiam Germanis quibusdam honoris ergò obuiam itum. Et quanquam Principes Electores aduersum ei non iuerunt, in hospitium tamen diuertentem inuiserunt. Apud eum quoque questi sunt Protestantium Legati, quod tot *Cæsaris* promissis onusti, nihilo plus audientiam impetrabant. orant vt *Germaniæ* misereatur, quam sacrificuli isti, quippe peregrini ita neglectum eant, vt eam totam conflagrare potius sinant, quam vel tantillum de commodis suis delibari; imo decreta sua cum anathematis præcipitando, non controuersiarum faces restinguere, sed oleum camino addere cordi habeant. *Maximilianus* eos ad patientiam hortatus, cum *Cæsare* patruo sic acturum pollicetur, vt Concilij actiones secundùm ipsius promissa procedant.

Iidem Maximilianum per Tridentum transeuntem interpellant de iniuria Cæsaris vindicanda.

In festo Natiuitatis Pontifex XIIII. creat Cardinales, Italos omnes: è quibus tredecim tum nominati, vni locus reseruatus, qui suo tempore publicè efferendus. Atque ad tam numerosam creationem Pontificatus sui initio cohonestandam, maximè cum in Collegio Purpuratorum Cardinales essent duodequinquaginta, immani, vti ea tempora ferebant, numero, sumpta à Regis Galliæ actionibus excusationis materia. Nam de eo grauiter questus est, cum ob bellum contra sedem Apostolicam inchoatum, tum ob edicta promulgata. ad quæ accedebat rumor *Lugduno* & *Genua* recenter adueniens, minitari Regem, se *Patriarcham* in *Gallia* creaturum. quæ res si ita se habere deprehenderetur, tum contra eum litem iudicialem instituendam. cui cum in multas difficultates necessariò esset incurrendum, propter magnum Cardinalium *Gallicæ* nationis numerum, nouorum Cardinalium, virorum illustrium, & sedi Apostolicæ in magnis occasionibus vtibilium creatione, veluti libramento factionem eam attemperandam. In creationem à Collegio assensum, receptique in Senatorium Ordinem noui Cardinales. Ex eo

Pontifex Cardinales XIV. creat, & in Consistorio tot nouorum creationem excusat.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Pontifex Episcopum Faliscorum cũ literis fiduciarijs Tridentum mittit ad Crescentium Legatum.

Tridentum missus Episcopus *Faliscorum* cum literis ad Cardinalem *Crescentium* fiduciarijs, & ad tres *Electores*. His de aduentu congratulatur, deque zelo & in Sedem Apostolicam obseruantia agit gratias, ad perseuerandum hortatus. Illi mandat, vt Patribus nouorum Cardinalium creationem significet, quo habeat sibi veluti præsidia muniendi sui causa, ministros à se vno pendentes, veteribus aliter, & fere huic aut illi Principi addictis. Item, vt bellum *Parmense* excuset, quod à se haud sit susceptum, qui ad iustam sui defensionem vim illatam vi repellere cogatur. Dum Cardinali *Crescentio* nouorum Cardinalium creationem significat, simul pollicetur, se curaturum, vt intelligant omnes animi sui sensum, quem ad modum sese gerere semper debeant versus talem ac tantum amicum, cui tot nominibus deuinciatur. Etiam Nuncio *Sipontino* secretam in aurem referendum curauit, se pro sua in eum amicitia de ipso statuisse; nec esse, quod inquirat in modum, sed fidem modò pristinam & diligentiam solitam colat ac tueatur.

Congregatio habetur dogmatis & Anathematis de Sacramento Ordinis conficiendis.

Peracta *Natalitiorum* celebritate habita Congregatio generalis ad tractationem de Sacramento Ordinis instituendam. Cumque ad mentionem corruptelarum, quæ circa hoc Sacramentum in Ecclesiam irrepserant, ventum esset, ingenuè professus est *Veronensis* Nuncius, vbique esse abusum aliquem emendationis egentem, hîc verò esse abusuum Oceanum. Quos postea quam complures tragicis exclamationibus essent execrati, placuit, more consueto, articulos è Lutherana doctrina petitos primùm proponi, dein à Theologis excuti, vt qui hæresin saperent, damnarentur; tum anathemata & capita doctrinæ confici; ac demum abusus detegi. Theologis data themata duodecim horis matutinis ac pomeridianis sedulò exagitanda. E suffragijs Theologorum Patres deputati Anathemata octo fabricarunt, hæreseos damnantes, qui adstruant Ordinem siue sacram Ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum; & Ordinem vnicum esse, qui per varios gradus tendat in Sacerdotium: qui negant Hierarchiam: qui ad Ordinis collationem consensum populi requirunt: qui dicunt, non esse in nouo testamento Sacerdotium visibile & externum; aut vnctionem, quæ adhibetur in Ordinatione, non necessariam; aut per Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; aut Episcopos non esse de iure Diuino, & Presbyteris superiores. Super his condita quatuor doctrinæ capita, de necessitate & institutione Sacramenti Ordinis: de visibili & externo Sacerdotio Ecclesiæ: de Hierarchia Ecclesiastica: & de discrimine inter Presbyterum & Episcopum. Quam quidem doctrinam & Canones, vbi Congregatio Generalis approbasset, in vnum inserta fuere Decretum cum illo de Missæ Sacrificio, insequenti Sessione publicandum. Sed neque factum illud, propter eas, quas infrà commemorabimus, rationes: neque eorum, quæ in Congregationibus Decembris & Ianuarij tractata, hic magis distincta mentio expectanda, quòd eadem capita denuo agitata fuerint *Pio* IV. Pontifice, in tertia Synodi conuocatione. quò vbi peruentum erit, quid inter hæc decreta, & illa sub *Pio* stabilita discriminis sit, eo loco narrabitur.

Electores Ecclesiastici cognito suos à militibus detrimentum accepisse, à Cæsare domum redeundi veniam petunt.

1552.

Cæsar respondet scripto, & periculi suspicionem amolitur.

Verùm cùm crebris rumoribus perlatum esset *Tridentum*, per vniuersam *Germaniam* milites cogi, bellique metus omnes occupasset, tres Electores, qui res suas periculo proximas conspicabantur, literis & internuntijs ad *Cæsarem* missis, domum redeundi veniam ad sua conseruanda petunt. *Cæsar*, qui Concilium continuari valde cuperet, principio anni M.D.LII. respondet, causam non esse, cur rumoribus res in maius augentibus, permoueantur. Se missis quaquauersum nuntijs, quid rei esset, & quid rerum singuli struant, diligenter inuestigasse, sed reperisse paucorum esse concitationem: ciuitates autem officiosas & obsequentes. Etiam *Mauritium*, quem aliquandiu fama sit aliquid moliri, constituisse ad se venire, & Legatos destinasse ad Concilium, qui nunc sint *Oeniponte*, *Tridentum* ilico petituri. Milites aliquot qui per *Thuringiam* hiemabant, loca vicina peruagatos, Electoris *Moguntini* finibus damnum dedisse, sed propter non persoluta stipendia eam vim ab illis factam. se idoneos homines mandasse, per quos miles soluta illi pecunia dimitteretur. Non nescire se, quid vulgo iactetur, & metuatur: nec

quicquam

quicquam eorum, quæ deferuntur, ſurda aure necligere. habere vbique locorum, qui inquirant, & certiorem faciant, neque vllis hic ſumptibus parcere. Hortari itaque ne Concilium deſerant, quòd, metus ſit, ne illorum diſceſſione diſſipetur, cum inſigni religionis detrimento. Quod ſi ipſorum ditionibus ſatis diligenter prouiſum non ſit, præfectos miniſtroſque ſuos tempeſtiuè monendos imperata faciant: ſe quoque ſi conſulant, opem ac conſilium præſtiturum.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

Septimo die Ianuarij *Tridentum* veniunt *Wolfius Colerus*, & *Leonardus Badehornus*, *Mauricij* Electoris *Saxoniæ* Oratores: quorum aduentu Eccleſiaſtici Electores, cæterique *Germaniæ* Præſules multum recreati, *Mauritium* res nouas non moliri certò ſibi perſuadentes. Hi *Cæſaris* Oratoribus mandata ſua communicant primùm, commemorantes, Principem ſuum, concordiæ cupidiſſimum, decreuiſſe mittere ad Concilium aliquot Theologos, viros pios, & pacis amantes: quod ipſum alij quoque Principes Proteſtantes ſint facturi. Verum, vt id fiat, neceſſariam eſſe fidem publicam, qua ipſis, qui ſunt venturi, ad formulam decreti *Baſileenſis* caueatur. interea in Concilio ab omni actione ceſſandum, ſed vbi illi venerint, omnia ante acta retractanda, cum generale Concilium haberi non debeat, in quo non liberum ſit omnibus nationibus conuenire. Pontifici non permittendum, vt Præſidis authoritatem ſibi ſumat, ſed & Concilio ſe ſubmittat, & Epiſcopis iuſiurandum remittat, quo libera ſint ſuffragia. Hæc ſe in Congregatione Patrum velle copioſiùs explicare, & petere vt primo quoque tempore conueniant, quòd Theologi, qui in via ſint, quadraginta circiter milliaria abſint, & expectent modò dum vocentur. Oratores *Cæſarei* benignè amicéque reſpondent, à *Cæſare* ante moniti, vt *Mauriciani* Legati comiter habeantur, *Mauricij* ipſius demulcendi cauſa. Ijdem Oratores eandem actionem vrgent apud Principes Electores, & Cardinalem *Tridentinum*; Legatum Creſcentium, & collegas eius adire diffugientes, ne quid eis tribuere viderentur. Poſtulant loco publico admitti, vt diploma mandati à Principe ſuo exhibeant, & Patres id recipiant, ſicuti cum Electore *Brandeburgico* actum eſſet, & ſibi luculentis promiſſis miniſtri *Cæſarei* ſpem feciſſent. Altera parte Legatus & Nuncij plane recuſabant immutare formulam *Salui conductus*, dicentes, coniunctum cum magna Synodi indignitate, quæ Eccleſiam vniuerſalem repræſentet, vt quatuor Sectarij eius fidei ſeſe credere addubitent: aut Decretorum, quæ maturo iudicio ſancita eſſent progreſſum ſiſtere, quòd parum ſubeſſet ſpei de ijs in rectam viam reducendis, qui eiuſmodi afferrent poſtulata. Nam vt publicè audiantur, ſi quidem ita promiſſum fuerit, æquum eſſe ſtare promiſſis; ſed quando miſſi ſint ad id Concilium, in quo Legatum & Nuncios Apoſtolicos præſidere non ignorent, Præſides prius agnoſcendos, quam vt poſſint admitti: idque ſpeciali Pontificis mandato imperatum in aduentu *Wirtembergicorum*. De iuramento autem à Pontifice Epiſcopis remittendo, & alijs id genus requiſitis, dicebant, tantas eſſe aduerſus ſanctam Sedem impietates & blaſphemias, vt centies mori malint, quàm hæc tam indigna perferre ac pati: ſe potius diſceſſuros, Concilio iam diſſipato; ſaltem, ne quis Præſulum actioni cuiuis interueniat, imperaturos. Hæc ad *Cæſarem*, cui ea res curæ fuit, perlata vehementer eum commouerunt, Pontificiorum peruicacia exaſperatum; qui maximi momenti negotium concidere, quam apicem vnum concedere præoptabant, belloque occaſionem dabant, quod ipſis exitium poſſet adferre. Reſcripſit itaque ad ſuos, & ad Cardinalem *Madrucium*, omnem mouerent lapidem ad Legatum conciliandum; vt primum precibus, dein verbis aſperioribus vterentur, niſi idoneo temperamento vtriſque ſatisfieret: denique Legatum & Nuncios, ad acquieſcendum iuſtis petitionibus, vijs quibuſcunque ciuilibus adducerent.

Legati Mauriciani ad Concilium venientes mandata ſua Cæſaris Oratoribus aperiunt, Legato Pontificio & collegis ipſius neglectis.

Legatus & Nuncij Pontificij Mauricianorum poſtulata ad ſe per Cæſaris Oratores delata principio reijciunt.

Inde Cæſaris offenſio, & literæ ad Card. Tridentinum de ſtudio conciliationis.

Oratores *Cæſarei* cum *Madrucio* re deliberata ſtatuunt, non de omnibus ſimul cum Pontificijs miniſtris agere, ſed primo loco, de admittendis ſolùm ad audientiam Oratoribus. Quam ad rem obtinendam ſuaſorijs vtuntur, hoc perſuaſum ijs cupientes, ſi *Saxoniæ* Principis Legati in eum introducerentur conſeſſum, in quo illi præſidebant, tum certè auctoritatem ipſorum ſatis agnitam, vtcumque ſeorſim ſingulos ante non conueniſſent. Dein ſuaſionibus preces addunt, verbis etiam *Cæſaris*: ſed quibus interpoſitæ minæ, ſaltem verba ſubindicantia, non abutendum ipſius clementia, neque cogendum ad alia remedia capienda: neceſſitatem armatam telum

Oratorũ Cæſaris artes in Creſcentio & collegis demulcendis.

eſſe

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

esse acerrimum. Quæ apud *Crescentium* tandem vsque eò valuerunt, vt assenserit recipiendos non in consessu, sed in congregatione publica generali domi ipsius habenda, vt sic pro conuentus capite agnosceretur. Capite hoc confecto, ventum ad proximum, de supersedendo vsque ad Theologorum aduentum, aliarum rerum tractatione. Atque hic commodùm *Toletanus* dicebat à se compluries pro concione auditum, vnius animæ salutem *Christo* esse adeo charam, vt ad eam lucrifaciendam detrectaturus non esset alteram mortem crucis, facta è cælo descensione. Vbi vero istam *Christi* imitationem quando ad totius *Germaniæ* salutem modici temporis mora denegatur? Excusabat quidem se Legatus, quod à Pontifice aliter imperatum esset, cuius dicto sese audientem esse vsquequaquam conueniat. Cumque reponeret *Toletanus*, cuique administro mandati formulam scripto tradi; sed quid fieri æquum sit, eiusdem prudentiæ relinqui; Legatus respondit, se facile conspicere, hunc esse veluti gradum, quo eatur ad retractationem omnium, quæ hactenus sunt decreta, postulandam. Hic *Toletanus* iubet confidere, nihil tale vnquam à se tentandum: imo cum *Saxoniæ* Principis Legatis sedulam daturum operam, vti ea petitione desistant. Legatus igitur, impellente Nuncio *Veronensi*, qui omnium primus assenserat, ne (vt ille dicebat) Pontificem & Concilium oneraret odio publico, ob præcipitatum tanti momenti negotium, & negatam exigui temporis dilationem, hactenus assensum commodauit, vt diceret se ea lege contentum, si Præsules in Congregatione generali non refragarentur: ad quos etiam visum ei referre alteram de fide publica, cum maiori cautione interponenda, postulationem.

Crescentius ad Concilij Patres rem tandem censet referendam.

Patribus in congregatione conuocatis ad consultandum super hisce capitibus, dilatio non magno negotio impetrata, propter operam ab ministris *Cæsaris* in ea re fortiter nauatam. At de saluo conductu consultatio maioris fuit operæ non propter rationem solam allatam per Legatum, sed multo magis quia inuisum erat Patribus ipsum Concilij *Basileensis* nomen, & odiosum illius authoritatem sequi; &, quod caput erat, quia existimabant illis temporibus quædam posse quadrare, quæ his parum conueniant: neque Bohemorum doctrinam Ecclesiæ Romanæ adeo contrariam, quàm sit Protestantum. His nihilominus oppositis rationibus factum non est, quin authoritas trium Electorum ac Cardinalis *Madrucij*, simul opera ab Oratoribus *Cæsaris* posita, apud Patres plurimum potuerit.

Patrum in Congregatione super saluo Conductu, & admittendis in Concilio Protestantibus consultatio.

At hic *Petrus Tagliauia* Archiepiscopus *Panormitanus* Patribus aurem vellit, & admonet, in consultatione quod potissimum est, prætermitti. Nempe quæ ratio habenda Legatorum in sedendo, an loca ijs assignanda, necne. Tum in ipsis, & Principibus suis appellandis, an vtendum verbis honorificis. Nam nisi faciant, negotium omne rescindi: si faciant, fraudem damnumque fieri Ecclesiæ, in manifestis hæreseos honorandis, aut alio loco, quàm impios deceat, habendis. Eandem aut maiorem solicitudinem habendam, de ratione conferendi cum Theologis, qui venturi: qui suffragij potestatem sibi arrogant, & partem aliquam sine dubio in disputationibus ac deliberationibus; nunquam permissuri, vti ea conditione putentur, qua Ecclesia necessariò eos habere debet; nimirum, vt hæreticos, extra Ecclesiæ communionem eiectos, damnatosque: quibuscum nullum licet habere commercium, nisi vel ad instituendum, si submissè institutionem requirant, vel ad condonandum, & gratiam faciendam. His propositis, permulta dicuntur de varietate temporum, quibus leges sunt aptandæ. Eosdem enim Pontifices, qui Decretalia ea sanxerint, his rerum occasionibus eiusmodi Constitutiones haud edituros: certumque esse, quò duriora quæque sint, eò faciliùs confringi. Et quamquam apud plerosque rationes hæ ad persuadendum plurimùm valebant, quid tamen statuendum esset, non expediebant. Nam statuere quousque iuris rigori adhærescere oporteret, & quo casu ab eo discedere, & perdifficilis ea consultatio videbatur, nec temere inconsulto Pontifice & Cardinalium Senatu suscipienda, nec in tantis temporum angustijs speranda. In his rerum difficultatibus commodùm Episcopus *Numburgicus*, hoc posito fundamento, præuaricationem quamcumque esse necessitate excusabilem, docet, tum in colloquijs *Germaniæ*, tum in Comitijs, super his maturo iudicio & consideratum & pronuntiatum fuisse: ad maiorem tamen cautionem, publicitus attestandum, omnia fieri zelo

Scrupulus inter deliberandum inijcitur, de loco, qui Protestantum Legatis in Synodo concedendus, & de Principibus ipsis nuncupandis.

Opportuna Episcopi Nûburgici sententia.

pietatis,

pietatis,charitatisque studio,quæ legibus cunctis sit potior, ad deuios in rectam semitam reducendos; & absque præiudicio, aliasque clausulas id genus pro Iurisperitorum solertia, apponendas. Hæc sententia Præsulibus *Germanis* primùm, dein Hispanis,ac tandem Italis,licet tepidioribus,placuit; Legato sese haudquaquam commouente, sed quiete ac taciturnitate sua, vim sibi afferri, necessitatemque imponi, commonstrante. Cum super his conuenisset, visum quoque diem mensis XXIIII. dicere Congregationi generali, in qua Oratores Saxonici ad audientiam essent admittendi, die XXV. iam ante ad consessum habendum designato: quo, prorogatio decretorum adusque aduentum Theologorum Protestantum euulgaretur, Patresque designarentur, qui cum Nuncio *Sipontino*, Decretum, protestationem, saluumque Conductum conscriberent. Postulabant quidem *Oratores Cæsarei* breuiarium sibi dari fidei publicæ, antequam euulgaretur,vt eo cum Protestantibus communicato,si quid minus placeret,emendaretur,ne hæc quoque ab illis reijciatur.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Edwardus* 6. *Henricus* 2.

In Congregatione generali statuitur Oratores Protestantium audiendos.

Post dies aliquot in his elaborandis positos, *Oratores Cæsarei*, & in his *Pictauius* præsertim, vocatis ad se Protestantum Legatis, oratione perpolita Patrum probitatem ac charitatem dilaudat, hortatur vt Patribus aliqua parte satisfaciant,qui ipsis plurima concesserint. Etenim esse iam decretum, vt ipsi admittantur, vt tam mandata, quam si qua alia in publico proponenda habeant, ea audiantur: vt articulorum iam discussorum publicatio in suorum Theologorum aduentum differatur; vt fidei publicæ cautionem amplissimam cuiusmodi optant, impetrent, cuius breuiarium procurauerit illis inspiciendum. Ob fauores tam singulares, tamque gratiosos, gratiam etiam reponendam; certe temporibus aliquid tribuendum, neque expectandum, vt vno momento omnia consequantur. Cum ad actionem ventum fuerit, tum per occasionem multa posse obtineri, quæ nunc duriora videantur. Patres admodũ expetere Theologorum aduentũ, seque ipsos habere quædã magni momenti quæ proponant, sed expectare quoad à Protestantibus fiat initium, vt ipsi per eam occasionem deinde prodeant.Quod autem Pontificis submissionẽ Concilio vrgent,orare, vt in eo sint remissiores. Patres enim satis intelligere,in fastigio Pontificio non deesse quæ corrigi debeant: sed subtili quadam ratione progrediendum. experiri se quotidie, quanta dexteritate & arte tractandi sint ministri Pontificij. Petere item,vt quæ sunt decreta, ad examen denuo reuocentur, durum nimis videri, vt id ipso statim principio proponatur, quod ad Concilij dedecus & infamiam insigniter pertinet. proinde veniant modo Theologi; fore vt de rebus omnibus humanissimè audiantur. sin prægrauari se aliqua re videant, habituros, vbi velint, liberam discedendi facultatem. Protestantes consilio communicato, conspectaque cautionis formula, ea contenti non erant, quod à *Basileensi* multis locis dissideret, in qua *Bohemis* quatuor præterea concessa fuere.

Pictauij Oratorum Cæsaris nomine,ad Protestantum legatos delinendos oratio.

Protestantiũ legati respondent, & cautionis formulam non eandem esse cum Basiliensi queruntur, ideoque eam recusant.

I. Vt decidendi quoque facultatem habeant.

II. Vt in omni controuersia loco Iudicis sint Sacra scriptura, veteris Ecclesiæ praxis,Concilia,& interpretes cum scriptura consentientes.

III. Vt ipsis domi liceat religionis suæ exercitio vti.

IV. Nequid in ipsorum doctrinæ contemptum aut vituperationem fiat: è quibus secundum caput erat longe diuersum à formula ipsis tradita, reliqua autem omnino fuerant omissa. Suspectum id quoque Protestantibus, quòd Concilium nomine Pontificis, & Cardinalium nullam cautionem spondebat, sicut in *Basileensi*: sed de hoc placuit nullam mouere controuersiam; tantum postulare, vt quatuor illa capita omissa insererentur. Itaque ad *Cæsaris* Oratores reuersi apertè profitentur se formulam illam à *Basileensi* diuersam accipere non posse, nisi mandati fines velint excedere. Ibi *Toletanus* stomachari coepit, quod eo non essent contenti, quod non nisi immenso suo sociorumque labore esset procuratum. caput esse, vt tutus itus sit ac reditus: cætera ad agendi modum pertinere, quæ præsentibus Theologis longè melius possent constitui. morosum esse, nihil quicquam alijs velle concedere, sed leges vniuersæ Ecclesiæ velle præscribere. Sed cum ne sic quidem Protestantes dimouerentur de sententia, Oratores rem ad Patres referendam censent,& ab alteris schedulam cautionis,vna cum ijs quæ addi desiderabant,accipiunt.

Id Toletanus stomachatur, vnde res ad Concilii Patres refertur.

Legatus

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Crescentius cum collegis apud Cæsaris Oratores iniqua esse Protestantum postulata contendit.

Legatus & cæteri Præsides conspecta Protestantum in postulatis suis obstinatione, Oratoribus *Cæsaris* ostendunt, quàm essent à iusto & æquo abhorrentia. Nusquã enim in cautionis *Basileensis* formula reperiri, concessam *Bohemis* vocë in Concilio decisiuam. Deinde in sua cautione dici, Scripturam, Ecclesiæ praxim, Concilia & Doctores scripturis subnixos esse iudices, etiamsi verbis paulum discrepantibus. Praxin enim Ecclesiæ comprehendi nomine Traditionis Apostolicæ, & cum nominantur Sancti Patres, designari eos, qui scripturæ fundamento nituntur, neque aliud agnoscant. Tertium autem de domestico religionis suæ exercitio non negatur ijs, modò clam fiat, & absque offendiculo. Prohibetur denique ne quid fiat in ipsorum vituperium verbis expressis, cum promittitur nullo modo violandos. Manifestum itaque esse cauillari eos, & tergiuersari, qui tam immeritò conquerantur. Quando igitur sperandum non sit posse ijs satisfieri, hoc solum restare, vt Saluus ijs conductus detur iuxta schedulæ formulam, atque ipsorum arbitrio permittatur, an eo vti velint, necne. Respondet *Comes Monfortius*, nihil præstari posse religionis causæ, & quieti publicæ conducibilius, quàm si prætextus omnes, & tergiuersandi occasiones ipsis adimantur, quò sint apud omnes deinceps inexcusabiles. quando ergo cautio hæc à *Basileensi* substantia non differat, ad os ipsis in omne tempus obturandum, *Basilæensem* formulam verbatim exscribendam, mutatis tantum personarum, locorum, ac temporum nominibus. Præsides responso hoc subtili ac adeo stringente icti obmutuerunt, donec Legatus recolligens sese, censet rem ad Patres in Congregatione referendam, ac prout ipsis videbitur, statuendum. Quare Præsidum quisque familiaribus suis Dei Ecclesiæque causam sedulò commendat, dicens, Italis & Hispanis magnam se iniuriam facere, si manipulum hæreticorum sequantur, qui & parum circumspectè loquuti sint, & contra doctrinam Christianam sese obligarint ad solam sacram scripturam sequendam. Omnibus verò in genere dicebant, Synodo magno dedecori futurum, si eo modo loquantur, vt confestim super verbis inextricabilis controuersia oriatur. Cum enim ventum erit ad inquirendum, qui Doctores scripturam ponant fidei suæ fundamentum, nunquam de hoc conuenturos. ad Synodi dignitatem pertinere apertè loqui. eam verò quæ à Synodo facta est, verborum expressionem, ipsam esse Concilij *Basileensis* veram declarationem. Atque his & huiusmodi rationibus prope omnibus persuasum, schedulam cautionis non immutare, bona spe fretis, Protestantes, vtcumque causæ suæ commoda sectarentur, re tamen semel peracta facilè conquieturos.

Monfortius respondens Basilæensem cautionis formulam ijs concedi vrget.

Præsides rem ad Patres referunt, quibus in cautione nihil mutandum persuadent.

Rebus ita constitutis die mensis XXIV. habita Congregatio generalis. Ad eam in Legati domum conueniunt Electores, & Patres omnes; item *Cæsaris* & *Ferdinandi* Oratores, qui conuentibus eius generis interesse non consueuerant. Legatus præfatur paucis, in vnum aggregatos ad actionem inchoandam, qua multis sæculis in Ecclesia nulla magis anceps ac periculosa contigerit, eòque obnoxiùs & ardentiùs Deum de foelici successu precibus fatigandum, & *Spiritus S.* opem more congregationibus solemni inuocandam. Dein à Secretario protestatio recitatur, cui Patribus omnibus per verbum *Placet*, assentientibus, *Promotor* eam in tabulas publicas referri, & authenticum de ea re instrumentum confici postulat. Eius verò tenor prope hic fuit. Sacrosanctam Synodum, ne progressum Concilij remoretur altercationibus quotidie nasciturìs, si exacta disquisitio institueretur de personis, quibus ius fasque in Concilio apparere, aut de mandatis & scriptis, quæ fas exhibere, aut denique de locis, in quibus cuique considendum, declarare, si quis aut per se, aut per substitutum admittatur, qui vel legum constitutione, vel Conciliorum consuetudine recipiendus non erat; aut loco dignitati suæ minus conuenienti consideat: aut si mandata, instrumenta, protestationes, aliaue scripta forent admissa, quæ Concilij honori, authoritati, aut potestati derogarent, vel derogare possent; his, neque huic Concilio, neque alijs quouis tempore celebrandis, iri præiudicatum: quandoquidem Synodo sit propositum pacem & Concordiam Ecclesiæ restituere quacumque conditione licita ac tolerabili.

Patrum Synodi protestatio de personis Protestantium ad Concilium venturis, eorum mandatis, locis, alijsque.

Introductis deinde in Conuentum *Mauricij Saxoniæ Ducis* Oratoribus, salutatis de more Patribus *Badehornus* Reuerendissimos Amplissimosque Patres & Dominos appellans,

Legati Mauriciani in conuentu à Patribus auditi sui Principis postulata recensent.

appellans, huiusmodi orationem habuit. *Mauritium Saxoniæ Electorem*, & ipsis *Spiritus Sancti* præsidium, & fœlicem exitum actioni precatum, significare, sibi iampridem decretum, si quando Concilium Oecumenicum liberum & Christianum haberetur, in quo de controuersijs religionis iuxta Scripturam pronuncietur, & cuique sit liberum animi sui mentem promere, & capitis membrorumque reformatio instituatur, Theologos suos eò mittere. Iam cum ipsos in hunc finem congregatos credat, Theologis suis imperasse, vt ex ijs selecti quidam fidei suæ Confessionẽ ad eum consessum deferant. Id quominus effectum dederint, *Constantiensis* Concilij decreto fieri, quo statutum, hæreticis & suspectis hæreseos fidem non seruandam, etsi Imperatoris, Regis, aut Principis cuiusuis cautione interposita, datam. simul exemplo Bohemorum, qui Basileam proficisci abnuebant, nisi Concilium ipsis idoneè cauisset. Postulare itaque Electorem, vt non absimili cautione, Theologis suis, & Consiliarijs, eorumque comitatui prospiciatur. Ante paucos dies exhibitam illi quandam *salui conductus* formulã, sed quòd à *Basileensi* admodũ discreparet, periculosæ aleæ visum huic sese committere: præsertim cùm ex nonnullis decretis *Tridentinis* hactenus excusis appareat, pro hæreticis & schismaticis pronunciari, qui neque vocati eò sint, nec auditi. Principem ergo petere suis cautionem ad formam *Basileensis*, alioqui suos excusatos cupere. Adhæc, cùm intelligat Princeps decretum Patribus, in articulis controuersis examinandis pergere, id sibi videri non suis modò adferre præiudicium, sed cunctis Legibus diuinis & humanis esse contrarium: suis legitimum impedimentum, cautionis idoneæ defectum, caussantibus. quare omnia differenda quoad illi audiantur, qui non vltra sexaginta milliaria Germanica absint. Præterea, quòd illi nunciatum sit, Protestantes non auditum iri super articulis controuersis, superioribus annis definitis, quorum maior pars errores contineat grauissimos, Principem rogare, vt hi ad incudem denuo reuocentur, & super his audiantur Theologi, quo tandem id statuatur, & à Christianis omnibus credatur, quod est Dei verbo consentaneum. Ex Catalogo enim qui prodijt, apparere, ea quæ sunt decreta, à paucissimis eorum, qui Concilio generali interesse debuerant, fuisse agitata: cùm tamen de Concilij generalis sit essentia, nationes omnes admitti, & quid sentiant, libere profiteri. Significare insuper Principem, multos ex articulis controuersis Papam ipsum spectare. Cumque *Constantiensi* & *Basileensi* Concilijs decretum sit, in causis fidei, & quæ Pontificem ipsum spectant, illum Concilio subijci; æquum esse, vt in hac causa idem obtineat, idque locum habeat, quod Sessione tertia Synodi *Basileensis* statutum fuit; nempe vt omnes, qui Concilio intersunt, soluantur religione iuramenti quo Pontifici obligantur, in causis Concilium spectantibus. Immo Principem existimare, omnes vi ac virtute constitutionum illis Concilijs sancitarum absque alia declaratione eiusmodi vinculis solutos ac liberos. Rogare itaque Synodum, vt inprimis velit repetere, probare & confirmare articulum illum de potestate Concilij supra Pontificem. Cum enim Ordo Ecclesiasticus reformatione potissimum opus habeat, eaque Pontificum opera maximè impediatur, non expectandum, vt abusus vnquam emendentur, quandiu ij qui in Concilio suffragij ius habent, à Papæ nutu pendent, & virtute sacramenti tenentur ad dignitatem, statum potentiamque eius tuendam. Quòd si Pontifici adlubesceret iuramentum hoc sua sponte remittere, rem facturum immortali laude dignam, maximamque fidem, gratiam ac authoritatem Concilio, concilijque decretis pariturum; quippe quæ ab hominibus liberis, & iuxta *Christi* doctrinam tractare & iudicare paratis essent profectura. Orare denique Principem, postulata vti sua Patres boni consulant, ad quæ proponenda solo propriæ salutis zelo, caritate in patriam, & tranquillitatis populi Christiani studio impellatur. Cum perorasset ea ipsa capita scripto comprehensa Patribus exhibuit, & secretarius accepit. Promotor verò omnium nomine respondit; Synodum singulis bene pensitatis, quid sentiat suo tempore demonstraturam.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Badehornus orationem suam literis cõsignatam secretario tradit.

Post hos auditi *Wirtembergici*, qui exhibito lectoque Legationis suæ diplomate, paucis narrant, se doctrinæ confessionem descriptam in medium proferre, venturosque à suo Principe Theologos, qui eam tueantur, & copiosius omnia explicent. Verùm his conditionibus; primùm, vt de vtriusque partis voluntate iudices deligantur, qui

Wirtembergici quoque doctrinæ suæ confessionem Patribus exhibent.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

qui de rebus controuersis cognoscant. Cùm enim suorum Theologorum doctrina, cum Pontificis Romani & Episcoporum illi adhærentium doctrina pugnet, contra ius videri, eos, qui vel actoris, vel rei personam sustineant, iudicandi potestatem sibi sumere. Deinde, vt quæ superioribus annis facta sunt in Concilio, vim legis non obtineant, sed ab initio omnia repetantur, quando iustum non sit duobus litigantibus, quod ab vno fit, altero legitima de causa absente, firmum ratumque esse: præsertim cùm perspicuum sit, non nuper modò, sed etiam annis superioribus promulgata in Concilio decreta sacris literis planè contraria. Atque hæc ipsa capita scriptis mandata vna cum doctrinæ confessione Synodo exhibent: quæ accepit quidem Secretarius, sed doctrinæ confessionem legendam non putauit. Responsum quoque à Promotore, sicut antea Mauricianis, Patres, quid de his sentiant, debito tempore significaturos.

Patres in cautionis publicæ formula nihil immutandum statuunt.

His rebus peractis Electores & Oratores recedunt, Præsides verò cum Præsulibus manent, ad statuendum de consessu. Primùm igitur fit decretum, dein proponitur fidei publicæ formula, causis etiam appositis, cur Protestantibus ea non satisfaceret. Cumque relatum esset ad Patres, an ad eam formulam adiungendum porro esset quod expetebatur, absque controuersia omnes in eam iuerunt sententiam, nihil aliud addendum: alioqui, neque disceptationes inenodabiles, neque præiudicia ineuitabilia, Synodum effugere posse.

Sessio. XV.

Postridie, qui fuit Ianuarij dies vigesimus quintus, & Consessui destinatus, in templum solita pompa & comitatu itur. Auctior quidem tunc erat militũ numerus Præsidum iussu, ad ostentandam Concilij magnificentiam: & peregrinorum frequens turba conuenerat diuersis ex locis, Protestantes publicè acceptum iri, & cùm magna actionis celebritate ac ceremonia rati. Missam celebrauit Episcopus *Catanensis*, concionatus est *Ioannes Baptista Campegius Maioricæ* Antistes, seruatisque rituum solemnitatibus, Decretum de suggestu ab Episcopo celebrante recitatum in hanc formam.

Decretũ Prorogationis Sessionis.

Synodum, de ijs, quæ iam pridem decreta erant, exequendis sollicitam, accuratè diligenterque tractasse, quæ ad Missæ sacrificium, & Sacramentum Ordinis spectant, vt hodierna Sessione publicaret decreta super his, simul quatuor articulos ad Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, sed hucusque dilatos, quod speraret Protestantes ad Concilium interim affuturos, quibus ea de causa fidem publicam concesserat: cum tamen illi nondum venerint, imo eorum nomine supplicatum fuerit, vt in Sessionem sequentem omnia deferantur, certâ spe concepta ante illam Sessionem haud dubiè adfuturos, modò illis cautio publica vberiori forma concedatur: Eandem Synodum quietis pacisque cupidissimam, confidentem esse venturos, non fidei Catholicæ oppugnandæ, sed veritatis cognoscendæ studio, sanctæque matris Ecclesiæ decretis ad extremum acquieturos; sequentem Sessionem ad edenda & publicanda, quæ supra memorata sunt, in diem decimum nouum mensis Martij distulisse. Quibus vt omnem cunctandi causam adimat, Saluum conductum, siue fidem publicam eo, qui iam recitabitur, tenore, dare & concedere. Interea de matrimonij Sacramento agendum, vt quæ super eo definiuntur, vna cum alijs decretis iam dictis publicentur: & reformationis materiam esse prosequendam.

Saluus Conductus ab Synodo Protestantibus datus.

Saluus autem Conductus hac forma concipiebatur. *Synodum adhærentem saluo conductui penultima Sessione dato, illumque ampliantem, Vniuersis fidem facere, omnibus & singulis sacerdotibus, Principibus, Nobilibus, alijsque cuiuscumque conditionis è Natione Germanica viris, qui ad Concilium hoc Tridentinum, aut venerunt, aut venturi sunt, tenore præsentium publicam fidem, & plenissimam securitatem, quam saluum Conductum appellant, dari, liberè ad Tridentinam ciuitatem veniendi, ibidem manendi, proponendi, cum Synodo conferendi tractandi & examinandi quicquid ipsis libuerit, articulos quoslibet offerendi, & astruendi,*

endi, ad obiecta Concilij respondendi; & cum ijs, qui à Concilio delecti fuerint disputandi. & signanter, causas controuersas, secundum sacram scripturam, Apostolorum traditiones, probata Concilia, Ecclesiæ Catholicæ consensum, & Sanctorum Patrum authoritatem in Concilio tractatum iri: hoc insuper addito, religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum aut committendorum minime punitum iri, neque propter illorum præsentiam, in itinere, aut quocumque locorum, nec in ipsa ciuitate Tridentina à diuinis officijs quouis modo iri cessatum: ipsisque fore liberum, redire ad libitum absque impedimento, rebus, honore, ac personis suis ac suorum saluis; sic tamen, vt deputatos à Synodo de discessu suo faciant certiores, vt eorum securitati melius consulatur: quæ quidem quò plenior sit & efficacior, cupere ac velle in hac publica fide clausulas quascumque necessarias pro inclusis haberi. Illud porro ad maiorem securitatem addere, si quis illorum, aut in itinere, aut dum Tridenti commoratur, aut rediens, enorme quidpiam patrauerit, quo beneficum publicæ huius cautionis euacuari contingat, hoc casu delinquentes ab ipsis condigna animaduersione, quæ Synodo tamen approbetur, puniendos. Rursus, si quispiam è Synodo, vel in itinere, vel Tridenti, vel in redeundo admiserit facinus aliquod, quo fides hæc publica violetur, hunc ab Synodo coercendum eo supplicio, quod nobilibus Germanis, qui id temporis erunt Tridenti, probabitur; præsenti cautionis forma manente illibata. Permittere etiam Legatis ipsorum, quoties oportunum videbitur, è ciuitate Tridentina ad exspatiandum & aerem liberiorem hauriendum exire, & eodem reuerti: necnon nuncios ad quæcumque loca negotiorum causa mittere, ac ad se missos admittere, quoties videbitur expedire, modò deputatorum aliquem sibi comitem assumant, per quem eorum securitati prouideatur. Atque hunc saluum conductum velle durare toto tempore, quo ipsorum tutelam Synodus susceperit, in itinere quoad Tridentum venerint, dum ibidem commorabuntur, & viginti dierum spatio, postquam aut ipsi abeundi facultatem petierint, aut Concilium ipsis abeundum significarit, vsque quo in quem quisque sibi elegerit locum tutum restituantur. Eaque omnia vniuersorum & singulorum Christi fidelium, Principum tam Ecclesiasticorum, quàm secularium, aliarumque omnium cuiuscumque conditionis personarum nomine, inuiolabiliter obseruanda bona fide spondere. Simul sincerè promittere, Synodum nullam occasionem manifeste, vel occultè quæsituram, qua in præiudicium huius publicæ cautionis quidquam attentetur: imo nec vsuram neque permissuram quemquam vti aliqua authoritate, potentia, iure, statuto, priuilegio legum vel Canonum, vel Conciliorum præsertim Constantiensis & Senensis: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si Sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, huius salui conductus formam in quocumque puncto vel clausula violauerit, & sufficiens mulcta non fuerit mox subsecuta ipsorum arbitrio approbanda, existiment Synodum incidisse in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut consuetudine, eiusmodi cautionum publicarum violatores incurrere possunt, omni excusatione aut contradictione semota.

Iulius 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

Quibus in hunc modum recitatis Sessionis eius factus est finis. Hoc in comperto est, Præsides, quem exitum res habituræ essent, incertos, voluisse præparare se, si aura secunda afflasset, ad materiam Sacramentorum vna Sessione terminandam. Cum itaque in numerato haberent, quæ ad communionem, Missam, & Sacramentum Ordinis spectant, flagrabant eorum digerendorum desiderio, quæ ad matrimonium

Iulius 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

nium pertinebant, vt in vnum omnia fasciculum conijcerent, alteraque Sessione de purgatorio, Indulgentijs, imaginibus, reliquijs, alijsque minutijs (sic enim eas appellabant) tractationem percurrentes, Concilio finem imponerent. sin verò quid eorum instituto obsisteret, per se non stetisse, quin effectum daretur, ostenderent.

Nihil hic nisi Pontifice & conscio & consentiente geritur.

Atque hic plerisque hos rerum successus perlegentibus admirationem forsitan adferet illud, quod nullam hìc videant Pontificis fieri mentionem, de cuius tamen ore etiam in longe leuioris momenti negotijs deliberationum oracula semper antehac reuellebantur. Sed ijdem mirari desinent, vbi intellexerint, non euentus modò rerum, sed suscepta & consilia omnia singillatim Pontifici in hoc negotio pro more communicata. De aduentu enim Legatorum *Wirtembergicorum*, & quod alij indies expectabantur, certior factus, ad Legatum suum, Nunciosque rescripserat, vt Protestantes, quanta maxima posset humanitate, exciperentur. In huiusmodi occasionibus acerbitates quasdam necessariò perferendas, vt res facta habeatur: quare solita vtantur prudentia necessitati temporum inseruientes, quibus cedere fortiter patiendo sit gloriosum. Vt ab omni publico colloquio in re religionis, siue scripto, siue voce, diligenter caueant. Vt Protestantum Doctores aliquot officijs ac pollicitationibus sibi conciliare curæ habeant, neque sumptibus parcant. Et quanquã Legatus singula eorum, quæ *Tridenti* gerebantur, per literas nunciabat, Pontifici tamen non fuit quicquam tanti, vt à coeptis consilijs discederet. Et post hunc consessum quidem, animum crebris de rebus Concilij cogitationibus non valde fatigauit; ad auscultandum ijs, quæ à Gallis proponebantur, propter conceptam de abalienato ab se *Cæsare* opinionem propensior. Verùm vbi accepit, *Cæsaris* Legatos spem fecisse Protestantibus de moderanda Papæ potestate, & dictitasse, se, vbi actione Protestantum ianuam patefactam viderint, continuò secundas acturos partes, & quæ iampridem animo destinauerint commodùm introducturos: tum, complures è Patribus, Hispanos præsertim, censere certis limitibus restringendam authoritatem Pontificiam; *Cæsarique* decretum, Maiestatem suam attollere cum abiectione Pontificatus, & Protestantum sibi voluntates adiungere, culpa omni in alium coniecta: factus his omnibus à *Cæsare* alienior, ad *Galliæ* Regem animum conuertit, & Cardinali *Turnonio* Regis illius nomine tractanti aures præbuit; certò sibi persuadens, si id succederet, Concilium absque omni sua vel opera, vel voluntatis significatione iri dissolutum.

Pontificis ab Cæsare magis abalienandi occasiones.

Protestantium Legati Cæsarianorum suasu, salui conductus, licet non mutati, exemplum capiunt, vt Principes suos consulant.

Post Consessum Protestantes, vtcumque intelligerent diploma commeatus non, quemadmodum illi postulabant, ampliatum: re tamen dissimulata, cùm illud deposcerent porro, *Cæsaris* Oratores, qui de industria in eum finem conuenerant, singulorum Principum ac ciuitatum Legatis, exemplum vnum cautionis authenticum, à scribis Concilij subnotatum, tradunt. Quod illi secedentes paullum, perlegunt, confestimq; reuersi, ostendunt quid adhuc requirant, & à Synodo responderi postulant, ad ea quæ super modo procedendi in Concilio proposuerant. *Cæsarei* vicissim hortantur, vt dextrè & moderatè procedant, persuasum ijs cupientes, temporis progressu omnia posse impetrari; sed, quæ minus grata sint, præmaturè postulando, rei conficiundæ difficultatem adferre. Neque enim esse necessarium in ipso commeatus diplomate disertè exprimi; licere ipsis domi sua sacra tractare, quando id intelligatur concessum, quod non prohibetur. Item, ne quid in ipsorum religionem proteruius fiat, abunde expressum, vbi Patres spondent humaniter & benignè iri exceptum: & si velint, ad maiorem cautionem, vt id publicè omnibus interdicatur, curaturos. De probationibus autem in Concilio citandis re quidem conuenire, vt scriptura pro fundamento sit; sed cum de scripturæ interpretatione lis oritur, ad Concilij iudicium necessariò confugiendum. scripturam esse rem inanimem atque mutam, eoq; sicut reliquas Leges politicas, Iudicis vocem ad eam animandam requirere; quam non aliam esse, quàm vocem Concilij, more ab ipsa Apostolorum ætate continuato satis constare. Protestantes itaque cautionis exemplum singuli accipiunt, verum non alia lege, quàm vt ad Principem & magistratum quisque suum mittant.

Patres Concilij ad dogmata de Matrimonio procudenda festinant, vnde Protestantum apud Cæsarianos querimonia, qui iam decreta retractari petebant.

Præsides vero, ad id quod decretum erat exequendũ, de Sacramento matrimonij examinando, habita congregatione generali, electisq; deputatis, themata XXX. exhibent

bent à Theologis discutienda, & Canones confici iubent, prout in articulis excutiendis progrediebantur. Post aliquot Congregationes formati Canones sex. Cum autem Protestantes apud Oratores *Cæsaris* quererentur, ab ipsis spem sibi factam, decreta iam stabilita posse temporis progressu retractari: spem vero illam re ipsa plane adimi, Patribus etiam interea, dum Theologorum aduentus expectatur, nouas sanctiones procudentibus: Oratores *Cæsarei* nihilo magis à Præsidibus impetrare poterant, vt actionum progressus sisteretur. Imo verò hoc solicitiùs omnia videbant accelerari, quò Protestantes vel ab itinere *Tridentum* destinato deterreantur, vel eò profecti ludant operam, controuersijs omnibus iam decisis. Nam quod ad alterum postulatum spectabat de decretis repetendis, ac denuo examinandis, Pontifici, Curiæ Romanæ, & Præsulibus omnibus erat decretissimum, id constanter repudiare: ac quò plura decernerentur, eò probabilius multorum decretorum retractationem denegari. At *Cæsar*, cuius intererat plurimum Protestantes *Tridentum* venire, referebat autem nihil, vtrum Decreta iam facta nouam examinis aleam subirent, nec ne, intellecta Protestantum querimonia, & vicissim impedimentis, quæ ad sistendam eorum profectionem obijciebantur, vnum è suis *Tridentum* misit, sed qui mox inde *Romam* proficisceretur, ad impetrandam omnibus Concilij actionibus dierũ aliquot morã: ostendens ista, veluti canis festinantis, properatione, decreta lusciiosa & male cocta edi; Protestantibus suspicandi materiam dari; & ipsorum ad Ecclesiæ gremium reditum reddi difficiliorem: ac proinde iubens, & suo nomine edici suis, ne vltra pergerent; & apud Pontificios, si suasionibus & monitis nihil efficeretur, protestationes adhiberi. Quo *Cæsaris* Concilio *Tridenti* cognito, indicta statim congregatio generalis, eaque re in consultationem adducta, deliberatum actionibus Concilij omnibus supersedere, sed durante tantum Synodi beneplacito.

Iulius 3. *Carolus* 5. *Eduardus* 6. *Henricus* 2.

Cæsar quà minis, quà blanditijs, vt actionibus Concilij Patres ad tempus supersedeant, impetrat.

Verum Pontifex hoc facto irritatus, simul *Cæsari* alijs nominibus offensior, *Tridentũ* ad suos scribens mandat, vti istam actionum Concilij suspensionem, quàm possent paucissimis diebus continuarent, atq; ad tuendã Synodi dignationem, actiones intermissas respectu omni seposito repeterent. Nam ad alias offensionum causas accesserat *Georgij Martinusij Episcopi Varadiensis* cædes, quæ Papam & Cardinales mirificè commouerat. Cùm enim *Ferdinandus Transiluaniam*, in quam Turcæ iam irruperant, occupare vellet, ad eam, vti obtendebat, *Ioannis Vaiuodæ* demortui filiolo conseruandam, *Martinusius* profundæ prudentiæ vir, & maximæ in ea Prouincia authoritatis, eius libertati in primis consultum cupiebat. Sed cum non esset ijs viribus, vt Turcis & Austriacis simul se opponere valeret, ad maius periculum propulsandum, hisce se adiungens aduersus immanem Turcarum potentiam, res æquo prope libramine retinebat. Austriacis, qui in hoc Præsule ad ea, quæ animis designauerant, obtinenda, maximum cernerent momentum, eum sibi omnibus artibus deuincere cupientibus, *Ferdinandus Georgio* pactus est octoginta millium aureorũ pensionem: & à Pontifice, satagente *Cæsare* Cardinalis sub medium octobrem creatus, purpureo galero (quod rarò vsuuenire solet) vltro ad eum delato, cum facultate vestem murice tinctam induendi, quod alioqui non licebat monachis *D. Basilij*, cuius ille ordinis fuerat. Sed cum istam speciosam dignitatem quasi infra se contemneret, & *Austriacæ* familiæ amplitudinem post patriæ commoda duceret, XVIII. Decembris à *Ferdinandi* ministris ex insidijs illum adorientibus crudeliter trucidatur: hoc colore facinus excusantibus, quòd clandestina cum Turcis consilia agitaret. Atque hoc facto Cardinales immane quantũ excanduerunt, quippe qui se Sacrosanctos putant, & inuiolabiles; & ab exemplo pessimo sibi metuebant, vt Cardinalis fictis calumnijs, aut falsis suspicionibus capitis periculum adire debeat. Pontifici quoque, etsi satis per se facti atrocitate exasperato, stimulos addidere, obiecta specie vtilitatis, quòd Cardinalis ille ingentes thesauros possideret decies centena millia scutatorum, fisco Pontificio haud dubiè, vti aiebant, applicanda, quando decessisset intestatus. Has ob causas Cardinalium nonnullis negotio dato, qui rem cognoscerent, *Ferdinandus* cum suis in *Dacia* ministris in censuras Ecclesiasticas incurrisse credebantur: designatique, qui de rei veritate quæstionem habituri *Viennam* proficiscerentur. Et quia hoc vlcus denuo tangere non placet, temporum seriem præuertens addam in hanc rem, Cardinalium, qui

Martinusius Dalmata nuper factus Cardinalis, à coniuratis in Ferdinandi gratiam domi suæ confoditur, vnde Pontifex Cæsari infensior.

Pontifex demortui Cardinalis Thesauros, quòd intestatus decessisset, sibi deberi vult.

Iulius 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

principio iracundia grauiter exarserant, feruorem statim refrixisse,ac quia factum infectum fieri non poterat, maioris motus euitandi caussa, quæsitores ad calumnias conniuentes rem dissimulasse. Et quamuis demortuo lis intentaretur, prout *Ferdinandi* rebus opportunum videbatur, nihil tamen eorum,quæ contra *Georgium* afferebantur, , probatum. Cogitatio etiam illa de hæreditate eius fisco Pontificio applicanda mox euanuit, cùm thesauri pro tanta fortuna modici reperti essent, pecuniâ eâ, quam sepositam credebant, ab homine liberali in vsus publicos consumptâ, & quæ supererat,iam in milites distributâ. Etiam Pontifex *Ferdinandum*, & alios, qui in rem præsentem cædis non venerant, à censuris soluit, additâ clausulâ, si probationes in medium adductæ veritate niterentur. Cuius adiectionem ministris *Cæsaris* indignè ferentibus, quasi eâ *Ferdinandi* fides atque innocentia in dubium vocarentur, placuit Pontifici absolutam ferre sententiam. Ita ij soli, qui cædis artifices *Romã* proficiscuntur, vt diris soluti sacris restituantur; sed ea confidentia, ac si laudabilis alicuius operis architecti fuissent: quamuis nemo in *Pannonia*, imo ne *Romæ* quidem dubitaret, cædem eam eorum auspicijs patratam, quibus plurimùm conduceret; iuxta veriuerbium, *Abstrusioris cuiusque consilij, eum videri authorem, qui ex eo fructum capit maximum.* Atque hoc facinus tantum abest *Ferdinandi* res vt promouerit, vt contra ob hanc & alias itidem causas *Transiluania* exclusus fuerit. Sed hæc propriè nostri cùm instituti non sint, ad alia quæ tum successerunt, est reuertendum.

Ambrosii Pelargi Dominicani in Protestantes concio seditiosa.

Die VII. Februarij, dominica quæ præcedit Septuagesimam,cum Euangelium legeretur de zizania tritico permista,*Ambrosius Ciconia* (id enim sonat Germanicum eius cognomen *Pelargus*) Dominicanus in comitatu Archiepiscopi *Treuirensis* Theologus, zizaniæ verbo denotans hæreticos, inter alia dicebat, tolerandos esse quamdiu sine maioris detrimenti periculo tolli non possunt. Id ita delatum ad protestantes, ac si dixisset, non esse fidem illis seruandam, quæ data sit: vnde rerum perturbatio orta. Ille se profitebatur in genere locutum de hæreticis, neque plura, quàm quæ Euangelio proponantur. Quod si dixisset igni, ferro, laqueo, & quacumque alia ratione tollendos,non aliud fuisse dicturum,quam quòd à Synodo Sessione II.præcipitur. Se certè modestissimè locutũ;neq; posse quenquã super eo Euangelio concionari, qui non tantundem dicat. Tumultus tandẽ *Cardinalis Tridentini* & Cæsarei Oratoris interuentu ægrè satis sedatur, licet constaret, Monachum de fide eis seruanda nullum fecisse verbum, neque quicquam elocutum,quod Protestantes sigillatim tangeret, sed hæreticos vniuersim. Cœpit tamen inde occasionem discedendi *Treuirensis*, qui iam multo ante,quod secreta cum Rege Galliæ haberet consilia, abituriebat, ac valetudinis etiam curam obtendens, sub medium Februarij domum versus *Tridento* abit, *Cæsare*, vti videri volebat, permittente; atque ipso reditionem promittente: quamuis neque per *Oenipontem* iter fecerit, neque *Cæsarem* de via salutarit.

Elector Treuirensis Tridento discedit.

Promulgatio Indulgentiarum per Legatum Pontificium.

Primo die Quadragesimæ,qui est cinerum,*Tridenti* perinde ac *Romæ* concessione Pontificis indulgentiæ publicantur chartis ad valuas templorum affixis, omnibus, qui certa templa præscriptis diebus adire vellent peccatorum expiationem offerentes. quo pietatis exercitio detinebantur Patres, & ij, qui remanserant, Theologi, propter intermissas congregationes alioqui otiosi. Nam antea in priuatis congregationibus otium consumebant, interdum de Concilij dissolutione, interdum de continuatione varios sermones serentes, pro eo, ac varij ad eorum aures nuncij perferebantur. Initio quidem Martij allatæ fuerunt literæ Electoris *Mauricij* ad Legatos suos. Quibus mandabat ijs, vt vrgerent in Concilio, quæ à Patribus nondum impetrassent. Se enim in hoc esse, vt ad *Cæsarem* propediem contendat. Quo nuntio omnium animi recreati. Verùm intra paucos dies sparsus passim rumor, Principes Protestantes facto cum *Galliæ* Rege fœdere, bellum in *Cæsarem* parare. Vndè Electores *Moguntinus* & *Coloniensis* vndecima die Martij discedunt, & per *Oenipontem* iter facientes, cum *Cæsare* soli diu colloquuntur: tum Legati *Mauritiani* sibi metuentes, magno silentio *Tridento* abeunt, diuersis itineribus domum reuersi. Post hæc nihilominus quatuor Theologi *Wirtembergici*, & *Argentinenses* duo *Tridentum* veniunt. Cum his Legati eius Principis mox *Cæsaris* Oratores adeunt, orantque, velit Synodus

Rumor belli in Cæsarem: vnde Electores domuitionem capessunt

Wirtembergici & Argentinenses Theologi Tridentum veniunt.

dus ad ipsorum postulata respondere, & actionem inchoare. Legatus Pontificius respondet instare diem XIX. Martij consessui publico designatum. de hoc rectè instituendo primam esse curam: dein multa alia tractanda, & in his deliberationem de tractationis suscipiendæ modo. Eo die cùm in domum Legati conuenissent, deliberatum de Sessione ad Calendas vsque Maias proroganda. In ea Congregatione admissus est à Patribus *Lusitaniæ* Regis Orator, qui Legationis suæ fidem faciens orationem habuit, eique responsum est à Patribus more solemni, collaudato Rege, actisque tum Regi, tum oratori quàm officiosissimè gratijs. Interea Legati *Wirtembergici*, cum viderent ad postulata sua nihil responderi, confessionemque doctrinæ exhibitam à se, ab Legato retineri, nec cum alijs communicari, qui eam studiosè requirerent, pauca quædam exemplaria typis excusa, quæ secum attulerant, distribuunt. Id factum plerique è Patribus iniquo animo ferre; alij animaduersione dignum dicere, quasi in fidei publicæ leges esset peccatum. Illos enim, quibus de periculo idoneè cautum esset, obligari ad omnem eius qui cauisset, offensionem fugiendam: sed Oratorum interuentu turbæ hæ tandem consiluerunt.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Regis Lusitaniæ Orator à Patribus benignè accipitur.

Legati Wirtembergici confessionis suæ exemplaria dispergunt, quod Patribus maiorem in modum displicet.

Pergunt itaque Protestantes ab Oratoribus *Cæsaris* enixè petere, vt actionem aliquando vellent auspicari; quæ tam diu protollebatur, interdum hoc colore, quod Legatus Pontificius parum firma esset valetudine, interdum alijs. Et certè *Cæsarei* Oratores nihil quod erat officij sui ad tractationem inchoandam prætermittebant. quin officiorum sedulitate à Protestantibus hoc impetrarunt, vt contenti essent desistere petitione toties iterata de respondendo postulatis suis: tum illud, vt doctrinæ à se exhibitæ examinationem porro non requirerent. sed dum Protestantes cedendo difficultates sublatum ire student, à Præsidibus nouæ, vel super modo tractandi, vel super materia vnde inchoandum, subinde excitantur. Imo quamuis Protestantes Oratoris *Pictauij* suasu paterentur se eousque tandē adduci, vt vnde alteri disputationem ordiri vellent, sese ad id paratos ostenderent, tractationis nihilo magis factum est initium. Nam Legatus corpore æger, animo magis laborabat. hoc ipso tamen fingere inualetudinem putabatur, vt actioni huic moram inijceret. Tum nuncij soluendo magis erant, quam resoluendo. Et inter Episcopos haud satis conueniebat. Nam qui partium erant *Cæsaris*, Hispani, cum Neapolitanis & Siculis, Oratorum impulsu, actionem procedere cupiebant: at Pontifici addicti, quòd tractationem istam in emendationem Curiæ Romanæ mox abituram crederent, omnes impedimentorum occasiones consectabantur. Et quoniam ad belli ciuilis nuntium Antistites Germani iam abierant, eandem illi quoque occasionem expectabant: eoque magis, quod porro nunciabatur *Galliæ* Regem, & *Germaniæ* confœderatos in armis esse aduersus *Cæsarem*, atque id ipsum liquidò apparebat ex protestationibus, alijsque scriptis emissis in publicum, religionis defensionem, *Germaniæque* libertatem belli causas adstruentibus. Calendis Aprilis *Mauricius Augustam* obsidet: qua die tertio deditione capta, eius rei nuntius *Tridentum* die VI. peruenit; simul, omnes per agrum *Tirolensem* arma capere, *Oenipontem* ituros; quod fama sit, exercitum Principum fœderatorum cogitare de occupandis per *Alpes* viarum claustris, ad aditum peregrinis in *Germaniam* intercludendum. Quo nuntio Episcopi Itali perterriti ad nauigia profugiunt, secundo flumine *Athesi Veronam* petituri; & Protestantes deinde abitionem parant.

Protestantiū Legati licet in multis de iure suo concedentes, & Cæsarianis etiam adnitentibus, actionis initium non impetrant.

Legatus Pontificius animo & corpore laborat.

De Augusta per Mauriciū capta nuntius Patres Tridentinos in fugam vertit.

Cùm Episcopi pauci remansissent, & Legatus *Crescentius* morbo ingrauescente sæpe deliraret, nec animo consisteret, Nuncij metuentes, ne, si Calendæ mensis Maij, sicuti condictum erat, expectarentur, Præsulum *Tridenti* solitudo esset futura, literis *Romam* scriptis, Pontificem, quid in tantis rerum angustijs faciendum esset, consulunt. Ille, qui cum *Galliæ* Rege iam transegerat, neque *Cæsarem* vltrà reformidabat, etiam difficultatibus, quibus tum conflictabatur, liberum, in Cardinalium coetu, quod à Nuncijs propositum, deliberandum censuit: à quorum maiori parte facile concursum est in eam sententiam, vt Concilium suspenderetur. Itaque statim diploma conficitur, & Tridentum mittitur, simul Nuncijs per literas significatur, potestatem ipsis ad Concilium suspendendum demandari. Vbi igitur premeret necessitas, ei cedendum, neque Synodi dignitatem in discrimen adducendam: quæ alio tempore

Nuncij Pontificem consulunt, quid facto opus esset. Ille verò de Cardinalium sententia Concilium suspendendum censet.

pacati,

Iulius 3. Carolus 5. Edwardus 6. Henricus 2.

pacatiori posset restaurari. Neque omnino Concilium dissoluendum; cuius conuocatio ad multas opportunitates conducere videretur, sed ad tempus solummodò prorogandum. Responso hoc Pontificis cum Oratoribus, & primæ notæ Præsulibus communicato, ij quidem censent *Cæsarem* esse de ea re consulendum, & periculi imminentis metum, quà possunt, extenuant. At reliqui, licet maximam partem Hispani, tam periculi sui formidine, quàm odio Protestantum, tum quòd sperarent, in rebus adeo arctis *Cæsari* defore tempus ad Concilij negotia consideranda, in suspensionem Synodi assenserunt. Vnde à Nuncijs consessus publicus in primum diem Maij antea dictus, in Aprilis antepenultimum nunc indicitur. Tanta eos trepidatio incesserat, vt ne duorum dierum spatio tempus à Concilio Sessioni antea destinatum, expectandum sibi putarent.

Patres Cæsarem, qui ipse prematur rebus arctis, ea de re monendum non putant.

SESSIO XVI.

Ad eam Sessionem conuenerunt pauculi, qui remanserant, Patres, vbi ceremonijs peractis, sed pompa omni ac magnificentia aliàs adhiberi sueta, eo tempore omissis, Secratarius à Nuncio *Sipontino* iussus, decretum recitauit: cuius hæc summa.

Decretum Suspensionis Concilij.

Sanctam Synodum, Præsidentibus in eo duobus Nuncijs Apostolicis, tam proprio, quàm Cardinalis Crescentij Legati ob grauem aduersam valetudinem absentis, nomine, non dubitare Christianis omnibus esse notum, Concilium Tridentinum à Paulo primùm conuocatum, deinde à Iulio III. efflagitante Carolo V. Imperatore restitutum, ad religionem in Germania præsertim restaurandam, & mores Christianorum emendandos. Cumque ad id celebrandum quam plurimi Patres, è diuersis regionibus, nulla laborum suorum, periculorumque habita ratione, alacriter confluxissent, resque fœliciter procederet, ac spes esset non leuis Germanos in religione nouatores ad Concilium venturos, sic animatos, vt rationibus Ecclesiæ acquiescerent, versutiâ hostis generis humani eos repente tumultus bellaque exarsisse, quibus & Concilium hærere, & cursum suum interrumpere cogeretur, & non modo spes omnis vlterioris progressus tolleretur, sed metus esset Synodum multorum mentes irritaturam potius, quàm placaturam. Sanctam igitur Synodum cum videret omnia loca, & præcipuè Germaniam discordijs ardere, & Episcopos Germanos, præsertim Principes Electores, suis consultum Ecclesijs è Concilio abijsse, decreuisse tantæ necessitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, adeoque Concilij Tridentini progressum per biennium suspendendum decernere, ea tamen lege, vt si res pacatæ euadant ante temporis illius finem, Concilium vigorem firmitatemque suam resumpsisse intelligatur: sin autem peracto biennio impedimenta submota non fuerint, quamprimum cessauerint, suspensionem eo ipso sublatam, roburque pristinum Concilio restitutum intelligi, sine alia noua Concilij conuocatione, accedente ad hoc Decretum consensu & authoritate Sanctitatis suæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ. Interea Sanctam Synodum exhortari Principes omnes Christianos, & omnes Præsules, vt quatenus ad eos spectat, obseruare faciant in suis dominijs & Ecclesijs omnia & singula, à Concilio hactenus statuta & decreta.

Nuncij Patribus discedendi potestatem faciunt, licet Hispanis reluctantibus.

Decretum hoc ita recitatum *Itali* statim omnes approbarunt. At *Hispani* numero duodecim, quorum ab *Italis* diuersa erant studia, negabant tantum esse, quantum alteri caussabantur, periculi. Ante annos quinque captam à Protestantibus *Chiusam*, neque tamen Concilium ideo diremptum, licet ad *Tirolum* propugnandum tum temporis adesset nemo præter *Franciscum Castelaltum Tridenti* præfectum. nunc autem *Oeniponte* esse *Cæsarem*, cuius solum nomen compescendis ijs motibus satis validum sit. Dimittendos itaque in præsens meticulosos, sicuti tum factum est, cæteros verò

qui

qui abitionem minimè cogitant, eò vſque retinendos, dum *Cæſaris*, qui tridui tantum itinere abeſſet, voluntas exploretur. Sed dum reliqui Patres confertim reluctantur, Hiſpanis nequicquam contra ſuſpenſionem adeo abſolutam proteſtantibus, *Nuncius Sipontinus*, Patribus prius benè precatus, ſingulis, quò vellent, abeundi fecit poteſtatem. Nuncijs ergo & Præſulibus *Italis* primùm diſcedentibus, *Hiſpani* denique & *Oratores Cæſarei* lapſis aliquot diebus abeunt. Cardinalis verò *Creſcentius* inualeſcente morbo *Veronam* delatus, poſt paucos dies fatis conceſſit.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Iam *Romæ* extrema pars Decreti multos malè habuit, Nuncijſque duobus pro magno imputatum, Synodum omnium, quæ in Concilio antea definita fuiſſent, obſeruationem decreuiſſe, priuſquam ad ea corroboranda Sedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſiſſet. Id enim eſſe, alieni iuris vſurpationem, & maximam authoritatis Pontificiæ iniuriam, contra quàm ab anteactis omni æuo Concilijs religioſiſſimè eſſet obſeruatum. Nonnullis iniectus ſcrupulus, ne omnes qui conſeſſui huic interfuerant, incurriſſe viderentur pœnam *Canone Omnes. Diſt.* 22. ſancitam, qui Sedis Apoſtolicæ priuilegio fraudem feciſſent, vim aliquam Concilij decretis ante Confirmationem tribuentes. Et quanquam illi factum excuſarent, quòd decretorum obſeruationem non præcepiſſent, ſed ſuaſiſſent; ea reſponſio Curiæ Romanæ haud ſatisfaciebat. Aſſerebant enim obſeruationem alicuius mandati tanquam Legis, præſupponere obligationem. in decreto autem exhortationem non referri niſi ad Principes ac Præſules, qui curaturi eſſent decreta obſeruanda. in ipſis verò obſeruatoribus præſupponi obligationem præcedentem. Sed diſtinctionem hanc in re fidei omnino locum non habere. Poterant quidem cauſam ſuam melius defendere, ſi ſincerè agnouiſſent omnia à Pontifice decreta, imò ab eo ante approbata, quàm in Seſſionibus publicè euulgata. Verùm id nihilo magis imputatoribus his ſatisfaciebat, quibus, vtcumque id eſſet certiſſimum; de veritate tamen eius rei manifeſta indicia non extabant. Illud verò multorum admirationem concitauit, quorſum tanto partium ſtudio certatum ſit inter Synodi Patres & Proteſtantes de capitibus iam decretis, quæ iſti ad trutinam & examen denuò reuocari, illi pro certis ac determinatis haberi volebant. Nam ſi perfectionem & robur niſi à Pontifice confirmata non habent, poterant certè ad incudem & examinationem redire. Atque vt rem ipſam dicam, Decreta hæc Pontifici confirmanda erant, aut habita prius cauſæ cognitione, aut cauſa minimè cognitâ. Iam iſthuc ſummæ vanitatis eſt, confirmare quod non intelligas, & affine prouerbio, *Alius medicam potionem bibit, alius purgatur.* Sin præcedere debet cauſæ cognitio, tum & ipſe Pontifex in Decreta inſpicere debebat, & quiuis alius ea examinare poterat, arbitrio Pontifici relicto. Et certè ſi Decretorum Synodalium vis à confirmatione Pontificis pendet, ea quandiu non confirmantur, & pendere, & in dubium poſſe vocari, & exactiori diſquiſitioni ſubijci nihil vetat: quod Proteſtantibus tamen perpetuò negatum. Erant qui dicerent, Decretum hoc, eſſe apertam Patrum declarationem, Confirmatione nihil opus eſſe. Sed iſta, ſcilicet, Proteſtantes non curabant, quæ, quo ad ſtabiliendam Sedis Pontificiæ doctrinam ſunt validiora, hoc ipſorum conſilijs ſuſceptiſq; minus exiſtimantur opportuna. Verùm quoniam anno M. D. LXIV. quo Concilium finem habuit, de Decreti huius virtute ac robore crebriores fuere hominum ſermones, ad illud vſque tempus nos quoque fuſiorem de eo ſermonem reijciemus.

Indignatur Curia Romana decretorum obſeruationem ab Synodo præcipi, priuſquā Pontificis confirmatio accedat ijs roborandis.

Alijs mirum videtur decretorum examinationem, quæ nondum eſſent confirmata, tam pertinaciter negari.

Quamuis autem in vniuerſa belli huius adminiſtratione Proteſtantes eſſent ſuperiores, *Mauritius* tamen amicam de pace cum *Ferdinando* tractationem non recuſabat, ea gratia in Auſtriam ad eum conueniendum profectus, neque alijs propoſitis pacis conditionibus, niſi de liberando ſocero Langrauio, libertate Germaniæ procuranda, & religionis pace conſtituenda. Non ignorabat *Cæſar*, & quantos Proteſtantes indies armorum via facerent progreſſus, & quàm à copijs ipſe eſſet imparatus: ſed quia ſuperiore bello *Germaniam* ſub iugum miſiſſe ſibi videbatur; animum ægerrimè inducere potuit, vt aſſumptæ dominationis parte aliqua cederet, *Ferdinando* fratre licet ſeriò adnitente, ac poſt multam de pace cum *Mauritio* tractationem, eius perſuadendæ cauſa ad eum *Oenipontem* contendente. Vbi verò ad eam ciuitatem hoſtilis exercitus appropinquauit, tum *Cæſar* cum aulico comitatu per noctem capeſſere fugam

Inter Ferdinandum & Mauritium de pacis conditionibus agitur.

Cæſaris nocturna Oeniponte fuga.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

fugam cogitur, & per Alpes, quibus *Tridentum* itur, itinere primum facto, dein ad læuam deflectendo, Villacum, quod est in Carnis oppidum in confinio Venetorum sese recipere tanta trepidatione, vt cum Senatus ad fines Reip. tuendos milites in eam partem emisisset, ab ijs turmis, tanquam hostilibus sibi metuerit, etiam Oratore Veneto constanter asseuerante, ea arma à Repub. honoris ipsius causa, ac, si opus esset, tutelæ summissa. Antequam *Oenipontę* profugeret, *Ioannem Fridericum Saxonem* liberauit, *Mauritio* liberationis eius gloriam præreptam cupiens: quod & Principi ipsi pergratum fuit, qui beneficium acceptum ferre mallet *Cæsari* hosti superiori, quàm inimico pari atque æmulo. Eadem nocte, qua *Cæsar* abijt, paucis post horis *Mauritius Oenipontem* peruenit, vbi *Ferdinandi* ac ciuium bonis parcitum est, *Cæsaris* vero & aulicorum quicquid repertum, fuit direptum. Iam Protestantes ex fuga *Cæsaris* potiore se conditione conspicati, scriptum aliud *Augustæ* euulgant, quo profitentur se, quandoquidem religionis & libertatis *Germaniæ* causa arma sumpserint, quemadmodum veritatis hostes id vnum egerint, vt pijs doctoribus oppressis errores Pontificij restituerentur, & in his iuuentus educata sensim adolesceret, alijs in vincula coniectis, alijs per iurisiurandi religionem adactis, vt Imperij finibus, sine animo reuertendi excederent; etsi iuramentum hoc, quippe impium, obligatorium non existiment, omnes tamen officij sui ratione reuocare, ijsque iniungere, vt munus suum docendi verbum Dei, iuxta Confessionem, quæ *Augustæ* olim exhibita est, repetant; & ne quis calumniæ locus sit, iurisiurandi nexu prorsus exsoluere.

Fredericus Saxoniæ Dux à Cæsare libertati restituitur.

A Mauritianis res Cæsaris Oenipontę direptæ.

Principes Protestantes scriptum edunt de restituendis per Germaniā ministris.

Pacificationis Passauiensis inter Cæsarem & Protestantes capita.

Cum de componendis rebus actio interim procederet, ineunte tandem Augusto *Passauij* de summa rei transactum est. De religione quidem in has conditiones. Vt intra semestre Ordinum Imperij conuentus à *Cæsare* cogantur, in quibus expeditissimè opportuna componendi super religione dissidij ratio ineatur, siue per Concilium generale, siue Nationis Concilium, siue per Colloquium, siue per hunc ipsum publicum omnium Ordinum Conuentum. Vt tum temporis viri pij, pacifici ac prudentes vtriusque religionis æquali numero deligantur, qui in placidis & æquis dissidiorum componendorum rationibus inuestigandis sedulò incumbant, easque præponant. interea neque à *Cæsare*, neque ab alio quouis hominum mentibus ac conscientijs vis inferatur: nec facto, nec verbis contumeliosis religionis causa cuiquam creetur molestia, sed quiete ac pace frui omnibus permittatur. Vt Principes, qui sunt Augustanæ Confessionis, Ecclesiasticis aut diuersæ religionis secularibus negotium non facessant, sed in libera facultatum dominiorum, ditionum, Iurisdictionum ac ceremoniarum suarum possessione eos relinquant. Vt in Camera Imperiali cuique ius dicatur nullo religionis discrimine, atque in Consessus Iudicialis partem, Assessorumque numerum etiam qui prædictæ Confessionis sunt, admittantur: liberumq; ipsis sit, dum in eum locum cooptantur, per Deum & Diuos, an per Deum & Euangelia iurisiurandi formulam malint concipere. Quod si pacandæ religionis ratio facilis non occurrat, hæc nihilominus pax & concordia in perpetuum firma rataque permaneat. Ita illud Interim, quod tamen paucis in *Germania* locis obtinuerat, ad nihilum redijt. Hanc Concordiam sequuta est *Philippi Hassiæ Lantgrauij* libertas. Rebus autem in hunc modum cum *Cæsare* compositis à bello per *Germaniam* cessatum non est, quod deinceps annum prope integrum inter varios Principes & ciuitates Imperij diuersis locis continuatum. Doctores tamen & concionatores Confessionis Augustanæ à Ciuitatibus reuocantur; Ecclesiæque & scholæ cum religionis exercitio passim instaurantur. Creditum quidem multis, superiorum temporum edictis ac supplicijs Doctorum & prædicatorum numerum adeo imminutum, vt pauci modò superessent in Principum virorum patrocinio delitescentes: mox tamen noua soboles exorta, quæ locis omnibus pastores suppeditaret. Sed per belli tumultus factum, vt nec ad diem præstitutam Ordines Imperij conuenerint, & ad vsque mensem Februarium anni M. D. LV. conuentum protulerint; de quo nobis suo tempore dicendum.

Hassiæ Lantgrauius libertati restitutus domum redit.

HISTO-



Iulius 3.
Carolus 5.
Eduardus 6.
Henricus 2.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER QVINTVS.



Ontifex Concilio iam dissoluto multarum curarum liber, quæ animum ipsius variè trahebant, præuortendum occasionibus ratus, quibus in easdem denuò angustias posset conijci, in Collegio Cardinalium reformandæ Ecclesiæ necessitatem proponit. se quidem ea gratia Concilium Tridentinum conuocasse: sed quia euentus votis non responderit, propter motus bellicos, in *Italia* primùm, deinde in *Germania* concitatos; nunc videri æquissimum, id vt *Romæ* perficiatur, quod *Tridenti* confici non potuit. frequentem itaque Cardinalium & Præsulum congregationem instituit, qui in eam curā incumberent. Quod multis eam prouinciā mandasset, eò à se factum dicebat, quo consilia magis essent consulta pensitataque, maiorique apud omnes existimatione: vulgo tamen creditum, id eò fieri, vt à multis impedimentorum multitudine òbiecta, res tota tandem in nihilum recideret. Neque opinionem eam euentus fefellit. Emendatio enim illa principio magno animorum impetu atque ardore suscepta, dein difficultatibus intercurrentibus menses aliquot frigidè tractata, denique conticuit. atque vbi ad duos tantùm annos facta Concilij suspensio, decem minimùm anni ante Concilium restauratum interiecti, axiomatis philosophici veritatem comprobarunt, *cessante causa cessare effectum*. Enimuero Concilio ad sollicitas & assiduas *Germaniæ* preces primitus indicto, ex eius conuocatione omnibus per orbem Christianum Ecclesiæ morbis medicinam *Germani* spe concecerant. sed effectus, qui *Paulo* III. Pontifice pòst sequuti, & spem eam irritam fecerunt, & Germanis ostenderunt, quale illi flagitabant Concilium, neque vnquam haberi posse, & frustra expectari. Altera verò Concilij conuocatio aliam habuit causam, vehemens scilicet *Caroli* Imperatoris studium *Germaniam* religionis colore sub iugum mittendi, & in filium Imperij successionem tanquā hæreditariam transferendi, vt ita in orbe Christiano Monarchiam post Romanorum imperium potentissimam, quæque *Caroli Magni* potentiam superet, sibi fabricaret. Ad quam stabiliendam cùm sola ea, quam de Protestantibus reportauerat victoria non sufficeret, neque solis legionum armatarum supplementis satis confideret; si populum religione, & Principes officijs ac artibus sibi posset subijcere, tū viam à se stratam ad parandam nominis immortalitatem certò sibi persuadebat. Hoc aspectu à *Iulio* Pontifice vt Con-

Iulius Pont. post Concilium dirempttum eximiam Ecclesiæ reformandæ studium præ se fert.

Ea tamen reformatio lentè procedit, suspensione Concilij, quæ in biennium facta, toto decennio continuatâ.

Diuersæ Concilij Tridentini diuersis temporibus conuocati causæ.

Carolus Cæsar de transferenda in Philippum filium & posteros Imperij successione capit consilium.

Iulius 3. Carolus 5. Eduardus 6. Henricus 2.

Concilium ſecundò conuocaretur, tam enixè contendit, & non validis modò, ſed prope violentis ſuaſionibus egit cum tribus Electoribus Eccleſiaſticis, vt eò proficiſcerentur, ac denique cum Proteſtantibus ijs, apud quos plurimum authoritate valebat, vt Theologos ſuos eò mitterent. Sed interea dum Concilium celebratur, *Carolus Cæſar* hoc incoepto concitatis in æmulationem ſui Principibus omnibus Chriſtianis, in familia ſua repperit primos, qui pro iure ſuo intercederent, & conſilium eius morarentur. *Ferdinandus* enim, qui aliàs in id conſenſiſſe videbatur, vt Imperium vtrique eſſet commune (ſicut olim inter *Marcum* & *Lucium* pari authoritate, quod exemplum imitatus cum pleriſque alijs *Diocletianus*) quique olim dabat operam, vti in Regem Romanorum eligeretur *Philippus* vtrique ſucceſſurus, *Maria* Pannoniæ Regina ſorore, vt idipſum ad *Auſtriacæ* domus amplitudinem, *Ferdinando* fratri perſuaderet, omnes ingenij neruos intendente; cum *Maximiliano* certe filio pòſt in medium conſulens, cœpit ratione bene ſubducta longe aliter exiſtimare. Quamuis enim ei negotio maturando à patre *Philippus* in *Germaniam* fuiſſet accerſitus, vt in Ordinum Imperij conuentu *Auguſtano* anno M.D.LI. Septemuiris innoteſceret, *Ferdinando* interea ſecedente; & Regina iam dicta concordiæ inter fratres reſarciendæ *Auguſtam* ſub id tempus petijſſet; *Maximilianus* tamen veritus, ne Patris bonitas & manſuetudo ſuccumberet, relicta vxori *Cæſaris* filiæ regnorum *Hiſpaniæ* adminiſtratione, quibus ipſum *Cæſar* præfecerat, in *Germaniam* deſubitò reuerſus, Patris *Ferdinandi* & Septemuirorum animos verbis officioſis ita flexit in ſuā ſententiam, vt & ille in diſſentiendo à *Cæſare* firmiter permanſerit, & ab his *Cæſar* præter blandos ac benignos ſermones nihil reportarit. Atque hac ſuorum interceſſione perculſo *Cæſaris* animo, quod de obtinendo *Maximiliani* aſſenſu planè deſperaret, filium in *Hiſpaniam* remiſit. Vbi verò ſuccedente eo, de quo iam dictum eſt, bello, ad pacis conditiones accipiendas cogitur, ſpe deiectus ſucceſſionis Imperij in filium transferendi, religionis auitæ in *Germania* reſtituendæ conſilium vna depoſuit: & conſequenter omnem exuit de Concilio cogitationem, vtcumque rebus adminiſtrandis multos poſt annos præfuerit. Aula quoque neque ipſa de eo reſtituendo multum laborabat, neque quiſquam repertus, qui id valde ſollicitaret. Eo tamen tempore pleraque interuenerunt, quæ, vtut videbantur perpetuam Concilij ſuſpenſionem portendere, occulto certe Diuinæ prouidentiæ arbitratu, alias ad Concilium tertia vice reſtaurandum cauſas ſuppeditarunt; quas ſilentio inuoluere hiſtoriæ contextus vetat; cauſarum cognitione, ad effectus, qui Concilium redintegratum conſequuti ſunt, penitius pernoſcendos, plurimum iuuante.

Qua, Maximiliano renitente, deſperata, omnis de Concilio conuocando cogitatio in Cæſare interquieſcit.

Cum animaduerteret Pontifex abalienata ab ſe *Germania*, de exiſtimatione ſedis ſuæ apud nationes ſibi obnoxias plurimum decedere, imitatus eſt *Eugenium* IV. qui authoritatem, quam Concilium *Baſileenſe* ei ademerat, ſpecie quadam *Græcorum*, & vmbra *Armeniorum* ſuſtentabat; & recens *Pauli* III. deceſſoris ſui exemplum, qui, æſtuantibus inter ipſum & *Cæſarem* ob Concilium *Bononiam* tranſlatum contentionibus, quarum odio illū vulgo onerabant, magna pompa accepit *Stephanum* quendā inſignitum titulo *Patriarchæ* maioris *Armeniæ*, cū Archiepiſcopo, & duobus Epiſcopis, qui *Romam* venerant, ad illum pro Vicario Chriſti, & vniuerſali Eccleſiæ Magiſtro venerandum, ac obedientiam ſimul illi deferendam. Horum veſtigia ſequutus *Iulius*, magna celebritate venientem excepit *Simonem* quendam *Sultaham* electum Patriarcham omnium earum nationum, quæ *Indiam* & *Euphratem* interiacent, & ab Eccleſijs in ijs regionibus miſſum, vt à Papa *Petri* ſucceſſore, & *Chriſti* vicario confirmaretur. Hunc Epiſcopum inſtituendum curauit, *Pallioque Patriachali* in Conſiſtorio ſuis manibus ornatum domum ablegauit, ne quid damni Eccleſia per illius pateretur abſentiam, etiam Monachis aliquot comitatum, qui linguam intelligerent Siriacam. Vnde crebri non *Romæ* ſolùm, ſed per vniuerſam *Italiam* ſermones, de immenſo Chriſtianorum numero terras adeo remotas incolentium, & prægrandi auctario, quod Sedi Apoſtolicæ acceſſiſſet. Nominatim vero commemorabant frequentes Eccleſias in ciuitate *Muzal*, quam dicebant veterem *Aſſur* ſuper fluuio *Tigride* ſitam, à qua non magno interuallo altera parte fluminis collocabant antiquam *Niniuem*, Prophetæ *Ionæ* prædicatione celebratam. Atque eiuſdem Iuriſdictioni ſubijcie-

Pontifex Germaniæ à ſe abalienationem noua orientaliū Præſulum ac populorum ad Romanæ Sedis obedientiam acceſſione ſolatur.

ſubijciebant *Babiloniam*, *Tauru*, & *Arbelam* prælio inter *Darium* & *Alexandrum* memorabilem, cùm multis alijs *Aſſyriæ*, *Perſiaque* regionibus. Hic quoque reperiebant eas, quas ſacræ literæ memorant ciuitates, & Ecbatanam ab alijs ſcriptoribus dictam *Seleuciam*, & *Niſibin*. Dicebant hunc ex omnibus delectum, qui ad Pontificem confirmandus mitteretur Hieroſolymam ſeptuaginta comitatus, atque inde tribus tantùm: quorum vnus in itinere diem obijt, alius morbo correptus ſubſtitit, tertius *Caleſi* dictus vna cum Patriarcha *Romam* peruenit. Quæ omnia typis commiſſa magna hominum curioſorum voluptate perlegebantur. Exceptus item benignè à Pontifice alius, *Marderius* quidam *Aſſyrius Iacobita* ab Patriarcha Antiochiæ miſſus, ad fidem Romanam profeſſione ſua atteſtandam, & obedientiam Sedi Apoſtolicæ: ſed priore audito, tanta ſatietas rerum exoticarum omnes ceperat, vt alterum hunc audire magnæ ipſis curæ non fuerit.

Iulius 3. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

Verùm ad vmbratiles has obedientiæ ſignificationes Sedi Romanæ partas acceſſit alia realis, & cui momentum maius in iactura ea, quam in *Germania* Pontifex nuper fecerat, abunde penſanda. Etenim anno M.D.LIII. die ſexto Iulij moritur *Edwardus* VI. *Angliæ* Rex, annorum ſexdecim adoleſcens, teſtamento de conſiliariorum aſſenſu ante quindecim dies facto, quo, aſſumpta ſibi legitimi ſucceſſoris conſtituendi poteſtate, *Maria* & *Elizabetha* ſororibus exhæredatis, quod de earum natalibus plerique omnes quæſtionem mouerent, ſimul *Margaritæ* amitæ natu maioris liberis, veluti peregrinis, atque extra *Angliæ* regnum natis, *Ianam Suffolciam*, ſucceſſionis ordine proximam, *Henrici* Regis è minore ſorore proneptem, Reginam regnique hæredem pronunciauit. *Henricus* certè pater moriens teſtamento ſubſtituerat *Eduardo Mariam*, & *Elizabetham*; ſed eam ille ſubſtitutionem cauſabatur eſſe inualidam, & ſe pupillo factam; adeoque ſe, qui pubes iam eſſet, ſuique arbitrij, haudquaquam obligare. Sed vtcumque *Eduardus Ianam* nominaſſet, & ipſa *Londini* Regina paulò poſt promulgata fuiſſet, *Mariâ* tamen, quæ in *Norfolciam* confugerat, vt, ſi ſors tuliſſet, in *Galliam* nauigaret pro Regina ſe gerente, eam tandem vniuerſa *Anglia* regni hæredem agnoſcit, cui & patris vltima voluntas fauebat, & matrimonium ſuffragabatur bona fide contractum. cuius ea vis eſt, vt, etiamſi poſtea vt illicitum diſſoluatur, liberi ex eo ſuſcepti pro legitimis habeantur. *Iana* igitur cum ſuis in cuſtodiam datur, *Maria* verò *Londinum* ingreſſa maximis omnium acclamationibus *Regina Angliæ* & *Galliæ* proclamatur, addito Eccleſiaſtici in Anglia & Hibernia primatus titulo. Vbi in arcem *Londinenſem*, quam *Turrim* vocant, venit, è veſtigio captiuos à Patre, ſiue ob religionem, ſiue alijs de cauſis in carcerem coniectos, libertati reſtituit. Paulò poſt ingreſſum concitata *Londini* ſeditio per prædicatorem, qui inter concionandum auſus doctrinam Proteſtantum fidei contrariam tueri; item per alium, qui Miſſam celebrare. Sed ad tumultum eum compeſcendum prouidè Regina edicto manifeſtum omnibus fecit, ſe in maiorum religione velle viuere: ne quid tamen alienum à recepta doctrina in concionibus ad populum diceretur, eodem edicto ſanxit. Eadem Calendis deinde Octobris die Dominica ſacris ceremonijs adhibitis regno inauguratur.

Sed iuſtior ſolatij cauſa ab Anglia recepta per obitum Eduardi Regis Angliæ.

Is moriens Ianam Ducis Suffolcij filiam teſtamẽto regni heredẽ inſtituit ſororibus ſuis exhæredatis.

Maria tamen Regina declaratur.

His Pontifex intellectis, ſimul reputans apud ſe Reginam in religione Romana educatam, matriſque intuitu Sedi Apoſtolicæ deuinctam, & *Cæſaris* re, non nomine ſolo conſanguineam, facile in ſpem ſe adduci paſſus eſt, veſtigij adhuc in Anglia figendi. Continuò itaque Cardinalem Polum Legatum decernit, bona ſpe fretus, per illum, qui ex Regia ſtirpe eſſet, & morum integritate nulli ſecundus, regnum illud in Eccleſiæ Romanæ gremium commodiſſimè poſſe reuocari. At Cardinalis, qui regni legibus proſcriptum ſe ſciebat & capite minutum, viri prudentis haud quaquam exiſtimabat ancipiti ſe negotio antè committere, quàm rerum in Anglia ſtatum pernoſſet, certus apud maiorem partem Anglorum *Henrici* memoriam eſſe venerandam. Placuit itaque clam in Angliam mitti *Ioannem Franciſcum* Commendonum Pontificis cubicularium, ad rerum præſentium ſtatum cognoſcendum; datis etiam ad Reginam literis, quibus, collaudata ipſius in religione temporibus turbulentis conſtantia, vt rebus pacatis in propoſito perſiſteret, hortabatur, de ſalute animarum illius gentis, verique cultus Diuini reſtitutione cum primis ſolicita. Commendonus rebus ſingulis

Pōtifex Card. Polum Legatum in Angliam decernit.

ſed ad rerum ſtatum præcognoſcendum Commendonum ad Mariam Reginam præmittit.

Iulius 3.
Carolus 5.
Maria Reg.
Henricus 2.

lis peruestigatis, cum Regina, ad quam aditus prope omnes obsepiebantur, secretò collocutus, non modo animum ipsius erga fidem Romanã propensum reperit, sed & Syngrapham quoque ab ipsa impetrauit de regno vniuerso sacris pro virili restituendo. Qua Reginæ mente Cardinali iam satis perspecta, itineri comfestim sese accinxit.

Comitia Londini habita, eorumque decreta de Henrici & Catharinæ diuortio, ac Eduardi de Ecclesiastica disciplina legibus reuocandis.

Peracta in *Anglia* coronationis celebritate, Comitia regni, quæ *Parlamentum* vocant, mox indicuntur; in quibus *Henrici* & *Catharinæ Arragoniæ*, quæ *Mariæ* mater fuerat, diuortium illicitum, & ex eo matrimonio suscepta proles legitima fuisse pronunciatur: obliquè, restituto Romani Pontificis primatu, quòd coniugium illud, nisi qua *Iulij* II. Papæ dispensatione subnixum, & suprema Romanæ Sedis authoritate, prorsus esset inualidum. Statutum porro, vt decreta de religione *Eduardo* Rege facta rescinderentur, neque aliam sequeretur quisquam religionem, quàm quæ ab *Henrico* moriente relicta. Agitatum quoque in eodem Ordinum conuentu de marito Reginæ deligendo, quæ annum iam Quadragesimum expleuerat. Eius nuptijs destinati tres, *Reginaldus Polus*, Cardinalis quidem, sed sacrorum omnium Ordinum exsors; & *Corteneus Deuoniæ* Comes: vterque à Regibus Angliæ genus repetens, & *Henrico Octauo* pari gradu sanguine coniunctus: alter è familia albæ rosæ, ex filia *Georgij Ducis Clarentiæ Eduardi* IV. fratris progenitus: alter rubræ rosæ ex sorore matris *Henrici* prognatus, vterque Nobilibus Anglis commendatissimus, *Polus* ob singularem cum vitæ probitate prudentiam; *Corteneus* ob eximiam in ætatis flore morum comitatem ac mansuetudinem. His tamen Regina *Philippi* Hispaniarum Principis nuptias prætulit, tam illecebris *Caroli Cæsaris* consanguinei sui capta, animo in maternum quàm Paternum sanguinem propensior; quàm quod matrimonium tam potens tum suæ, tum regni impacati quieti firmandæ magis conducere arbitraretur. Et *Cæsar* quidem veritus ne *Poli* in *Angliam* aduentus coniugij, quod ille effectum auidè cupiebat, rationes interturbaret, vbi eum Legatum in *Angliam* designatum intellexerat, per Cardinalem *Dandinum*, Pontificis apud se Legatum primùm egerat, vt *Polus* ita subito ex *Italia* non discederet, quòd religionis rebus in *Anglia* nondum constitutis, Legatus Apostolicus salua dignitate ibi consistere haud posse videretur. Dein cum literæ *Dandini Polum*, qui in viam se dederat, non mouissent, vbi ad *Palatini* fines venit, per *Didacum Mendozam* obuiam missum, authoritate etiam interposita eum remoratur. Cumque grauiter quereretur Cardinalis Legationem Pontificiam magno Christiani nominis, *Angliæ* verò præsertim detrimento, summaque Protestantum *Germaniæ* gratulatione retardari, *Cæsar*, quò vulgi sermonibus materiam demeret, *Bruxellas* inuitatum in *Brabantia* tamdiu comiter & benignè habuit, quoad nuptiarum negotium confectum, deque conditionibus ad ipsius voluntatem transactum esset; hoc tamen quæsito colore, vt pacis inter ipsum & *Galliæ* Regem esset conciliator.

E tribus qui Reginæ nuptijs destinabātur, Philippus Hispaniarum Princeps præfertur.

Cæsaris artes ad Polum distinendũ quoad negotium nuptiarum esset confectum

1554.

Mariæ in Anglia leges Ecclesiasticæ in Romanæ religionis fauorẽ.

Ineunte anno M. D. LIV. *Cæsar* Legatos in *Angliam*, qui rem conficerent misit, & *Maria* sub initium mensis Martij alias Leges Ecclesiasticas in fauorem religionis antiquæ promulgauit, vt in supplicationibus publicis preces lingua Latina recitentur, præcipiens, &, ne alij quàm cœlibes functionibus sacris admoueantur, vetans. Episcopis etiam mandauit, vt iusiurandum illud remitteretur, in quod *Henricus* omnes eos, qui ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam admittebantur, adigebat; Videlicet, se illum ac successores eius, supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput agnoscere; Pontificẽ Rom. nihil in illam iuris habere, nec aliud quàm *Vrbis Romæ* Episcopum esse. Præcepit quoque, vt è ritualium libris expungeretur, neque in posterum typis excuderetur precationis publicæ formula *Henrici Regis* mandatu vsitata, qua inter alia rogabatur Deus, vt regnum Anglicanum ab Episcopi Romani seditione, conspiratione, tyrannide liberaret.

In Comitijs pacta matrimonialia firmantur.

Philippi in Angliam aduentus, & cum Maria nuptiæ.

Dum Aprili mense Ordinum Angliæ conuentus denuo habentur, pactis matrimonialibus assensum est certis legibus. Sed cùm sub idem tempus de restituendo Pontifici Primatu Regina proposuisset, reclamante Nobilitate impetrare non potuit. Neque tamen perspiciebant Nobiles, frustra postulationem eam denegari, cui in contractu matrimoniali reipsa hactenus assensissent. Interea *Philippus* ad XVIII. Iulij diem

diem ex *Hispaniis* in *Angliam* classe appellit, dieque qui *Diuo Iacobo* sacer, nuptiæ celebrantur, matrimoniumque consummatur, translato in eum à *Cæsare* omni, quod in regnum Neapolitanum ipsi competebat, tum iure, tum titulo. Nouembri proximo in Comitijs publicis Cardinalis *Polus* dignitati & Natalibus restituitur: mittunturque ad eum à *Maria* in *Belgium* duo viri primarij, qui illum honorificè euocatum deducant in *Angliam*. His comitibus XXIII. Nouembris *Londinum* venit, tunc primum argentea cruce, quæ Legationis Apostolicæ insigne est, prægestata. Introductus in conuentum Ordinum coram ipsis Regibus habitum, orationem lingua vernacula habuit, summas Ordinibus gratias agens, quòd ipsum patriæ familiæque reddidissent; paratum se professus vicissim in tanti beneficij agnitionem eos in cælestem patriam & curiam restituere, qua se tum spoliassent, cùm ab Ecclesiæ communione desciuerant: simulque hortatus, vt errorem ingenuè agnoscant, & quod ijs beneficium Deus per Vicarium suum deferat, alacres promptique accipiant. Sibi enim dicebat adesse *Claues*, quibus aditum ipsis in Ecclesiam aperiret, quem legibus contra sedem Apostolicam latis illi occlusissent. Legibus ijs antiquatis, se valuas Ecclesiæ patefacturum. Erat quidem Cardinalis ipse satis apud omnes Ordines gratiosus, &, quod ille proposuerat, acceptum iri facile credebatur; maiori tamen parti odiosum erat intimis sensibus illud Ministri Pontificij nomen, quibus permolestum fuit, iugum illud denuo subire, cuius excussi suauitatem persensissent. Sed nimirum Reginæ Pontifici addictæ eousque se ducendos permiserant, vt ad pœnitendum, cedendumque retro vix reliquus esset locus.

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

Card. Poli honorifica in Angliam reuocatio. Eiusdem in conuentu Ordinum oratio.

Postridie in conuentu Ordinum deliberatum de vnione Regni cum Ecclesia Romana. Decreto autem publico ratio istiusmodi præscripta, vt *Ordinum* nomine libellus supplex conficeretur, quo vniuersi profiteantur, pœnitere se vehementer, quòd obedientiam Sedi Apostolicæ denegarint, & quod in decreta aduersum illam facta consenserint. dolori testificando daturos operam in posterum, vti leges eæ omnes & decreta abrogentur. Orare reges, vt pro ipsis intercedant, veniam & absolutionem à delictis atque censuris sibi impetrent, vt tanquam filij pœnitentes in Ecclesiæ gremium recipiantur, Deo deinceps in Romanæ Sedis, & Pontificum obedientia inseruituri. Pridie Calendas Decembres, qui dies *D. Andreæ* est sacer, *Regibus*, *Cardinali*, & *Ordinibus* in vnum congregatis, Cancellarius coetum vniuersum sciscitatur, placeretne ijs, vt ipsorum nomine venia à Legato peteretur, & ad Ecclesiæ vnitatem, atque ad Pontificis, qui est supremum eius caput, obedientiam rediretur. Hic alijs clamore, alijs silentio assentientibus, Ordinum libellus supplex scripto comprehensus Regibus porrigitur. Eo publicè recitato, cùm surgerent Reges Legatum deprecaturi, ille anteuortens, suam ad obsequendum ijs promptitudinem testatur, simulque, quid potestatis sibi à Pontifice concessum sit, recitato diplomate demonstrat. Post oratione habita, quàm sit grata Deo pœnitentia, quantoque gaudio Angeli eo ipso momento de regni conuersione exultent, commemorat. Ita cunctis in genua procumbentibus, diuinam ille misericordiam implorans, conceptis verbis vniuersos absoluit: moxque ad gratias Deo agendas in Regiæ sacellum itum est. Die proxima honorifica ad Pontificem Legatio decernitur, ad obedientiam Regum regnique nomine ei præstandam; cui destinati *Antonius Brownus*, *Montisacuti Vicecomes*, *Thomas Thurlbeius*, *Episcopus Eliensis*, & *Eduardus Carnus*, qui aliàs *Romam* ab *Henrico* VIII. missus Legati partes obiuerat. Huic imperatum *Romæ* vt subsisteret, legatum ordinarium acturus.

Ritus solemnis, quo regnum Angliæ Ecclesiæ Romanæ vnitati restitutum.

Legatio Regum & regni nomine decernitur ad Pontificem.

His *Romam* celeriter perlatis, multæ supplicationes decretæ non in vrbe solum, sed per *Italiam* vniuersam, gratijs Deo agendis, Pontifexque approbatis omnibus, quæ ab Legato acta essent, die XXIIII. Decembris diploma Iubilæum euulgat, cum plena delictorum omnium remissione, æquum censens, indulgentis patrisfamilias ac parentis exemplo, filio prodigo recuperato, non domesticum modo gaudium prodere, sed Christianos omnes ad communem lætitiam & epulum inuitare. Tum Regis ac Reginæ, populique actiones miro præconio celebrat. Ad Idus Ianuarij continuatus Ordinum conuentus, renouataque edicta prisci temporis

Romæ supplicationes & Iubilæum ob restauratam in Anglia religionem Pontificiam.

1555.

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

Prisci temporis in hæreticos edicta renouantur, & aduersum Protestantes executioni mandantur.

Corpora Buceri & Fagij effossa cremantur.

poris Regum, de hæreticis puniendis & Episcoporum potestate: restitutus Pontifici Romano primatus cum omnibus prærogatiuis, & quæ totis viginti annis ab *Henrico* & *Edoardo* contra sedem Romanam fuerant decreta, ea prorsus abrogantur. Nec in decretis contra hæreticos exequendis mora adhibita, permultis, quorum nonnulli Episcopi, quod ad religionem Pontificiam redire abnuerent, igni adiudicatis. Et quidem pro comperto est eo anno ob religionis causam viros alicuius loci ac nominis ad C.LXXVI. præter alios è plebe, flaminis vstulatos. Neque in viuos modò sæuitum cum haud leui multorum offensione, sed maxima hominum indignatione *Martinus Bucerus* & *Paulus Fagius* ante quadriennium mortui, edictis tanquam viui citantur, damnatique, effossis prius cadaueribus, concremantur. Id factum non nemo comprobabat, quippe, quo vices redditæ *Henrico* VIII. videbantur, ob exustas *D. Thomæ Cantuariensis* reliquias: at alijs propius accedere putabatur ad id, quod à *Stephano* VI. & *Sergio* III. Pontificibus contra *Formosi* cadauer factum.

In Gallia ob Lutheranismũ exusti, vt ex eorum bonis pecunia conficeretur Dianæ Pictauiensi donanda.

Seruetus Hispanus ob hæresin Geneuæ exustus.

Caluini doctrina in hæreticos gladio vindicandum.

Sub id tempus etiam in *Gallia* multi religionis caussa damnati exuruntur, plerisque tantam immanitatem adhiberi indignantibus, & miseros sic excruciari, non tam zelo pietatis, aut iudicum religione, quàm ad explendam *Dianæ Valentinæ* apud Regem adeo gratia valentis cupiditatem, vt ei largiretur, eorum omnium facultates fisco adiudicatas, qui propter hæresin capitis essent damnati. Tunc primùm non sine multorum admiratione auditum, reformationis autores religionis caussa sanguinem effundere. Siquidem *Michael Seruetus Tarraconensis* è medico Theologus, veterem *Pauli Samosateni*, & *Marcelli Ancirani* hæresin resuscitans, *Verbum Diuinum* non esse quid subsistens, eoque *Christum* fuisse merum hominem, de concilio ministrorum *Tigurinorum*, *Bernatium* & *Schafusianorum*, *Geneuæ* hoc nomine capite luit. *Ioannes Caluinus*, cui ex eius nece inuidia conflata, edito Libro contendit in hæreticos à magistratu gladio esse animaduertendum. Verùm isthæc doctrina pro eo ac hæretici nomen diuersimode accipitur, strictiùs aut laxiùs, varium quoque sensum admittit, & cui olim profuit, aliquando grauiter nocere potest.

Inter Ferdinandum Regem & Bohemos suos de coena Domini altercatio, illis integræ vsum retinere cupientissimis.

Catechismum Ferdinandus euulgandum curat, vnde Romanæ Curiæ offensio, quasi sacra attingere secularis cognitionis non esset.

Eodem tempore *Ferdinandus* Romanorum Rex edicto promulgato subditis suis mandarat, ne in religione ac sacris ritibus quicquam mutarent, sed veterem consuetudinem sequerentur; singillatim verò, vt in coenæ Dominicæ Sacramento percipiendo altera contenti specie essent. Sed Optimates, nobilitas, ac pleræque Ciuitates, cùm non semel Regem antea de eo interpellassent, nunc denuò demissè rogant, vt vsum quoque calicis ipsis permittat. Sic enim à *Christo* institutum, cuius præscriptum nemini mortalium fas sit immutare: eum morem in Ecclesia veteri receptum olim, & à Concilio *Constantiensi* recens agnitum. petere igitur vt conscientiam ipsorum grauari non sinat, sed mandatum suum ad *Christi* & Apostolorum praxim, veterisque Ecclesiæ consensum accommodare dignetur: adeoque à se cui omnia debeant tanquam summo magistratui, omne obsequium expectet. *Ferdinandus* tamen coeptum vrget, & *Viennæ* respondet, non esse nouum quod imperet, sed institutum vetus, à maioribus suis Imperatoribus, Regibus, & *Austriæ* ducibus veluti per manus traditum. Vsum contrà calicis nouiter introductum curiositate ac superbia eorum, quibus religio non est ab Ecclesiæ legibus, & Principis sui legitimi voluntate deflectere. Huius nihilo minus responsi duritiem visum ei post paullo mollire, ac promittere, quandoquidem de populi salute agatur, amplius maturiusque cogitaturum, vt ipsis suo tempore respondeatur. obsequentiam interim ab ipsis, & edicti sui obseruationem expectare. Decimoquarto dein Augusti Catechismum euulgat, mandato suo à Theologis quibusdam pijs doctisque concinnatum; ac simul magistratibus edicit, ne patiantur ludimagistros publicè aut priuatim alium aliquem auditoribus suis prælegere; quod ab eo genere Librorum corrupta iuuentute religio maximum ijs regionibus acceperit detrimentum. At *Romæ* ea res haud pronis auribus accepta, vt Princeps secularis librorum componendorum, aut autho-

ritate

ritate sua muniendorum in re religionis, & in eo præsertim genere potestatem sibi sumat, neque aut Pontificis approbationem requirat, aut Episcoporum eius prouinciæ nomine emittat; id verò piaculo affine putabatur: quasi secularis id cognitionis esset, quam populus religionem teneret, quamque auersari debeat.

Iulius 3.
Carolus 5.
Maria Reg.
Henricus 2.

Iam biennio, in quod Concilium prorogatum fuerat, transacto, in Consessu Cardinalium, quid deinde agendum esset, deliberatum. Quamuis enim Decreto apposita esset conditio, remotis impedimentis Concilium vigorem suum resumpturum, eaque propter frequentia *Senis*, & in *Pedemontio*, aliaque inter *Cæsarem* & *Galliæ* Regem bella nondum desijssent, videbatur tamen inquietis ingenijs fenestra relicta ad calumniandum, Concilium iam esse restitutum, quòd impedimenta ea ad illud vltrà retardandum non sufficiant: eoque ad incommoda eiusmodi vitanda declarationem aliquam instituendam. At, qui his prudentiores, suadebant malum bene positum non mouendum: dum de Concilio altum esset silentium, neque Princeps, aut populus quisquam id deposceret, non videri opportunum, aut mentione eius iniecta, aut vlla timoris significatione facta, alios ad id flagitandum animare. Atque ea suasio tantùm apud Pontificem potuit, vt de Concilio verbum non amplius facere cum animo suo constituerit.

Cardinales censent de Concilio plane obmutescendum, vtcumque biennium suspensionis esset iam peractum.

Anno M.D.LV. *Augustæ* habitus Ordinum Conuentus. Eum indixerat quidem *Cæsar*, tum alijs de causis, tum potissimum dissidijs de religione componendis, quòd ea fons essent atque origo omnium in *Germania* perturbationum ac calamitatum, cum multorum millium hominum non vitæ solum, sed animæ quoquoque iactura. Sed cum *Cæsar* per inualetudinem interesse huic actioni non posset, *Ferdinandus* fratris nomine eius Nonis Februarij initium fecit. Ibi ille oratione copiosa ostendit *Germaniæ* statum, lamentabile & luctuosum esse spectaculum, in qua, qui eodem sint baptismi lauacro tincti, eiusdem linguæ & Imperij, in fidei professione tam variè tamque miserabiliter distrahantur, nouis cottidie sectis enascentibus. Id non Dei modò contumeliam spectare, & hominum conscientias miserè discruciare, sed in causa etiam esse, vt promiscua multitudo quid credendum habeat, ignoret; plerique verò tam ex primaria nobilitate, quàm ex alijs ordinibus, animum instituant nihil quicquam credere, neque quid ratio, quid honestas, & quid conscientia in agendo præscribat, quicquam pensi facere. Inde & commercij rationem in *Germania* concidere, vt ne Turcis quidem populisque barbaris hodie potior censenda sit, & Deum tot tantasque in eam calamitates immittere. Necessarium itaque esse, vt religionis negotium magistratui sit commendatum. Hactenus certe Concilium Oecumenicum, liberum, & pium, visum vnicum subleuandis malis remedium, propterea quod, cum fidei caussa Christianorum omnium sit communis, eius disceptatio ad omnes propriè pertineat. Ad id non semel conuocandum, *Cæsarem* totis viribus incubuisse. Quominus ex eo remedio qui expectabatur fructus ad Rempub. redierit, quandoquidem satis notum sit ijs, qui Concilio interfuerunt, se neque hoc loco, neque tempore commemmorandum putare. Sin ipsis eadem ratio denuo tentanda videatur, hoc cum primis deliberandum, quomodo obstacula ea amouenda sint, quæ ne ad optatum finem hucusque perueniretur, impedimento fuere. At si propter bellicos tumultus in aliud tempus magis tranquillum differri placeat, interea cogitandum, an aliæ rationes tolerabiles conciliationis iniri possint. Nam *Concilium Nationale* quod attinet, cum illius neque modus, neque forma, neque nomen ipsum hisce conueniat temporibus, non videre, cui bono esse possit. Viam per colloquia pluries tentatam, verùm haud magno fructu, vtrisque commodum magis priuatum, quàm pietatem ac emolumentum publicum respicientibus. Neque tamen idcirco hoc tempore despiciendam, modo syncere positis affectibus ac animorum obstinatione negotium peragatur. Eam sane rationem sibi hactenus probari, vti semel adhuc periculum eius faciant, nisi Ordinum Conuentus adferat meliorem.

1555.

Ferdinandi Regis in Comitijs Augustanis absente Cæsare oratio

Ea, propter nuperum eiusdem Ferdinandi contra Bohemos edictum, quo 200. exulare iussi è ministris, Protestantibus parum grata.

Ferdinandi hæc oratio cum alijs quibusdam ab ipso habitis, ad pacem publicam

Marcellus 2. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

& bellum Turcicum spectantibus, typis commissa per *Germaniam* euulgatur, forte vt ad Conuentum Principes inuitaret. Sed perpauci ex ijs aderant, & quo minus in bonam partem, quæ ille proposuerat, acciperentur, faciebat nuperum Edictum ab ipso in ditionibus suis promulgatum, edictique huius executio propositis plane contraria: quo ducentos circiter Ecclesiæ ministros è *Bohemia* iussit migrare. Neque Pontifici minus displicebat illa in extrema oratione de Colloquijs mentio, quæ cum suis inuentoribus more suo execrabatur, & Orco damnabat; vicem suam deplorans, quòd difficultatibus his exitum non reperiret, sed vel cum Concilio, aut verò cum Colloquio, aut certe cum Couentu Ordinum perpetuò confligtandum haberet. Incusabat sua tempora tot angustijs obnoxia, actique temporis Pontifices beatos prædicabat, quibus vitam securam agentibus licebat genio suo ingenioque frui, nulla ipsis super authoritate sua lite intentata. Recreabat tamen eum & solabatur altera parte nuncius de plena perfectaque Regni Anglicani ad obedientiam suam restitutione, ac de Edictis in gratiam suam factis, perque literas gratiarum actione; denique de solemni, quæ tunc instruebatur, Legatione, ad gratias ei de paterna clementia & munificentia coràm agendas, obsequiumque ei deferendum. Neque in tam effusa lætitia temperare sibi potuit à dicterio, cum diceret, se in partem saltem aliquam pristinæ Pontificum fœlicitatis venire, quando ab ijs gratias sibi haberi sentiebat, quibus ille gratias debebat.

Eadem sub finem, vbi Colloquiorum mentio Pontifici quoque displicet.

Quamuis autem Pontifex haud magna in spe esset de fœlici rerum suarum in *Germania* successu, ne tamen illas videretur negligere, aut vijs ac rationibus reducendorum ad Ecclesiæ gremium erronum minus attentus esse, Cardinalem *Moronum* in *Germaniam* ad Comitia Nuncium mittit, cum mandato, vt *Germanis Angliæ* exemplum ponat ob oculos, eoque crebriùs ingesto, ad errorem suum agnoscendum, atque idem pharmacum salutare admittendum enixiùs hortetur: sed ante omnia, vt Colloquia, & eiusmodi de religione tractationes amoliatur. Verùm *Augustam* vix peruenerat Cardinalis, cum *Iulius* Pontifex *Romæ* moritur. De cuius morte cum intra octo dies ad eum allatum esset, pridie Calendas Apriles cum Cardinali *Augustano Romam* versus iter ingreditur, vt noui Pontificis electioni interesset.

Pontifex Car. Moronum in Germaniam ad Côuentum ordinum mittit, nec multo post moritur.

Iulij III. Pontificis obitus.

Ante illorum *Romam* aduentum *Marcellus Ceruinus* S. Crucis Cardinalis V. Idus Apriles Pontifex fuerat renuntiatus, vir, qui ad naturæ grauitatem, ac seueritatem, morum probitatem, animique constantiam adiunxerat. Hic nomen suum retinens prima ea Pontificatus sui actione testatum fecit omnibus, se per eam dignitatem non immutatum: contra quàm à tot decessoribus suis esset factum. Ex quo enim per *Teutonas*, quibus nomina aspera, & Romanis auribus parum grata, apud Pontifices mutatio nominis primum inuecta; post facilè in consuetudinem vertit, quo daretur intelligi, simul cum nomine priuatos affectus in publici boni studium, & humanas cogitationes, in sanctas diuinasque esse conuersas. At contra hic Pontifex, vt ostenderet, in priuati hominis conditione non defuisse sibi cogitationes etiam supremo fastigio dignas, nomine pristino retento, constantis animi, minimeque ad honoris auram mutabilis specimen edidit. Nec absimile huic erat alterum illud, quòd exhibitis ei pro more capitibus quibusdam in conclaui decretis, in quæ ipsi erat iurandum, ante quam iniret Pontificatum, responderit, se ante paucos dies in eadem ipsa iurasse; nunc verò sibi constitutum rebus ea præstare, nec verbis tantum promittere. Instabat tum temporis *Dominicæ resurrectionis* celebritas. Dum itaque hebdomade, quam sanctam dicunt, *Marcellus* in peragendis Ecclesiæ ceremonijs admodum est assiduus, ex assidui laboris incommodis in grauem morbum incidit. Animum tamen etiam tum intentum habuit ijs, quæ multo ante quàm adeptus erat Pontificatum (eam enim sibi dignitatem certa spe promittebat) mente destinauerat, consilio cum Cardinalibus aliquot, nominatim verò cum Card. *Mantuano* cõmunicato: nimirum de controuersijs religionis per Concilium componendis. Id quidem dicebat antea minus successisse, quòd rectam nunquam instituissent viam. Integram enim reformationem primùm instituendam, qua de realibus & solidis dissidiorum causis prius conueniret: verbales dein controuersias sua sponte cessaturas, aut certe

Marcellus Ceruinus renunciatur Pôtifex, & dicitur Marcellus II. nomine retéto

Valetudine incommoda ex nimio labore.

Animo intentus sarciendis religionis dissidiis.

leui opera Concilij facile conciliatum iri. E decessoribus suis quinque successione perpetua ipsum emendationis nomen abhorruisse. neque prauum aliquem ob finem; sed quòd persuasum haberent illius auctores auctoritatis Pontificiæ extenuationem solummodo spectare. se verò longè aliter sentire, nihil æquè facere ad authoritatem eam vel conseruandam vel amplificandam. atque id ipsum cuiuis obuium, qui anteacta diligenter obseruarit, à solis ijs Pontificibus Romanis Sedis suæ authoritatem in maius auctam ac prouectam, qui reformationi incubuerint. Eâ enim solidum nil tolli, sed vana tantùm & speciosa, imo quæ sumptuosa, & grauia; Præsulum luxum, & pompam, & comitatus frequentiam, sumptus immodicos & superuacaneos, aliaque quibus Pontificis dignitas vilescit potius, quam maiorem parit venerationem. Hisce ineptijs amputatis haud dubiè veram auctoritatem, potentiam, existimationem auctum iri apud omnes; imo opes & pecunias, quæ nerui sunt rerum gerendarum; ac super omnia Diuini Numinis tutelam, quam certò sibi spondere debet vnusquisque, qui, quod sui muneris est, studiosè exsequitur.

Marcellus. 2. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

Pius Marcelli II. sensus de ratione auctoritatis Pontificiæ extenuandæ & amplificandæ.

Hæc *Marcelli* consilia *Romæ* per aulam iactata, ab fautoribus ipsius honestis elogijs pietatis, studij pacis, atque religionis condecorantur. at æmuli finem, quem spectabat, haud bonum caussati, in sequiorem ea partem interpretantur. Papam prædictionibus Astrologicis confisum, quibus erat addictus patris exemplo, qui per eam professionem creuerat. Eas interdum siue casu, siue alia de caussa lætum exitum habere, sed multo crebriùs multis in exitium præcipitandi dare occasionem. Inter ea quæ Pontifex animo designabat, erat illud de sacro Ordine instituendo centum veluti equitum, ex hominibus cuiuscumque religionis aut conditionis deligendorum, sub ipso tanquam Duce ac capite militantium. Horum singulis pensionem annuam quingentorum aureorum destinauerat è camera Pontificia dependendam, hac lege, vt solemni strictoque iuramento fidem suam Pontifici obligarent, neque aut altiorem dignitatis gradum conscenderent, aut reditus ampliores possiderent, tantùm vti liceret ijs in Cardinalium collegium propter bene merita cooptari, ita tamen vt societatem eam non deserant. Ex ijs solis volebat & Nuncios suos eligi, & negotiorum gestores, & ciuitatum Præfectos, & Legatos, atque in summa omnes Sedis Apostolicæ administros. In eam rem iam nominati erant plerique Romæ literis bene, exculti & ipsi probè cogniti: atque ad eundem honorem alij iam aspirabant. Ita in Pontificatu nouo nouitatibus aula erat referta, & nouarum rerum expectatione, quæ confestim concidit, Marcello diutinis laboribus in ceremoniarum celebratione, vti diximus, corpore multum debilitato, dein apoplexia correpto, quam mors protinus consequuta die mensis eius vltimo, reliquarum patris ipsiusque prædictionum fide euentu nondum comprobata, quibus vltra eum diem annus certe portendebatur.

Marcelli studia variè à varijs accipiuntur.

In his erat sacer Ordo C. equitum quem animo designauerat.

Marcellus die XXII. Pontificatus sui è vita migrat.

Cardinalibus igitur denuo in Conclaui congregatis, Cardinalis *Augustanus*, *Morono* etiam ei subseruiente, instanter petit, vt inter articulos, in quos de more Cardinales in eligendo Pontifice iurare solent, hic inseratur, futurum Pontificem de collegij consensu intra biennium Concilium conuocaturum, ad reformationem cœptam ad exitum perducendam; ad constituendum de cæteris, quæ supersunt, religionis controuersijs; denique ad viam aliquam comminiscendam, qua *Tridentinum* Concilium à Germanis demum recipiatur. Huic quoque additum, ne liceat futuro Pontifici, gliscente adeo Cardinalium numero, plures quam quatuor intra biennium in eum Ordinem adscribere. Cum in hæc capita assensissent, mensis subsequentis die XXIII. *Ioannes Petrus Carafa* in Pontificem fuit electus: qui *Paulus* IV. dici voluit, quantumuis repugnantibus Cæsarianæ factionis patribus purpuratis. *Cæsari* enim infensior credebatur, propter iniurias in *Hispania*, cùm superstite adhuc *Ferdinando* Catholico, in eius Regis aula octo annis viueret, acceptas: tum quòd Archiepiscopatu *Neapolitano* donatus ante aliquot annos, Nobilium eius regni, *Cæsaris* ministrorum consensione prohibitus fuisset, ne liberam eius possessionem, adire posset. Cumque summa esset morum seueritate, Aulici omnes ab seuero ipsius ingenio reformationem Ecclesiasticæ disciplinæ magis formidabant,

Capita in quæ iuratum est in noui Pontificis electione.

Ioannis Petri Carafæ in Papa electio, qui Paulus IV. dictus.

In Cæsarem animi offensioris caussæ.

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

Eius seueritas, ex qua emendatio in disciplina Ecclesiastica expectabatur, in superbiam cito vertit.

Auspicia Pontificatus Pauli IV. ab Oratorum ex Anglia aduenientium ad eius pedes proiectione, veniam submisse deprecantiũ.

Paulus in gratiam Regum Anglorum Hiberniam Regni titulo ornat: quod à plerisque vanitati tributum.

Vera huius facti caussa.

Pontificibus solens est iustis dominis ea donare quæ auferre non possunt.

Paulus cum Legatis agit de bonis sacris in Anglia Ecclesiæ restituendis.

quàm ab omnibus Concilij actionibus. Verùm in victus sui suorumque ratione instituenda statim post adeptam dignitatem seueritas ista omnis in superbiam vertit. Nam rogatus ab hospitij sui præfecto, ad quam formulam vellet viuere, Magnificè inquit, & vt summum Principem decet. Et in sumenda corona maiori vsus est pompa ac sumptu, quàm, quantum homines meminissent, superiorum Pontificum vllus. immo in omnibus actionibus magnificentiam & sumptum ostentabat: neque intolerabili in nepotes ac propinquos suos indulgentia cuiuis Pontifici concedebat. Ingenitam sibi seueritatẽ principio summæ humanitatis apud omnes affectatione tegere conatus, post paulo ad ingenium rediit.

Magnæ sibi gloriæ duxit, ipso primo Pontificatus sui die, tres ex *Anglia* Legatos, *Iulio* quidem Pontifice inde missos, *Romam* primùm intrasse. Primo quoque à coronatione Consistorio, quod fuit publicum, introducti in consessum, ad Papæ pedes proiecti totius Regni nomine anteacti temporis errata incusare; singula quæque (sic enim placuit Pontifici) nominatim percensere; ingratitudinem suam ob immensa ab Ecclesia accepta beneficia palam agnoscere, & submisse veniam deprecari. Ille vicissim humo leuatos circumplexus superiorum temporum admissa condonare. atque vt Regibus dignationem adijceret, *Hiberniam* Regiæ coronæ titulo ornauit, authoritate ea fretus, qua Papam donauit Deus in omnia regna, vt contumacia sedibus suis eijceret, & noua rursus conderet, constitueretque. Id factum viri iudicio præstantes, quippe qui in veram eius causam nondum penetrassent, vanitati adscribere, quòd non animaduerterent, quem fructum, aut potentiæ, aut honoris afferat Regi, diuersis regionum, quibus præest, titulis designari: sed contra viderent *Christianissimum* Regem solo Regni *Galliæ* elogio honoratiorem, quàm si tot titulis, quot ille prouincias obtinet, decoraretur. Neque ijs temporibus visum adeo oportunum, authoritatem regnorum diruendorum & exstruendorum sibi arrogare. At quos vera huius facti causa non latebat, id vanitati haudquaquam imputare, sed pro arcano ducere iampridem vsitato. *Henricus* enim VIII. post abdicatam Pontificis authoritatem *Hiberniam* in regnum erexerat, & se Regem *Angliæ, Franciæ* & *Hiberniæ* inscripserat. Eundem titulum per *Eduardum* Regem continuatum *Maria* & *Philippus Angliæ* Reges assumpserant. Pontifex igitur statim à creatione induxit animum credere & affirmare, sui tantùm esse peculij, Regium titulum cuiquam dare: ideoque Regibus *Angliæ, Hiberniæ* titulo abstinendum. Sed videbat nimirum, quàm difficile foret persuadere Anglis, vt titulum respuant à duobus Regibus vsitatum, & à *Regina* nihil sinistri cogitante continuatum. quare moderatione hic vtendum ratus, quid *Henricus* egerit, dissimulato, ipse Insulam eam in Regnum erigere statuit; quo homines adduceret ad credendum, Reginam illum titulum adhibere, tanquam à Pontifice sibi donatum, non Patris aliqua lege decretum. Illud hercle Pontificibus in more positum de alieno corio ludere, & quod iustis dominis auferre nequeunt, id ipsis elargiri. ijque vicissim ad vitandas cum Pontificibus rerum Dominis contentiones, vel, quæ sua sunt, dono accipere non recusant; vel, quid in rem donatam is qui donum confert, iuris habeat, scire se dissimulant. In secretiori verò Pontificis cum Legatis sermone, indoluit nondum restituta Ecclesiæ sua bona, quæ ab alio occupari omnino intolerandum esse dicebat, & ad minimum vsque quadrantem ab iniustis vsurpatoribus vendicanda. Deo enim semel dicata ad vsum ciuilem nunquam denuo applicari posse, & qui quantulamcumque eorum partem possideat, damnationis periculo esse obnoxium. Sibi quidem non deesse promptissimam ad ea elargienda voluntatem, si facultas adesset, tum propter eam, qua Regnum vniuersum complectitur paternam pietatem; tum propter filialem, quam in ipsis expertus est dilectionem & obedientiam: sed sibi non licere authoritatis suæ fines proferre ad res Deo consecratas prophanis vsibus applicandas. Tum, vnum hoc Anglis persuasum cupere, earum rerum possessionem illicitam, esse Anathema & contagem, cui vindicandæ Regnum *Angliæ* habiturum sit pro comite indiuiduo perpetuam miseriam ac infœlicitatem. Oratoribus insuper mandauit, vt de ea re continuò ad Principes suos rescri-

rescriberent: neque semel id monuisse contentus, idipsum omnibus occasionibus iterabat. Disertim etiam præcepit, vt primò quoque tempore exactionem denariorum *D. Petri* in vsum reuocandum curarent, quòd de more exactorem eò mittere decreuerit; quod quidem munus ipse in *Angliam* ea gratia missus totos tres annos obierit, maxima cum voluptate, cùm tantam non in populo tantùm, sed in tenuioribus è plebe ad pendendum promptitudinem cerneret. Neque vnquam sperandum, ipsis apertum iri à *Beato Petro* cœli portam, quamdiu quæ in terris ipsius propria sunt, cùm summa eius Diui iniuria vsurpant. Hæc Reginæ nuntiata, accedente ad hæc à Pontifice in dies officiorum cumulo, in causa fuere, cur *Maria* omnes ingenij neruos ad id ab Ordinibus impetrandum intenderit. Sed iam à multis annis Proceres plerique omnes, & qui è primaria nobilitate, bona Ecclesiastica in familias suas translata peculij sui fecerant, neque vllis legibus eripi sibi patiebantur: vnde ea res frustra fuit. Tantùm, vt primitiæ fructuum, & decimæ, quæ Patris fratrisque sanctionibus ad fiscum peruenerant, in posterum persoluerentur Ecclesiasticis, decretum. Ita Oratores Angli Pontifici pergrati, quod se illi addixissent (qui vnicus erat apud eum parandæ gratiæ modus) multisque laudibus cumulati Roma discedunt.

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

Et exactionem denariorum D. Petri solicitat.

Regina fructuũ primitias & Decimas Ecclesię restituit, quæ penes se erant, de cætero nil à suis impetrat.

Post noui Pontificis creationem à Cæsareis & Gallis vtrinque certatum est, de eo omni arte sibi conciliando. Sed Cardinalis *Lotharingius*, qui hominis ingenium pulchrè nouerat, in Gallorum partes facilè eam atraxerat, & secretò varijs officijs adortus, & in Consistorio palam professus, Regem suum non ignorare, quàm necessaria sit Ecclesiæ Gallicanæ emendatio; neq; opem suam Pontificem vnquam desideraturum, siue mittendis ad Concilium Præsulibus, si ipsi ita videbitur; siue alia quacumque ratione rebus Pontificijs maximè opportuna.

Card. Lotharingius Pontificem in Gallorum partes trahit.

Interea in *Germania* Comitia procedunt, nec sine partium contentionibus, quæ haud dubiè maiores fuissent, si Cardinalis *Moronus* permansisset, omnem dubio procul lapidem moturus, & Protestantibus iam suspectus, quasi à Pontifice hoc solo nomine in *Germaniam* missus, vt rebus ipsorum incommodaret. Passimque iactabatur, *Romæ* omnes maxima in spe esse, *Germaniam*, perinde atque Angliam, iugum accipere, & ad omnia descendere paratam. Auocato igitur Cardinali, deliberatio prima fuit, an de religione ante alia esset tractandum. Ecclesiastici principio reclamabant: sed ab omnibus tandem eò itum est, vt religionis negotium primò explicaretur. Atque hic duæ statim opiniones pugnantes occurrunt. Vna vt de rationibus reformandæ religionis tractatio institueretur. Altera, vt suâ cuique liberè vti permitteretur. Super quibus cùm diu multumque controuertissent, in posteriorem omnes tandem inclinant: quòd nullum videretur reperiri posse pharmacum morbo eradicando idoneum, quamdiu in motu & agitatione esset: sedatis verò humoribus sublatisque diffidijs ac suspicionibus, sperabatur res facilius coalituras, & commodiores componendorũ dissidiorũ vias repertum iri. Placuit itaq; pacem firmam necessariò esse constituendam, sic vt nec religionis causâ vis cuiquam fiat, & cuiuis Principi aut Ordini liceat intra ditionis suæ fines, quæ sibi maximè commoda videbitur, religionem amplexandam præscribere. At in hoc decreto firmando noua oritur disceptatio. Confessionis enim Augustanæ socij volebant licere omnibus sine vlla exceptione doctrinam ipsorum sequi, etiam Ecclesiasticis, absque honorum & dignitatum in quibus collocati essent, iactura. A Catholicis contra contendebatur, neq; permittendũ vllatenus Ecclesiasticis religionem salua dignitate mutare, sed si quis Episcopus, aut Abbas à religione recepta deficiat, continuò loco mouendum: neque ciuitatibus, quæ decretum Augustanum vulgo dictum *Interim* ante septimum annum recepissent, vt ad Confessionem Augustanam reuertantur, omnino concedendum.

Comitiorum Augustæ continuatio.

In quibus prima deliberatio de pace religionis.

De sacri ordinis hominibus iniecta dubitatio, an mutata religione dignitas salua esse debeat.

Super hac controuersia propositis ab vtraque parte primùm rationibus scripto cõprehensis, sed vtrisque demum de acrimonia sua nonnihil remittentibus, placuit Ecclesiasticis, Ciuitates suo arbitratui, vt, quam vellent religionem amplecterentur, permittere: & Protestantibus vicissim, exceptionem propositam, nimirum, vt Ecclesiastici, qui religionem mutauerant, loco moueantur, admittere. Decretum ergo VII. Calend. Octob. factum in hanc fere formam recitatur. Quandoquidem Concilium Oecomenicum aut Nationale, quod ad terminendas debito more de religione con-

Decretum in Comitiis Augustanis factũ quo libera cuique religio permittitur.

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

controuersias videatur necessarium, ob permultas, quæ obijciuntur difficultates, coire non possit, vt via interim amicæ concordiæ sarciendæ struatur, decerni: Ne *Cæsar*, *Ferdinandus*, cæterique Principes ac Ordines Catholici, per vim adigant Principes, Ordines, ac status *Confessionis Augustanæ* ad religionem suam, aut ceremonias, quas in ditione quisque sua instituerunt, aut deinceps instituent, deserendas. Neue in contemptum ac dehonestamentum religionis quidquam agant, sed liberam ipsius professionem eis permittant. Rursum, vt *Confessionis Augustanæ* socij erga *Cæsarem*, *Ferdinandum*, aliosque Principes ac Ordines antiquæ religioni addictos, tam Ecclesiasticos, quàm seculares moderatè se gerant, eisque religionem suam in suis ditionibus stabiliendam, & aliam quamcunque prohibendam permittant. Quod si quis in Ecclesiastica dignitate constitutus, à religione veteri desciscat, id in ipsius infamiam non redundet, sed dignitate ea confestim excidat, aliusque in eius locum sufficiatur ab eo, cuius id interest. Quod autem attinet ad beneficia, quæ cœnobijs & collegijs monachorum adempta, Protestantes scholis, & Ecclesiarum ministerijs accommodarunt, vt in eodem statu permaneant. Item vt Iurisdictio sacra non exerceatur contra eos, qui sunt *Confessionis Augustanæ*: in cæteris verò rebus extra religionem, pro veteri more valeat. Decreto in hunc modum formato alia suborta difficultas, ad quam dimouendam *Ferdinandus* absoluta *Cæsaris* fratris authoritate vsus, de consensu Ordinis Ecclesiastici declarauit: Vt Ciuitates & Communitates Principibus Ecclesiasticis subiectæ, item beneficiorum & sacrarum dignitatum titulis gaudentes, qui à multis iàm annis Confessionem Augustanam sequuti, eius ritus ac ceremonias obseruarunt, ab eisdem Principibus eas immutare non cogantur; sed antiquum obtineant, donec generali concordia dissidium erit sublatum.

Ecclesiastici verò religionem mutantes beneficijs mulctantur.

Paulus Pontifex, vbi de Decreto hoc *Augustano* inaudiuerat, vehementer excanduit, atque apud Oratorem *Cæsaris* & Cardinalem *Augustanum* grauiter questus, *Ferdinandum* increpuit, quòd se inscio tractationem de religione instituisset, interminatus daturum se operam, vt vterque *Cæsar* & *Ferdinandus* cum maximo suo cordolio intelligant, quàm graui iniuria Sedem Apostolicam violarint. Hortatur, vt reuocatis antiquatisque ijs, quæ concessa essent, malis impendentibus præuortant, adempta sibi occasione iusta procedendi, sicuti apud animum suum constituerat, non solùm contra Lutheranos, sed & contra ipsos Lutheranorum fautores. Qua in re modò morigeros & dicto audientes experiatur, tum & authoritate ac armis à se opem, & ad omnes Principes Christianos pro suo in eos imperio sub pœnarum ac censurarum denuntiatione mandatum, vt totis viribus in ipsorum subsidium concurrant, pollicetur. Et quamuis Orator ei respondens commemoraret vires Protestantum in *Germania*, nuperum contra *Cæsarem* bellum, in quo parum abfuit, quin *Cæsar Oeniponte* caperetur, & iusiurandum in pacificatione præstitum: ille nihilo factus pacatior, de iureiurando replicauit, se ab omni sacramento liberare eos & absoluere; imo imperare, vt illud non attendant. De cætero, vbi de causa Dei agitur, non respiciendum ad consilia humana. Certe *Cæsarem* diuina permissione adductum in periculum, quòd officium non fecerit pro eo ac debuit, & potuit, in *Germania* ad Sedis Apostolicæ obsequium reducenda. Deum hac iracundiæ suæ veluti denuntiatione monitum velle, maiora instare supplicia, nisi documentum inde sumat, & suo periculo sapiat. Contra, si, vt verum fortemque *Christi* militem decet, in ipsius causa intrepidè se gerat, sepositis aspectibus humanis, vbique de hostibus triumphaturum, sicut ex superiorum temporum exemplis satis constat.

Pontificis de Decreto hoc Augustano apud Oratorem Cæsaris querimonia, & aduersus Cæsarem simul & Ferdinandum comminationes.

Atq; ista à Pontifice agi iactabatur non solùm proprio instinctu, sed Cardinale *Augustano* impulsore, cui libertas *Augustanæ* confessionis socijs concessa multùm displicebat. Hoc tamē constat, Paulū, qui magno animo esset, vastisq; cogitationibus animum impleſſet, habuiſſe perſuaſiſſimū, facile eſſe ſibi ſolo authoritatis Pontificiæ munimine fulto, incōmodis omnibus mederi: neq; in eam rem cuiuſquā Principis ope indigere. Quoties cum Oratoribus colloquebatur; in eorum aures huiuſmodi ſermones crebrò intonabat, ſe Regibus cunctis eſſe ſuperiorem; nolle ſe arctā cum quouis eorum familiaritatem; ſibi conceſſam Regnorū immutandorum poteſtatem; ſe eorum, qui Reges Imperatoreſque è ſolijs ſuis deturbarint, eſſe ſucceſſorem. Sæpe illud memorabat, ſe authoritate

Paulus Pontifex philautia cæcus & nimia potestatis suæ confidentia, sibi *Suffenus* est.

authoritatis suæ clarum documentum in ipso Pontificatus introitu dedisse, erecta in regum *Hibernia.* nec erubuit in Consistorio, in mensa, atque in publico multis audientibus dictitare, se nullum Principem sibi comparem, aut socium velle agnoscere: sed æquum esse, vt suo pedi (humum eo tum percutiebat) omnes subijciantur, quandoquidem ita visum ei, qui Ecclesiam hanc ædificauerit, & se in hoc fastigio collocauerit. Neque continebat se, quin interdum adderet, malle se centies mori, ac facibus quatuor mundi plagis subditis, incendium rerum omnium ruina restinguere, quam vile quidpiam suoque loco indignum committere.

Paulus 4. *Carolus* 5. *Maria Reg.* *Henricus* 2.

Innata erat *Paulo* IV. animi magnitudo atq; audacia; prudentiæ quoque suæ, & secundæ fortunæ, quam in omnibus actionibus præsentem fuerat expertus, fidebat plurimum. ad quas accedente Pontificatus potentia & dignitate, omnia sibi obuia & procliuia augurabatur. Sed per vices duplici animus illi æstuabat solicitudine. Nam cum in omni vita religionem actionibus obtendere consuesset, etiam Pontifex factus solam authoritatem spiritualem rebus suis obducere satius ducebat. At *Carolus Carafa* nepos, belli magis, quàm pacis artibus innutritus, atque è milite factus Cardinalis, militares spiritus retinens, longè alijs cogitationibus animum illius aggrediebatur, vt gladium ac potestatem temporalem non sineret hebescere, quòd altera sine ista vilesceret, consociatæ autem rebus maximis patrandis essent idoneæ. Verum sagacem senem minime latebat, potestatem spiritualem tum demum debilitari, quando in eius subsidium temporalis necessario aduocatur. Ille tamen in nomine suo amplificando totus defixus, interdum Nepotis suasionibus aurem commodabat, interdum suo potius confidebat iudicio. Sed ad extremum constituit temporalia clanculum, spiritualia palam tractare, vt continuata horum tractatione, illa iam inchoata vel prosequeretur, vel omitteret, prout rerum euentus suaderet. Itaque per Nepotem suum & Cardinalem *Lotharingium*, quam occultissimè foedus cum *Galliæ* Rege pepigit. quod quidem cum esset percussum, Lotharingius ad demendam suspicionem *Romà* quasi re infecta abijt, misso in eius locum Cardinali *Turnonio*, qui eadem taciturnitate rem conficeret. fœderis caput præcipuum erat de regno Neapolitano recuperando in gratiam vnius ex liberis Regijs, qui *Delfino* minor esset natu: sic tamen vt inibi ad ditionem Pontificiam magna fieret accessio, eius limite ad *Germani Fanum*, & *Gariglianum*, ac trans *Apenninum* ad *Piscariæ* vsque flumen porrecto; præter *Beneuentum* & eius territorium, quod fœderis legibus ipsi Pontifici cedere oportebat.

Pauli solicitudo & industria in ingenio suo ad nepotis Card. Carafæ ingenium ab suo diuersum accomodando.

Foedus cum Rege Galliæ paciscitur, sed secretò.

Cæterum vt tam temporalibus suis quam spiritualibus tutandis Pontifex adminiculis firmioribus inniteretur, visum ei necessarium Cardinales aliquot creare, qui ab ipso pendeant, quique audacia abundantes, à se incoepta prosequi, atque arduis negotijs implicari non recusent. Ea de re cum, vt fit, ante aliquot dies quàm peragenda foret, sermones iactarentur, Cardinales ægrè ferre & indignari id venire in deliberationem, contra quod non ita pridem esset iuratum. ac in primis qui à *Cæsare* stabant, vbi innotuisset, qui ad eum honorem designarentur, de interpositione cogitabant. *Paulus* nihilominus vicesimo Decembris Consistorium ingressus, statim vbi consedisset, dixit, aures suas nullius postulatis eo tempore patere, quippe quia maius opus sibi sit mouendum. quod licet omnes de creatione Cardinalium acciperent, Cardinalis tamen *D. Iacobi* ad cathedram accedens, ad aliquid Pontifici communicandum sese offert. Illo abnuente cùm Cardinalis non absisteret, Pontifex pugno in pectus adacto illum abigit. Dein vbi assedere omnes, coepit Papa grauiter queri, quod sparsissent in vulgus non posse eum propter iuramentum in conclaui præstitum plures quam quatuor Cardinales creare. id autem dicebat non aliud esse, quàm authoritatem Pontificiam, quæ est absoluta, legibus adstringere. Articulum esse fidei, Papam non posse obligari, imo ne seipsum posse obligatione astringere. qui contra sentiat, hæreseos manifestò teneri. à quo crimine paratum quidem absoluere eos, qui in id inciderint, nulla peruicacia aut animi obstinatione. sin in posterum quisquam hæc aut similia contra authoritatem diuinitus sibi concessam obganniat, tum curaturum, vt aduersum eum Inquisitio procedat. Sibi quidem decretum esse, nonnullos in Cardinalium collegium cooptare, neque velle, vt quisquam

Pauli de creandis Cardinalibus consilium Collegio displicet, his potissimum, qui à Cæsare.

Præfidentior Pauli de creandis contra iuramentum in Conclaui præstitum Cardinalibus in Consistorio oratio.

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

quam refragetur. Sibi enim opus esse ijs, quorum ministerio vtatur: quo in genere ipsi haud quaquam sint, omnes proprijs factionibus addicti. Ad eam dignitatem asciscendos viros doctrina ac vitæ probitate conspicuos, quorum opera in Ecclesiæ reformatione, & in Concilio potissimùm requiratur. De eo iam tempus esse, vt seriò agatur, & prima quaque occasione super eo deliberandum. Sed interim; quoniam res moram diuturniorem non patitur, nominandos eos, quos ad purpuratorum patrum dignitatem censet euehendos, vt ipsi, quibus suffragij deliberatiui ius est, diligenter perpendant, quod Ecclesiæ bono cessurum putent: in quo facilem eum ad audiendum essent habituri. neq; ideo suffragium decisiuũ sibi competere credant, quod sibi vni debeatur. Tum septem nominauit, è quibus vnus tantùm erat ei sanguine coniunctus, & alius è sua congregatione Theatinorum: cæteri omnes propter eruditionem, aut rerum in aula gerendarum peritiam in magna apud homines fama. Inter hos *Ioannes Gropperus Coloniensis*, de quo dictum supra, haud multos sibi ad viuendum annos superesse arbitratus, simulque reputans, se honorificam nominis sui memoriam ad posteros propagaturum magis, repudiata ea dignitate, quam etiam viri Principes ambiunt, quàm si eàdem ad paucos dies acceptâ æmulis obtrectandi materiam ministraret, multis de beneficio oblato gratijs actis, quòd & insigne honoris remisisset, & titulum recusasset, sese apud Pontificem excusauit. Creati itaque Cardinales, cum dominica præcedente die XV. pactum fuisset cum *Gallia* fœdus.

Cardinales VII. nominantur creandi è quibus *Gropperus* dignitatem eam repudiat.

Sub idem tempus Cardinalis *Polus*, qui, siue quod Regio Anglorum sanguine oriundus successionem primariam spectaret, siue quod suam cum Pontificatu coniunctionem proditam nollet, à sacris Ordinibus hactenus abstinuerat, causis his tandem cessantibus, Cardinalium Diaconorum conditione relicta, in Presbyterorum Ordinem transit: & quarto postquam *Cranmerus* Archiepiscopus *Cantuariensis* cum multis ceremonijs charactere prius adempto (degradationem vocant) crematus fuisset mense, in eius locum *Angliæ* Primas instituitur.

Card. Polus Archiepiscopo Cantuariensi succedit.

Austriaci ex Decreto in vltimo conuentu Ordinum *Germaniæ* facto, multoque magis ex adiuncta *Ferdinandi* declaratione in gratiam Ciuitatum, & Nobilium Principibus Ecclesiasticis subiectorum, spem quoque conceperant obtinendæ libertatis in religionis exercitio. Cum igitur *Ferdinandus* subditos suos *Viennam* conuenire iussisset, ad auxilia & pecuniam in bellum contra *Turcam* ipsis imminentem conferenda, illi vicissim postulant, vti ipsius permissu illis liceat ad generale vsque & liberum Concilium puriorem religionem profiteri, beneficioque *Augustanæ Confessionis* socijs concesso frui. flagella enim quibus Turca ipsos verberat, vindictam esse Dei illos ad vitæ emendationem inuitantis: frustraque in eum hostem arma sumi, nisi Deo prius propitiato, qui, sicut ipse præscribit, adorari vult, non autem ad humani cerebri figmentum. Orant, ne deteriori sint quam alij *Germani* conditione, vt ministris Ecclesiæ liceat iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam publicè prædicare & Sacramenta distribuere: vt ludimagistri exilio prius non mulctentur, quàm apud legitimum iudicem causam dixerint. Id si impetrent, se officio nunquam defuturos, sed ipsius voluntati, cum vitæ ac bonorum impendio obsecundaturos pollicentur.

Austriaci exemplo sociorum Augustanæ confessionis libertatem religionis vrgent.

Ad hæc respondet *Ferdinandus*, non esse integrum sibi ipsorum postulatis annuere, non quod nolit suis gratificari, sed quod Ecclesiæ sanctionibus necessariò parendum habeat. Se cum fratre *Cæsare* dissidia in religione semper auersatum: ijs sarciendis colloquia varia tentasse, & *Concilium* denique *Tridentinum* procurasse. id si pro voto exitum non habuerit, ipsis minimè tribuendum, cum in obscuro non sit, quibus consilijs & artibus ab alijs fuerint obiecta impedimenta. Ex eo factum Edictum in beneficium eorum, qui sunt *Confessionis Augustanæ*, quod ad ipsos quoque pertineat. Eo enim edici, vt quiuis Princeps non Ecclesiasticus possit ex alterutra quam velit religionem eligere: populus autem religionem sui Principis sequatur. quod si quis è populo religionẽ sui Principis non probauerit, ei liberum sit facultates suas vendere &, quo libitum fuerit, commigrare. Ipsorum itaque esse officium, in veteri & Catholica, quam ille profiteatur, religione permanere. Vt tamen animi ipsius pro-

Ferdinandus ijs Coenæ sub vtraque specie participationem gratificatur; cætera innouari non sinit.

propensionem in fauendo eorum postulatis agnoscant, eam partem Edicti sui, quæ ad participationem calicis spectat, in eorum gratiam remittere, sed ea lege, vt in cæteris Ecclesiæ sanctionibus ac ceremonijs vsque ad comitij proximè futuri decretum nihil innouetur: atque his contenti contra hostem publicum in commune consulant, & quod oportet conferant.

Paulus 4. *Carolus* 5. *Maria Reg.* *Henricus* 2.

Ad exemplum Austriacorum Bauari quoque suum Principem Albertum de libertate religionis solicitant, vt Euangelium liberè apud ipsos prædicetur, sacerdotes matrimonium contrahant, cœna domini integra ministretur, & omnibus hebdomadæ diebus carne vescantur: id nisi impetrent, in bellum contra Turcam nihil se collaturos protestati. Ille verò cum *Ferdinandum* socerum suis concessisse videret communionem calicis, & pecuniam ab ipsis exigere in animo haberet, eo vsque indulgendum censuit, vt ipsi cœnam quoque totam perciperent, & vetitis diebus, si necessitas premeret, carne vescerentur, quoad controuersiæ religionis componerentur authoritate publica: sic tamen vt in alijs religionis capitibus superiorum temporum edicta exactè obseruentur. Multis enim verbis professus est, se ab Ecclesia, maiorumque religione nolle discedere; neque in ceremonijs quicquam nisi de Pontificis ac *Cæsaris* voluntate velle immutare. Curaturum etiam, vt Metropolitanus & Episcopi hanc concessionem approbent, nec cuiquam molestiam hoc nomine faciant.

Bauari quoq; apud suũ Principem pro religionis libero exercitio intercedentes calicis communionem impetrant.

Eodem tempore Palatinatus vniuersus confessionem Augustanam amplectitur mortuo Electore *Frederico*, & succedente fratris filio Ottone *Henrico*, qui ante multos annos huic sese doctrinæ addixerat, hoc nomine multa perpessus, & de fortunis suis omnibus periclitatus. Principatum adeptus, Missam cum alijs Ecclesiæ Romanæ ceremonijs extra omnem suam ditionem, è vestigio exulare iussit.

Otto Henricus in Palatinatu Friderico mortuo succedens, Missam abolet.

At Pontifex iactis, quæ supra commemorauimus, fundamentis ad spiritualia conuersus, ad nominis sui famam, quam vnicè appetebat, agendum necessarium existimauit testatum facere omnibus, rebus non verbis, se de seria Curiæ Romanæ emendatione cogitare. Itaque in id vnum incumbens exeunte Ianuario Anno M.D.LVI. *Congregationem* institui tè XXIV. Cardinalibus, XLV. Præsulibus, & alijs hominibus ob eruditionem in aula maximè conspicuis ad centum vsque & quinquaginta. His in tres classes distributis, in quarum singulis erant VIII. Cardinales, XV. Præsules, alijque ad quinquaginta, proposuit excutiendas omnes in materia *Simoniæ* difficultates. Easdem typis mandari iussit, earumque exemplaria ad omnes Principes perferri, ideo euulgatas dictitans, vt vbi ad Academiarum omnium, & collegiorum, & hominum eruditorum notitiam peruenissent, ipsi sententiæ suæ super ijs promendæ occasionem inde caperent, quam ab ijs apertè exquirere non putet esse è dignitate eius Sedis, quæ omnium magistra, aliorum opiniones non debet emendicare. Dicebat porro, sibi quidem nihil opus esse cuiusquam institutione, quòd quid *Christus* præceperit, probè teneat: sed Congregationem istam à se ideo erectam, ne in re, in qua interesset omnium, crederetur ille ex sui capitis commento statuere. Tum decretum sibi, vbi Aulam suam ab hoc fermento perpurgarit in eum modum, vt ei nemo iure obiectare possit illud, *Medice cura teipsum*, & Principibus ipsis ostendere *Simoniæ* malum in ipsorum aulis grassari vehementius, & eiusdem auferendi non deesse studium sibi, qui Principibus æquè ac Præsulibus antistet.

1556. Paulus emendationis Ecclesiæ negotium serio aggreditur, delectos ad id ex diuersis nationibus viros adhibens, à materia Simoniæ facto initio.

In prima primæ classis Congregatione quæ habita VII. Cal. Apriles coram Cardinale *Bellaio* Collegij Decano, Duodecim ex ijs verba fecerunt, & in his III. distinctæ opiniones repertæ. Vna erat *Episcopi Feltrensis* qui tenebat, non esse incommodum accipere pecuniam propter vsum potestatis spiritualis, modò non sit loco pretij, sed ob alium aliquem respectum. Alia *Episcopi Setinensis*, id nullo modo, neque vlla conditione licere, & tam dare pecuniam, quàm accipere detestandam esse Simoniam, cum nullo genere prætextus sit excusabilis. Tertia *Episcopi Senogalliensis*, media inter vtramque, esse quidem licitum, sed certis tantum temporibus, & certis conditionibus. Diebus proximis cum omnes eiusdem classis suffragia tulissent, ijs ad Pontificem delatis post festum Paschatis, ille tantam opinionum varietatem conspicatus, decreuerat pene animi sui sententiã diplomate publicare, vt non liceat cuiquam accipere præmium, aut donũ, aut eleemosynam, non solùm quando exiguntur, sed nec cũ

Episcoporum primæ classis tres distinctæ opiniones de Simonia.

Paulus de sua opinione euulganda cogitat, sed difficultates obstant.

vltro

Paulus 4. *Carolus* 5. *Maria Reg.* *Henricus* 2.

vltro offeruntur, propter quamcunque gratiam spiritualem. Quod autem attinet dispensationes matrimoniales, profitebatur se deinceps nullas daturum, nec deesse sibi animum medendi ijs, quæ iam iam essent concessæ, dummodo id absque scandalo effici posset. Verùm à diuersis tot remoræ & impedimenta fuere obiecta, vt ad id, quod decreuerat, exequendum omnino ventum non sit.

Pontifex harũ rerum cognitionem Concilio permittẽdam non censet: vnde Tridentini Concilij auctoritatem eleuat.

Nonnulli censebant necessarium in *Concilio generali* isthæc tractari. Quod certe illi bilem vehementer mouit, quippe qui diceret, sibi, qui sit supra omnes nihil opus esse Concilio. Cardinali vero *Bellaio* subiungente, Concilium non requiri, ad authoritatem Pontifici addendam, sed magis ad rationem exequutionis ineundam, vt vbique sit eadem & æquabilis, respondit, se, si res ita postulabit, Concilium *Romæ* celebraturum, neque putare aliò esse eundum. Idcirco nunquam assensisse, vt Concilium haberetur *Tridenti*, hoc est in medio *Lutheranorum*, sicut omnibus est compertum. Concilium enim propriè solis Episcopis constare. Et quamquam in consultationibus alij nonnunquam admittantur, nulli nisi homini Catholico iure deberi locum: alioqui *Turcas* admittendos. Magnæ itaque fuisse vecordiæ Sexaginta Episcopos, neq; eos maximi nominis, & Quadraginta Doctores, non omnes de meliore nota ad montes ablegasse, sicuti iam bis factum esset: simul credere, Ecclesiæ doctrinã & disciplinã ab his rectiùs ad rationis normam designari posse, quàm ab ipso *Christi* Vicario, cui adminiculantur tum collegiũ omniũ Cardinaliũ, Christiani nominis columnæ, ex omnibus Christiani orbis gentibus ad id munus ob donorum præstantiam selecti; tum Præsules ac Doctores quotquot sunt *Romæ*, & eruditione cæteris per *Europam* superiores, & numero plures, quàm qui omni opera ac studio *Tridentum* adduci poterant.

Multa simul Pontifici bilẽ mouent. I. cõmunio calicis à Bauaro subditis concessa.

Verum vbi allatum est *Romam*, à Principe *Bauariæ* calicis communionem subditis suis permissam, immane quantum ea re indignatus: sed id inter ea mox relatum, quibus omnibus simul mederi plane constituerat, spei plenus, Curiâ suâ semel emendatâ, cætera omnia fore procliuia; certusque, animo vehementiùs non conturbari, vtcumque Protestantium numerus in dies cresceret. Nam & intra paucos dies *Poloniæ* Regis Legatus, qui de accepta summi Pontificis dignitate gratulabundus venerat ad eum, Regis sui regnique nomine quinque ei postulata exhibuit. De *Missa* lingua patria ac populari celebranda. De *cæna Domini* sub vtraque specie percipienda. De sacerdotum coniugio. De *Annatarum* solutione tollenda. De Concilio eius Nationis, ad abusus ibi reformandos, & opiniones varias in religione conciliandas, conuocando. Quæ ille postulata, dici vix potest, quàm impatienter audierit, & quàm acriter in horum singula seorsim repetita cum fremitu inuectus sit. Sed sermonis hic fuit exitus, Concilium Oecumenicum *Romam* indictum, hæreses ac prauas multorum opiniones orbi patefacturum. Quibus verbis quæ in *Germania*, *Austria* atque *Bauaria* facta nuper essent, notare putabatur. Cumque has ob causas vel apud animum constituisset, vel certe præ se tulisset Concilium necessariò requiri, etiam voluit, vt omnes Legati, Principibus suis significarent, decretum ipsi, Concilium aliud *Lateranense*, non absimile superioris illius celeberrimi, propediem conuocare. Tum Nuncios ad *Cæsarem* & *Galliæ Regem* designauit, qui ad pacis consilia hortarentur eos: vtcumque in *Gallia* secretò longe diuersum ageret negotium. Neque Nuncijs modo suis mandauit vt apud Principes de Concilio verba crebro facerent, sed in Consistorio ipse oratione diffusa, more sibi familiari necessitatem Concilij primo quoque tempore habendi edocet, quod præter *Bohemiam*, *Prussiam*, ac *Germaniam* hæresum labe miserè infectas (ipsa hæc Pontificis verba) *Polonia* etiam periclitabatur: neque tolerabilis esset *Galliæ Hispaniæque* conditio, vbi Ecclesiastici adeo male habentur. In *Gallia* nihil æque hominem vrebat, atq; assidua Regis ab Clero decimarum exactio. Sed *Hispania* magis eum exstimulauerat. Nam cum *Paulus* III. & *Iulius* Pontifices *Carolo Cæsari* in subsidiũ belli Germanici dimidiam partem bonorum Ecclesiæ per *Hispaniam* & alicubi quartam partem permisissent, ille Decreto nuper *Augustæ* facto exasperatus, concessionem eam reuocarat: eam nihilominus Regij ministri sequestrationum & incarcerationum vi ac vi vrgentes exigere pergunt.

Dein V. postulata ab Oratore Regis Poloniæ ipsi exhibita.

Tum in Gallia Regis assidua ab clero decimarum exactio.

Denique concessio bonorũ Ecclesiæ per Hispaniã continuata etiam post ipsius reuocationem.

Neque

Neque Deum temperare sibi potuit à conuitijs, quin *Cæsarem* hæreticum diceret. Eum principio religionis in *Germania* nouatoribus propitium ac fauentem fuisse, quò Sancta Sede deiecta ac prostrata ipse *Romæ* & in *Italia* omni rerum potiretur, *Paulum* III. perpetuis laboribus ac molestijs fatigasse: se verò facturum vt sciat, qui vir siet. Omnibus his incommodis posse se sola authoritatis suæ vi fretum leui brachio medicinam afferre: Concilij tamen opem aduocare, ne tanti oneris inuidia prægrauetur. Conuocaturum itaque Concilium, quod *Lateranense* nuncupandum sit. Id *Cæsari*, *Galliaque* Regi vt significaretur ciuilem in modum curasse; non tanquam eorum, vel consensum, vel consilium deprecaturus, quibus obsequij tantùm partes sint relictæ. Non nescire se vtrique displiciturum Concilium illud, quippe, quod in eorum rem futurum non sit, qui sic vitam instituant; multaque ad illud disturbandum dicturos siue molituros: se tamen ipsis inuitis, quod animo designarit facturum, vt cognoscant scilicet, quantum possit *Sancta Sedes*, tenente eam Pontifice generoso, ingentisque animi pleno. Maij quoque die XXVI. quo inaugurationem suam quotannis celebrabat, acceptis solemni epulo Cardinalibus omnibus, Principumque Oratoribus, à prandio coepit de Concilio verba facere. Atque in eo consessu palam professus, certum esse sibi non nisi *Romæ* Concilium habere. Principibus id significatum voluisse, ne spretos se querantur, boni moris gratia: tum vt per eos Præsulibus iter tutum ac securum reddatur. alioqui, nisi Præsules eò veniant, ex ijs solis, quos in Aula sua habeat, Concilium conflaturum, quippe potestatis sibi demandatæ apprime gnarum.

Paulus 4. *Carolus* 5. *Maria Reg.* *Henricus* 2.

Ob hæc Paulus in Cæsarē inuehitur: suā verò sedisque Rom. potestatē Thrasonice deprædicat.

Interea dum Pontifex reformatione distinetur, nunciatum *Romæ*, interuentu Cardinalis *Poli*, qui *Mariæ Angliæ Reginæ* nomine de pace egerat, inducias inter *Cæsarem* & *Galliæ* Regem ad aliquot annos V. Februarij pactas. Ea res Pontificem, sed multò magis Cardinalem *Carafam* conturbauit, Regem ipsis minimè monitis, egisse de inducijs, & in eas consensisse. Neque solùm existimationem suam hac pactione læsam molestè tulit Pontifex, sed periculum quoque suum reformidabat, si firma inter hos Principes amicitia coaluisset; nisi eorum se arbitratui permittere vellet. Cardinalis verò quietis impatiens reputabat secum quinquennium illud induciarum in tam grandi & effœta patrui ætate omnes sibi occasiones ademptūrum, *Hispanos* regno Neapolitano proturbandi, quos ille insito penitus odio prosequebatur. Papa igitur nihil de innata animi celsitudine remittens, lætitiæ aliquam significationem ob inducias præ se fert; sic tamen vt facile appareret, ijs non vsquequaque contentum. Iactabat pacem esse necessariam, ad Concilium, quod ille iam decreuerat, habendum. Ideo Legationem ab se ad vtrumque Principem adornari, apud quos in animo habebat authoritate sua vti ad concordiam sarciendam. Non esse committendum, vt per illorum discordias ac bella Ecclesiæ regimen à Christo sibi concreditum interturbetur. Atque vt facta dictis conuenirent, *Scipionem Rebibam* Cardinalem *Pisanum*, ad *Cæsarem*; & Cardinalem *Carafam* Nepotem suum ad *Galliæ Regem* mittere decreuit. Hic iter maturare, ille lento pede incedere iussus. Ac illi quidem mandatum, *Cæsarem* ad *Germaniæ* emendationem hortari: de qua nihil hactenus effectum esset, quod nemo quisquam in eo opere pede recto processisset. Defectum superiorum Pontificum sibi satis esse perspectum profitebatur, qui vt Curiæ suæ emendationem amolirentur, omnem Concilij progressum impediebant. Contra vero sibi decretum reformationem modis omnibus promouere, coram semetipso Concilium celebrare, & ab hoc capite reformationis capere initium, qui certus sit Protestantes vbi abusus eos viderint sublatos, propter quos ab Ecclesiæ vnitate secesserunt, & in contumacia adhuc persistunt, alacres ad accipienda Concilij decreta & sanctiones conuolaturos. Concilium autem hoc non verbis modo, sed factis, caput & membra, Ordinem Ecclesiasticum & secularem, Principes ac priuatos emendaturum. Verùm ad actionem tam præclaram inducias quinquennales haud sufficere. induciarum enim tempore suspiciones nasci nihilo minores, quàm in bello; perpetuamque esse de præparatione ad bellum, vbi desierint induciæ, cogitationem. hic opus esse pace stabili, quæ simultates omnes ac suspiciones auferat,

Pontifex inducijs inter Cæsarem & Galliæ Regē in quinquennium se inscio factis cōmouetur. Ille tamen, & lætitiam simulat, & pacem inter eos sanciendi studium.

Ad vtrumque Principē Legationem mittit.

Qua nil nisi Concilium crepat, & seriam omnium Ordinum reformationem.

Paulus 4.
Philippus 2.
Maria Reg.
Henricus 2.

vt aspectibus humanis semotis, summa animorum consociatione Ecclesiæ vnitas ac reformatio quæratur. Eodem tenore mandatum Cardinali *Carafa* datum; quorum vtrumque publicari, & exemplaria per manus hominum volitare cupiebat.

Arcanum Pōtificis, quò Principibus negotium facessere, ab se molestiā omnem abigere sperat.

Putabant Aulici plerique omnes à Pontifice tam crebram, tamque seriam Concilij mentionem fieri ex composito, ne quis necesse habeat memorem monere; vel certe, vt toties Principibus alijsque intentato Concilij nomine, in odium eius ipsos adducat: verùm pòst cognitum, Pontificem aliam instituisse viam, ad molestias eas, in quas decessores ipsius incurrissent, abigendas. Etenim, quandiu crepabant solam Pontificis aulæque suæ reformationem, atque eorum, qui priuilegijs atque immunitatibus ipsius beneficio donati, à Pontificatu toti pendent; tamdiu se vnū peti, deque suo tantum ludere eos animaduertebat; eoque tam Principes, quàm populos, immo homines priuatos, quorum res non periclitetur, Concilium instanter flagitare. At si vtriusque Ordinis Ecclesiastici ac secularis, & in hoc ordine Principum potissimùm reformationem proponeret, & vnà seuerissimam (vti animo designàrat) inquisitionem institueret; rebus sic ad æqualitatem perductis, vt non de se solo, sed de alijs potius ageretur; tum non dubitabat omnibus metum posse inijci: se verò apud omnes probitatis ac virtutis opinionem paraturum; ac prout occasiones sese dederint, de Concilio, quod absque dubio nusquam nisi *Romæ* cogendum esset, deliberaturum. Atque hoc est arcanum illud, quo rebus suis se consulturum sperabat.

Card. Carafa gladium sacratum Pontificis nomine Galliæ Regi vti Ecclesiæ Rom. defensori tradens, ad inducias nuper cum Cæsare factas violandas illum impellit.

Sed vt ad legatos reuertamur, Nepoti Pontifex mandarat, vt pertentaret *Galliæ Regis* animum; ac si ad pacis consilia aut induciarum seruandarum propenderet, tum Concilium ingeminaret. *Rebibæ* quoque præceperat, vt in omnibus à Nepotis sui mandatis latum vnguem non deflecteret. Ad Regem *Carafa* gladium & pileum à Pontifice pridie Natiuitatis Christi de more sacratum detulit. De pace mentionem non fecit. Tantùm Regi exposuit, fœdus prius ictum, per inducias cum *Cæsare* quinquennales, si non violatum, saltem factum omnino irritum, cum magna patrui & totius familiæ pernicie: sicuti ex actionibus Hispanorum vltionis auidorum promptum sit subodorari. Religionem ac Pontificatum, quibus in maiorum ipsius fide ac tutela tutissimum semper fuit perfugium, verbis efficacissimis ei commendabat: tum Pontificem & familiam suam nomini *Francico* summopere addictam. quibus ille *Regis* animum in causam suam prope iam flexerat, vno tantùm restante scrupulo de decrepita Pontificis ætate, vnde metus, ne in summa rei gerendæ occasione vita illum deficeret. Quod cùm *Carafa* persentisceret, huic nodo cuneum repperit, pollicitus Pontificem tot Cardinales *Gallicæ* factionis, & Hispanorum hostes creaturum, vt Pontificem dubio procul è suis semper sit habiturus; Rex igitur suasionibus Cardinalis, pollicitationibus de Cardinalibus promouendis, & absolutione à religione iurisiurandi induciarum pactis interpositi victus, intercedentibus præsertim Cardinalis *Lotharingi* & fratris officijs, bellum tandem pro Pontificis defensione decernendum censet: Principibus licet Regis sanguinis, & prope omnibus in aula Magnatibus violatarum induciarum, & soluti per Pontificem iurisiurandi infamiam exosis. Sub hæc *Carafa Rebibam* Legatum qui ad *Cæsarem* tendens in *Belgium*, *Mastricum* peruenerat, & duorum modo dierum itinere aberat, in *Galliam* reuocat. vnde tam *Carolus* quam *Philippus* filius facilè coniectabant aliquid in *Gallia* actum, quod ipsis fraudi esset futurum.

Columnios Pontifex proscribit, etiam veterum offensarum memor, vt eorum spolijs Ioannem fratris filium natu grādiorem ornet.

Et verò vtrique odiorum in Pontificem nouæ cottidie caussæ emergebant. Pontifex enim in *Ascanium Columnam* & *Marcum Antonium* eius filiū acerbissimum diploma euulgarat, iniurijs etiā pristinis repetitis aduersus sedē Apostolicam ab *Ascanio* patratis, cùm *Clementem* VII. in arce oppugnauit; tum contra *Paulum* III. & *Iulium*: & à *M Antonio* in se, & Ecclesiæ Romanæ ditionē admissis. quibus in consistorio publicè cōmemoratis, vtrumq; *Ascaniū* & *Antoniū* dignitate & feudo superiorū Pontificū gratia cōcesso indignos pronūtiarat, diris deuouerat; sacris etiā censuris omnes subijciens, qui ope aut opera ipsos subleuarēt, bonaq; omnia, quæ in Ecclesiæ ditione possiderent proscribēs: eisdē *Comiti Montorij* Nepoti suo cū titulo *Ducis Paliani* attributis.

Iam

Iam *M. Antonius* in regnum *Neapolitanum* se receperat, & interdum equitibus comitatus in municipia sua excurrebat. quare Pontifex summopere commouebatur. Cùm enim nutus suos pro imperio esse, & terrorem omnibus incutere cuperet, pati non poterat, vt Neapoli in patria sua, vbi rerum omnium potentem haberi se volebat, nomen suum vilesceret. Et principio quidem in *Cæsarem* & filium debacchatus, putabat posse se eos à Columnijs fauore suo prosequendis deterrere. Vnde frequenter & palam maledictis & probris eos insectabatur, interdum præsentibus Cardinalibus Hispanis liberiùs loquens, atque vt, quæ dicebat, ad eos perscriberentur, edicens. *Paulus* 4. *Carolus* 5. *Maria Reg.* *Henricus* 2.

Sed cum his non proficeret, pergendum ratus, Iulij XXIII. Procuratorem fisci, & *Siluestrum Aldobrandinum* Consistorij Aduocatum adduci iubet. Ij apud Patres purpuratos exponunt, quemadmodum Pontifex *M. Antonium Columnam* ob varia delicta extra Ecclesiæ communionem eiecerit, & sub eiusdem censuræ denuntiatione omnibus cuiuscumque conditionis interdixerit, ne ope aut opera eum iuuarent: cumque omnibus sit exploratum *Cæsarem* & *Philippum* filium equitum peditumque auxilijs, & pecuniæ subministratione illum subleuasse, non minus certum esse, eos pœnam sententiâ decretam incurrisse, & excidisse feudis. Orare itaque vti Beatitudo sua declarationem edat, ac de sententia executioni mandanda velit pronuntiare. Respondet Pontifex se cum Cardinalibus consultaturum, statimque alteris dimissis, in Consistorio quid in re tanti momenti statuendum sit, Cardinales percunctatur. In his Galli vtcumque honorificè *Carolum Cæsarem* & *Philippum* appellantes, Pontifici certe animos faciunt. *Cæsarei* verò verbis vtentes ambiguis nihil festinandum censent. At *Theatini* Cardinales, Pontifici deuota capita, & authoritatem Pontificiam magnificè verbis extollunt, & Pontificis ipsius fortitudinem ac prudentiam miris præconijs efferunt: omnia quæ ille gessisset, laudabiliter facta dicentes; quæ deinceps facienda, se ad illum omnino referre, neque aliunde, quàm ab rara ipsius prudentia huic malo remedium quærendum. Dimissis ergo sine certa determinatione Patribus, dum apud se reputat aut cedendum, aut ad arma veniendum, dumq; ab innata audacia spei plenus belli cogitationes non auersatur; commodùm à Nepote, quid cum *Galliæ* Rege tractatum sit, per litteras ad eum affertur. Tunc de reformatione ac Concilio sermonibus valere iussis, omnis & sermo & cogitatio in pecuniam colligendam, militem conducendum, & commercia instituenda coniecta. Quæ quidem cum ab instituto meo sint aliena, eo vsq; solùm ea commemorare mihi est consilium, quatenus ex ijs apparere possit, quo Pontifex animo fuerit erga veram aut saltem simulatam Ecclesiæ reformationem. Confestim igitur ciues & incolas *Romæ* in cohortes, distributos ducibus Vicorum Præfectis, armari iubet, quorum quinq; millia recensuit, maiorem partem artifices & peregrinos. Multas vrbes & municipia suæ ditionis muniuit, & præsidijs firmauit. Aduentum ter mille Gallorum Vasconum solicitauit, quos Rex maritimo itinere in *Italiam* præmittere decreuerat, interim dum Regius exercitus terrestri itinere in *Italiam* transitum parat, ad Pontificem sustentandum.

Idem cũ Cardinalibus in Consistorio deliberat, quid de Cæsare ac filio statuendũ sit, qui Columniis opem ferentes in censuras Pontificias incurrerint.

Reformationis studio abiecto totus est in Bellicis cogitationibus.

Pontifici, dum cogitationibus belli totus distinetur, multi varias ob causas in suspicionem veniunt: vnde Cardinales, & nobiles, alijque in arcem Pontificis mandatu inclusi. In carcerem etiam coniecit *Garcilassum Vegam Philippi Regis* Legatum, & cum eo *Ioannem Antonium Taxis*, parauεredariorum *Cæsaris* præfectum. Cumque *Dux Albanus* misisset ad eum conquestum, quòd *Romæ* exules *Neapolitanos* reciperet; quòd in ministros publicos manum iniecisset, & eosdem iure gentium inuiolabiles in carcere iniuriosè detineret; quòd *Regis* litteras resignasset: atque adderet, *Regem* ad existimationem suam tuendam, & ius gentium conseruandum, si in inferendis istiusmodi iniurijs ille pergeret, earum fore vltorem; respondit, se liberum esse Principem, alijsque omnibus superiorem, qui actionum suarum rationem nemini reddere teneatur, sed ab alijs omnibus terræ Principibus rationem possit exigere. Tum, licere sibi cuiuscumque mortalis literas inspicere, vbi indicia non desunt, eas in detrimentum Ecclesiæ conscriptas. Si *Vega* intra mandati fines, & Legati munus se continuisset, nihil damni passurum. Sed cùm consiliorum, seditionum,

Paulus complures, quos habet suspectos in carcerẽ trudit, etiã violato gentium iure Philppi Legatum.

Albano Duci de ea iniuria aliisque querimoniam habenti Paulus suo more gloriosè respõdet

Paulus 4. Carolus 5. Maria Reg. Henricus 2.

num, machinationum clàm in eum Principem, ad quem fuerat missus, initarum particeps sit, tanquam priuatum improbe egisse, atque vt talem supplicium meruisse. Se certe nullius periculi metu dignitati Ecclesiæ, & tutelæ sanctæ Sedis defuturum: curâ omni in Deum coniectâ, à quo commissa sibi gregis *Christi* custodia. Itaque dum Papa se ad bellum comparat, *Albanus* satius putans hostem imparatum adoriri, quàm expectare quoad ab hoste petatur, ad Pontificem denuo mandauit, qui diceret, Regem tot iniurias perpessum, cognito propositum illi Regno Neapolitano ipsum exturbare, atq; in eum finem cū hostibus ipsius fœdus percussisse, non posse diutius istā indignitatem tolerare. Quare si bellū cōsectetur, se bellum iam nunc ei denuntiare, & mox illaturum, cuius culpa omnis in ipsum meritò recidere debeat. Sin firmam pacem bello præferat, eius quoque optionem animo lubentissimo offerre. Cumque Pontifex verbo pacis se cupidum ostenderet, distinctè tamen non responderet, sed verbis modò generalibus, ac diem de die duceret, *Albanus* IV. Septembris castra promouens bellum auspicatur. Atque eo anno totam fere *Campaniam* peruasit, futuri Pontificis nomine occupatā: & *Romam* ipsam ita prope accessit, vt consternatione omnes impleuerit in Vrbe, ad eam muniendā iam conuersos. Pontifex verò vt oppidorum arciumq; præfectos edoceret, quid ipsis in istiusmodi occasionibus esset faciundū, religiosos omnes cuiuscumque conditionis adegit ad terram humeris in corbi dissuaria gestandam, extruendis vrbis munimentis. Inter alia loca quæ terra erant replenda, vnus erat iuxta portam quæ dicitur populi, viam Flaminiam terminans, vbi *D. Virginis ædes est*, populi ad eam frequentia deuotionis causa celebris. Hanc cùm solo æquare Pontifex constituisset, Dux *Albanus* misit ad eum certum hominem, qui verbis eius oraret, ne eam demoliretur, ac iusiurandum interponeret Ducis nomine, se nullo aspectu damnum aliquod Vrbi ex eius loci opportunitate allaturum. Et quidem si *Albanus* eo tempore recta Romam tetendisset, Vrbe haud dubie potiturus credebatur; sed ille siue vrbis magnitudine territus, siue alijs rationibus ac periculis adductus, Roma minimè tentata, ad alia minora aggredienda animum adiecit.

Vnde Albanus illi bellum denunciat & mouet.

Pontifex neq; religiosorum operæ in Vrbe muniēda parcit, & de æde sacra diruenda cogitat.

Hoc anno multam hominum sermonibus occasionem dedit *Carolus Cæsar*, dum relicto *Belgio* in *Hispaniam* nauigat, ad vitam priuatam in secessu procul ab omni administratione transigendam. Conferebant enim factum huius Principis, qui ab pueritia in maximis & difficillimis negotijs versatus, non nisi quinquagenarius decreuisset abdicato imperio seculo renuntiare, vt Dei seruitio se totum mancipare, è potentissimo Principe humillimus Deo deuotus mystes factus, cum altero, qui olim Episcopi dignitate cessisset, vt in monasterium se subduceret; nuper verò creatus Pontifex, etiam cum octogenarius, se totum ad pompam, superbiam & ostentationem proiecisset, *Europâ* prope vniuersâ per eum bellicis tumultibus exardescente.

Carolus Cæsar Imperio, omnibusque regnis ac ditionibus sese abdicans in cœnobium Hieronymiani sodalitij in Hispania secedit, diuerso à Pontifice instituto.

1557. Pontifex X. Cardinales creat, eamque creationem apud Galliæ Regē excusat.

Ineunte Anno M.D.L.VII. Dux *Guisius* cum exercitu in *Italiam* tendit, vt secundùm fœdus Pontifici contra *Albanum* præsto esset: & vicissim Pontifex, vt promissa Regi à Nepote perficeret, decem creat Cardinales. Cùm autem neque numerus, neq; conditio personarum, Regis intentioni, aut scopo pactis conuentis proposito responderet, excusauit Pontifex, affirmauitque tam arctam esse suam cum Rege coniunctionem, vt clientes ipsius in Rege ministerijs omnibus demerendo Gallis ipsis non cedant, certumque esse omnes ab ipso stare. De numero quidem, eum in tantum excreuisse, vt Cardinales ad LXX. numerent; itaque in præsentia his addere plures non potuisse, sed breui resectis inde perduellibus aliquot, numerum iri imminutum, atque a se viros probos & fideles subrogandos. quod ille dictitabat propter eos, qui in arcem iam detrusi, aliosque, quos siue rerum ciuilium, siue religionis intuitu in eundem locum compingere destinarat. Neque enim rebus bellicis adeo erat intentus, vt *Inquisitionis* curam abijceret, quam & præcipuum neruum, & arcanum Pontificatus nuncupabat. Nam ex indicijs quibusdam suspicatus Cardinalem *Moronum* commercij quidpiam habere cum Germanis, in molem *Hadriani* conclusum à quatuor Cardinalibus seuera admodum inquisitione examinandum curauit; eiusque caussa *Aegidium Fuscarrum* Mutinensem Episcopum diu in custodia habuit.

Inquisitioni promouendæ impense studet, in Cardinales & Præsules pacificos sibi suspectos seueriter inquirens.

Cardi-

Cardinalem etiam *Polum* Legatione Angliæ submotum *Romam* citauit ad forum Inquisitionis, *Thomæ Sanfelicio Cauensi* Episcopo amico ipsius intimo, ante in custodiam tanquam criminis participe, dato. Et ne diuturnior in *Anglia* moræ prætextum Legationis *Polus* obtenderet, & Ecclesiarum inibi constituendarum necessitatem, *Gulielmum Patoum* Episcopum *Salisburiensem* in festo Pentecostes Cardinalem creat, & Legatum *Polo* substituit. Ac quamquam *Angliæ* Reges Pontifici abunde testarentur, quàm bene *Polus* de ipso & fide Catholica in eo regno meritus esset, ac sedulis officijs instarent, vt sententiam mutaret, nihil tamen ille de solita feueritate remisit. *Polus* nihilominus vt se audientem dicto Pontifici approbaret, omni & Legationis munere administrando, & Legati insignibus ab eo tempore gestandis abstinuit, missoque *Romam Ormaneto*, legationis à se gestæ rationem reddidit. Sed ex *Anglia* non excessit, Reginæ imperium sequutus, quæ cum Rege persuasum habens Pontificem odio & affectui indulgere, vt *Romam* proficisceretur non permisit. Ea res in *Anglia* multis offensionem concitauit, & *Romæ* plerique eam de religione ipsius suspicionem calumniam esse sciebant excogitatam in vindictam induciarum inter duos Reges *Poli* opera, qui & Cardinalis, & legatus Pontificius esset, ipso inconsulto conciliatarum. Tum & alterum illud calumniæ imputatum, quod in conclaui ne in Pontificem assumeretur, obstitisset. Ac Legatus recens factus, vir verè probus, non aliud à *Polo* sentiebat. Et quamuis ne Pontificis in se iram prouocaret, Legati nomen assumpsit, certe toto nouem mensium spatio, quibus post acceptam crucem argenteam insigne Legationis, vixit, nullam eius muneris partem obijt, eadem qua prius obseruantia *Polum* prosequutus.

Dux Guisius in *Italiam* profectus in *Subalpina* regione bellum mouere coepit, tutissimam eam belli gerendi rationem ratus, belli summam in *Gallia* transpadana figere, vt sic Hispanorum contra Pontificem arma diuerteret. Sed Pontificis ardor id non permisit: cui certum, omni alia ratione posthabita in regnum Neapolitanum arma transferre. Neque Gallis ignotæ erant suscepti eius difficultates, quas *Guisius* præsentiens cum primarijs aliquot ducibus equis dispositis *Romam* properauit, vt, quid belli ratio suadebat, Pontifici explicaret. Sed re coram Pontifice in deliberationem adducta, cum Pontifex præiudicio occupatus sanis consilijs locum non relinqueret, in eius sententiam necessariò itum est. Aliud verò nullum fere operæ eo bello nauatæ pretium factum, nisi quod obsessa *Ciuitella* in ipso aditu *Samnij* prouinciæ sita: vbi tamen repulsam passus exercitus, obsidioque re infecta soluta, grauiter querente *Guisio* ad bellum necessaria à *Carafis* promissa minimè repræsentari. Certe ex eo diuinatum, arma Ecclesiastica tam ipsius Papæ quàm auxiliaria, Deum non habuisse propitium. At sub medium Sextilem vbi *Albani* exercitus *Romam* propius accessisset, neque à *Gallis* sibi metueret, qui in Samnio distinebantur, & Pontifex *Segniam* vrbem opulentam captam maxima militum & oppidanorum cæde, & direptam comperisset; nec ignoraret, quanto in periculo *Palianum* esset, in Consistorio cum multis lachrimis casum eum deplorauit, martyrij coronam se intrepide expectare affirmans: demirantibus purpuratis, quàm impudenter ille Dei causam ipsis depingeret, qui tamen rei veritate satis comperta non nesciebant, non *Christi*, sed profanam esse caussam, sola ipsius temeritate atque ambitione susceptam, vtcumque in ea robur & arcanum Pontificatus collocari vellet.

Pontifice in has angustias coniecto, etiam *Galliæ* Regis exercitus ad *Quintini* fanum in *Veromanduis* immanem cladem acceperat, vt ad Regni incolumitatem cogeretur Rex *Ducem Guisium* ex *Italia* cum copijs reuocare: exposita Pontifici incuitabili rerum suarum necessitate, simul facta ei potestate consilij, quod rebus quoque ipsius maximè conduceret, capiendi, ac obsidibus denique remissis. At illi redeundi copiam petenti Pontifex principio negare: dein post acerbas altercationes cum inuitum retinere non posset, dimisit hominem cum hoc dicto, Eum Regis quidem rebus parum, Ecclesiæ autem bono minus, existimationi vero suæ minimum hac expeditione consuluisse. Sub eiusdem mensis finem *Albanus* vrbis *Romæ* muris appropinquat: qua ille haud magno negotio fuisset potitus, si magnum animum ac impauidum ad id

Paulus 4. Carolus 5. Philippus 2. Maria Reg. Henricus 2.

Card. Polum Legatione Pontificia abdicata Romá accersit, suffecto in eius locum Pætoo Episcopo Salisburiensi.

Pontificis in Polum odium iniustum, & ex calumnijs natum.

Ducis Guisij cum exercitu in Italiam expeditio, eaque parum fœlix, Pontifice vt belli summa non in Lombardia, sed in regno Neapolitano figatur, procurante. Ciuitellam Guisius obsidet, sed frustra.

Segniam Hispani capiunt & diripiunt.

Cuius casum deplorans Pontifex martyrium exoptat.

Henricus Gallus clade ad Sanquintinū accepta Guisium ex Italia reuocat, & Pontificem consilijs suis relinquit.

Albanus ad Vrbis muros accedens cū exercitu, terrorem Pontifici inijcit, imperium sublinet.

Paulus 4.
Philippus 2.
Maria Reg.
Henricus 2.

id negotium attuliſſet. A multis timori attributum, quod verebatur res ſuas ſecuras dubij certaminis aleæ committere. Ipſe verò publicè profeſſus, veritum ſe, ne direpta *Roma* exercitus diſſiparetur, adeoq; Regnũ *Neapolitanum* præſidio deſtitutum, milite præda onuſto aut ſubducente ſe, aut certamen detrectante, hoſti pateret. clàm verò fatebatur ſe impetum ſuorum ſubſtinuiſſe, quòd neſciret, vtrum Rex Sedis Romanæ plus æquo reuerens, vim à ſe *Vrbi* factam eſſet approbaturus. Tranſactum tandem inter *Albanum* & *Carafas* XIV. Septembris, poſtquam annum integrum eſſet bellatum.

Pontifex cum Albano Philippi Regis nomine tranſigens, Columnam pacis Legibus excludit, & à ſe veniam admiſſorum & abſolutionem peti vult.

In conuentis noluit Papa difficilis ſenex comprehendi *Columnam*, aut quemuis è ſuis ſubditis, imò ne verbum quidem fieri de *Cæſareis* miniſtris per ſummum nefas in cuſtodiam ab ipſo concluſis, quin contrà decretiſſimum eſſe voluit, *Duci Albano Romam* proficiſcendum ad veniam depoſcendam, & admiſſi expiationem impetrandam; palam dictitans, malle ſe, vt omnia ſurſum deorſumque voluantur, quam ille hilum ab officij debito (ſic loquebatur) diſcedat. neque enim de ſuo ſed ipſius *Chriſti* honore agi, cui fraudem facere, aut detrahere nullis adduci poſſit conditionibus. Hac potiſſimum lege, atque vt arces & oppida eo bello capta reſtituantur, res demum compoſitæ. Prodigio porro imputatum, quod eadem, qua tranſactum eſt, nocte, *Tiberis* alueo egreſſus omnem vallem *Romæ* vicinam late inundauit, deiectis magnam partem aquarum violentia *Mauſolei Hadriani* propugnaculis.

Albanus Romæ Pontifici obſequium præſtat, & promiſſa ſummiſſione defungitur.

Ipſe quoque *Albanus*, vti conuenerat, *Romam* proficiſcitur ad obſequium Pontifici præſtandum, & abſolutionem Regis ſuoque nomine procurandam. Sic qui victoria potitus, fit ſupplex, ac indignis modis habetur; & victus triumphat de victore: neque exigui beneficij loco ducit *Albanus* comiter ab eo excipi, licet familiari ſuo faſtu procaci minime poſito.

Pontificem mirificè offendit, quòd Galliarum Rex Heluetijs deprecatoribus, Senatum Pariſienſem cum Proteſtantibus deprehenſis remiſſius agere iuſsiſſet.

Vixdum bellum hoc deſierat, cum nouis Pontifex intemperijs exagitatur. E *Gallia* enim erat allatum, *Lutetiæ Pariſiorum* pridie Nonas Septemb. ſub veſperam ad ducentos in vnas ædes ad cœnam dominicam ſuo ritu celebrandam conueniſſe. Id cùm vicinis ſuboluiſſet, multitudinem è plebe concitatam, domum obſediſſe, multiſque eruptione facta euadentibus, fœminas captas, & pleroſque debiles. ex his ſeptem flammis vſtulatos, cæteros ad idem ſupplicium reſeruatos, ſed quæſtionem prius habendam de facinoris eiuſdem ſocijs. Interea *Heluetios* miſiſſe Legatos, qui pœnam deprecarentur, & *Regem*, qui cum *Hiſpaniæ* Rege (ita *Philippum* poſt parentis ſui abdicationem deſignabant) gerens bellum, auxiliaribus illorum copijs opus habebat, præcepiſſe, vt Senatus cum ijs moderatius ageret. Ea re vltra modum irritatus Pontifex, in conſeſſu Cardinalium grauiter queſtus eſt, eum Regem pluris facere hæreticos, quàm ſubſidium diuinum, eoque mirum non eſſe, ſi parum fœliciter omnia ei ſuccedant. Sed exciderat ei ſcilicet, nuper bello proximo, Cardinalibus *Inquiſitioni* præpoſitis querentibus apud ipſum, *Rhatos* quippe Proteſtantes, ad *Romam* propugnandam ab eo conductos, templa & imagines propudioſe habere, ſe, ijs increpitis reſpondiſſe, Angelos eſſe pacis à Deo ad *Vrbis*, ſuique cuſtodiam ſummiſſos, certóq; ſperare, à Deo in rectam viam conuerſum iri. ita varia ſunt hominũ in ſuis alieniſq; factis cenſendis iudicia.

D o [illegible]am Regis Edicta Pontifici diſplicent. Vnum de clandeſtinis nuptijs. Alterum de Epiſcopis & Parochiis.

Cæpit etiam inde occaſionem Pontifex incuſandi duo edicta eodem anno ab eo *Rege* facta, quæ, quod Eccleſiaſticæ libertati derogarent, antiquari volebat. Prius Cal. Martij promulgatum, quo decretum nuptias à filijs familias ante triceſimum ætatis annum, & filiabus ante viceſimum quintum contractas, conſenſu parentum, eorumue in quorum poteſtate ſunt, non accedente, illicitas ac irritas eſſe. Alterum Cal. Maij ſancitum, vt Epiſcopi & Curiones ad ſacerdotia ſua aſſidui eſſent; ni faciant, vt ſacerdotiorum fructibus mulctentur; item extraordinarium vectigal pendant, præter decimas ordinarias in ærarium conferri ſolitas exſoluendo quinque millium peditum ſtipendio. Pontifex vbi de edictis his principio ei nuntiatum eſt, ad ea animum non aduertit, vtpote rebus bellicis intentus, & Regis copijs vtendum habens ad res ſuas firmandas. His autem rebus ceſſantibus, indignabatur à ſacramentis ipſis haud temperari, & clerum intolerandum in modum grauari.

Vnde Pontifex Concilij cogendi neceſſitatem ſenſerit.

Dicebat itaq; Concilium neceſſariò cogendum, quò incommodis his conſulatur; quæ multo ſunt maiora, quàm abuſus ij, qui Ordini Eccleſiaſtico obijciuntur, & ab ipſo capite reformationem inchoandam. Præſules enim

enim Gallos, quamdiu in *Gallia* sunt, hiscere non audere: at in Concilio *Italiæ* metu *Regis* dempto, eorum querimonias & grauamina exauditum iri. In his verò angustijs Pontificem parte aliqua solabatur, quod Colloquium in *Germania* conciliandis religionis dissidijs coeptum, quo Papa cum purpuratis suis miserè cruciabantur, vti semper alias in re simili, re infecta fuisset solutum. Huius originem, progressum, ac finem, ad faciliorem eorum quæ sequuntur intelligentiam, recitare magnum mihi videtur operæpretium.

Paulus 4. *Carolus* 5. *Philippus* 2. *Maria* Reg. *Henricus* 2.

Contra Pontifici gratum quod Colloquium in Germania re infecta solutum.

Ferdinandus in Conuentu Ordinum Imperij *Ratisbonæ* habito Religioni pacem dederat, vsque ad conciliationem controuersiarum: Ad eam porro reperiendam in alio conuentu Martij XIII. decretum Colloquium *Wormatiæ* à duodecim Doctoribus veterem religionem tenentibus, & totidem Protestantibus habendum, in quo dissidijs opinionum excussis, ac veritate elucescente, concordia sarciretur. Huic colloquio præesse iusserat *Ferdinandum Iulium Pflugium Episcopum Neoburgensem* nobis sæpius memoratum. Cum vtrique XIV. Augusti conuenissent, quod ipsi Protestantes non idem in omnibus sentirent, horum aliqui plenam perfectamque Ecclesiæ vnionem expetentes, doctrinam *Heluetiorum* de Eucharistia cum *Augustanæ* confessionis doctrina conciliatam summè cupiebant: eamque ob causam ministri Geneuensis Ecclesiæ confessionem de ea re formauerant, quæ *Philippo Melanchthoni* & sex alijs *Augustanæ* confessionis socijs satis placuit, cæteris vero quinque haud quaquam satisfecit. Id conspicatus Episcopus homo sagax & factiosus, quique colloquium absque fructu dimissum vellet, suis suasit proponendum; quandoquidem ipsis colloquium esset institutum cum solis *Augustanis*, de communi consensu sectas omnes *Zuinglianorum*, *Osiandristarum*, & aliorum primùm damnandas, quo de communi sententia damnatis erroribus, ad veritatis cognitionem minori negotio perueniatur. Quinque quos diximus, aliorum astu non præuiso facile assentiuntur. *Melanchthon* verò artificium subodoratus, & studium separandi eos à se inuicem, & committendi eos cum *Heluetijs*, *Borussis*, & alijs, dicebat, veritatem prius vnanimi consensu stabiliendam; eam deinde tanquam normam deprehendendis erroribus adhibendam. At Episcopus id agens, vt quinq; illi à reliquis septem spretos se ac neglectos intelligant, haud difficulter ijs persuadet, vt derelictis socijs à Colloquio discedant, continuoque ad *Ferdinandum* scribit, ob illorum discessum, & reliquorum qui remanserint in non damnandis sectis pertinaciam, vlterius progredi non posse. Cumque rescripsisset *Ferdinandus* collocutores vti procederent, quinque illis, qui abierant, reuocatis, atque interea controuersiarum capitibus explicatis; Episcopus ne destinatione sua excideret, à suis ad *Ferdinandum* curauit scribendum, iniquum peti, vt tractatio scilicet cum Protestantibus eadem fide non vnitis instituatur. Nouam enim cum absentibus actionem suscipiendam, postquam cum præsentibus actum esset; atque adeo duplicem molestiam subeundam. Ita non expectato responso vtrique abeunt, colloquij soluti culpam vtrisque in aduersam partem ob rationes iam dictas reijcientibus.

Colloquium Wormatiense ad religionis controuersias dirimendas institutum.

Episcopus Neoburgensis ex Protestantium dissidio Colloquij soluendi occasiones capiat.

Ferdinandus collocutores procedere iubet.

Paulus, qui superiore bello sibi totique Latio calamitoso, se excidisse senserat ex existimatione, cuius dignitatem, admirationem sui apud omnes parituram reputabat, eandem heroica actione recuperare constituit. Itaque præter omnium expectationem die Ianuarij XXVI. in Consistorio Cardinalem *Carafam* à Legatione *Bononiæ* & rerum administratione summotum, *Lauinium* relegat. *Ioannem Carafam* eius fratrem *Paliani* ducem abrogato ei exercitus Ecclesiastici imperio, & triremium præfectura, *Galesium* mittit; aliumque è Nepotibus *Burgi* gubernatorem, authoritate ea exutum *Montembellum* ablegat: vxoribus, liberis, ac familijs ipsorum, nisi vrbe quamprimum excederent, tum ipsis, nisi intra relegationis limites sese continerent, extrema quæque interminatus. Omnes etiam quibus ipsorum rogatu magistratus & munia publica detulerat, dignitate ac loco mouit: sex horas integras in eorum licentiam & improbitatem adeo vehementi oratione inuectus, vt Cardinales ad animum eius commitigandum errata ipsorum excusare conantes acerbè increpuerit. *Farnesium* verò S. *Angeli* Cardinalem, cum ille collaudata Papæ iustitia, dictum in ore *Pauli* III. frequens ei commendaret; *Non committendum Pontifici, vt gratiæ spem cuiquam præcidat*,

1558. Pontifex se ob Carafarũ Nepotũ insolentiam omnibus inuisum sentiens, dignitates & imperia suis abrogat, alijs in eorum locum surrogatis.

Paulus 4.
Ferdinandus 1.
Philippus 2.
Maria Reg.
Henricus 2.

praecidat, amarulenta responsione perstrinxit, *Paulum* III. ipsius auum multo consultiùs fuisse facturum, si suo exemplo in patrem eius animaduertisset, neque scelera eius impunita siuisset. Nouam *Romae* & in ditione Pontificia regiminis formam instituit, rerum cura *Camillo Vrsino* demandata, cui Cardinales *Tranensem* & *Spoletinum* apposuit, qui suam vicem fungerentur, iustitiae opinione his omnibus factis affectata, & praeteritarum populi vexationum culpâ in Nepotes deriuatâ. Tum à rebus administrandis vacuus, totum se *Inquisitionis* muneri, quod in haeresi oppugnanda & Apostolica Sede propugnanda *arietem* indigetabat, mancipauit. Neque quid temporibus conueniret respiciens, edictum decimoquinto Februarij omnium Cardinalium chirographo subscriptum promulgauit. Quo censuras omnes ac poenas à maioribus suis denuntiatas, sanctiones omnes Canonum, Conciliorum, & Patrum quouis tempore aduersum haereticos latas renouauit, edicens, vti quae in desuetudinem abijssent, reuocarentur in vsum, & declarans Praesules omnes ac Principes, etiam Reges & Imperatores, haeresis manifestos, sacerdotiorum, ditionum, Regnorum atque Imperiorum absque alia declaratione incapaces, & ne ipso Sedis Apostolicae beneficio ad ea recuperanda idoneos. Imo contrà, bona ea omnia, ditiones, Regna, imperiaque proscribi, Catholicisque ea occupantibus adiudicari. Cuius Edicti seueritas hominum sermonibus exagitata, nisi paulo momento euiluisset passim, facem haud desubitò extinguendam per orbem Christianum accendisset.

Deinde in Inquisitionis curam sedulò incumbens eam seuerè in omnes Ordines exercet.

Sed & mox alio documento testatum fecit omnibus in vasto illo animo nihil adhuc residere moderati. *Carolus* enim *Caesar* per litteras ad Septemuiros & Principes *Germaniae* scriptas Anno M.D.LVI. in *Ferdinandum* solum omnem Imperij administrationem contulerat, vt omnes eius dicto audientes essent, praecipiens. Idem postea Legatos in *Germaniam* ad Comitia mandauit *Gulielmum Principem Arausiensem* cum duobus collegis ad nomen, titulum, dignitatem, ac coronam Imperatoriam in *Ferdinandum Romanorum Regem* transferendam, ac si ipse iam vita esset functus. Cum verò id tempus *Septemuiris* minus opportunum videretur, placuit in hunc annum M.D.LVIII. ceremoniam eam differri. quo, XXIV die Februarij, ob *Caroli* natiuitatem, coronationem, victorias, aliaque fausto ac fatali, Legatis *Francofurti* in praesentia Electorum dignitatem Imperatoriam *Caroli* nomine eiurantibus, *Ferdinandus* solemni ritu est inauguratus. At Pontifex dignitatis suae retinentissimus, ea re comperta more suo desaeuit & ampullatur. Confirmationem nempe Pontificiam facere Imperatorem. Eiurationem itidem in manus suas fuisse faciendam: quae aliter facta sit, inualidam; suique iuris esse eo casu, quem vellet, in Imperatorem eligere. Electoribus quidem fauore Pontificis factam potestatem deligendi Imperatoris in demortui locum, minime autem in casu renuntiationis idem ijs permissum, sed tum Sedis Apostolicae arbitrio rem relinqui; cuius est de dignitatibus omnibus arbitratu suo statuere, quae illi renunciantur. Quare *Caroli* renunciationem iure nullam esse, sed authoritatem creandi *Caesaris* ad se deuolutam, neque *Regem Romanorum* pro *Imperatore* agnoscere.

Carolo Caesare in fratris Ferdinandi gratiâ Imperii administratione se abdicâte, Ferdinâdus de assensu Electorû in eam dignitatem inauguratur.

Hanc Caroli renûtiationê, & Ferdinandi coronationem quia se auctore minime facta, Paulus inualidam existimat eoque eã côfirmare recusat.

Haec cum rescisset *Ferdinandus*, *Martinum Gusmannum* legatum ad Pontificem mittit, qui eum de abdicatione *Caroli* fratris & sua in *Caesarem* inauguratione faceret certiorem, obseruantiam testaretur, obedientiam praestari solitam promitteret, significaretq; eum Legationem honorificam de coronatione sua ad Sanctam sedem primo quoque tempore adornaturum. Hunc tamen Pontifex audire recusat, & Cardinalibus Legationis capita quae ille antea subodoratus erat, discutienda proponit. Illi Pontifici subseruire vbique sueti, respondent, Oratorem non ante admittendum, quàm constet legitimè factam *Caroli* cessionem, & *Ferdinandum* rursus in eam iure successisse. Etenim quamuis *Ferdinandus* in Regem Romanorum fuerit electus, electionemque eam *Clemens* VII. ratam habuerit, vt nimirum mortuo Imperatori succederet, necesse est, vt Imperium non nisi morte vacarit. Addebant ad haec, irrita esse quae *Francofurti* acta sint omnia, quippe ab haereticis gesta, qui authoritatem ac potestatem omnem amiserint. Ob id mittendum à *Ferdinando* procuratorem, qui omnibus *Francofurti* actis renuntiet, Pontificemque suppliciter oret, vt ex mera sua gratia abdicationem à *Carolo* factam corroborare dignetur, & ex plenitudine

Legatio Ferdinandi Caesaris ad Paulum Pont. pro confirmatione.

Pôtifex Oratorem Ferdinandi non admittit: quid faciendum tamen cû Cardinalibus consultat.

tudine potestatis suæ, à qua paternæ benignitatis indulgentiam sperare debeat, *Ferdinandum* assumat ad Imperium. Hoc consilium sequutus Pontifex *Gusmanno* respondet, dato trium mensium spatio, quibus, ijs, quæ à Cardinalibus proposita essent, satisfiat. alioqui frustra admissionem postulari, aut de ea re verba fieri apud eum, qui certò statuerit alium creare Imperatorem. Et quamuis *Philippus* ad officium patruo in causa tam honesta præstandum, *Franciscum Vargam* primò, dein *Ioannem Figueroam* ad eum miserit, ad rem suo nomine enixis precibus commendandam, eorum tamen preces Pontifex nihil est moratus. Quibus ex literis *Gusmanni* intellectis *Ferdinandus* ei continuo mandat, vt, nisi post triduum à mandato accepto à Pontifice admittatur, ipse *Roma* discedat; denuntiatione ante facta, se cum Septemuiris deliberaturum, quid Imperij dignitati conueniat. Instante vero denuo *Gusmanno* vt audiatur, placuit tandem, vt non publicè tanquam Legatus *Cæsareus*, sed priuatim coram paucis Cardinalibus admitteretur. Tum auditis quæ in mandatis habebat, ijsque quæ à *Ferdinando* nuper scripta fuerant, respondit, capita à Cardinalibus proposita tanti esse momenti, vt de ijs nisi diligenter pensitatis statuendum non sit; eoque Nuncium ad *Carolum Cæsarem* breui missurum. interim si mandatum illi à Principe suo, vt protestatione facta discedat, id per se quidem licere. Ita protestatione, sicut imperatum erat, facta, *Gusmannus Româ* discedit: Pontifex tamen, etsi *Carolo* eodem anno XXI. Septembris proximi diem suum obeunte, à deliberatione cœpta non recedit.

Paulus 4. Ferdinandus Philippus 2. Maria Reg. Henricus 2.

Præfractum Pontificis de Cardinalium consilio ad Gusmannum responsum. Ferdinandus, licet admitente per Oratores quoque suos Philippo, à morofo sene nihil impetiat. Gusmannus tandem à Pontifice auditur, sed priuatim duntaxat. Vnde protestatione facta Româ discedit.

Augescente sub id tempus in *Gallia* reformatorum (ita se appellabant) numero, creuit etiam, spreto necis metu, audacia. Itaque cum frequentes *Lutetiam* conuenirent, & multitudo hominum æstate sub vesperam liberioris aeris hauriendi, animique laxandi caussa, vt fit, è suburbio *Sangermano* in campum vicinum exissent; pauci reformatæ religionis, dum alij variè se oblectant, *Dauidis Psalmos* Gallicis versibus canere occipiunt. Ad rei nouitatem turba, quæ aderat, primùm illudere: dein ludis omissis, canentibus se aggregare. diebus vero sequentibus multo maiori numero in eum locum conueniente, de ea re sermo quoque increbuit. Nuntius enim Pontificis rem ad *Regem* defert tanquam perniciosam & periculi plenam. Religionis enim mysteria, à solis Sacerdotibus lingua Latina in templo celebrari sueta, iam lingua vulgari prodita, in ore esse cuique è plebe, Lutheranorum inuento. malo subnascenti idoneis remedijs prouidendum, ne Lutetia omnis in *Lutheranismum* abeat. Rex quæstionem in auctores decerni iubet, sed non longè itum, vbi compertum in eo cœtu fuisse *Antonium Nauarræ* Regem, & *Ioannam Vxorem*. Sed ne huiusmodi conuentus in posterum fierent, capite sancitum.

In prato suburbano Lutetiæ nonnulli reformatæ religionis Psalmos Dauidicos lingua vulgari canunt.

Hoc anno in *Anglia* magna in religione facta mutatio morte *Mariæ* Reginæ, quæ XVII. Nouembris obijt, *Polo* Cardinali eodem die è viuis excedente. Ij enim, quos pertæsum erat regiminis annis proximè actis, ad noua consilia cogitationes suas conuocabant, nempe ad reformationem, quæ ab *Eduardo* instituta, restaurandam, & Hispanorum amicitiæ renuntiandum. *Philippus* enim, vt *Angliæ* Regnum in familia sua retineret, id egerat iam ante, vt *Elizabetha Mariæ* soror, regnique post eam hæres *Carolo* filio suo in matrimonium daretur: & postquam *Mariam* deploratæ esse valetudinis animaduertebat, de ea sibi nuptijs iungenda serio locutus creditur. At illa, quæ in omni administratione publica eximiæ prudentiæ illustria reliquit documenta, etiam in ipso regni exordio rem priuatam & publicam fluctuantem firmauit iureiurando, quo in regni inauguratione se obligauerat, Principi externo non nupturam. Et ipsa quidem ab Episcopo *Carliolensi* Romanæ religioni addicto inauguratur, cui se religioni datura esset nondum palàm faciens, sed certa de consilio Ordinum Regni, virorumque doctorum ac piorum religionis in *Anglia* statum reformare. Itaque viros è nobilitate primaria, qui sacrorum immutationem sitiebant, prudenter monuit, vt absque tumultu id fieret, quòd vim nemini allatam vellet. Etiam Pontifici inaugurationem suam curauit significandam, litteris fiduciarijs ad *Eduardum Carnum*, qui apud Pontificem *Mariæ* sororis Legatum egerat, perscriptis. At Pontifex pro ingenio respondet, regnum *Angliæ* feudum esse Sedis Apostolicæ; eam vtpote illegitimam regno non posse succedere: neque posse se,

Maria Angliæ Regina & Card Polus eodem die è vita demigrant: vnde succedente Elizabetha rerum religionisque per Angliam mutatio. Elizabetha inaugurationem suam Pontifici significans, superbo temerarij senis responso irritata, Curiæ Romanæ auctoritate neglecta, de assensu Regni Ordinum religionem constituit.

quæ

Paulus 4. Ferdinandus Philippus 2. Maria Reg. Henricus 2.

quæ à *Clemente* VII. & *Paulo* III. definita fuerunt, impugnare. Intolerabilis esse audaciæ, nomen aut administrationem Regni ipso non approbante assumere: atque hoc facto meruisse, vt postulatis ipsius aurem omnino non aduertat. Sed quia paternum in modum agere cum suis cupiat, modò *Elizabetha* iuri suo, quod in Angliæ regnum obtendit, renuntiare non recuset, & arbitratui suo liberè se permittat, tum id facturum, quod è dignitate Sedis Apostolicæ videbitur. A plerisque creditum ad auersum Pontificis animum accessisse officia à *Galliæ* Rege interposita: qui nouam inter Hispanum & Angliæ Reginam adfinitatem veritus interueniente Pontificis dispensatione, rebus suis optimè consultum iri putauit, si in ipso actionis illius principio rei conficiundæ nerui inciderentur. Sed Regina, quid Papa responderit comperto, præceps morosi senis ingenium demirata, neque sibi, neque regno conducibile iudicauit, vllam deinceps cum eo habere tractationem. Caussa igitur cessante propter quam Curiæ Romanæ, si posset, satisfactum volebat, potestatem fecit Proceribus Regni, de ijs, quæ ad Diuini nominis cultum, & regni tranquillitatem cumprimis facerent, consilia capiendi. Inde disputatio super quibusdam religionis capitibus *Westmonasterij* inter delectos quosdam ex Pontificijs & Protestantibus coram Regni Ordinibus in vltimum diem Martij indicitur, ad tertium vsque Aprilis continuanda. Quæ cum in nihilum recidisset, in Comitijs paulo post statutum, vt omnia *Mariæ* de religione edicta abolerentur, *Eduardi* verò fratris restituerentur. denegatum omne Pontifici Romano obsequium, Reginæque titulo appositum elogium *Capitis* Ecclesiæ per *Angliam*. cænobiorum ac monasteriorum opimæ possessiones partim in fiscum redactæ, partim nobilitati distributæ. imagines è templis ac sacellis magno populi concursu sublatæ; religioque Romana prorsus exilio mulctata.

Comitiorum Decreto Pontificia potestas abrogatur cum Mariæ de religione Edictis.

Ad hæc in Imperij Comitijs *Augustæ* habitis, quòd colloquium anno superiore *Wormaciæ* cœptum nullo fructu solutum fuisset, neque ex eius colloquij actis tum publicè recitatis vlla conciliationis spes affulgeret, *Ferdinandus* Imperij Ordinibus offert, se Oecumenicæ Synodi instaurationem procuraturum: hortaturque, quando controuersijs tollendis non aliud sit remedium, vti eius decretis omnes se parituros promittant. Cui Protestantes respondent, se Concilium non recusare, quod à *Cæsare* in Germania, non autem à Romano Pontifice indicatur: in quo Papa non præsideat, sed Concilij iudicio se summittat, Episcopisq; ac Theologis iusiurandum quo deuincti sunt, remittat: in quo Protestantes suffragij ferendi ius habeant, omnes controuersiæ iuxta diuini verbi regulam decidantur; & quæ *Tridenti* acta, decretaque, retractentur. Id si à Pontifice obtineri nequeat, vt religionis pax secundum conuentus Passauiensis decreta confirmetur: quando experientia sunt edocti per Concilium Pontificium nullam boni cuiusquam consequendi spem superesse. Verùm *Imperator*, qui de his à Pontifice impetrandis desperabat, & propter controuersiam de abdicatione Imperij à *Carolo Cæsare* factam, suaque successione, ipsum sibi minus æquum fore sciebat, *Passauiensem* conuentum, & decreta de pace alibi facta confirmat.

In Comitijs Augustanis Ferdinandus Cæsar, cum Protestantes adduci non possent, vt Concilio à Romano Pontifice indicto extra Germaniam assentiantur, Passauiensis conuentus decreta de pace religionis cōfirmat.

Id Pontifici bilem mouet.

Iam Pontifex, qui peruicacia sua omnem cum *Ferdinando* & *Germania* tractandi rationem præciderat, quid hic faceret, nesciebat; ob dissertationem illam de Concilio, quàm ob libertatem religionis decreto firmatam commotior: quippe, cui decretissimum erat, Concilium extra *Romam* nulla de causa indicere. Quo aspectu tertium quiddam acciderat, ei non minus quàm superiora molestum. Nam in conditionibus pacificationis *Cameracensis* inter *Henricum Franciæ* & *Philippum Hispaniæ* Regem factæ, & duplici matrimonio *Elizabethæ Henrici* filiæ cum *Philippo*, & *Margaritæ Henrici* sororis cum *Emmanuele Philiberto Sabaudiæ* Duce stabilitæ, inter alia conuenerat, vt vterque *Rex* fidem suam interponeret, se pro virili daturum operam, vt Concilium celebretur, Ecclesia emendetur, & diffidia religionis sarciantur. Reputabat secum, quàm speciosum esset emendationis vocabulum, & Concilij nomen. Tum quem ad modum amisisset *Angliam*, & *Germaniam* vniuersam, partim Protestantum nouitatibus, partim suis cum *Ferdinando* concertationibus. Adhæc duos potentes Reges amicitia & affinitate iunctos, quorum vtrumque ille vehementer offendisset, *Hispanum*

Item tertium illud, de Concilio celebrando, & Ecclesiæ emendatione, & alijs id genus conditionibus paci Cameracensi appositis.

factis dictisque, & *Gallum* saltem verbis: neque alium quemquam sibi superesse, ad quem rebus angustis confugiat. Reputabat simul Cardinales ipsius regimen iam pertesos, populumque Romanum, belli, tributorumque oneribus diu pressum, erga ipsum malè esse animatum. Hæ cogitationes senem existimationis præ omnibus sitientem ita discruciabant, vt obeundo muneri par non esset. Et verò tum rariùs solito Patres in Consistorium conuocabat: tum conuocatis prope aliud nil, nisi *Inquisitionem* intonabat, ad fauendum ei, velut vnico extinguendis hæresibus remedio, omnes serio cohortatus.

Paulus 4. Ferdinandus Philippus 2. Maria Reg. Henricus 2.

Neque certe duo hi Reges, aut Pontificis odio, aut rerum suarum cum detrimento Pontificatus promouendarum studio, in Concilij procurationem consenserunt: sed magis vt remedium excogitaretur aduersus opinionum nouitates, quæ lubentissimis populi auribus, atq; in primis hominum ad conscientiam omnia referentium acceptæ, longe lateque se diffundebant. Ex quibus vtrique Regi hoc maior impendebat metus, quòd plerique rerum suarum tædio, & nouarum desiderio ægri, illis se adiungebant, religionisque obtentu tam in Belgio, quam in Gallia nouum aliquid cottidie audebant; vtriusque regni populo cùm libertatis retinendæ admodum studioso, tum ex frequenti cum vicina *Germania* commercio opinionum contagia ad se trahente. Et profecto in ipso motuum principio, cùm opinionum earum sementis quædam ad has regiones perlata esset, & *Carolus Cæsar* in ditionibus sibi subiectis, & in regno suo *Galliæ* Rex, ne seminium illud radices ageret, aut pullularet, rigidis edictis ac seuerissimis supplicijs, de quibus iam ante dictum, quantum in ipsis fuit, prohibuerunt. Sed crescente in *Germania* Protestantum, & in *Heluetijs* Euangelicorum numero, atque *Anglia* à Pontificis obsequio secedente; vbi belli inter *Cæsarem* & *Gallum* causâ vtrique auxiliares copiæ è *Germanis*, *Heluetijs* & *Anglis* necessariò fuerant conscribendæ, tum concionibus diuersæ religionis in exercitu habitis, multisque aliam doctrinam publicè professis, siue exemplo, siue assidua coniunctione, siue alijs modis, ad quamplurimos è populo doctrina ea manauit. Vnde *Cæsar* cum alijs remedijs parum proficeret, *Inquisitionem* Hispanam inuehere conatus est, licet ob eas, quas commemorauimus, causas, aliqua parte incœpto destiterit. Et *Henricus* pariter in *Gallia* Episcopis animaduertendi in hæreticos potestatem fecit, quod nouum & insolens in eo regno visum. Et quamuis numerus eorum, quibus in *Belgio* aut laqueo gula fracta, aut caput amputatum, aut corpora viuentia in humum defossa, aut flammis mandata ab primo *Caroli* Edicto ad hoc vsque pacis constitutæ tempus, ad L. millia accederet; & in *Gallia* similiter, qui ferro flammisq; ob religionem absumpti notabilem summam conficiant: tamen vtrobique res deteriori erant, quàm vmquam alias conditione. Inde Reges coacti consilia de remedijs adhibendis inuicem communicare, *Cardinali Lotharingo* Gallum, & *Granuellamo Atrebatensi Episcopo Hispanum* instigante. Ij à Regibus suis pacis interpretes cùm alijs designati, dum *Cameraci* ab Octobri ad Aprilem vsque commorantur, de Protestantum simul doctrina extirpanda consilia clandestina agitant: quibus exequendis Principum suorum fauore subnixi magnum afferunt vtrimque momentum. Pactis illi quidem suis ac fœderibus in eam rem secretò initis, zelum religionis & obsequium Principi debitum obtendebant; at plerique omnes veram causam dicebant prauam ambitionem, atque ex damnatorum spolijs ditescendi studium.

Qua gratia ab Galliæ & Hispaniæ Regibus Concilium tanto studio solicitatum.

In Gallia & Belgio neque Edictorum neque suppliciorum rigor reformatæ religionis incrementum remoratur.

Vnde Cæsar Inquisitionem adhibet.

In Belgio LCIↃ varijs mortibus ob religionem absumpti.

Clandestina Card. Lotharingi & Granuellani de Protestantibus extirpandis consilia.

Hispanus pace facta, constituendis religionis rebus, cum *Inquisitionem* in *Belgium* introducere aperte non posset, id obliquè per Episcopos facturum se putauit. Cum autem in *Belgio* bini tantùm essent Episcopatus *Cameracensis* & *Vltraiectensis*, & de cætero Clerus Episcopos aut *Germaniæ* aut *Galliæ* recognosceret; imò duo hi Episcopatus *Archiepiscopis* extraneis subijcerentur, quibus prouocationes concedi erat necesse: cumque quod animo destinarat, per hos se exequi posse diffideret; placuit suos omnes Iurisdictioni Episcoporum sibi minimè subditorum eximere, & tres in ijs locis Archiepiscopatus constituere, *Mechliniensem*, *Cameracensem*, & *Traiectensem*: Tum *Antuerpiam*, *Siluam ducis*, *Gandauum*, *Brugas*, *Ipras*, *Audomari fanum*, *Namurcum*, *Harlemum*, *Midelburgum*, *Leouardiam*, *Groeningam*, *Roremundam* & *Dauentricum* Episcoporum Sedes ordinare; attributis ijs redituum loco opulentis quibusdam cœnobijs;

1559. Hispanus de assensu Pontificis in plerisq; oppidis ab antiqua iurisdictione auulsis nouas Episcoporum Sedes instituit atque ex iis tres Metropolitanas.

Paulus 4. Ferdinandus Philippus 2. Maria Reg. Henricus 2.

bijs: eaque omnia Pontificio diplomate dato XIX. Maij eiusdem anni approbanda curauit. Ac quanquam re cognita is ei quæsitus color, quòd incolarum ijs regionibus tempore anteacto infrequentia, plures Episcoporum Sedes non requireret; nunc verò oppidorum tam frequentiam, quàm dignitatem postulare, vt titulis Ecclesiasticis exornentur: Nobiles tamen Belgæ & populus eam nouorum Episcoporum creationem interpretati sunt esse artificium ad *Inquisitionis* iugum introducendum. Quæ opinio viso diplomate Pontificio facile confirmata. Nam diploma illud, more Curiæ Romanæ admodum familiari, semper aliquid augendæ suæ potentiæ, aut compendio stipulandi, hanc nouæ institutionis Episcopatuum causam præferebat, quòd ea prouincia à populis schismaticis, sibi, qui Ecclesiæ esset caput, immorigeris, cincta sit vndique & obsessa, eòque fides ipsorum periclitaretur, propter assiduas sectariorum fraudes & insidias, nisi noui ac vigiles custodes apponantur. Ea res Proceres adegit consilia communicare, & violentum *Hispanorum* dominatum, priusquam pedem figeret, anteuertere. Decretum itaque inter eos vectigalia non pendere, nisi eiecto ex oppidis milite Hispano. Tum ad nouas opiniones audiendas & fauore prosequendas procliuiores facti, à quo fonte profluxerunt turbæ eæ omnes, quas infra subijciemus.

Eam Episcoporum creationem Belgæ factã accipiunt, non ob regionis dignitatem, aut populi frequentiam, sed ad seruitutis iugum ipsorum ceruicibus imponendum.

Belgæ vectigalia recusant pendere, nisi recedente milite Hispano.

At *Galliæ* Rex, in eam curam enixè incumbens, ne *Lutheranæ* sectæ contagio per *Galliam* serpat latius, vbi accepit inter ipsos *Parisiensis* curiæ Senatores non deesse, qui ea labe contaminati sint, ad eosque reprimendos Iunij XXV. *Lutetiæ* Conuentum haberi Mercurialem (ita indigitabant iudicium ad examinanda corrigendaque Senatorum Curiæ Parlamenti, Regiorumque Iudicum secus admissa constitutum, & die Mercurij singulis trimestribus habitum) ac inibi de religionis negotio verba fieri, post cœptam de pœna in sectarios statuenda consultationem, sententijs dicendis interueniens nec opinatò, quid sui esset consilij exposuit. Se aiebat, pacem Christiano orbi dedisse sororis ac filiæ nuptijs sancitam, vt sibi otium sit ad consulendum incommodis in suo regno religionis caussa natis, cuius apud bonos Principes præcipua debet esse cura. Cum itaque audierit huius rei caussa conuentum haberi, hortari ipsos, vt causam Dei sinceriter tractent. Tum iussi sententias porro dicere vti cœperant, vnus ex ijs *Claudius Viola* in Curiæ Romanæ mores ac prauos vsus, qui in perniciosos errores degenerauerint, ac sectis pullulantibus occasionem dederint, multa inuectus, mitigandas ideo censuit pœnas, & inhibendam iudiciorum seueritatem, donec ex Concilij Oecumenici authoritate dissidia religionis componantur, & Ecclesiæ disciplina emendetur; in quo vnicum sit præsentium malorum pharmacum: sicut ex Constantiensis & Basileensis Synodorum Decreto perspicuum sit, quo singulis decennijs Concilium Oecumenicum habendum præcipitur. Huius sententiam probauit *Ludouicus Faber* alijque. Quibus *Annas Burgus* adiecit, permulta esse flagitia legibus damnata, quibus puniendis nec laqueus, nec ignis sufficerent; frequentissimas esse blasphemias in Deum; periuria, & adulteria non modo dissimulari, sed propudiosa licentia foueri (quibus verbis non aulicos tantum Proceres, sed & Regem ipsum perstringere credebatur) dum ita dissolutè viuitur, varia aduersus eos supplicia parari, qui alius criminis rei non sint, nisi quod Curiæ Romanæ vitia orbi propalasse, & eorum emendationem postulasse arguantur. At Ægidius Magister, Senatus primus Præses, contra sectarios disseruit hoc ipso vtendum esse remedio, quo contra Albigeos vsus olim *Philippus Augustus*, cuius mandatu sexcenti vno die periere, & quod contra Valdenses adhibitum, qui in speluncis, in quibus delitescebant, fumo suffocati. Peracta sententiarum dictione subdit Rex, se suis iam auribus audiuisse, quod antea aliorum sermonibus acceperat, Regni morbum inde prouenire, quod in ipsa Curia Parlamenti non desint, qui Pontificis ac suam authoritatem despiciant. Non nescire, esse quidem numero paucos, sed maximis malis causam præbere: proinde hortari viros probos, vt in officio permaneant. Tum imperat, *Faber* & *Burgus* continuo comprehensi in custodia asseruentur: & ipsius iussu quatuor alij statim in suis quisque ædibus capti. Atque ea res vehementer perculit omnes emendatam doctrinam profitentes; cum viderent ipsos Senatores hominum opinione in *Gallia* sacrosanctos & inuiolabiles, ob suffragia secundum animi sui sententiam in Curia

Henricus Rex Conuentui Mercuriali Senatorũ Curiæ Parisiensis interueniens liberis quorundam suffragiis succenset.

Claudii Violæ sententia de pœnis sectariorum mitigandis.

Eam probat Faber & Burgus aliique.

Sanguinaria primi Præsidis contra sectarios sententia.

Quam Rex magis probás, mitioris sententiæ auctores in carcerem duci iubet

Curia pronunciata, in carcerem concludi: inde colligentes nullam sibi à Rege aliena voluntate impulso, nec proprium adhibente consilium, veniam esse sperandam.

Paulus 4. Ferdinandus. Philippus 2. Eliza. Reg. Henricus 2.

Verùm ab hoc facto non tam formidabile Protestantibus obiectum fuit metus, quàm aliud mox sequutum est non minus notabile audaciæ exemplum. Nam sub idem tempus, quasi res periculo vacaret, ministri reformatarum Ecclesiarum (sic in Gallia Protestantes se appellabant) *Parisijs* in fani *Germani* suburbium conueniunt, ibique Synodum habent *Francisco Morello* Præside, viro alicuius inter eos nominis. In hac multa constituta de ratione Synodorum habendarum, de principatu ex Ecclesia exterminando, de ministrorum electione ac munere, de censuris, de matrimonis contrahendis, de diuortijs, item de gradibus consanguinitatis & affinitatis; quò inter ipsos per omnem *Galliam*, non in fide tantùm, sed & in disciplina esset consensio. Cæterùm animos ijs nonnihil addidit Legatio à tribus Electoribus alijsque *Germaniæ* Principibus Protestantibus missa ad Regem, postquam de seueritate iudiciorum in reformatos *Galliæ* inaudiuissent. Hac orabant Regẽ, iudicibus suis imperaret, vt pietate ac charitate Christiana vti vellent in quæstionibus aduersus suæ religionis homines decretis, quibus nullum crimen intentari possit, nisi de querimonijs aduersum corruptos Romanæ Curiæ mores, & deprauatam disciplinam institutis, quod ante centum annos ab Doctoribus quibusdam viris pijs factum sit. Nunc quando *Gallia* ab externis armis quiescens pace fruatur, dissensiones propter religionem exortas facillime componi posse, si à viris idoneis, & tranquillitatis diligentibus, fidei ipsorum confessio ad sacræ Scripturæ regulam & veterum Patrum scripta exigatur atque examinetur; iudiciorum seueritate interea intermissa. Id si faciendum curet, rem sibi gratissimam, & cuius nomine immensum illi debituri sunt, facturum. Iis *Rex* verbis generalibus benignè respondet, & ipsorum votis se satisfacturum spondet, misso ad ipsos breui Legato, qui animi sui sententiam exponat. Nihil tamen à Rege de seueritate remissum. quin imo statim à Legatis dimissis, quatuor è Senatoribus Iudices Rex delegauit, qui cum *Episcopo Parisiensi*, & *Antonio Demochare* fidei, vt vocant, inquisitore, de Senatorum carceri mancipatorum caussa cognoscerent, idque quantum fieri posset ocyssimè.

Ecclesiæ in Gallia reformatæ Synodum inter ipsam suorum persecutionẽ Parisijs habent.

Principes Protestantes Germaniæ apud Regem pro reformatis Ecclesijs in Gallia intercedunt.

Hæc quidem omnia Pontificem non fugiebant, qui vt ex incremento doctrinæ in vtrumque Regnum nouiter introductæ magnum animo capiebat dolorem: ita lubentissimè audiebat vtrumque Regem de remedijs sedulò cogitare. quamquidem solicitudinem vti continuarent, cum ipsis serio egit tum per Nuncios suos, tum per ipsorum Oratores, *Romæ* apud se residentes. Verùm nullum ille aliud remedium animo voluebat quàm Inquisitionem; quòd & vnicum putabat, & vbique prædicabat: Concilium affirmans nullum maius operæ positæ pretium deinceps allaturum, quàm annis superioribus attulisset; quibus res deteriori quàm antea conditione relictæ. Atque interea dum huiusmodi cogitationes in mente versat, corpore senio & aduersa valetudine affecto, tristis de morte *Henrici Galliæ Regis* nuntius superuenit, ex vulnere in oculo ab ictu trunci dum hastiludio decertatur, accepto: qua ille & grauiter indoluit, & luctum suum signis haud ambiguis expressit. Quamuis enim amicitiam inter duos Reges recens initam suis rationibus incommodam fore non iniuria suspicabatur; de ea tamen rescindenda spem aliquam semper aluerat. hoc verò *Rege* defuncto, se alterius arbitrio relictum perspiciebat, à quo iustior metus causa: quippe, quem & grauius offenderat, & in consilijs suis celandis natura tectiorem, atque ad cognoscendum difficiliorem esse non ignorabat. Malè quoque metuebat, ne per mortem Regis porta ad sectas in regnum *Galliæ* intromittendas latiùs patesceret; neue pedem ante figerent, quàm nouus Rex prudentiam aut existimationem tot tantisque difficultatibus obluctari satis validam sibi comparare posset. His ærumnis conflictatus, vixit dies aliquot, dein spe, qua hactenus sustentabatur, deiectus, XVIII. Augusti decessit, Cardinalibus *Inquisitionis* officium, vnicam ad Ecclesiam sartam tectam conseruandam rationem, præ omnibus commendatum cupiens; atque vt de eo in *Italia* potissimùm, dein quacumque possent stabilienda cogitatione omni incumberent, obnixè contendens.

Pontifex contrà per Nuncios suos apud Hispaniæ Galliæque Reges *Inquisitionem* vrget.

At mors in hastiludio & Regem Henricum de piorum sanguine alieno arbitrio ludentem opprimit.

Et Paulum IV. Inquisitionis officium suis commendantem, ad melius, inquirendum in villicationis suæ rationes vocat.

Ferdinandus. Philippus 2. Eliza. Reg. Franciſcus 2.

Inſigne Populi Rom. in Paulum & totam Caraſarum familiam, & ipſam Inquiſitionem odium.

Mortuo Pontifice, imo animam agente, ab plebis Romanæ contra ipſum familiamque *Caraſarum* odio concepto tanti Romæ tumultus concitati, vt Cardinales ijs, vtpote proximis & prementibus compeſcendis intenti, publicorum Orbis Chriſtiani malorum memoriam depoſuiſſe viderentur. Populus enim ſeditionis furijs agitatus, *Pauli* ſtatuæ caput amputauerat, & per vrbis compita proiecerat; carceres publicos perfregerat, emiſſis plus minus quadringentis, qui captiui inibi detinebantur: nouum vero *Inquiſitionis* carcerem adortus, qui *Ripetæ* erat, non contentus captiuos liberaſſe, locum ipſum incenderat, ſcriptaque omnia & litium tabellas, quæ illic aſſeruabantur, flammis abſumpſerat: minimumq; abfuit, quin in *ædem Dominicanorum ad Mineruam*, odio Inquiſitionis, cui illi exercendæ fuerant præpoſiti, ignem inijcerent. Iam ſuperſtite etiam *Paulo* Collegium Cardinalium *Caraſam* reuocarat: & nunc ſtatim ab eius morte *Cardinalem Moronum*, ob hæreſis ſuſpicionem in cuſtodiam traditum, & capitis periculo affinem, ex *Hadriani mole* educunt. In Senatu certatum aliquamdiu, an ſuffragij ius in electione Pontificis ei concedendum eſſet, his ſeſe ei opponentibus, qui eum ſibi contrarium quoq; expectabant: ſed eorũ peruicit ſententia, qui admittendũ cenſerent. factum item populi furentis impetu, vt Cardinales edicto populi Romani conſenſerint, quo decretum, vti omnia *Caraſarum* inſignia per vrbem mobilia lacerarentur, fixa deijcerentur.

Card. Moronus carcere liberatus, ſuffragij in eligendo Pontifice libertaté conſequitur.

Duo ex capitibus, in quæ ab Cardinalibus in conclaui iuratum.

Iidem in conclaui V. Septembris congregati, octauo poſt legitimum creandi Pontificis tempus die, quippe varijs difficultatibus impediti, capitula, in quæ de more iuſiurandum concipiendum erat, conſcribunt, vt res nimia *Pauli* ſeueritate atque obſtinatione conturbatæ debito ordine componantur, ac conſtituantur. In his duo erant, quæ id quo de hic agitur, ſpectabant; alterum, vt controuerſia cum *Ferdinando*, à qua periculum impendebat, eius quod in *Germania* Pontifici reliquum erat, amittendi, terminaretur, ipſo pro *Imperatore* agnito. alterum, vt reſtinguendis in *Gallia*, *Belgioque* cumprimis hæreticæ prauitatis opinionibus Concilium protinus reſtitueretur. Iam ſedes Pontificia menſes aliquot vacauerat longiùs, quàm temporum conditio poſtulabat, Principum magis interuentu priuatis rebus impenſiùs ſolito ſtudentium, quàm proprijs Cardinalium diſſidijs. Sed dum illi in conclaui noui Pontificis electione diſtinentur, *Philippus* è *Belgio* ſoluens in *Hiſpaniam* nauigat, fœdaque tempeſtate in portus conſpectu iactatus, vix tandem ſaluus euaſit, amiſſa ferè reliqua claſſe & cum ea ingentis pretij ſupellectile, quam ſecum aſportabat, certus in *Hiſpania* domicilium deinceps figere, nec huc & illuc vltrà vagari. Hoc ſe periculo ereptum dicebat ſingulari Dei beneficio, vt *Lutheraniſmo* extirpando incumberet: quod ipſum facto ſtatim comprobauit. Vbi enim primùm *Hiſpalim* venit Septembris XXIV. inſigni exemplo gubernationem regni auſpicaturus, atque impunitatis ſpem ſectarijs dempturus, vſtulari iuſſit pro *Lutheranis Ioannem Pontium Comitem Bailenium*, cum *Ioanne Conſaluo* prædicatore, & pleriſque alijs Collegij *Beati Iſidori* ſodalibus, in quod nouitia ea doctrina peruenerat. Item ad tredecim fœminas nobiles: ac tandem *Conſtantini Pontij* effigiem, qui à Sacris confeſſionibus *Carolo Cæſari* fuerat, eique in ſolitudine ad vitæ finem in hoc miniſterij genere aderat, & vlnis ſuis exſpirantem exceperat. Hic ante paucos dies diem ſuum obiuerat in carcere, in quem ſtatim à morte *Cæſaris* propter hæreſis ſuſpicionem coniectus. Atque ea in corpus exanime ſæuitia ſumma conſternatione mentes omnium perculit, nullam ſibi aut conniuentiam, aut miſericordiam promittentium ab eo, qui, ne cum illo mitius agendum ſibi putauit, cuius infamia aliquam ignominiæ labem chariſſimi parentis ſui *Caroli* memoriæ aſperſerat. Profectus poſt *Pinciam* viginti octo ex præcipua regionis nobilitate ipſo ſpectante cremari iuſſit, & fratrẽ *Bartholomæum Caranzam*, cuius ſupra frequens facta mentio in prima Concilij Tridentini congregatione, quique poſt Archiepiſcopatum *Toletanum* in Hiſpania primum, tenuit, carceri mancipauit, obuentionibus omnibus ademptis. Neque verò negari poteſt ſeueritatem ſuppliciorum in his alijſque, qui indies ex eo morti deſtinati, licet non eadem nominis & fama celebritate, *Hiſpaniæ* regnis quietem peperiſſe, dum alibi omnia ſeditionibus inquietantur. Etſi enim ſcintillæ nouarum opinionum in multorum, ac Nobilium præſertim

Philippum è Belgio redeuntem foeda tempeſtas in Galeci portus conſpectu excipit. Vnde Lutherani per Hiſpaniam victimæ piaculares fiunt.

In his & mortuorum cadauera cremantur.

Vagliadolid.

Barthol. Caranza Archiep. Toletanus purioris religionis ſuſpectus.

animis

animis essent accensæ, delitescebant tamen,neque prodere se gestiebant, propter Hispanorum ingenium, qui pericula vitare cauti, neque arduis se susceptis obijcere, sed actiones suas in tutum dirigere docti.

Paulus 4. Ferdinandus Philippus 2. Maria Reg. Franciscus 2.

At in *Gallia Henrico Rege* extincto,cuius mortem nouæ religionis professores miraculo adscribebant, illi numero crescente audaciores facti : vtcumque cur *Parisiis* animos ostentarent, caussa non erat. *Franciscus* enim nouus Rex, peractis *Durocortori Remorum* XX.Septembris inaugurationis solemnitatibus, Senatorum in carcerem *Henrico* Rege coniectorum caussam agitari imperat: ac simul *Santandreanum Præsidem* & *Antonium Democharem* Inquisitorem in Lutheranismi suspectos anquirere iubet. Hi Iudices nonnullos è plebe religionem eam olim professos nacti, ex ijs addiscunt, quibus in locis clandestinos cætus agere consuessent. Vnde viri fœminæque conferto agmine in vincula coniecti : multi fuga saluti consuluere, quorum bona sub hasta publicata, post reos absentes tribus Edictis citatos. Exinde sumpto à Parisijs vrbe principe exemplo, eadem in *Pictonibus*, *Tholosæ*, & *Aquis Sextijs* in *Prouincia* agitantur,*Georgio Armeniaco* Cardinale, vt detecti comprehenderentur, omnem operam ac diligentiam adhibente; immo vt curæ huic magis sedulò inuigilaret, profectionem in *Italiam* ad nouum Pontificem eligendum negligente. Quibus rebus irritati religionem eam profitentes, ab ira & multitudine sua sumpta audacia, famosis scriptis ac libellis,in *Regem*, *Reginam* ac *Lotharingos*,qui *Reges* habebant in potestate, & persecutionis erant authores, inuehuntur: insinuata interim artificiosè religionis doctrinà. Quæ scripta quasi pro publica libertate composita auidiùs audiebantur.

Franciscus II. in Galliæ Regem inaugeratur. In Protestantes Parisiis, & per alias Galliæ ciuitates inquiri iubet.

Ab his irritamentis libelli licentiosi sparguntur.

Dum de Senatoribus qui in carcere erant, Iudices delegati cognoscunt, post grauissimas in ipso Senatu altercationes, omnes,vno *Anna Burgo* excepto, mortis sententia absoluuntur. Ille verò ad mortem damnatus XVIII. Decembris flammis mandatur, non tam Iudicum voluntate, quàm *Catharinæ* Reginæ odio, quòd Lutherani scriptis sparsissent in vulgus, Regis oculum ictu lethali vulneratum iusto Dei iudicio, propterea quòd professus esset palam, se *Burgi* vstulationem oculis suis aspecturum. Huius autem viri eruditionis & integritatis laude conspicui in morte constantia magnam in multorum animis accendit cupiditatem cognoscendæ illius religionis, pro qua tuenda ille adeo intrepidè extremum supplicium adijsset, augendoque professorum numero caussam dedit. Itaque ij, quorum intererat cumprimis eos homines deleri funditus,siue religionis antiquæ amore, siue quòd Ecclesiastici essent, & superiorum persecutionũ authores, necessarium existimantes eos ante detegi, quàm in eam multitudinem excrescerent, quæ vi opprimi ægrè posset, nouas decipulas ijs captandis comminiscuntur. Passim enim per *Galliam*, ac *Lutetiæ* præsertim, *Beatæ Virginis* ac *Sanctorum* imagines per omnes vicos erigunt, ad eas interdiu candelas accendunt, & à baiulis, alijsque vilibus personis preces in Ecclesijs cantillari suetas, decantandas curant, hominibus etiam per vias appositis cum arculis, qui pecuniam à transeuntibus eleemosynæ nomine ad candelas in eum vsum coëmendas corrogarent. Quòd si quis imagines illas non veneratus præterijsset, aut ad cantica ea reuerenter non substitisset, aut stipem rogatus non soluisset, is tanquam de religione suspectus pessimè habebatur; belléque secum actum putabat, si pugnis tantum cæsus,& pedibus conculcatus euaderet; neque,quæ multorum sors erat,in carcerem trusus, grandem dicam, & extrema quæque sustineret. His certe iniurijs irritatiores facti,coniurationem Ambosianam Gotofredi Renaudij auspicijs aggressi,de qua infra dicendum.

E Senatoribus incarceratis solus Burgus ad mortem damnatur.

Ex eius cineribus ampla defectionum seges.

Inde ad prodendos Protestantes nouæ artes ac foueæ excogitatæ.

Iam *Romæ* postquam varijs Cardinalium contentionibus & competitionibus certatum esset de *Mantuano*, *Ferrariensi*, *Carpensi*, & *Puteano* creando Pontifice *Ioannes Angelus Medicinus* tandem in Pontificē est electus nocte quæ subsequuta est diem natalitium, & *Pius* IV. nuncupatus. Ille tumultibus in vrbe sedatis, pacatisque omnium animis, veniâ eorum,quæ vacante Sede admissa fuerant per seditionem,populo Romano concessâ,animum ad duo capita in quæ iuratum fuerat,quæque omnes in vniuersum spectabant, statim applicuit. Atque eiusdem mensis die XXX. Conuocatis XIII. Cardinalibus, ac deliberatione cum ijs habita super reiecta *Ferdinandi* Legatione,& *Pauli* IV. de eo in Cæsarem non admittendo obstinatione,de communi

Pius IV. Pontifex eligitur; & Pop. Rom. admissorum veniam condonat. Eius cum delectis Cardinalibus de cõfirmanda Ferdinandi in Imperatorem assumptione, consultatio.

Pius 4. Ferdinandus Philippus 2. Maria Reg. Franciscus 2.

ſententia pronunciatum eſt, *Ferdinandum* iniuria affectum. Cùm autem diu diſceptatum eſſet, quem ad modum occurri poſſet huic incommodo, ac multis rationibus propoſitis, excuſſiſque, nulla tractatio videretur inſtitui poſſe, in qua à maioribus incommodis metus non eſſet, ſi huic ſe negotio Septemuiri immiſcerent, quod alioqui abſque ipſis procurari non poterat; de communi conſilio exiſtimatum, vitandam omnem tractandi occaſionem, quæ in Pontificis aliquam ignominiam eſſet deſitura: quin potius anteuertendum Imperatoris poſtulatum, eo quod petatur, vltro conceſſo. Quam ſententiam Pontifex amplexatus, prudentiæque maioris reputans id donare, quod neque vendere poſſis, neque retinere, confeſtim accerſi iubet *Franciſcum Turrinum* Cæſareum miniſtrum *Romæ*, eiq; nuntiat, ſe Imperatoriam dignitatem à *Carolo* in *Ferdinandum* tranſlatam ratam habere, & Legatos ipſius, tanquam legitimi Imperatoris excepturum, ac receptis honorum titulis, vbi ad illum erit ſcribendum, compellaturum. quod quidem ipſi cupiat ſignificatum.

Ceſſionem Imperii à Carolo factam ratam habet.

Ex eo animum adijcit ad Conciliũ, certus, ſibi non defuturos, qui aſſiduè interpellent. Permultæ animo ipſius difficultates obuerſabantur, quas cum *Cardinale Morono*, cui propter prudentiam & amicitiam fidebat plurimum, ſolebat communicare. Ambigebat enim an futurum eſſet bono Sedis Apoſtolicæ Concilium conuocari, necne. Deinde, ſi minime videatur celebrandum, vtrum expediat abſolutè abnuere Concilij indictionem, & Concilium flagitantibus liberè ſe opponere, an verò voluntatem eius celebrandi obtendere, atque interim omnia impedimenta, præter eá, quæ negotium ipſum ſuppeditabit, vndequaque conquirere. Denique ſi expediat habere Concilium, vtrum ſatius ſit, expectare quoad flagitetur, an verò poſtulatis præuortere. Voluebat mente cauſſas, quibus adductus *Paulus* III. ad Conciliũ prætextu tranſlationis diſſoluendum. Item pericula, in quæ *Iulius* præceps ruiſſet, niſi fortunam ſibi fauentem fuiſſet expertus. Nullum nunc temporis eſſe *Carolum Cæſarem*, cuius potentia ſit formidabilis; ſed quo debiliores ſint Principes, hoc Epiſcopos eſſe vegetiores. Atque ad hos potiſſimum reſpiciendum, qui niſi per ruinam Pontificatus extollere caput, & erigere ſe nequeunt. Rem eſſe ſcandali ac offenſionis plenam Concilium flagitantibus manifeſtè refragari, tum propter ſpecioſum nomen, & opinionem omnium animis inſitam, etſi futilem, magnum inde fructum Eccleſiam percepturam: tum quia omnibus eſt perſuaſum, ab his tantum Concilium repudiari, quibus odioſum eſt emendationis nomen. At ſi neceſſitas ad id concedendum adigat, quod priùs plane negatum fuerit, tum de exiſtimatione ſua plurimum decedere, & eum, cui adeo potenter repugnatum ſit, apud omnes ordines vileſcere. Inter has difficultates Pontifex pro indubitato tenet, Concilium haberi non poſſe vllo Eccleſiæ aut regnorum per religionem diuiſorum bono, ac ſine ſummo authoritatis Pontificiæ periculo: ſed quia veritatis huius homines minime ſint capaces, ideo palam ac manifeſtò Concilium repudiari non poſſe. Cæterùm de illo ſubdubitabat, an Regibus aut Regnis Concilium depoſcentibus, rerum futurarum occaſiones ſic eſſent coalituræ, vt in impedimentis occultis ſatis virium futurum eſſet ad id remorandum. Re demum multum diuq; penſitata, conſtituit in omnem euentum oſtendere ſe promptum, & cupidum Concilij, & aliorum deſideria anteuortere, quò tectiùs eorum conatibus obſiſteret, & exiſtimationi ſuæ difficultatibus in contrarium repræſentandis rectiùs conſuleret: deliberatione interim ea, ad quam humanum iudicium non poteſt pertingere, in cauſas ſuperiores reiecta. neque aliud in preſentia decreuit.

Altera deliberatio de Concilio, an conuocandum, necne.

Perpetua Pontificũ ars, aliud in ore promptum, aliud in pectore reconditum habere.

Epiphaniæ feſto de more coronatus, eius menſis die vndecimo frequentem habuit Cardinalium Senatum, in quo copioſa oratione oſtendit, eſſe ſibi animum & Curiæ reformandæ, & Concilij Oecumenici celebrandi: ac proinde ſingulos monuit, ſeriò cogitare de ijs, quæ reformationem requirerent; tum de loco, tempore, alijſque ad Synodum præparatorijs: vt maius ex hac indictione, quàm duabus ſuperioribus ſperari poſſit operæ pretium. Ad hæc, in priuato tam cum Cardinalibus, quam cum Principum Legatis ſermone, vbique ſuum de Concilij inſtauratione propoſitum aperuit, nihil interea, quod eam in ipſis opinionem foueret, operatus.

Pius IV. ſtatim ab inauguratione ſua in Conſiſtorio perſonæ, quam cepit, partes agere aggreditur.

Iam *Viennam* ad *Ferdinandum Cæſarem* allatum erat, quid Pontifex miniſtro ſuo ſignificaſſet. Itaque continuo Legatum ad eum deſtinat: ſed ante ipſius diceſſum per

Ferdinandus Cæſar agit gratias Pontifici per literas.

per litteras ad Pontificem,& summam dignitatis apicem ei gratulatur, & gratias agit, quòd paterno affectu controuersiam à *Paulo* IV. contra ius & æquum excitatam prudenter terminasset: simul Legatum aduentare nunciat, *Scipionem Comitem Arcoensem.* Is decimo Februarij *Romam* veniens, ipso aduentus sui principio in magnas incurrit difficultates. Cum enim à *Cæsare* haberet in mandatis, omnem Pontifici cultum ac reuerentiam deferre, ille contra & obedientiam sibi deferri petebat, & ab alijs *Cæsaris* Legatis erga decessores suos idem factitatum contendebat, Legatum alioqui non admittere certus. *Philippi* quidem *Hispaniarum* Regis Orator & Cardinalis *Paciecus*, vt mandati fines non excederet, suadebant: at Cardinalis *Moronus* & *Tridentinus* in contrarium nitentes apud Comitem peruicerunt, quòd *Cæsar* hoc quoque ei mandasset, vt eorum auspicijs *Romæ* omnia gereret. Eam igitur officij partem solitâ ceremoniâ in Consistorio Pontifice propitio perfunctus, cum statuisset primo, quo priuatum cum Pontifice colloquium habiturus esset, tempore, *Cæsaris* eum verbis orare, de Concilio ad dissidia Religionis componenda conuocando, Pontifex sermonem eum anteuortit, magna cum Legati voluptate, qui se rem Pontifici parum gratam tractaturum arbitratus, omnes ingenij neruos intenderat, quò beneuolum eum, facilem, ac pacatum in audienda re experiretur. At Pontifex præueniens dixit, cum inter Cardinales in conclaui de restaurando Concilio ageretur, in eo promouendo se non vltimas partes tenuisse; nunc verò Pontificem factum in sententia magis magisque confirmari, sic tamen, vt nolit instar cæci in tenebris palpitans in easdem difficultates incurrere, in quas alios incidisse meminisset: sed quæ necessaria sunt, præmittenda censere, vt speratum inde fructum consequatur. De eadem re cum *Galliæ Hispaniæque* Legatis actum: atque ad Nuncios vt id ipsum Regibus significarent, perscriptum. Quin & cum Regis Lusitani & Italorum Principum, qui Romæ tunc erant, Oratoribus idem tentatum.

Pius 4. Ferdinandus Philippus 2. Franciscus 2. Elizabetha.

Eiusdem ad Pium Legatio.

Pontifex reuerentiam à Cæsare sibi deferri non contentus, obedientiam poscit, & ab Legato impetrat.

Eundem Legatum de restaurando Concilio illum interpellare cogitantem, propensione sua com monstrata, anteuertit.

Sub idem tempus Dux *Sabaudiæ* ad Pontificem misit postulatum, vt cum bona ipsius venia colloquium institueretur de religione, ad populum in Conuallibus degentem à Romana religione iampridem alienatum, salutaribus præceptis imbuendum. Ii enim *Valdenses* dicti, ante annos quadringentos ab Ecclesiæ Romanæ communione defecerant, varijsque persecutionibus exagitati, pars in *Poloniam* ac *Germaniam*, pars in *Apuliam* ac *Prouinciam* transmigrauit; pars denique in vicinis conuallibus *Alpium*, *Montis Cenisij*, *Lusernensis*, *Angrunienſis*, *Perusini*, & *Sammartinei* perfugium habuerunt. Hi cum ministris suis, quos Pastores nuncupabant, seorsim in conuallium radicibus habitantes, vbi *Zuinglij* doctrina *Geneuæ* prædicari cœpta est, *Geneuensibus* se applicuerunt, in dogmatis fidei & ritibus præcipuis cum ijs consentientes. Et quandiu *Subalpinæ* eæ regiones *Gallici* iuris fuerunt, quamuis *Taurinensis* Senatus decreto interdictum esset illis, religionem *Heluetiorum*, additâ capitis pœnâ, profiteri; publicam tamen concionandi libertatem sensim vsurparunt: adeo vt, restituta *Sabaudo* regionum earum possessione, exercitium religionis in conuentibus publicis permanserit. Tentauit quidem *Sabaudus*, vt proprijs opinionibus eieratis fidem Catholicam restaurarent; sed cum illi confessionem suam pertinaciter tuerentur, multi flammis vstulati, alij alijs suppliciorum generibus affecti, complures ad triremes damnati, in suspectos diligenter inquirente *Thoma Iacomello* professione Dominicano, fidei Inquisitore. Id occasionem dedit disputandi, an licitum esset armis se defendere: qua de re inter ipsorum ministros non satis conueniebat. Alij enim dicebant, non licere armis Principi se opponere, ne ad propriam vitam tutandam, sed asportatis bonis in proximos montes secedendum. Alij contra asserebant, in rebus adeo desperatis impetum hostilem armis repellendum, præsertim, quæ contra Principem non sumantur, sed aduersus Pontificem authoritate Principis abutentem. Priorem sententiam plerisque sequutis, reliqui ad vim propulsandam se comparant. Vnde Princeps cognito nec rebellandi studio arma capere, & si instituantur posse in officij viam reuocari, eorum hortatibus aurem præbuit, qui colloquium instituendum suaderent. Cum autem parum tutum crederet inconsulto Pontifice quicquam in eo genere statuere, ne eum ab se alienaret, rem omnem ei significat, & assensum ipsius postulat. Ille

Sabaudiæ Princeps Pontificem interpellat de colloquio cum Conuallensibus suis qui Valdensium religionem profitebantur, instituendo.

Postulati caussa, quod inito cum vicinis fœdere religionem in posterum armis tueri decreuissent.

Pius 4.
Ferdinandus
Philippus 2.
Franciscus 2.
Elizabetha.

Pontificis ad Sabaudiæ Principem responsum.

vero quęstione ea grauiter offensus, nec in aliam partem accipiens, quàm vt in Italia sub aspectum ipsius, authoritas sua veniat in quæstionem. Respondit, se de colloquio neutiquam assensurum. sin vero ij populi instructore egeant, se Legatum missurum idonea authoritate munitum, ad eos omnes absoluendos, quibus animus sit redeundi in viam, & vnà Theologos, qui rite informatos in veritatis viam deducant: sibi tamen de eorum conuersione spei parum superesse, propter hæreticorum peruicaciam, qui quoties monentur errores suos retractare & agnoscere, omnes id genus adhortationes ideo adhiberi existimant, quòd aduersarijs ad ipsos constringendos vires deficiant. Neque superiorum temporum monumentis esse testatum, istam moderationem apud eos quicquam vnquam valuisse, sed experientia comprobatum, iuris iustitiæque viâ tentatâ primulum; vbi ea non sufficit, armorum violentiâ longe meliùs negotium confici. Id si ille animum inducat, tum omnem à se opem non valde desideraturum. Sin verò id temporibus parum conuenire videatur, adusque Concilium generale, quod mox conuocaturus sit, rem posse extrahi. Iam illud de Legato mittendo Principi parum placuit, quòd ea Legatio tum popularium animos videretur magis exasperatura, tum ipsi necessitatem allatura actiones suas ad alterius nutum conformandi, neque de ijs suo arbitrio statuendi. longe satius esse, armis eos petere, quod Pontifex magis probet, copijs auxiliaribus ad id bellum oblatis. Et profecto mox ad arma ventum, totoque eo anno, & sequentis parte aliqua in conuallibus ijs bellatum, de quo bello sub id tempus quo bellare desitum est, infra erit dicendum.

Sabaudus impellente Pontifice armis eos persequi statuit.

Ambosianæ in Guisianos coniurationis à Protestantibus initæ caussæ ac ratio.

In *Gallia* interim per diuersas Regni partes coniuratio inita, in quam plurimi nomen dederunt: multi religionis caussa, indignabundi miseros homines crudelibus supplicijs cottidie lacerari, & concremari nullũ aliud ob crimẽ, nisi quod zelo gloriæ diuinæ, & salutis animarum suarum tanquam æstu abripiantur. His accedebant, qui impotenti *Guisiorum* fratrum dominationi publicarum regni calamitatum caussam ascribentes, actionem verè heroicam existimabant, eorum tyrannide regnũ eximere, ijs adempta rerum publicarum administratione. Neque deerant homines ambitiosi, & rerum nouandarum studiosi, qui rerum suarum statum pertæsi, in medijs turbis sortem sibi meliorem spondebant. Sed ij omnes, tam boni publici, quàm nouarum rerum cupidi, quò incœpti socios colligerent, religionem obtendebant. atque ad suorum animos confirmandos clarissimorum illius ætatis in *Germania* & *Gallia* Iurisperitorum opiniones, ac Theologorum Protestantium sententiæ exquisitæ, & scriptis mandatæ, An salua conscientia citra violatæ maiestatis, & dignitatis legitimi magistratus imminutæ crimen, liceret arma sumere ad oppugnandum violentum *Guisianorum* dominatum, qui synceram religionem, legitimamque iuris administrationem professos misere diuexent, Regemque ipsum tanquam captiuum detineant. Coniuratis placuit, vt magna hominum inermium multitudo præmitteretur, quæ porrecto Regi supplici libello seueritatem iudiciorum deprecaretur, & conscientijs liberam religionis professionem deposceret. hos alij deinde sequerentur, qui aduersus *Guisianorum* administrationem postulata proponerent. Verùm coniuratione detecta, aula Regia *Blæsis* oppido aperto, & ad insidias struendas opportuno discedens, *Ambosiam* oppidum angustum, & arce munitissima firmum petierat. quæ mutatio omnẽ consiliorũ ordinem conturbauit. Dum verò coniurati de noua rei gerendæ ratione capiunt consilia, horum multi à præfectis prouinciarum, quod arma ferrent, comprehensi, alij dum vim vi abigunt, cæsi; alij deniq; extremo supplicio affecti. Ad motum eum tandem compescendum Edicto Regis venia proponitur omnibus, qui solo Religionis suæ tuendæ studio adducti coniuratis se coniunxerant, modò intra spatium XXIV. horarum arma proijcerent. Altero item Edicto Rex omnibus reformatam religionem professis præteritorum gratiam facit, modò resipiscant, & ad maiorum religionem reuertantur. Conciliabula & coitiones illicitas religionis caussa prohibet, & cognitionem criminis hæreseos Curijs regni ademptam Episcopis tradit, Regni Cancellario parum id probante, sed ne ad Hispanicæ *Inquisitionis* scopulũ, quam *Guisiani* vrgebant, Reip. nauem allideret, grauatè admodum consentiente.

Post eam proditam Edicta Regia.

Atqui neque supplicijs coniuratorum, neque anteactorum gratiâ diplomate Regio

gio facta motus conquieuere, spe semper in animis reformatorum residente de libertate religionis impetranda. Inde in *Prouincia*, *Occitania* & *Pictonibus* tumultus populares excitati: in quas prouincias concionatoribus siue *Geneua* aduocatis, siue sua sponte eò commeantibus, eorum certe concionibus nouam reformationem profitentium numerus in immensum excreuit. Dum itaque ab ijs, qui Regni habenas moderabantur, in conuentu publico de remedijs consultatur, & remedium Ecclesiasticum, idque subitum necessariò adhibendum putatur; ad Nationale Concilium recurrendum esse de Consiliariorum omnium sententia pronuntiatur. Hic Cardinalis *Armeniacus* nisi Pontifice conscio nihil ea de re statuendum affirmat: in eo solo positum esse, vt istiusmodi incommodis prospiciatur. Quare *Romam* scribendum, & responsum inde expectandum: cuius sententiæ pauci aliquot Præsules adstipulantur. At *Valentiæ* Episcopus in contrarium disserit, neq; subitum à Pontifice remedium expectari posse, qui tam longè absit; neq; idoneum ab eo, qui, quid in peculiaribus rerum occasionibus necessarium sit, non satis intelligat; neque benignum ab eo, qui in familia amplificanda & Nepotibus locupletandis totus defixus sit. Deum, scilicet, singula regna remedijs ad statum gubernandum necessarijs beasse: nec deesse Galliæ suos Præsules, qui res religionis inibi constituant. Ipsis optimè perspectos esse Galliæ defectus. Remque fore absurdissimam, si *Parisiorum* vrbs, quæ vicina habet *Sequanam* & *Marnam* flumina aquis affluentia, ijs posthabitis, è Tybri aquam expectet incendio restinguendo. De communi igitur Consiliariorum opinione statutum, quandoquidem præsens rerum conditio prompta præsentiaque remedia deposcat, Præsulum Nationis Conuentum instituendum, quorum cura ac solicitudine ratio excogitetur sistendi decursum tot tantorumq; malorum. Atque in eam rem designatur dies XI. Aprilis, quo denuntiatio fiat in Septembris proximi diem decimum.

Pius 4. Ferdinandus Philippus 2. Franciscus 2. Elizabetha.

Regni Gallici Proceres de malorum publicorum remediis cōsultant.

Io. Monlucius Episc. Valentinus à Rom. Pontifice remedia neutiquam expectanda censet.

Nationalem Synodum habendam decernitur.

Sed ne in malam partē id à Pontifice acciperetur, per equos dispositos missus nuntius, qui, quid deliberatū esset, significaret, deliberationis necessitatē exponeret, & Papam, vt æqui boni eam faceret, oraret. Et Orator quidem mala periculaque Regno impendentia cōmemorat, ac quantā salutaris remedij spem Rex cepisset, si Præsules Regni in vnum coirent, alioqui de remedio efficaci spe prorsus deplorata. Cum nec rerū status moram pateretur diuturniorem, & è longinquo remedia pro temporum rerūq; conditione incerta admodum dispiceret, necessitate adactum illud adhibere, quod in promptu esset, locoque ac tempore vicinum. Eam tamen legem sibi dictam, nihil vt conuentu illo decretum, ratum esse debeat, aut validum, quod à Sancta Sede prius approbatum non sit. At è conuerso Pontifex fert ægerrimè Regem Edicto gratiam fecisse omnium aduersus religionem impiè patratorum, etiam cùm illi veniam non deposcerent. Id sibi arrogasse, cuius penes neminem, nisi Romanum Pontificem sit potestas. Ecquem enim Regem posse contra Deum admissā condonare? Neque vltra mirum videri, si iustissimo iracundiæ Diuinæ documento Galliæ Regnum turbis assiduis implicetur, vbi Sacri Canones contemptui sint, & authoritas Pontificia indebitè vsurpetur. Dein subdit, illum Præsulum conuentum nihil boni pariturum, sed odijs ac dissidijs acrioribus occasionem subministraturum. Se quidem Concilium vniuersale, vnicum dissidiorum remedium, iam pridem proposuisse, sed quominus hucusque coierit, per eos factum quibus omnino displicebat. Sibi tamen Decretum, Synodum, vel nemine flagitante, celebrare: sed vt Præsulum vnius nationis coitio, vel in Gallia, vel alibi fiat, nunquam assentiri. Id enim ab Sede Apostolica nullo tempore toleratum. Nam si Principum cuique intra suam ditionem Concilij celebratio permittatur, doctrinæ confusionem & ab Ecclesia secessionem mox sequuturam. Atque in primis id sibi indignissimè ferendum, quod Conuentui tempus prius condictum, dein ipsius requireretur assensus. Quod nemo quisquam aliorsum interpretetur, nisi ad grandem Capitis Ecclesiæ contumeliam: ad cuius voluntatem negotia omnia Ecclesiastica referri debeant, non ad gestorum rationem reddendam, sed ad gerendi potestatem impetrandam. Etenim per Edicta, quæ iam promulgata sint, manifestam ab Apostolica Sede defectionem in illud regnū importatam; cui cum obuiam ire decreuerit, quid sui sit consilij per Nuntium ea gratia de industria missum Regi patefacturum.

Id Pontifici per nuntium significatur.

Pontifex stomachatur primùm Regem Edicto gratiam fecisse Protestantibus.

Tum Synodo Nationali se nunquā assensurū profitetur.

Pius 4.
Ferdinandus
Philippus 2.
Franciscus 2.
Elizabetha.

Pius Pont. per Nuntium suum, Franciscũ Galliæ Regem à Synodo Nationali dehortatur, commemoratis eius incommodis.

Ac profectò non multò pòst Episcopum *Viterbiensem* in Galliam misit, qui Regi significaret, Concilium eius Nationis fore instar schismatis ab Ecclesia vniuersali, alijsque Nationibus pessimi rem exempli; Præsulum animis superbiam afflaturum, & authoritatis suæ amplificandæ, etiam cum dignitatis Regiæ imminutione, studium. Omnibus esse perspectum, quàm ardentibus votis illi *Sanctionem Pragmaticam* cupiant restitutam: ac proinde de ea reuocanda primam ac potissimam ipsis fore curam. Inde futurum, vt Regi collatio *Regalium*, & Episcopatuum, ac Abbatiarum designatio decedat: dein, quandoquidem amplitudinem suam Regi debituri non sint, vt ipsius imperijs vbique recalcitrent. Hæc quidem mala ex *Concilio Nationali* haud dubiè emanatura in posterum; sed intereà præsentibus malis nullum inde alleuamentum reperiri. Hæreticos enim omnes iampridem professos, se Antistites nullo loco habere; atque adeo vel hoc solo nomine, quicquid illi decreuerint, aut omnino actitauerint, Protestantium ministros impugnaturos. Verum, & salutare remedium isthuc esse, vt Præsules & Curiones in sua quisque dioecesi, ad gregis sui curam attendant, luporumque rabiem amoliantur; vt aduersum eos, qui à fidei Inquisitoribus hæretici renunciantur, iudiciorum ratio procedat; imo, vbi vis maior non prohibet, priùs quam malum vires eundo acquirat, arma in eos expediantur, quò in officij viam redeant. Hæc si fiant, tum ex Oecumenici Concilij, quod iam nunc sit indicendum, celebratione, fructum non mediocrem posse sperari.

Et ad Protestantes bello lacessendos, & suam, & Hispaniæ Regis aliorũq; opem pollicetur, sed inprimis in Geneua oppugnanda.

Quòd si Rex in animum inducat contumaces ante flectere ad obsequium, quàm audacia ac viribus maiorem in modum augescant, tum se opes vniuersas paratum impendere: operam quoque apud *Philippum Hispaniæ* Regem, & *Italiæ* Principes, vt in hac causa validis illi subsidijs opitulentur, vltro polliceri. Sin verò *Rex* id sibi persuaderi non patiatur, subditos ad obsequium vi armisque cogendos, saltem *Geneuam* mali eius, quod vniuersam *Galliam* disperdit, fontem, statuat armis petere: inde sectarium virus in Galliam, & loca vicina deriuari. Ea radice accisa fomitem mali sublatum iri, atque bello extra regni fines exportato, *Galliam* noxijs, quibus agitatur, humoribus iri euacuatum. Hæc Episcopum Regi instillare iubet, ac præsertim in *Geneua* oppugnanda, tam pio sanctoque opere, tam de suis quàm Regis *Hispaniæ* & *Sabaudiæ* Principis auxilijs certissimam ei fidem facere.

Per eundem Nuntium Sabaudiæ Ducẽ de eadem re solicitat & Hispanum per alium.

Ea gratia eidem Episcopo mandat, vt in itinere in *Galliam* cum *Sabaudo* ea de re seriò agat. Per Nuncium quoque suum apud *Hispaniæ* Regem commorantem, *Hispanum* solicitauerat, vt cognatum suum *Galliæ* Regem à Concilio Nationali demoueret, quod quidem vti *Galliæ* futurum erat detrimentosum: ita mali rem exempli ipsi *Hispaniæ*, sed *Belgio* multo magis perniciem erat allaturum.

Sabaudus de oppugnatione Geneuæ assentitur, sed caueri sibi postulat.

Sabaudus certe quod de oppugnanda *Geneua* fuerat propositum, audijt non inuitus, seque ad id bellum suscipiendum offert, modò vterque Rex auxilia subministret, & belli emolumentis ipse potiatur: quod æquum non putaret, vt ea ciuitas, quam ditionis suæ existimabat, alteri cederet. Monet itaque Pontificem, si id effectum cupiat, vt fœdere facto, eius capita disertis verbis perscribantur, ne vnde magnum aliquod bonum expectatur, insigne detrimentum succedat, vel Regibus parum inter se conuenientibus, vel ipso derelicto post concitatos in suum caput *Heluetios*, quos nihil addubitet *Geneuam* totis viribus propugnaturos.

Hispaniarum Regis de Geneua adorienda sententia.

At *Hispaniarum* Rex ea re in deliberationem adducta, existimauit, Galliam nunquam permissuram, vt *Geneua* in alterius cuiusquam Principis potestatem veniat, cuius apprimè intersit, ne ad *comitatum Burgundicum* spectet propter vicinitatem: ac proinde respondit, illud inceptum non esse ei tempori accommodum.

Eius Orator Antonius Toletanus variis apud Regem vtitur argumentis, ad eũ à Concilio Nationali, cuius spem fecerat, demouendũ.

Alterum verò de Concilio Nationali in *Gallia*, pro statu rerum suarum pessimi & periculosissimi putauit esse exempli: eóque ad Franciæ Regem confestim misit *Antonium Toletanum Legionis Priorem*, qui ipsum ab eo consilio dehortaretur propter scissuræ inde exorituræ periculum, regno ea labe hactenus infecto. Qua de re vti ipsum commonefaciat, non alia se ratione adduci profitebatur, nisi gloriæ diuinæ zelo, atque erga Regem ipsum caritate. Legatum igitur instruit, vt Regi ob oculos proponat, eo facto scissuræ in Regno viam patentiorem aperiri, exemplum perniciosum ad vicinas prouincias manaturum edi, & maximum præiudicium Concilio generali iam nunc indicendo,

cendo, in quo vno situm sit malorum & sectionum Christiani orbis remedium, creari. Tum plerosque omnes inde coniectaturos, inter Imperatorem ac ipsos non satis conuenire, cuius contrarium tamen par sit omnibus esse persuasum: & Protestantes haud dubie cum summo religionis detrimento insolentiores euasuros. Adhæc nunciet Regi, vtcumque ad insolentiam suorum retundendam externis viribus non egeat, si tamen ei videatur *Hispani* Regis potentia vtendum, se certe causam eam Regni sui viribus libentissimè sustentaturum. seque ipsum, si opus sit, in *Galliam* potius venturum, quam vt subditis ipsius relinquat materiam gloriandi Regem suum ab ipsis ad conditiones parum æquas accipiendas adactum. quod ne fiat, in regiminis sui aditu cumprimis esse circumspiciendum. Quòd si Rex in Concilio Nationali cogendo pertendat, saltem his, alijsque rationibus quantum potest, in longum extrahendum procuret: atque interim Cardinalem *Lotharingum*, quem audiat ab ea causa minimè esse alienum, moneat, cum & principem in Ecclesia locum, & in *Galliæ* regni administratione teneat, ei in primis respiciendum ad incommoda, quæ ex Nationali concilio non ad illud regnum modò, sed ad vniuersum Orbem Christianum redundatura sint. De eadem re vt apud *Reginam Matrem*, *Ducem Guisium*, *Momorantium* Equitum Magistrum, & *Santandreanum* Militum Tribunum intercederet, mandauit. Tum vt sorori *Parmæ Principi* in *Belgio*, & *Vargæ* suo apud Pontificem *Romæ* Legato, quid ageretur, significaret. Neque celauit Pontificem quàm sedulò id negotium cum Rege *Galliæ*, Oratore de industria ideo misso curasset, quamque necessarium huic Regi & regno potentium amicorum patrocinium putaret. Rerum etiam suarum statum commemorat, quem ad modum anno superiore triremes XX. & naues XXV. à Turcis interceptas amiserit, & arcem *Gerbensem* per vim captam: quem ob casum, cum classem instaurare cogeretur, Pontificem rogauit, vt cum bona ipsius venia, ex Ecclesijs & beneficijs intra suæ ditionis regna notabili subsidio præsentem necessitatem subleuare posset.

Ferdinandus Philippus 2.

Idem negotium cum alijs caussæ huius fautoribus tractare iubetur.

Philippus suâ superioris anni iacturam Pontifici notam facit, & eius opem porro implorat.

Iam consiliũ illud de *Geneua* oppugnanda Gallis non placuit, tũ metuentibus, ne *Hugonotis* (ita vocabant reformatam religionem profitentes) nouis suspicionibus iniectis, ij ad nouas confœderationes incundas excitentur: tum præuidentibus, ad id bellum non alios, quàm Catholicos ituros, adeoque regnum aduersariorum molitionibus expositum iri. Neque tutum videbatur lacessere *Heluetios*, eius ciuitatis patrocinium haud dubie suscepturos, & in omnibus occasionibus coronæ Francicæ vtibiles. De *Geneua* itaque responsum Nuntio, quandoquidem regnum intus tot malis conflictetur, fieri haudquaquam posse, vt bellis externis incumbat. De Concilio autem Nationali idem responsum tulit Nuntius, quod ante eum *Toletanus*, Regi decretum, se regnumque suum in Ecclesiæ Catholicæ vnione conseruare; neque ipsi propositum celebrare Concilium nationale, ad se ab Ecclesiæ communione segregandum, sed ad errones potius in viam reducendos. Sperare quidem se ex Concilio Oecumenico maiorem subditis suis fructum, nisi occasionũ impendentiũ necessitas tam diuturni temporis moram expectari vetaret. Sed nimirum Concilium Nationis sibi destinatum, non aliunde quàm à Sede Apostolica, & Pontifice Romano vim habiturũ: sibique decretum, vbi primùm Concilium generale conuocabitur, suum desiturum, & in vnũ cum Oecumenico corpus coaliturum. Atque vt verba rebus respondeant, rogauit Pontificem, vt legatum mitteret in *Galliam*, instructum facultate congregandi omnes indidem Episcopos, ad res religionis tranquillandas.

Gallis Geneuam oppugnari non placet.

Rex de Nationali Synodo Nuncio Pontificio respondet.

Et quidem Pontifex de *Geneua* bello impetenda iniecerat, non tam odio ciuitatis, quam sciebat tamen esse veluti Seminarium ad concionatores *Zuinglianos* per *Galliam* disseminandos, aut metu nouitatis in *Italia*, quàm ad tractationem de Concilio Oecumenico in longum extrahendam. nam si bellum semel coeptum esset, anni saltem vnius spatio duraturum augurabatur; atque eo tempore Concilium vel conquieturum, vel commodam aliquam formam reperturum. Nunc verò, cum neque æstum suum processisse videret, & Galli spem Concilij nationalis propediem celebrandi alerent, necessariũ existimauit, quod de Concilio Oecumenico instituerat non vltra differre, & tam eius expectatione, quàm eorum, quæ Galli flagitabant

A Pontifice iniecta de Geneua mentio ad Concilij indictionem differendam.

quadam-

Pius 4. Elizabetha. Franciscus 2.

Pius cum Cardinalibus de loco Concilij habendi consultat.

quadamtenus concessione, ipsorum desiderijs satisfacere. Consilium cum Cardinalium intimis communicauit, præsertim de loco Concilij, quod ea res maximi videretur momenti, Concilio sæpenumero ad nutum eius, qui in loco in quo celebratur, plurimum potest, effectus producente. *Bononiam* certè, aut aliam aliquam Pontificiæ ditionis vrbem cum primis laudabat, eoque se iturum dictitabat; sed cum videret id ab omnibus in malam partem acceptum iri, ab hac se sententia abduci passus est. Ab oppidis omnibus vltramontanis adeo erat alienus, vt eorum mentionem fieri vix sustineret. Cardinalis *Paciecus* cùm *Mediolanum* nominasset, assensit Pontifex ea lege, vt arx sibi traderetur, interim dum Concilium peragitur: quam ille conditionem sciebat nunquam placituram. Tum ad aliquam è ciuitatibus Venetæ ditionis animum applicuit: sed Respub. à Turcorum armis sibi metuens, ne eos exasperaret, excusari cupiebat. Re itaque diu multumque deliberata, nullus locus opportunior *Tridento* repertus, vbi cum iam duabus vicibus habitum esset Concilium, facile erat cuique diuinare, quid hic boni maliue esset: ac proinde minus erat ab hoc loco, quippe familiariter noto, quàm ab alio difficultatis. Et in eam partem rationis color aliquis inuitabat. Concilium enim ab *Iulio* indictum nondum finitum erat, sed solummodo suspensum. Porro sic *Gallis* satisfieri posse putabat, si Cardinalis *Turnonius* in Franciam ablegaretur, non tanquam legatus Pontificius, sed hac facultate munitus, vt vbi eò venerit, & commodum videbitur, aliquot Regni Præsules, suo Regisque iudicio maximè probatos in vnum conuocet, ac cum ijs agat; sed neque omnes, ne conuocatio ea Concilij speciem præ se ferre videatur; neque quicquam statuat.

Et Tridentum præ alijs placet.

Card. Turnonius in Gallia Præsules aliquot iubetur, conuocare, ne Synodus Nationalis congregetur.

Ad hæc accesserunt alia duo consideratione non indigna, quæ Pontificem ad verba de Concilio distinctè facienda animarunt. Vnum longinquius, sed quod regni amissionem secum adferat: alterum, quod vnum hominem tangit, sed in quo maximum sit momentum. In Scotia Proceres, qui iam diu in armis erant ad Gallos ex eo regno eliminandos, & *Reginam* matrem Regni administratione deijciendam, atque in multas difficultates incurrerant, propter copias auxiliares à *Galliæ* Rege genero suo identidem submissas, ad regnum hæreditarium vxori conseruandum, statuunt tandem ad se *Gallis* liberandos cum *Anglis* fœdus sancire, & populum aduersus Regentem concitare. Ad id consequendum patefacta ianua per libertatem religionis, ad quam populus ille propendebat. Ex eo enim & Galli in angustias redacti, & antiquæ religionis decus imminutum: eiusque rei culpa in Pontificem coniecta, omnibus reputantibus, si Concilium inchoatum fuisset, nationes omnes facile conquieturas. Alterum erat, quòd *Maximilianus Bohemiæ* Rex ab aliquot annis cum Septemuiris, alijsque Principibus Protestantibus *Germaniæ* amicitiã coluerat. vnde *Paulus* IV. adeo suspectum habuit, vt in priuato cum *Martino Gusmanno Ferdinandi Cæsaris* Oratore, colloquio, non temperarit sibi ab exprobrando id inter alia Imperatori, quod filium haberet hæreticorum fautorem. Atque isthac suspicione post mortem *Pauli* in aula Romana continuatâ, Pontifex per *Comitem* de *Arco* ei significandum curauit, nisi ad Catholicos ritus vitam institueret, se eum in Regem *Romanorum* minimè confirmaturum, imo dominium omne ei abrogaturum. *Romam* etiam de eo postea perlatum, quòd & prædicatorem aleret, & sæpius concionantem audiret, qui in pleraque Regni loca, licet non in ciuitatem *Pragensem* communionem Calicis introduxisset. neque id Rex ipse interdum dissimulabat, se cœnam nisi plenam accipere non posse. Quæ certe Pontificis animum suspicionibus impleuerant (vtcumque Rex eò nondum esset progressus, vt sub vtraque specie communicauerit vnquam) quòd accepisset quasi per vniuersam *Germaniam* communionem calicis ab omnibus, quibus ita visum esset, vsitatam: neque quemquam in eo exhibendo Sacerdotibus adferre impedimentum.

Alia Pontificem ad Concilium conuocandum impellunt.

Foedus Scotorum cum Anglis Regno & religioni in libertatem asserendis.

Maximilianus Ferdinandi Cæsaris filius Pontifici suspectus, vti Hæreticorum fautor.

Pontifex igitur ijs, quas iam commemorauimus rationibus ad inceptum prosequendum adductus, die tertio Iunij *Cæsaris*, *Hispaniarum*, *Lusitaniæ* ac *Poloniæ* Regum, *Venetiarum*, & *Florentiæ* Principum Legatos accersit. Iis omnibus præter *Polonum*, qui parum firma erat valetudine, ad se venientibus, primùm indoluit, quòd cum maximè vellet, *Galliæ* Regis Legatum aduocare non ausus esset, contentionum

Pontifex accersitis ad se Principum Oratoribus, de Concilio conuocando animi sui mentem ijs aperit.

inter

inter ipſum & Hiſpanum de loci prærogatiua,metu: qua occaſione,cùm bonum publicum quod ad Orbem Chriſtianum ex Conſiliorum communicatione prouenturum eſſet, ſummopere retardetur, par eſſe, vt Reges ij affinitate coniuncti controuerſias omnes Reipub. Chriſtianæ, ac Regnorum ſuorum maximè bono condonent. Dein eos à ſe ea de cauſa conuocatos ait, vt, quid de Concilij congregatione animi haberet, ipſis ſignificaret. Decretum enim ſibi id tandem effectum dare, etiam omnibus repagulis,quæ à Principibus vtilitates ſuas reſpicientibus obijci ſolent, perruptis: & decretum *Tridenti* cogere, quæ ciuitas cùm bis placuerit,hoc tempore repudiari non debet. Et maximè, quod Concilium à *Paulo* & *Iulio* Pontificibus inibi celebratum ad exitum perductum non ſit, ſed ſuſpenſum ſolummodo: adeo vt ſuſpenſione ſublata Concilium,ſicut ante, apertum intelligatur; neque æquum ſit, quæ eo in loco optimè conſtituta ſunt, noui Concilij ſpecie in dubium reuocare. Decretum denique primo quoque tempore celebrare, quod in dies ſingulos omnia in deterius ruant. Id in Gallia liquido videri, vbi de Concilio Nationali conuocando agitur, re plane intolerabili, quia Germaniæ cæteriſque prouincijs idem permittendum exiſtimabitur. Sed huic malo præuortendum miſſis ad Nuncios literis, qui cum *Cæſare*, Galliarum & Hiſpaniarum Regibus, ne id fiat, ſedulo agant. Interea ipſos ea de re monitos voluiſſe, vt eorum quiſque ſuo id Principi curet ſignificandum. Quamuis enim ſatis ſciret in ſe vno poſitam & deliberationem de Concilio cogendo, & eiuſdem executionem; ſibi tamen viſum conſentaneum nihil horum Principibus inconſultis agere: vt tum ea quæ ad publicam vtilitatem & Eccleſiæ emendationem pertinent, ſuggerere poſſint, tum Legatos ſuos ad Synodum mittere, tum denique apud Proteſtantes, ne Concilium aſpernentur,officiosè intercedere. De Principibus enim *Germaniæ*, quòd ad Synodum ipſi ſint ituri,ſe bene ſperare:ſed de *Marchione Brandeburgico* plane compertum habere.

Ferdinandus. Philippus.

Et à ſingulis Principes ſuos monitos cupit.

Legatis ad ea, quæ à Pontifice propoſita fuerant, reſpondentibus, *Vargas* primus prolixam narrationem eorum, quæ Concilijs anteactis geſta eſſent, inſtituit: tum ad modum celebrandorum Conciliorum & locum ipſum, deſcendens, de ijs, quæ in Tridentino, cui ipſe interfuerat, facta, diſſeruit; diſtinctione Generalium à Nationalibus facta; eòque quod in Gallia fuerat deſignatum, plane damnato. Poſt hunc *Luſitanus* conſilium Pontificis laudat,Regiſque ſui nomine obſequium ſpondet. Dein *Venetus* agnoſcit ſuperioribus ſæculis Concilorum remedio morbis Eccleſiæ ſanandis nullum fuiſſe præſentius: eam mentem Pontifici gratulatus, quæ & tuendæ religioni eſſet, & Principibus bono; quibus mutata religione pacatæ ac tranquillæ ditiones contingere non poſſint. In eandem ſententiam loquutus Legatus *Florentinus*, Principis ſui opes ac vires in eam cauſam pollicetur. Exinde Pontifex, vti receperat, ad Nuntios ſuos in *Germaniam*, *Galliam* & *Hiſpaniam*, eadem quæ Legatis propoſuerat, conſcribit. Neque tamen Concilij mentionem vnquam faciebat, quin contrariam aliquā ſementim ſemper iáceret,quæ vel naſcentem Synodum elideret,vel natam ſuffocaret, certus, rerum occaſionibus Concilij vitam in ipſorum commoda vertentibus, in ſua ſemper poteſtate futurum, quicquid ſuperſeminatum fuerit, eradicare. Et quidem cum eiſdem Legatis ſeorſim ſermone habito, alijs animi ſui mentem clarius explicans, alijs tanquam per iocum ſignificauit,eſſe neceſſarium ſibi ex Concilio fructum ſperanti, finem magis reſpicere quàm principium; & exequutionem potiùs, quàm vel conuocationem, vel proſequutionem. Conuocationem Concilij ad ſe vnum ſpectare: proſequutionem partim ſibi, partim Præſulibus deberi: exequutionem verò Principum in primis eſſe. Ac proinde primam curam hanc eſſe debere,vt Principes ad id officium præſtandum aſtringantur, cum aliquo belli duce fœdere facto, qui refractarios armis perſequatur, Concilij decreta exequutioni mandans. Alioqui inanem fore omnem operam, quæ in Synodo ſumitur, & coniunctam cum ignominia tam Sedis Apoſtolicæ, quàm eorum Principum, qui Legatorum ſuorum præſentia eam cohoneſtarint, ac fauore ſuo iuuerint.

Principum Oratores Pontificis conſiliū probant, & à Principibus ſuis opem pollicentur.

Pontifex de fine Concilij id eſt executione ſolicitus, de induſtria eiuſdem conuocationem remoratur.

Neque verò hoc Pontificis inſtitutum Principibus omnibus ex æquo placuit. *Hiſpaniarum* quidem Rex & Concilium probabat, & *Tridentum* locum ei deſtinatum; nec Præſules ſolum eò ſe mandaturum recepit, ſed vbi opus eſſet, ſe omnia fauoris ſui

Philippus Pōtificis inſtitutum omnino probat: at Gallos neque de loco aſſentitur,& non tā Tridentinum cōtinuari, quā nouum Concilium inſtitui poſtulat.

Pius 4.
Elizabetha.
Franciscus 2.

sui documenta exhibiturum: sed de ea re nihil, nisi de *Cæsaris*, Galliæque Regis consilio faciendum. At Galliæ Rex Concilij celebrationem probabat, locum vero minime, quòd Præsules sui Tridentum commodè proficisci non possent. Ideo Constantiam, Treuiros, Spiram, Wormatiam, & Haganoam, vti loca magis opportuna commendabat. Quin & illud insinuabat, quæ *Tridenti* hactenus inchoata essent, in ijs non pergendum, sed Concilium prorsus nouum, ijs planè abolitis, instituendum. Quæ res Pontificem mirificè conturbauit, id verbi non ex sua ipsius sententia, sed ex Hugonotorum officina profectum esse arbitrantem.

Ferdinandus rescribit Germanorum mẽtem ante conuentum Ordinum intelligi non posse: quæ mora Pontifici valde placet.

Imperator verò ad Pontificem satis fusè rescribit, se de voluntate Principum *Germaniæ* nisi ipsis prius consultis nihil posse polliceri: nec quid ipsi sentiant, nisi in Conuentu Ordinum Imperij posse expediri. ad Conuentum autem minimè venturos, si vel Concilij mentio vlla inijciatur. Quare consultius sibi videri, vt aliunde quæsito colore primùm conuocentur: dein per occasionem illud de Concilio interponatur. Nam quod attinet eas ditiones, in quas hæreditario iure obtinet imperium, vix sperare, adduci posse ipsos, vt Legatos ad Concilium mittant, nisi concessa ante Calicis communione, permisso sacerdotibus matrimonio, commoda reformatione instituta, ac omnibus, quæ *Tridenti* inchoata fuerant, retractatis. Nomen enim ipsum *Tridenti* adeo omnibus esse odiosum, vt in eam ciuitatem nunquam sint assensuri. *Constantiam* igitur aut *Ratisbonam* magis commodas videri. Id responsum Pontificem reficiebat, cui satis erat exploratum, Ordinum Conuentum anni, aut forte bienij moram allaturum; quemque malè admodum habebat, ex rerum in *Gallia* successibus Concilium præcipitari. Iactabat ille quidem passim sua non valde interesse, quo in loco habeatur; etiam *Spiram*, aut *Coloniam*, aut quamuis aliam Imperij ciuitatem sibi satis placere, dummodo Episcopis de itu & reditu idoneè caueatur: æquius enim esse, vti ijs consulatur, quibus in Concilio suffragij ius est, quàm extraneis. Sed petere, vt quæ *Tridenti* iam decreta sunt, denuo excutiantur, id esse operam & oleum ludere; quandoquidem certum habeat sanguinem ac vitam potius profundere, quàm vt rebus fidei propugnandis desit. Quæ constitutionibus humanis introducta sunt, quo in genere sunt *Communio Calicis*, & *coniugia sacerdotum*, quod in bonum finem instituta, conciliorumque authoritate sunt firmata, vtcumque illa possit ex plenitudine potestatis innouare, tamen ad Concilium potius remittenda censere. Quippe qui persuasum habeat, Lutheranos, etiam ijs concessis, nihilo magis de sententia decessuros. Deplorabat *Imperatoris* imbecillitatem, qui à filio suo non minus quàm ab alijs metuens, Præsules tamen in *Germaniam* itare cupiebat, vbi se vix ijs cauere posse significauerat. Se quidem ne profectionem *Constantinopolin* vsque defugere, modò securitati suæ prospiciatur, quam videat ab *Cæsare* neutiquam expectandam. *Germanos* enim prope omnes esse hæreticos, & *Bohemiæ* Regem esse Patre suo potentiorem. De loco permagni non referre, modo *Italiæ* vrbs aliqua deligatur, quæ sola Catholicis securitatem præstare possit.

Interea suam de loco sententiam promit.

Pontifex Ferdinandum, qui ipse sit meticulosus, idoneum nõ censet, qui caueat aliis.

Illi tamen & Gallo satis modestè, sed in genere respondet.

Hæc cum ille apud suos iactaret, *Cæsari* tamen & *Galliarum* Regi verbis generalibus respondit, se de loco controuersiam non facturum, dummodo ab iniuria tutus sit. Id impensè cogitandum, quantâ curâ seculis omnibus Conciliorum securitati fuerit prospectum, quantoque diligentius eo tempore in eam cogitationem esset incumbendum: interim de oppidis quæ illi probabant, ne verbo quidem addito. At *Regi Hispano* tam bonam mentem gratulatus, eum in proposito consectando confirmat. De subsidio nihilominus quod flagitarat, negotium id varijs difficultatibus implicitum videri volebat, tam ad commoda cleri sustentanda, quàm ad vitandam Regis offensionem, quem in re Concilij sibi propitium cupiebat.

Item Hispano.

In Gallia, Scotia & Belgio Protestantium crescit cum numero audacia.

Iam res Catholicorum in deterius vergebant, Hugonotis in *Gallia* res suas mirificè amplificantibus, & in *Scotia* religionis libertate edicto publico confirmata: necnon *Belgarum* animis ad res nouas primo quoque tempore amplexandas præparatis; quos *Philippus* tamen Rex admirabili patientiâ ab audacibus ausis retardabat, nonnullis rebus ei populo etiam suo cum dispendio & dedecore concessis. Animis enim obstinauerant *Belgæ* nullum Regi tributum pendere, nisi milite Hispano è Prouincia dimisso. In quam rem cùm Rex consensisset, nihilo paratiores ad tributum persoluendum

uendum repperit, sed solummodò ad domesticum militem alendum, ad præsidium limitum ab Ordinibus dispositum, nec à ministris regijs pendentem. Et quidem Rex certus ad minimum quemque rumorem religionis prætextu arma sumpturos, omnia perferre ac pati decreuerat, ardoris huius laxamentum aliquod expectans. Neque enim in *Hispania* nouarum opinionum fauillæ penitus erant extinctæ, sed suppositæ cineri doloso præ metu delitescebant; & in *Sabaudia* præter veteres *Valdenses* nouum Hæreticorum genus prodierat. *Ferdinandus Philippus 2.*

Illud verò ante omnia curiæ Romanæ molestum accidit, quod cum Pontifex per Nepotem suum *Marcum Altempsium*, qui in collegium Cardinalium paulo post ascitus, monuisset *Bohemiæ Regem*, multis honorum & commodorum promissis oneratum, vt in Catholica fide persisteret, spe quoque ostentata successionis in Imperium, si extra officij viam non exorbitaret; Rex ei respondit, se Pontifici de tam propensa voluntate gratias agere maximas, sed animæ suæ salutem rebus omnibus mundanis habere cariorem. Quam quidem loquendi formulam aulæ Romanæ mancipes dicebant idioma esse Lutheranorum, quod alienationem ab obedientia illius Sedis implicet. vnde quæ Imperatore mortuo rerũ facies futura esset, etiam tũ disserebant. *Pium probumque Maximiliani Bohemiæ Regis ad Pontificem de religione eius subdubitantem responsum.*

Interea dum his casibus Pontificis animus exagitatur, adfertur ad eum inter *Venascinenses* ipsi subditos Hugonotorum religionem profitentes in vnum aggregatos disceptatum, an salua conscientia contra ipsum supremũ eorũ in temporalibus dominũ arma sumere possent, ac tandem placuisse, arma sumi posse, quòd ille pro legitimo Principe aut magistratu minimè censendus sit. *Comitatum* enim *Venascinensem* non iure, sed vi *Raimundo Comiti Tolosano* olim ablatum. Dein Ecclesiasticis *Christi* præcepto vetitum, ne vti reges terræ subditis dominentur. Ita *Alexandri Guillotini* I. consulti impulsu arripuisse arma, & se *Carolo Monbrunio*, qui religionis caussa in armis erat, magni in *Delfinatu* nominis, in tutelam dedisse. Hic agrum *Venascinensem* cum tribus peditum millibus ingressus magnam partem ditionis Pontificiæ occupauerat, incolis non inuitis. Huius se conatibus obiecit *Iacobus Maria Vmariensis Episcopus* Cardinalis *Farnesij Auenionensis* Legati Vicarius, cui haud leuis operæ fuit *Auenionem* ipsam sartam tectam conseruare. Neque Pontificem adeo commouit rerum ipsarum iactura, quàm belli causa; quæ, si in exemplum traheretur, Pontificatum à radicibus conuelleret. Itaque destinarat ipsum Legatum *Farnesium* eò mittere ciuitati propugnandæ, nisi motus opinione citius quieuissent. Cardinalis enim *Turnonius*, qui ad aulam *Româ* rediens non longè inde aberat, quòd *Monbrunius* fratris filiam in vxorem duxerat, restitutionem ei omnium bonorum quæ rebellante ipso cesserant fisco, & gratiam à Rege pollicitus, si Gallia excederet; simul spe facta breui reuocatum iri, & libertatem conscientiæ consequuturum, à turbidis illum consilijs abduxit, & vt *Geneuam* migraret, effecit. Sic territorio Pontificis infensi hostis tutela liberato quies reddita, ita tamen vt ex eo suspicionibus, & nouis hostium insultibus magis esset expositum. *In Venascinensi Comitatu, ditionis Pontificiæ, Protestantes duce Mombrunio pro libertate religionis arma sumunt.* *Is motus Card. Turnonij interuentu, qui Mombrunij affinis, non multo post sedatur.*

Cum in *Gallia* augescente Protestantũ numero simul factiones & odia inter Principes crescerent, Rex Augusti die XXI. anni M.DLX. conuentum frequentem ad *Bellaqueum Fontem* indicit; inque vnum conuocatos hortatur, vt oratione breui, quod è publica re esse videatur, edisserant. Ibi Cancellarius orsus mala Regni commemorat, imagine vsus ægroti morbo laborantis, cuius causa ignoratur. Tum post pauca *Gaspar Colinius* ad Regem accedens, libellos aliquot supplices ei porrigit, quos sibi nuper dum in *Neustria* esset, à multitudine hominum datos affirmauit, quibus enixè petentibus vt eos Maiestati suæ exhiberet, operam suam denegare non potuit. Horum hæc summa erat; Christianos fideles per vniuersum regnum dispersos Maiestatem Regiam obtestari, vt se benigno tandem oculo respiciat. tantùm pœnarum crudelitatem deprecari, dum legitimè de ipsorum caussa cognoscatur; ac petere, vt sibi religionem publicè profiteri liceat, ne dum in occulto coetus habent, sinistram de se suspicionem concitent. Dein *Ioannes Monlucius Valentiæ* Episcopus expositis regni malis, collaudataque eorum cura, qui vtili exemplo seditiosos castigauerant, caussam mali remanere dixit, imo cottidie latius serpere, quamdiu religio motibus obtenditur. huic malo *1560. Procerum Regni Conuentus ad fontem Bellaqueum.* *Colinius Regi porrigit supplicationem sibi datam pro libertate religionis.* *Monlucij Episcopi Valentini de regni morbis eorumque remedijs grauis oratio.*

Pius 4.
Elizabetha.
Franciscus 2.

inprimis prospiciendum, quod superiorum temporum incuria neglectum. Pontifices enim Romanos non in aliud fuisse intentos, nisi vt Principes bellis implicarent: Principes rursus decreuisse suppliciorum seueritate malū coercere, sed in fœlici satis successu. neque magistratus æquabile temperamentum in iuris administratione tenuisse, neque Episcopos quod sui erat officij fecisse. præcipuum mali remedium esse, Deum precibus fatigare. Tum conuocandos ex vniuerso regno homines pios, qui de vitijs Ecclesiasticorum extirpandis consilia capiant, qui cantiones profanas & impudicas facessere iubeant, psalmis & hymnis sacris lingua vernacula in earum locum introductis. quorum si ea, quæ hominum manibus teritur, interpretatio parum sincera videtur, errores notandos, neque ea quæ vtiliter vsurpari possunt, reijcienda. Alterum remedium esse Concilium generale, ad huiusmodi dissidia componenda semper vsitatum. Neque enim videre se, quo modo Pontificis conscientia vel horæ momento possit quiescere, qui quotidiè tot animas perire conspicetur. quòd si Concilium *vniuersale* obtineri non possit, tum ab Rege *Caroli Magni*, & *Ludouici Pij* exemplo *Nationale* cogendum. Scilicet grauiter ab ijs peccari, qui religionis prætextu armis sumptis tranquillitatem publicam conturbant, contrà quàm priscis Ecclesiæ temporibus factum. verùm non minus peccari ab ijs, qui nouæ huius doctrinæ sectatores, solo pietatis studio adductos, capitali supplicio mulctant. ad mortem enim fortiter pergentes, & fortunarum iacturam contemnentes, spectantis multitudinis animos irritare, & in plerisque studium excitare cognoscendi de ea doctrina, propter quam homines tot mala tam constanter perpetiuntur.

Qua pro impudicis cantilenis psalmos Dauidicos Gallicè decantari cupit.

Eius orationem excepit *Carolus Marillacus* Archiepiscopus *Viennensis*, qui remedium illud de Generali Concilio etiam probabat, sed huiusmodi esse dicebat, quod optari potius quàm sperari debeat, ob difficultates, quas & ipsi spectauerint, & in tali negotio solent vsuenire. Satis notum, quantos *Carolus V.* labores in Concilio procurando susceperit, & qualiter eum Pontifices ludificati sint. præterea morbum, quo iam *Gallia* conflictatur, adeò acutum esse, vt temporis ratio vix permittat è longinquo medicum accersere. Ad nationale igitur Concilium esse recurrendum, exemplo ab huius Regni consuetudine haud alieno: quandoquidem à *Clodoueo* ad *Caroli Magni* tempora, & inde vsque ad *Carolum Septimum* Concilia modò in vniuerso Regno, modò in parte aliqua constet fuisse celebrata. quando itaque malum *Galliam* vehementer premat, amplius non cunctandum, neque impedimentorum, quæ à Pontifice afferantur, rationem habendam. Interea statuendum vt Præsules in sua quisque diœcesi resideant: neque *Itali*, qui tertiam Sacerdotiorum regni partem occupant, absentes ex ijs fructus percipiant: vt simonia omnis, & fœdæ nundinationes ex Ecclesia exulent; idque obtineat, quod *Ancyrano* Concilio constitutum, ne, dum Sacramenta ministrantur, eleemosynas corrogare liceat. Id enim consilium & Cardinales, & Præsules ab *Paulo III.* Pontifice ad Ecclesiæ reformationem delectos approbasse: & *Paulum IV.* cum Cardinalis esset, vtcunque postea ad bellum ac pompas attentiorem, necessarium duxisse. quod nisi fiat metuendum ne *Bernardi* prædictio adimpleatur, fore, *vt Christus de cœlo descendat, ad Sacerdotes hoc æuo, vti olim mercatores, è templo abigendos.* Tum ad remedia aliorum regni malorum prosequenda pergit. Cùm *Colinius* inter alios diceret sententiam, de libellis à se oblatis hoc testatus est, cum subscribi peteret ab ijs, à quibus eos acceperat, respondisse, quinquaginta mille homines, si opus esset ijs subscripturos.

Archiepisc. Viennensis inter remedia Concilium Nationale summopere commēdat.

Bernardi de Sacerdotibus prædictio.

Protestantium de religione supplicantium numerus.

Franciscus Guisius, cum ad eum sententiæ dicendæ vices peruenissent, de religione quidem aiebat velle se doctiorum iudicio stare. cæterum hoc protestari, nullum apud se vnquam tanti fore Concilium, vt ab antiquo maiorum cultu vel hilum deflectat. Et Cardinalis demum *Lotharingus*, postquam de alijs nonnullis disseruisset, ad rem religionis veniens libellos exhibitos superbissimos esse dixit. si ijs, qui illos fabricauerant, publicum religionis exercitium permittatur, hoc facto doctrinam eorum approbari. porrò perspicuum esse, à maiori parte religionem in turbarum occasionem sumi, in quos ille seuerè censeat animaduertendum. cum illis verò, qui sine armis sola conscientia ducti religionis caussa coeunt, mitiùs esse agendum; docendoque ac monendo ad officium reducendos. Ea gratia Præsules ad munia sua ablegandos.

Ducis Guisij & fratris Cardinal. Lotharingi sententia.

his

His remedijs sperare se absque Concilio vniuersali aut Nationali rebus omnibus prospectum iri. Cum sententijs vix satis conueniret, factum eius mensis die XXVII. Decretum, vt decimo decembris in *Meldorum* ciuitate conuentus Regni haberentur. Et quando ab Pontifice spes facta sit de Concilio vniuerso breui conuocando, nisi id effectum detur, vt Episcopi Ianuarij die XIII. quò Rex iuberet, conuenirent; ac de Nationali celebrando consultarent. Interea supplicia religionis nomine differrentur, nisi in eos, qui armis plebem ad seditiones concitassent.

Ferdinandus Philippus 2.

Conuentum Ordinũ regni habendum decernitur: item alium Episcoporum.

Pontifex, quid in conuentu ad *Fontem Bellaquaeum* decretum esset, certior factus, ad Cardinalem *Turnonium* scribit; vt Episcoporum conuocationem quam poterit diligentissime amoliatur: id si effectum dare nequeat, tum *Romam* reuertatur. Itaque Septembris die XXIII. accersitis ad se Principum Legatis, necessitatem ostendit Concilij Oecumenici primo quoque tempore conuocandi, quod alioqui Gallis certum sit Nationale celebrare. Se quidem scripsisse ad Cardinalem *Turnonium*, vt qua posset, illud impediret: sed vt impedimentum successu cariturum sit, vereri. Atque illos procul dubio dicturos Nationale ideo haberi, quia ipse adeo cunctanter ad Generale indicendum accesserit. Ergo *Concilium Tridentinum* sibi necessariò aperiendum, & suspensionem tollendam. Locum eum, qui sit inter *Germaniam* & *Italiam* esse certe maximè opportunum, quicquid alij *Spiram* aut *Treuiros* aliaue loca præferant. Ea, modò securitatem præstent, imo ne *Constantinopolin* ipsam recusare. At quam fidem habendam ijs, qui proiectæ fidei sint? Neminem Catholicum ijs locis satis tutum, ne ipsum quidem *Cæsarem*. Si *Tridentum* minus placet, non deesse in Ducatu *Mediolanensi*, in Regno *Neapolitano*, in *Venetorum*, *Sabaudi* aut *Florentini* Principis ditionibus oppida satis idonea. Sed vt decreta iam facta reuocentur, frustra esse, qui id postulent. Sibi enim decretum ea neque reuocare, neque confirmare, sed ad Concilium modò referre, quod Spiritus S. præsidio, ea quæ Deus volet, sit definiturum. Concilium illud in *Gallia* Nationale pessimi fore exempli, à *Germanis* mox ad imitamentum trahendum, imo modus inde in *Italia* consequuturos, nisi maturè obuiam eatur. Illis enim haud dubiè propositum, etiam Pontificatum, & quæ propriè eius sunt, Concilio subijcere. At apud se valiturum semper illud *Pro fide & religione volumus mori.* Inuitatis deinde Principum Oratoribus vt quid sui esset de ea re consilij exponerent, Legatus *Cæsaris* sentiebat aliquam temporis moram adhuc interponendam, quod is esset rerum *Germaniæ* status, vt *Ferdinandus* assentiri non posset. Quibus verbis cum commoueretur Pontifex, & Legatus subijceret, conciliandos prius Principum *Germaniæ* animos, Pontifex iam magis exasperatus negauit ad eam rem suppetere tempus. Tum Legatus, vereri se, ne is motus hæreticos contra ipsam *Italiam* concitaret. Ad quæ ille alta voce exclamat, neque Deum caussæ suæ patrocinium deserturum, neque defuturos sibi Principes Catholicos; quin & copias & pecuniam subministraturos. At *Hispanus* consilium Pontificis dilaudans, de Regis sui in ea caussa fauore securum esse iubet, qui ea gratia *Antonium Toletanum* in *Galliam* iam miserit. Reliquorum item Principum Legati à suis fauorem subsidiumque pollicentur: ideoque rem omnem ipsis significare iussi dimittuntur.

Pontifex ad amoliendam Episcoporum in Gallia conuocationem Oratoribus Principũ persuasum cupit, esse sibi decretissimũ Conciliũ Tridentinum à perire.

Cæsaris orator moram interponendam censet ad Germanos conciliandos: atq; id Pontifex stomachatur.

Paulo post Cardinalis *Turnonius* scripsit ad Pontificem, se, cum omnes ingenij machinas adhibuisset, neque Regem, neque Sanctioris Consistorij consiliarium vllum à Nationalis Concilij conuocatione potuisse demouere. Imo ne sperare quidem, quæ sequentur tempora, huic negotio accommodatiora, rerum statu manifestò in deterius vergente. Et *Hispaniarum Rex*, misso ad eum responso, quod è *Gallia* reportarat *Toletanus*, vna scripsit, Regem illum sese excusare, quòd cùm ex officio teneatur publicis Regni malis omni ope mederi, nullum præsens remedium nisi à Concilio Nationali occurat: neque ipsi mirum videri debere, si vterque ad propulsanda regnorum suorum incommoda seorsim id præstent, quod ipsis Pontifice consociato erat faciundum. Quæ verba Papam immane quantum conturbarint, in eum sensum accepta, ac si *Hispanus* in *Belgio* idipsum esset tentaturus. Verùm postmodum apparuit hanc fuisse Pontifici mentem, vt si Concilium plane declinare non posset, saltem vsque eò protolleret, quoad familiæ suæ res constituisset. Videbat enim omnino necessarium

Card. Turnonius è Gallia, & Rex ipse ex Hispania Nationalis Concilii necessitatem Pontifici per literas indicantes, ad Generale celebrandum impellunt.

Pius 4. Elizabetha. Franciscus 2.

sibi, si Concilium indiceretur, vita exemplari alijs omnibus præire, ad Præsules tenuiores alendos magnos sumptus facere, alijsque ad Synodum rebus comparandis ærarium suum exhaurire. Videbat item quicquid sibi esset temporis, id omne in vnico hoc negotio ponendum, neque otium fore ad priuata de familiæ suæ amplificatione desideria explenda. Statuit igitur sed grauatè admodum Concilij indictionem vltra non differre. Vnde XX. Octobris Cardinalibus conuocatis exponit, quid *Galliæ* Rex *Antonio Toletano* responderit, quid etiam ad se scripserit, & quid Cardinalis *Turnonius:* quid denique dudum è *Gallia* acceperit; decretum nempe *Gallis* ad Concilium, quandocumque indicatur, omnino non proficisci, nisi Protestantes quoq; de eo recipiendo consentiant. Quæ quidem res cunctos mirificè conturbauit, metuentes, ne Galli, etiam post inchoatum generale Concilium, in nationali suo cogendo persisterent, neq; ipsi modò à Sedis Apostolicæ obedientia subducerentur, sed & in se reliquis omnibus Christiani orbis populis exemplum statuerent eiusdem obedientiæ iugum excutiendi, Principibus suis siue eò propendentibus, siue inuitis.

Priuata Pontificiis ab Concilio detrimenta. A Gallorum Nationali Cõcilio Pontificis & Cardinalium metus.

Alia item turbamenta.

Neque quorundam opinione, in eo parum erat momenti, quòd Cardinali *Tridentino* iam ante prædictum fuerat, ne amplitudinem suam ciuitate ea offerenda nimiopere ostentaret: quin potius meminerit *Cæsarem* eius Dominum agnoscere, cuius nisi voluntate prius explorata, de ea ciuitate in tanto negotio statuere nec debeat, nec possit. Voluntatem porro ipsius tum satis testatam, cum Comitia Imperij ante celebranda denuntiarit. Quin nec leuiter conturbabant eos *Antonij Toletani* literæ, quibus scriptum erat, permultos è primaria nobilitate, & ex ipsis Episcopis studio rerum suarum promouendarum peculiariter fouere opinionum nouitates. De communi tamen purpuratorum omnium patrum sententia, vno Cardinali *Ferrariensi* excepto, pronunciatum, suspensione sublata, Concilium aperiendum; Pontifex vero ipse tempus aperturæ designauit *D. Martini* festum. Nam vti pericula imminentia prospiciebat, ita bona spe eorundem superandorum sese sustentabat. Immo Cardinales, aliosque à se pendentes hoc aspectu solabatur, quòd ex Nationali Concilio multo plus damni ad *Galliam*, quàm ad Sedem Apostolicam esset peruenturum. Ad Pontificem enim non supra XXV. aureorum millia annua ex emolumentis eius regni prouenire. Verùm altera parte, summam esse Regis in beneficijs conferendis authoritatem, à Pontificibus ipsis concessam; quam omnem amissurus sit authoritate Pontificia sublata, & succedente in eius locum *sanctione Pragmatica.* Tum Canonicis Episcopos eligentibus, & Monachis Abbates, Regi omnem eam beneficiorũ distributionem necessariò decedere. Itaque nihil esse, quod ipsi animum tam miserè excruciet, ac animarum iacturam. Quod si Deo visum populi Gallicani delicta ac præsertim infidelitatem hac via castigare, sui non esse arbitrij aliud statuere.

Papa tamen de assensuCardinaliũ diem designatCõcilio aperiendo.

Et detrimenta reputat maiora Regi Galliarũ, quàm sibi obuentura ex Synodo Nationali.

Ineunte Nouembri ab aula *Cæsaris Romam* alteræ peruenerant literæ, quibus ille de Concilio verbis generalibus est professus, se, quantum in ipso situm esset, quicquid *Papæ* probaretur, facturum: sic tamen iudicare, si Concilium extra *Germaniam* habeatur, aut certe *Concilium Tridentinum* sublatis suspensionibus continuetur, nihil inde boni manaturum; quin potius maius odium in Protestantibus excitaturum; ac periculum esse, ne armata manu illud interturbent: qua de re varij sermones ad aures eius acciderant. Sin verò nouum Concilium instituatur, spem subesse, permultis eorum posse persuaderi, vti eò proficiscantur. Inde à Cardinalibus in varias sententias itum, omnibus tamen censentibus, nisi *Concilium Tridentinum* continuetur, omnia quæ sint decreta, inania atque irrita meritò æstimari posse: quippe à nullo hactenus Pontifice confirmata. Re itaque à Pontifice in Senatu Cardinalium ad deliberandum proposita, in vna congregatione diu multumque disceptatum est, sed ad suffragia nequaquam ventum. In altera vero cum ferenda essent suffragia, Cardinalis *Carpensis* copiosa oratione ostendit Concilium sola suspensione dempta omnino continuandum: ad quam opinionem *Cesius* & *Pisanus* Cardinales accesserant. At *Tridentinus* quòd hìc ageretur *de summa rerum* tot difficultatibus referta, satius putauit aliquanto plus temporis interponere ad deliberandum. quam sententiam cæteri omnes Cardinales sequuti. Atque commodum sub vesperam diei sequentis per Cursitorem è *Gallia* festinantem significatum, nisi Concilium Generale indiceretur, in Rege situm

Ferd. Cæsar in gratiã Protestantum nouum Conciliũ institui postulat, non autem vetus continuari.

Cardinales contrà sentiunt, Tridentinum continuandũ dempta suspensione.

De tempore Card. Tridentinus non adeo festinandum censet, sed moram interponendam.

non esse Nationale porro prohibere. Neque esse quod de *Tridento*, alioue intra Italiam loco sermonem instituant. Nam, cum à tot annis propter *Germaniæ* necessitates Concilium sit expetitum, ac nunc summum à *Gallia* periculum accedat, æquissimum esse, vti locus vtrique nationi periclitanti commodus deligatur: alioqui operam omnem frustra impendi, *Germanis* ac *Gallis* eò venire renuentibus. Iniectum igitur de *Constantia*, & *Vesontione*; simulque additum, si quis in *Gallia* locus idoneus videatur, Regem de cautione fidem suam interpositurum. Quamobrem Pontifex vltra non cunctandum ratus die XV. Nouembris in Consistorio proposuit, Dominica proximè sequenti supplicationem in cinere ac cilicio habendam, peccatorum veniam, vt in anno Iubilæo, concedendam, & decantandam missam Spiritus Sancti, pro eo, quod iam tandem deliberatum sit Concilium Tridenti celebrare. quod tamen oppidum non aliter se amplecti affirmabat, quàm vt, si post conuocatum ibi Concilium alius locus magis opportunus reperiatur, eò Concilium translaturus sit, eóque ipse, modò securum comperiat, libenter profecturus: verùm ea lege, vt quæ Tridenti iam decreta, firma maneant, ea potius, quam vt infringi ac temerari patiatur, vi armisque propugnaturus. Et quoniam de forma diplomatis proxima erat cura, Cardinales diebus singulis in vnum venientes consultabant, an non edicendum palam esset, sublata suspensione, superiorem Synodum continuari; quod Pontifex ideo factum volebat, ne ante tractata ad examen denuo reuocentur. Qui *Cæsari* & *Gallis* studebant Cardinales, apud Papam & delegatos satagebant, vt Concilium nouum indiceretur. Sic enim eò venturos *Germanos* & *Gallos*, ibique posse determinari, de ijs quæ iam definita sunt non retractandis. alioqui Protestantes prima fronte illud repudiaturos, quasi frustra huic se Concilio essent subiecturi, à quo inaudita caussa iam iam sunt damnati. At è contrario *Hispani*, & qui tum temporis *Romæ* fuerat *Princeps Florentinus*, id dabant operam, vt suspensio modo tolleretur, & non nouum Concilium, sed iam inchoati continuatio diceretur. Pontifex vero ac delegati, quò vtrisque satisfacerent, mediam sequuti sunt viam. Statim itaque promulgat *Iubilæum*, & quaquauersum mandat; dein mensis XXIV. ipse purpuratis Patribus aulaque omni comitatus, à *D. Petri* ad *Mineruæ* cum solemnibus supplicationibus pedes incedit, sed ea, quæ cum huiusmodi obsecrationibus parum conueniebat, confusione. Legati enim Principum ante crucem incedere soliti, cum viderent post eam sequi Episcopos, & post hos *Ducem Florentinum* inter duos minores Cardinales, hunc illi quoque sibi locum deposcebant, indeque rerum pertubatio sequuta. Eam Papa vt compesceret, post aliquam altercationem, locum ipsis inter se, & Cardinales qui ipsum præcedebant, designandum curauit.

Ferdinandus Philippus 2.

Locum verò Tridentum aut aliquem in Italia Galli non probant: magis Constantiam & Vesontionem.

Pontifici Tridentum placet, sed ea lege, vt si alius locus opportunior offeratur, Tridentum sit relictu-rus.

In formando diplomate inter Cardinales disceptatur, vtrum Synodus superior continuanda, an noua indicenda.

Iubilæum cũ veniarum cõcessione promulgatur.

In Consistorio die XXIX. indicta Concilij conuocatio, cuius bulla tunc inscripta, *Bulla Indictionis* Concilij Tridentini, eàque forma plerisque in locis edita: vtcumque postea, quando omnia Concilij decreta simul euulgata fuerunt, voce ea mutata, vox *Celebrationis* in eius locum irrepserit. Eius porro hæc summa erat.

Bulla Celebrationis Cõcilij Tridentini sub Pio IV. Pont. Max.

Se quidem Pontificem, ex quo ad Ecclesiæ regimen vocatus sit, in eam curam incubuisse, quem ad modum hæreses extirpare, sectas & schismata extinguere, & deprauatos mores emendare posset. Ad ea mala sananda aptissimum remedium Concilium Oecumenicum adhibere decreuisse: à Paulo quidem III. & eius successore Iulio iam pridem conuocatum, sed varijs caussis interpellantibus nondum perfectum. Tum commemorata rerum inibi gestarum serie, Concilijque dilati ac suspensi caussa attributa varijs impedimentis ab humani generis hoste obiectis, ad tantum Ecclesiæ commodum saltem quam diutissime retardandum, quod prorsus impedire non poterat; subiungit, interea temporis & hæreses multiplicatas & schismata adaucta. Nunc vero, postquam dignatus sit Dominus, Regibus ac Principibus Christianis donare pacem, se occasione ea oblata in maximam spem accensum posse tantis Ecclesiæ malis finem eadem Concilij via imponi, ad schisma hæresesque

Pius 4. Elizabetha. Franciscus 2.

tollendas, ad corrigendos mores, & ad pacem inter Christianos Principes conseruandam, eius celebrationem non differendam diutius duxisse. De consilio igitur Cardinalium, factisque eius consilij certioribus Ferdinando *Romanorum* Imperatore *electo, alijsque Regibus ac Principibus, quos ad Concilij celebrationem inuenerit paratissimos, ex authoritate diuina, &* Beatorum, Petri, *ac* Pauli Apostolorum, *in ciuitate Tridentina ad Dominicæ resurrectionis diem, sacrum Oecumenicum Concilium sublata suspensione quacumque indicere. Adeoque Patriarchas omnes, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, cæterosque, quibus iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua consuetudine in Concilio sententiam dicere licet, hortari, atque sub pœnis, quæ sacris Canonibus sunt constitutæ, mandare, vt nisi impedimento fuerint legitimo præpediti, ad Concilium intra eam diem veniant; ac simul omnes & singuli quorum interest, aut interesse potest, vt in Concilio adesse ne negligant.* Romanorum *præterea* Imperatorem, *cæterosque Reges & Principes rogare, vt, si ipsi Concilio interesse non poterint, Oratores ac procuratores suos mittant, curentq́, vt ex eorum regnis atq́ dominijs Prælati sine recusatione ac mora officium Ecclesiæ debitum præstent; vtque ijs, eorumque comitibus liberum ac tutum iter sit, sicut ipse quod suæ sit potestatis nihil prætermittere decreuerit: quippe, qui in hoc Concilio celebrando aliud nil propositum habeat, nisi Dei gloriam, dispersarum ouium reductionem, & perpetuam Christianæ Reip. tranquillitatem. Mandare denique vt diploma hoc Romæ publice recitetur, eaque publica recitatio post duos menses à die publicationis omnes & singulos diplomate comprehensos perinde obliget & astringat, ac si coram ipsis lectum fuisset.*

Pius diploma suum in Galliam, Germaniam vtramque, & Hispaniam mittit.

Existimauerat Pontifex hoc diplomate sibi satisfactum, & tum illis, qui noui Concilij indictionem expetebant, tum his, qui iam inchoatum continuari malebant. ast, vti in consilijs medijs vsuuenire solet, vt vtrisque partibus minus grata sint, ita hic Pontifex neutris satisfecit, sicuti mox dicetur. Continuò à publicato diplomate, Papa *Nicheto* in *Galliam* dat perferendum cum mandato, vt si eius forma minus placeat, significet, non esse cur offendantur voce *Continuare*, quod per eam non obstet, quin iam olim proposita denuo tractari possint. Idem quoque ad *Imperatorem* & in *Hispaniam* misit. Designati quoque in *Germaniam Zacharias Delfinus Pharensis* Episcopus, & *Ioannes Franciscus Comendonus Zacynthi* Antistes, ille ad superioris *Germaniæ* Principes, hic ad inferioris Nuncius, cum literis ad singulos, & mandato, vt cum *Cæsare* prius consultent, quàm Legationem exequantur. Præsulem quoque *Hieronymum Martinengum* Pontifex destinarat in *Angliam*, qui *Reginam* Regnique Episcopos inuitaret ad Concilium, ab *Eduardo Carno*, quem supra nominauimus, persuasus, dimidiam Regni partem, etiam de Reginæ voluntate, Nuncium obuijs vlnis amplexuram recipiente. Ac licet non deessent, qui Pontifici aurem vellentes monerent, parum esse è dignitate Sanctæ Sedis Nuncios mitti in *Angliam*, aut ad alios Principes, qui manifesta secessione Sedis Romanæ obsequium eierassent; respondit, videri non alienum à dignitate sua etiam hæreticis se submittere, neque Apostolicæ Sedi quidquam dedecorum esse, quod animabus Christo Saluatori lucrifaciendis conducat. Qua de caussa missus & *Canobius* in *Poloniam*, cum mandato, vt in *Moscouiam* etiam transiret, & *Moscum* gentemque eam euocaret ad Concilium, licet ipsi Ecclesiæ Græcæ addicti, Pontificis Romani imperium nunquam agnouissent.

Et per Martinengum in Angliam.

Et per Canobium in Poloniam & Moscouiam. Tum viros doctos ac probos è diuersis nationibus euocandos censet, etsi Protestantes non venturos præuideret.

Cum ad verba de Concilio in Consistorio Cardinalium altera vice facienda Pontifex reuertisset, rogauit Cardinales vt ederent sibi nomina virorum in diuersis prouincijs literarum vitæque probe actæ opinione commendatissimorum, qui & ad disserendum acumine, & ad persuadendum integritate præstarent: quorum permultos quòd accersere constituerit, nihilque reliqui facere, vt Christiani omnes

omnes in vnam religionem coalescant, sibi suisque deque faciendum putauit, si nonnulli, imo si plurimi tam bellam occasionem oblatam respuant. Iam enim animo præceperat, quòd illum non leuiter afficiebat, Protestantes *Germaniæ*, quibus complures è *Gallia* sese adiunxerant, aut omnino non venturos, aut tam iniqua postulaturos, vt his nunquam assentiendum habeat. Verebatur etiam ne vi armisq; Concilij actiones immani ausu interturbarent. Neque verò *Cæsaris* auxilijs multum confidebat, cuius vires reprimendis eorum conatibus impares esse sciebat. Vnde periculorum magnitudine, & remediorum inopia diligenter considerata, animi anxius æstuabat.

Ferdinandus. Philippus 2.

Iam diploma Concilij ad Protestantum in *Germania* manus peruenerat, ad nuptias Comitis * *Sanzemburgensis* congregatorũ, qui in diem vicesimum Ianuarij Conuentum *Naumburgum* indixerant. Porro contra diploma illud *Vergerius* Episcopus quondam *Iustinopolitanus* libellum ediderat, quo contra pompam, luxum & ambitionem Curiæ Romanæ acriter inuectus, addit, Concilium à Pontifice indictum, non, vt oportuit, ad doctrinam *Christi* stabiliendam, sed ad miserarum animarum seruitutem & oppressionem. Ad illud non alios euocari, quàm qui Papæ iureiurando sese iam obligauerint: cæteros omnes inde excludi, non eos solùm, qui se ab Ecclesia Romana separauerint, sed peritissimos quosque ex eadem Ecclesia doctores, libertate, in qua vna spes concordiæ reliqua erat, plane sublata.

Paulus Vergerius scripto edito Pontificium diploma insectatur.

* *Hennebergensis.*

Circa idem tempus *Romam* perlatum est, a *Francisco Galliæ* Rege Principem *Condæum* custodiæ traditum, & *Nauarræ Regi*, adempto ei proprio stipatu, custodes appositos. quæ res Pontifici grata admodum accidit, quippe quæ *Concilium Nationale* disturbatura videretur. Vbi verò hunc nuntium excepit alter de ingrauescente Regis morbo, & extremo vitæ discrimine, tum ille bene ac fortiter sperare nihil esse à Concilio *Gallicano* periculi: ijs certe occasionibus factum, vt nec Ordinum Regni Conuentus *Meldis*, sicuti decretum fuerat, haberentur, & maximæ rerum mutationes deinceps sint insequutæ. Cum enim *Franciscus* Rex Nonis Decembribus mortalitatem exuisset, & *Carolus* frater in regnum successurus non nisi decennis esset, regni administratio propter infirmam Regis ætatem iuxta imperij Gallici Leges *Nauarræ* Regi tanquam proximo Regis consanguineo defertur: sic tamen vt *Catharina* Regis parens, quæ sub Rege superiore filio regimini assueuerat, pristinam potentiam retineret; *Nauarro*, ad tranquillitatem regni, authoritatemque suam facilius tuendam, vt in societatem regiminis fœmina ambitiosa veniret, haud recusante. Et *Nauarrus* quidem cùm ipse religioni nouæ fauebat, tum in omnibus negotijs consilio vtebatur *Gasparis Colinij* maris Præfecti, eam religionem palam profitentis. Vnde Protestantes in spem erecti maiorem conscientijs suis religionis libertatem impetrandi, quod in primis flagitabãt, cœtus publicè habere cœperunt, non citra periculum suum, certe cũ maxima plebis & fremitu & offensione tendentis ad seditionem. Itaque *Regina* mater de consilio primariorum Consistorij sacri Senatorum statuit Ordinum Regni Conuentum habere *Aurelijs*, cui initium datum die XIII. Decembris.

In Gallia Cõdæus Princeps custodiæ traditur, & Nauarrus secretis custodibus circumdatur.

Franciscus 2. moritur, & Carolus IX. decennis ei succedit.

Regni regimẽ Nauarro & Catharinæ defertur.

Conuentus Ordinum Aurelias indicitur.

In hoc conuentu inter alia quæ Regni bono proposita fuerant, *Cancellarius* monuit, Religionem potentissimum esse in animis hominum telum, affectus cunctos & caritates superans, & arctiori nodo, quàm cætera humanæ societatis vincula, mentes constringens. regna religione magis, quàm limitibus contineri; ac rursum religione magis, quam limitibus diuidi. Ac proinde qui religione ducuntur, vxores, liberos, omnesque necessitudines parui pendere. Si in eadem domo religionis diffidium sit, patri cum liberis, fratri cum fratre, & marito cum vxore non conuenire. His discordijs vt obuiam eatur, opus esse Concilio, cuius spem nunc faciat Pontifex: sed interim minimè committendum, vt quisque sibi quam velit, religionem fingat, aut nouos ritus pro lubidine inducat, cum tranquillitatis publicæ turbamento. Si remedium Concilij à Pontifice cesset, Regem alia via necessitati publicæ consulturum. Verùm par esse, vt in se sanando quisque medicam manum adhibeat. Vitam enim intaminatam efficacem esse ad persuadendum orationem. Vocabula *Lutheranorum*, *Hugonotorum*, ac *Papanorum*, quæ non minus factionem sapiunt, quàm *Guelphorum* & *Gibellinorum*

In Conuentu Aurelianensi Hospitalius Cancellarius orationem habet.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Ordinis plebeij nomine verba fiunt, quibus Ecclesiastici Ordinis vitia notantur.

Rupifortius Nobilitatis nomine orationem habet fiduciæ plenâ.

Quintini pro sacro ordine oratio ad adulationem composita.

bellinorum, exterminanda esse; contraque eos armorum vim adhibendam, qui cùm auaritia, ambitione, rerumque nouarum studio agantur, religionis nomen facinoribus obtendunt. *Ioannes Angelus* in Senatu *Burdegalensi* patronus, pro plebe verba facturus, in Ecclesiastici Ordinis mores corruptos ac disciplinam multis est inuectus, tria in primis vitia inter eos taxans, ignorantiam, auaritiam, & luxum, omnium malorum, & errorum suppullulantium caussas. Ea singillatim prosequutus, petijt demum, vti omnibus ijs malis legitimi Concilij celebratione mature prospiceretur. Dein Nobilitatis nomine orationem habens *Iacobus Rupifortij* Comes, inter alia, Ecclesiasticæ disciplinæ corruptæ caussam adscripsit immensis Regum procerumque donationibus in Ecclesias collatis, attributa etiam Iurisdictione: cuius ratione fiat, vt, quod est absurdidissimum, quibus in preces, verbique prædicationem omnino erat incumbendum, ij vitæ ac fortunarum ius in Regis subditos exerceant, id in Ecclesiastico ordine necessario emendandum. Sub finem verò orationis libellum supplicem Regi porrigit, templa in quibus publicè ad sacra peragenda conueniant, nobilium nomine deposcens. Pro Clero dicendi partes cùm *Ioanni Quintino Heduo* obuenissent, ille Comitia in Gallia instituta dixit, vt Regni necessitatibus atque incommodis prospiceretur, non autem ad Ecclesiam emendandam, quæ errare non potest, nullis maculis aut rugis deformata, sed æternum formosa & incorrupta: vtcumque disciplina aliqua parte collapsa reformationis indigeat. Itaque minimè audiendos, qui sectas pridem sepultas effodientes, templorum seorsim à Catholicis vsum petant, sed pro hæreticis puniendos. Iustumque esse vt eorum postulata Rex auersetur, omnesque sibi subiectos populos iuxta præscriptam in Ecclesia formulam credere & viuere cogat: nec ijs, qui religionis caussa regno excesserunt, postliminio domum redeundi facultas sit; sed supplicio capitali hæreseos tabe infectos coerceat. Ecclesiasticum verò Ordinem sic facillimè reformari posse, si in posterum clerus minimè decimetur; si collegijs Præsules suos eligendi potestas restituatur. Animaduersum enim esse, anno M.D.XVII. eodem quo sacrarum electionum ius Pontificis permissu in Regem est translatum, *Lutheri* hæreses enatas, quem *Zuinglius* cum alijs sequuti. Postremò immunitatum ac priuilegiorum sacri Ordinis confirmationem petijt, tributorum vero & onerum alleuamentum.

Rex de Concilio Tridentino, & re Religionis, quid fieri velit, declarat.

Hic Rex Præsulibus significat, vt se ad Concilium, quod indictum erat *Tridentum*, instruerent. Mandauit item Iudicibus per præfecturas, vt vinctos ob religionem soluerent, lites contra illos intentatas omitterent, delicta hucusque admissa condonarent, ijsque bonorum possessionem restituerent: pœnâ capitis contra eos, qui sibi inuicem ob religionem male dicerent, facerentue, denuntiatâ. Moniti quoque omnes, vt ritus in Ecclesia receptos omisso nouitatis studio, sequerentur. Inde, quæ porro in Comitijs tractanda erant, in Maium proximum reiecta, quando de libello quoque à *Rupifortio* Protestantium nomine exhibito Comitijs proximis esset agendum.

Pius per Nuncium, & Hispanus per Oratorem, Catharinam in morte filij solantur.

Vbi vero allatum *Romam* de morte *Francisci* Regis, & ab Cardinali *Turnonio* significatum de Reginæ matris cum *Nauarro* consociatione, Pontifex animo vehementer indoluit, veritus, ne Protestantibus frænum hoc ipso magis laxaretur. Itaque & ipse in *Galliam* misit *Laurentium Lentium* Episcopum *Firmanum*, & *Hispaniarum* Regem perpulit ad *Ioannem Manriques* eòdem mittendum, qui & *Reginam* de morte filij consolaretur, & officiosè religionis eius in qua nata & educata fuerat, curam ei commendaret. Qui tum memoriam maximorum beneficiorum ab Sede Apostolica per *Clementem* VII. acceptorum refricaret, tum moneret eam, vt neque subditis eam licentiam permitteret, ex qua schisma nasceretur; neque malis præsentibus atque impendentibus aliunde quàm ab Ecclesia Romana remedia conquireret. Eâ enim gratiâ Concilium nuper indictum: sed interea ipsi prouidendum, ne à pietatis semita *Galliæ* regnum exorbitet, aut Concilio iam indicto præiudicium fiat.

1561.

Manrices & Guisiani Nauarrum de regno sibi adempto satisfactionem postulantem, luculentarum conditionum ostentatione ludificantur.

Hoc rerum statu desijt annus M.D.LX. scenâ ad vicissitudines & nouitates maiores satis instructâ. Anno sequenti *Ioannes Manriques* in *Franciam* profectus, litteris fiduciarijs exhibitis, acceptoque cùm de religione, tum de Concilio responso benigno ac fauorabili, dum ex occasionibus argumentum illud prosequitur, Reginam hortatur

hortatur ad supplicia de Hugonotis sumenda, minas precibus admiscens. Sed hic obstabat *Nauarrus* omnes *Hispani* conatus interturbans assiduis apud Regem postulatis, vti sibi de *Nauarra* regno, maioribus suis per iniuriam adempto, satisfiat. Vnde *Manriccs* cum *Guisianis* alijsque consilio communicato, qui eum Catholicis, Pontifici, ac Concilio fauorabilem cupiebant, has ei proponunt conditiones; vt Catholicæ religionis patrocinium in *Gallia* susciperet; vt *Ioannam Labretanam* vxorem, *Nauarræ* iure hæreditario *Reginam*, quippe hæresis veneno infectam, repudiaret, iure tamen quod illi competit in eo regno ac ditione retento, quo illam Pontifex propter hæresim excidisse sit declaraturus; vt *Mariam Scotorum Reginam* in eius locum vxorem duceret, cuius doti *Anglia* regnum esset accessurum, deturbatâ inde Pontificis auspicijs *Elizabethâ*. Ad hæc exequenda *Guisiani* ei & Pontificis authoritatem, & *Hispani* Regis opes ac copias spondebant: simul *Sardiniæ* regnum *Nauarræ* regni loco, compensationis titulo à *Philippo* accepturum. Quæ quidem illi summo artificio Principi ingenio facili diuersimodè ostentantes, cassa spe lactatum ad mortem vsque ludificati sunt.

Ferdinandus. Philippus 2.

In *Germania* autem Principes *Augustanæ* confessioni addicti *Naumburgi* congregati, quod de Concilio fama percrebuerat, cum puderet eos, vulgo iactari religionem ipsorum non *confessionem*, sed *confusionem* esse, propter doctrinæ diuersitatem, in conuentu duo proponunt, primo vt in vnam omnes doctrinæ confessionem consentiant. deinde vt de Concilio deliberent, an à Principibus Protestantibus adiri vel recusari debeat. De priore capite dicebant plerique inter Ecclesias suas nullam esse controuersiam essentialem, esseque inter Pontificios sectas magis pugnantes, & contentiones de capitibus magis materialibus, quæ religionis fundamenta attingunt: proinde Confessionem *Augustanam* pro fundamento eius doctrinæ quàm communiter omnes profiteantur, habendam; & si extra eam controuersia aliqua oriatur non magni fore momenti. Sed cum Confessionis huius plures extarent editiones, ac posteriori editione prioribus additum esset, adeoque diuersa diuersis in locis extarent exemplaria, vno illud, alio alterum approbante, nonnullis placuit confessioni huic nominatim subscribere, quæ *Carolo Cæsari* anno M.D.XXX. exhibita fuit. Verùm id non probabant *Palatini* nisi præfatio adderetur, quæ alteram editionem cum hac consentire significaret. Hic *Saxo* Septemuir dicebat omnium oculis & auribus adeo expositum esse dissidium, vt cæcus surdusq; sit, qui illud non videat ac audiat. Quare si consensionem obtendant, vbi dissidia manifesta sunt, aduersarijs ad eos vanitatis ac mendacij conuincendos ansam præbituros. Ita post varias altercationes de eo capite non conuenit. Tum de Concilio alij omnino recusandum censebant, alij Legatos eò mittendos, qui se ad Concilium liberum & Christianum ituros offerant, exceptionesque vsitatas de suspectis iudicibus, loco incommodo, aliasque sæpe memoratas proponant. Id scilicet inuidiam dempturum, quòd legitimæ Synodi auctoritatem non defugiant; quod non per ipsos, sed per Curiæ Romanæ ambitionem concordiæ in Ecclesia stabiliendæ ratio impediatur. Quæ res Catholicorum animos in *Germania* à caussa sua minus alienos redditura videatur. Atque hac forma decretum supplicare Cæsari.

Protestantium in Conuentu Naumburgēsi super Confessionum varietate dissidia

Item de Concilio, vtrum planè recusandum sit, an Legati qui iustas exceptiones proponant, mittendi.

Pontificis duo Nuncij *Viennam Austriæ* ad *Cæsarem* profecti ab eo monentur, vti è vestigio *Naumburgum*, in *Saxonia* oppidum, ad Principes Protestantes ibi congregatos adeant, cum ijs quantum fieri poterit, modestè agant; omnem exasperationis & offensionis ansam declinent. Eam opportunitatem temporis ad rem conficiundam esse accommodam. Nam si singulos in sua prouincia conuenire velint, futurum vt ab alio ad alium absque certo aliquo responso remittantur. vbi vero iunctim hoc officio functi sint, posse tum commodius iter suum diuidere, & ad Principes, quos quisque eorum inuisere iussus est, separatim proficisci. In memoriam quoque conditiones reuocauit, quibus Principes Protestantes declarauerant se in Concilium consensuros, vt si earum denuo mentionem inijci contingat, Nuncij re præmeditata dispiciant, quid Pontificis nomine sit respondendum. Cæterum ijs ad eundem Ordinum conuentum comites adiunxit tres Oratores suos, filiusque *Bohemiæ Rex* per literas eos *Saxoniæ* Duci commendauit, quò ab omnibus itineris periculis essent tutiores.

Fedinandus Nuncios Pontificis ad se venientes, ad Conuentum Naumburgensem ablegat.

Quibus tres è suis adiungit Oratores, & commendatitias à Rege Bohemiæ filio suo ad Saxonem literas.

Legati

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Oratoribus Cæsaris Principes Protestantes respondent.

Legati Pontificii audiuntur

Principes Protestantes nullam Pontificis in cogendo Concilio potestatem agnoscunt.

Quid à ciuitatibus Protestantium Delfino Nuncio responsum. Quid ab Rege Daniæ Comendono.

Quid ab Elizabetha Angla Martinengo.

Quid à Polono & Prussiæ Duce Canobio.

Syndicus Tigurinus Bullã Pontificiam deosculatur: vnde ouatio Pontificis.

Pontifex excusat, quod ad Protestantes Nuncios amandarit.

Legati *Cæsaris* in Consessu Principum auditi, ipsius nomine hortantur eos, vt Synodo interesse velint, ad finem *Germaniæ* calamitatibus imponendum. Principes re deliberata respondent, se *Cæsari* pro pia sollicitudine gratias agere, neque Concilium recusare, vbi verbum Dei pro iudice sit, vbi remittatur iuramentum ab Episcopis Pontifici præstitum; vbi denique Theologis suis ferendi suffragij potestas permittatur. Quando autem animaduertant Pontificem dicendæ in Concilio sententiæ facere potestatem suis tantùm iuratis Episcopis, quod iniquum esse semper protestati sint, adduci non posse, vt in id consentiant. De ea re *Cæsarem* in præsentiarum reuerenter monitum velle, integro responso in illud tempus dilato, quo Principibus etiam absentibus res tota poterit communicari. Auditi postea Legati Pontificij, qui pietate & sollicitudine de re religionis in *Pio* IV. mirificè laudata, hoc vnum eum spectare dicebant, quomodo instaurato Concilio hæreses & sectæ possent extirpari, quæ tot fere religiones & Euangelia inuexissent, quot essent homines ac Doctores, ideoque ipsos ad tam laudabile negotium ex sua parte promouendum inuitare, ac à se promittere cuncta caritate vere Christianâ transactum iri, suffragiaque fore liberrima. Literæ etiam à Pontifice, quas vocant *Breuia*, Principum singulis à Legatis exhibitæ: sed eæ omnes die proxima minimè resignatæ ad Legatos remittuntur. Responsum verò Legatis Pontificijs datum à Principibus fuit huiusmodi. Se nullam Pontificis Iurisdictionem agnoscere; neque opus esse, vt Pontifici significent, quid suæ voluntatis sit in Concilij negotio, cuius indicendi aut habendi potestatem ipse nullam habeat. Quid sui esset consilij *Ferdinando Imp.* Domino suo abunde declarasse. Ipsis Nuntijs vtpote viris Nobilibus, ex amicissima Repub. ortis, multisque præclaris dotibus ornatis, officia, quæ possunt omnia deferre: plura delaturos, nisi à Pontifice venissent. Sic dimissus ille conuentus, alterque in Aprilem indictus, vnioni inter ipsos, de qua iam agi cœptum erat, stabiliendæ.

Nuntiorum alter *Delfinus*, dum in reditu diuersis ciuitatibus, quid illi mandatum esset, exponit, à Senatu *Norimbergensi* responsum tulit, decretum ipsis ab *Augustana confessione* non discedere; neque Concilium, in quo Protestantes tam multa desiderant, admittere. Similiter ab Senatu *Argentinensi* & *Francofurtensi*, item ab *Augustanis* & *Vlmensibus* est responsum, nolle se secedere ab ijs, qui eandem secum tenent confessionem. *Comendonus* vero Legatorum alter à conuentu *Lubecam* profectus, inde ad *Fredericum Daniæ* Regem misit, qui deposceret commeatum accedendi ad eum, Pontificis mandata exponendi, & inuitandi eum ad Concilium. Verùm ille respondit, neque cum parente suo *Christiano*, neque secum Pontifici quidquam vnquam negotij intercessisse; nec proinde Legationis eius cognoscendæ cupidum esse. At à Præsulibus, Principibus, ac ciuitatibus Catholicis vtrique Nuntio benignè satis responsum est, se ad obsequium Pontifici deferendum paratissimos: sed de Concilio cum *Cæsare* propter alienationem *Lutheranorum* necessariò consultandum. *Hieronymum Martinengum* eiusdem Concilij caussa ab Pontifice ad *Elizabetham Angliæ* Reginam missum, illa è *Belgio* venientem traijcere vetuit. Ac quamuis *Hispaniarum Rex* cum *Duce Albano* vt admitteretur ad colloquium sedulò instarent, Legationis eius caussam, totius Ecclesiæ Christianæ per Concilium generale concordiam summopere commendantes; Regina tamen propositum tenuit, respondens, non licere sibi tractationem vllam instituere cum Pontifice Romano, cuius authoritatem Ordines Regni publico Decreto *Angliæ* exegissent. Et *Canobius* Legatione ad *Polonum* perfunctus, qui benignè eum acceperat, in *Moscouiam* penetrare se non potuit, bello tunc inter *Polonum*, & *Moscum* exorto: sed in *Prussiam* profectus à Duce responsum habuit, ipsum esse Confessionis *Augustanæ* socium, eóque Concilio Pontificio neutiquam assensurum. *Heluetij* conuentu *Badenis* habito Nuntium Pontificis admiserunt, à quo Syndicorum Tiguri vnus Breue Pontificium accipiens, quòd deosculatus esset, Papa ea re cognita continere se non potuit, quin omnibus apud se residentibus Legatis eam rem cum maxima lætitiæ significatione renuntiarit. De re tamen postquam esset deliberatum, Catholici se Theologos ad Concilium missuros, Euangelici contrà se neutiquam illud amplexaturos responderunt.

Vbi *Romæ* nuntiatum est, quid à Nuntijs Pontificis in conuentu *Naumburgensi* gestum

gestum esset, fremebant plerique ad conuentum Protestantium Pontificem Nuntios amandasse. Ille verò sic excusabat, quasi non suo mandato factum esset, sed suis modò in mandatis dedisset, vt *Cæsari* obsequerentur; qui id faciendum præceperat. Atque id vitio ei minimè vertendum, qui apices ac minutias non consectetur, sed ad rectè faciendum animo comparatus sit. *Cæsar* de diplomate Concilij cum Theologis suis habita consultatione scripsit ad Pontificem, se quà *Ferdinandus* esset, ad nutum eius omnia facere paratum, & quamlibet diplomatis formam libenter accepturum, neq; vllum officium, in *Germania* ad ipsius voluntatem conformanda prætermissurum. verùm quà *Imperator* esset, ei non fas sententiam promere, quoad responsum accepisset, quid ab Nuntijs Apostolicis, Legatisque suis gestum esset in *Naumburgensi* Protestantum conuentu. Hoc sibi certò persuadebat, si Pontifex conuocationem Concilij non continuationem veteris, sed noui indictionem declarasset; aut certè permisisset, vt iam olim decreta retractari ac reexaminari possent, diploma Concilij ab illis haud dubiè acceptum iri. *Rex* item *Franciæ* die vltima Ianuarij ad Oratorem suum *Romam* scripsit, in diplomate nonnulla esse, quæ requirant emendationem, antequam ab eo accipiatur. Etenim vtcumque titulum præferat *Indictionis*, in ipso diplomatis corpore verba quædam esse inserta, quæ manifestò euincunt diploma factum ad suspensiones Concilij iam inchoati tollendas. Eorum vtpote *Germanis* suspectorum explicationem absque dubio petitum iri: atque ita Concilium in longum extrahendum. Quod si Pontifici id curæ non erit, vt *Cæsari* ac Protestantibus satisfiat, tot certè schismata, tantasque difficultates in Christiano orbe exorituras, vt specie modò Concilium sint fructu aut compendio sit futurum. Sibi quidem locum ipsum *Tridentum* satis placere, neque anxiè anquirendum videri, nouáne indictio, an veteris Concilij continuatio censeri debeat: quandoquidē voluntatem suam ipse per *Nichetum* expresserit, & assensum, vt quæ definita sunt, in quæstionem & examen denuò reuocentur. Id vbi effectum dederit, omnibus haud dubiè iri satisfactum. Sed interim ad maiorem fidem faciendam, & suspicionum vmbras dimouendas præuia declaratione opus esse: atq; in primis, vt Imperatori fiat satis, procurandum. Alioqui fœlicem Concilij euentum vix sperare. Sed si id minus succedat, tum ad remedium Concilij Nationalis, à fratre pridem propositum, quo vno necessitatibus regni subueniri potest, esse decurrendum. Legato quoque suo id apud Pontificem expostulandum præceperat, quòd cum *Rex Franciscus* tanta solicitudine Cōcilij apertionem procurarit, honorifica tamen de ipso mentio in diplomate non fiat. Quodquidem non alia de causa factum quiuis dijudicet, nisi vt *Galliæ* Rex continuò post Imperatorem diplomati non inseratur. Eæ nihilo magis rationes Regem à promouendo religionis negotio retardarunt. Nam eo ipso tempore literis ad Regni Præsules datis, monuit eos, vt ad *Tridentinam* Synodum sese compararent, atque ipso conuocationis tempore adessent. quarum exemplar mox *Romam* missum.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Ferdinandus suam de Bulla sententiā Pontifici declarat.

Et suam quoq; Rex Galliæ promit.

Pontifici per Oratorem exprobrat, quod in Diplomate fratris mentio omissa.

Interea Pontifici suus è *Galliæ* Nuntius significat Cardinalis *Lothareni* impulsu Regem contra diploma concitatum, quòd Concilij prioris continuationem modò contineret. Vnde Pontifex audita Oratoris Gallici interpretatione respondit, mirari se, quod Rex, qui se superiorem nullum agnoscere profiteatur, alterius Principis se iudicio permittere velit, cuius haudquaquam intersit ei se negotio immiscere; ac non potius iudicium suum *Vicario Christi* summittat, ad quem propriè spectat rerum religionis arbitrium. diploma enim à se emissum alijs omnibus probari, eoque cùm emendationem, sua quidem opinione, non requirat, sibi certum nihil in eo immutare. De Rege autem in diplomate nominando nullam vnquam cogitationem cepisse. Eius conficiendi curam in Cardinales aliquot reiectam: quibus visum satis Imperatorem nominare, Reges vero omnes generatim perstringere. Alioqui fore necessarium, vno nominato reliquos omnes percensere. Sibi fuisse præcipuam de diplomatis substantia curam; quod insuper esset, Cardinalibus relictum. Verùm hoc responsum *Galliæ* non satisfaciebat, eam Regi suo prærogatiuam, cùm ob Regni dignitatem, tum ob multa sua in Sedem Apostolicam promerita deberi censentibus, vt ille nominatim designandus, non verbis generalibus comprehendendus videretur. Itaque quò excusatior esset Pontifex, respondit tandem, se, quantumuis intenta sit acie,

Pontificis ad Oratorē Gallicū responsio.

Quà Galliæ non factum satis.

non

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

non posse omnia oculis perlustrare. Daturum tamen sedulam deinceps operam, ne in hoc genere peccetur. Atqui huius regni hoc magis erat incuriosus, quod animaduerteret, nulla auctoritatis suæ habita ratione ea attrectari, quæ Iurisdictionis suæ propria essent, quippe & hæreticis veniam dari, & de rebus Ecclesiasticis cogitationi suæ reseruatis sanctiones edi. Etenim in conuentu Ordinum, quem mense Ianuario *Aurelijs* habitum diximus, Decreta hæc facta. Vt Episcoporum electio fiat a Clero Iudicibus Regijs interuenientibus, duodecim Nobilibus, & totidem è plebe. Vt pecuniæ *Romam* Annatarum nomine non mittantur. Vt Episcopi omnes & Curiones ad Sacerdotia sua assidui sint; ni faciant, Sacerdotiorum fructibus mulctandi. Vt in omnibus Ecclesijs Cathedralibus præbenda in vsum professoris Theologiæ, & altera in vsum institutoris puerorum reseruetur. Vt Abbates atque Abbatissæ, Priores, ac Priorissæ non obstante quacumque immunitate, Episcopis subijciantur. Vt ob Sacramentorum ministrationem, mortuorum inhumationes, aliaque ministeria spiritualia fas non sit quicquam exigere. Vt Præsulibus non liceat censuras adhibere nisi in publicis & pessimi exempli delictis. Vt Monachis ante annum XXV. aut Monialibus fas non sit professionem monasticam ante XX. annum suscipere: atque vt vtrisque concedatur ante illud tempus bona sua cuicunque visum erit, conferre, præterquam monasterio. Vt Ecclesiasticis non liceat testamentorum aut vltimarum voluntatum emolumenta percipere, in quibus aliquid ijs legatum aut donatum. Hæc & alia ad Ecclesiarum Ecclesiasticorumque reformationem decreta, quæ etsi id temporis euulgata non fuerunt, ad Pontificem tamen per Nuntium missa, quid Gallis animi esset, indicarunt. Et verò qui ad clauum Reip. sedebant, hac demonstratione contenti, de Edictorum executione non valde laborabant.

Decreta in Conuẽtu Aurelianensi de rebus Ecclesiasticis facta.

At contra in *Hispania* Theologis, qui in aula, hoc ipso diploma displicebat, quòd eo non satis apertè Concilij inchoati continuatio renuntiaretur; immo quod (vti solet vsuuenire alienarum actionum censoribus) etiamsi affectatio ambiguitatis satis esset omnibus manifesta, ipsis tamen noua indictio clarius exprimi quam continuatio videretur. Etiam nonnulli ex ijs putabant, ex ipsis diplomatis verbis facilè posse elici, decreta *Tridenti* facta posse iterum ad examen reuocari: quod illi periculosæ aleæ plenum dicebant, & tum audaciam Protestantibus additurum, tum dissidium inter ipsos Catholicos concitaturum. Itaque Rex ipse diplomatis admissione & promulgatione supersedebat, quæsito inde colore, quòd verborum ambiguitas non placeret, quodque necessarium duceret absque ambagibus & verborum inuolucris disertim exprimi Concilij prioris continuationem, neque in quæstionem vocanda quæ iam determinata sunt. Sed reuera commouerat eum, quod Episcopus *Conuenarum* à Rege *Nauarræ* ad obedientiam Pontifici deferendam missus, magnificè in *Aula Regia* tanquam Regis Nauarræi Legatus à Pontifice acceptus fuisset, id possessionis suæ in eo regno fraudi fore ratus, quippe, qui non alio titulo niteretur, aut fundamento iuris, nisi Iulij II. excommunicatione. Tum quod audientiam Pontifex non denegasset *Scarsio*, quem ille ipse Rex ad eum miserat, vt Regem *Philippum* de restituendo *Nauarræ* regno solicitaret, aut certè de iusta compensatione eius loco retribuenda. Vnde Papa de industria ablegauit in *Hispaniam* Episcopum *Terracinensem*, qui in gratiam *Nauarri* facta purgaret, excusarétque, simul per occasionem de diplomate Regi satisfaceret. Iam ijs, qui ab hac opinionum lucta in Regibus adeo potentibus Ecclesiæ metuebant, respondebat, paterna pietate se adductum inuitasse omnes ad Concilium, vtcunque Protestantum salutem pro deplorata habeat, & probè sciat Catholicos in *Germania* non posse adhærere Concilio nisi secessione à cæteris facta, ex qua sit vero simile bellum exoriturum. Tum si quis alius Princeps Catholicus à Concilio sit alienior, eo neglecto sua authoritate negotium prosequuturum, sicut absque *Galliæ* Rege ab Iulio 3. factum. Apud intimos tamen, quibus plurimum confidebat, animo denudato professus est, se istas omnes rerum fluctuationes habere pro incertis, de quarum exitu quia nemini constet, non minus metuendum, ne in deteriorem, quam sperandum, vt in meliorem partem eueniant. Meditabatur interim quid boni ex incerto hoc Concilio posset excerpere. & videbat non modo frænum esse, ad Principes ac Præsules à rebus nouis attentandis cohibendos, sed & probabilem

Hispaniæ quoque Regi & Theologis suis Bulla Pontificis aliqua parte displicet.

Etiam aliunde huic Regi in Pontificem offensionis caussa.

Inde Nuncius amandatur in Hispaniam qui Regi satisfaciat, & Pontificis de Cõcilio sensum aperiat.

Pontifex vtcumq; ab incerto rerum in Concilio euẽtu metuit, se tamen certitudine compendii, quod inde sibi prouenturum sit, magis solatur.

bilem subministraturum caussam ad postulata omnia sibi minus arridentia reijcienda. Sic enim posse excusari, quòd Concilio semel aperto circumspectè procedendum sit; neque prodigendæ gratiæ, aut concessiones, dein, si quæ difficultas inextricabilis suboriatur, rem ad Concilium referendam. Vnus modo restabat metus, ne Protestantium in Ecclesiā Romanā mala mens eos posset impellere ad impetū in *Italiam* faciendū; cuius culpa in ipsum esset redundatura. Huic rei videbat fenestrā aperiri per controuersiam de honoratiori loco in consessibus publicis inter *Ducem Florentinum*, & *Ferrariensem*, quæ scriptis vtrinque editis magno animorum ardore agitabatur. *Cosmus Florentiæ* Dux obtendebat, se Reip. *Florentinæ* loco esse, quæ *Ferrariæ* ducibus dignatione semper præiuisset. *Alfonsus* contra *Ferrariæ* Dux asserebat Principatus dignitatem longa successionis serie in familia sua continuatam, cum ipse *Cosmus* primus esset *Florentiæ* Dux: neque suffragari ei posset Reipublicæ, quæ iam conciderat, dignitas. Huic fauebant Galli, quippe *Henrici* II. Regis consanguineo, & Guisiorum affini; Ille verò *Caroli* V. fauorabili decreto nitebatur. Instabat *Alphonsus*, vt in conuentu Ordinum Imperij *Cæsar* cum Septemuiris litem eam dijudicarent. At Papæ periculosum videbatur, *Germaniæ* Ordines, de rebus Italicis ferre sententiam, quæ postmodum vi armisque forte esset exequenda. Itaque vt huic malo iret obuiam, literis ad vtrumque Principem datis significat, peculiare esse Sedi Apostolicæ, Christiq; Vicario de huiusmodi causis pronuntiare; eoq; mandat, vti ad se, tanquā ad solū legitimum controuersiæ Iudicem rationes adferant, & à se, iudiciū expectent. Atque vt in omnē euentū esset instructior, de mole *Hadriani*, de ciuitate ** Leonina*, quæ Burgus vulgo dicitur, deq; alijs in ditione Pontificia locis idoneis muniendis consilium capit. tum per omnem ditionem Ecclesiasticam in singula tritici robra (mensuræ genus est) III. Iuliorum vectigal instituit. Et ne eo facto Principum contra se æmulationem concitaret, legatis *Cæsaris*, *Hispaniarum*, & *Portugalliæ* Regum ac *Venetorum* ad se vocatis, quid factum esset, factique rationes exposuit, vt Principem quisque suum de ea re certiorem faceret, hortatus. Quicquid enim oneris à se impositum esset, id subditis leuius fore, quàm quo à *Paulo* IV. onerati, cùm *B. Petri* cathedrā celebrari iussit. Sibi quidē inopem quemq; non nisi III. Iulios in annū pensitare, cùm per diem festum *Pauli* IV. vnusquisque ab opere feriatus Iulios V. deperderet.

Ferdinandus Philippus 2.

Ducis Florentini & Ferrariensis, de loci prærogatiua controuersia.

Cuius cognitionem Cæsari ereptam Pontifex iniuria ad se pertrahere studet.

* Pars est Vrbis vltra Tiberim, quam Leo IV. Papa muris cinxit.

Cum tempus Concilio inchoando destinatum appeteret, ne officij sui partibus deesset Pontifex, delecti ab eo, qui actioni præessent, *Hercules Gonzaga* Cardinalis *Mantuanus*, cum ob familiæ amplitudinem, tum ob fratris *Ferdinandi* famam, tum denique, ob singularem de virtute ipsius opinionem, maximæ per *Italiam* celebritatis; *Cæsare* etiam Pontificis rogatu, vt eam prouinciam vellet capere, operam suam interponente. Tum *Iacobus Puteus Nicæus* magni nominis Iurisconsultus, in curia *Rotæ* primo, dein in *Signatura* multùm versatus. Dicebat porro esse sibi animū tres alios designandi, ac si in Senatu purpuratorum Patrū non reperiat omnibus numeris absolutos, nouos Cardinales ex composito creandi, viros probos, in Theologia iurisque scientia præcellentes. Dein Cardinalibus ac Præsulibus conuocatis, de ijs deliberatur, quæ necessaria videbantur ad Synodum tempore præstituto inchoandam. Atque sub id tempus *Galliæ* Regis literæ tertio Martij datæ *Romam* veniunt, quas Legatus ordinarius Episcopus *Angolismensis* confirmans significat, Regem incensum desyderio videndi eum Concilij fructum; quem Christiani omnes expetunt, illud quibuscunque conditionibus accipere paratum, & *D. Rambouilietum* consultò mittere, qui necessitatem eam, qua laborat *Gallia* exponat, & instantes Ordinum super ea re preces in conuentu *Aurelianensi*; quique ostendat, nisi remedium illud adhibeatur tempori, Regem necessitate adductum, morbis Regni medicinam eam applicaturum, quæ à cōuocatione Præsulum Nationis potest expectari: quando ordinandis religionis rebus ratio nulla expediatur, nisi per Concilium liberum Vniuersale, aut alioqui Nationale. Cui legationi responsum est à Papa, neminem esse qui cupiditate visendi Concilij magis quàm ipse afficiatur. In eo conuocando tarditatem ac procrastinationem sibi non tribuendā, sed diuersis Principū opinionibus: quibus omnibus cū satisfactū vehementer cupiat, diplomati Indictionis formam eam datam, quam ipse putabat

Pontifex Cōcilij Præsides designat.

Carolus Galliæ Rex per litteras & Oratores suū in Concilio promouendo studium exponit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

omnibus placituram. Caussam vero mutatæ à *Gallis* sententiæ hanc adferebant, quòd cùm regnum illud pessima iam conditione esset, creditum est omnem mutationem alibi factam rerum suarum sortem emendaturam.

Et Hispaniarum Rex diploma Concilij probat.

Ex *Hispania* quoq; per *Episcopum Viterbiensem* scriptū, interpretationes diplomatis ab se allatas ab Rege cum applausu auditas, eumq; de Præsulum suorum sententia decreuisse diploma Concilij admittere, neq; vltra quæstionē super eo mouere: sed Episcopos primo quoq; tempore ad iter opportuno *Tridentum* ablegare, atque vna honorificā ijs adiutandis Legationem. Additum quoq; Præsules *Lusitaniæ* inde ad Concilium profectos, & Oratorē destinatū: sed interim secreta auditione accepisse, propositum quibusdam ex his Prælatis, vt in hac Synodo potestas Concilij supra Pontificē definiatur. itaq; & ipsos huic capiti sedulam operā dare, & Theologos suos, vt omnes huius controuersiæ difficultates diligenti studio excutiant, excitare. Is nuntius Pontificem habuit sollicitum, cùm animo suo reputantem, quid sibi ab Episcopis omnibus in Synodo congregatis, & consilia cōmunicantibus esset expectandū, quorū nonnulli antequā pedē domo efferant, tam excelsis cogitationibus animos impleant. imo, ne Regi & Consiliarijs ipsius aliquæ essent in ea consultatione partes, subdubitabat: sed qua erat prudentia, facilè iudicabat, in Concilio hanc & alias plerasque nouitates & proponi & tentari posse, non modo cum dignitatis suæ, sed aliorum quoque imminutione, verùmtamen omni ponderi suum esse in alteram partem libramentum; & eorum quæ attentantur, ne millesimam partem pro voto succedere.

Præsulum Lusitanorum institutum in asserenda Cōcilij supra Pontificem potestate, Pium habet sollicitum.

Sed videlicet ad exploranda *Gallorum*, quæ imminebant, consilia, erat attētior, quòd ijs solens maturè deliberare, neque *Hispanam* cunctationem adhibere. Ideo ad omnes rerum gestarum occasiones cū Legato *Gallo* conferre consilia solitus, illud semper ingerebat, ne in re religionis Concilia Nationalia, cōuentus, aut colloquia cogitarēt, nisi pro schismaticis haberi vellent. Orabat Regem ne rationes eas vellet suscipere, quibus *Gallia* non in deteriorem, quàm in qua nunc est, sed in longè deterrimam conditionem redigeretur. Iam enim difficultatibus, quæ ab *Hispania*, sublatis, decretissimum esse Concilium celebrare; cùm quæ ab *Germania* afferuntur, vix acriorem curam & cogitationem mereantur. Principes & Præsules Catholicos sine dubio assensuros, & fortasse *Ducem Saxoniæ*, qui à cæteris *Naumburgi* congregatis secesserit. Etiam de *Cæsare* non dubitare, quin, vbi res postulet, coram adfuturus sit; sicuti ipse operam suam *Cæsari* coràm denegaturus non sit, vbi suo iudicio dignus se vindice nodus videbitur. nam ab alieno arbitrio pendere, neq; suo sensu abundare, sui moris haudquaquā esse.

Pius à Gallorum Concilijs Nationalibus rebus suis imprimis metuens, hos sibi adiungere studet.

Cum Dominicæ resurrectionis tempus inchoando Concilio destinatum appropinquaret, & *Cardinalis Puteus* grauiter è morbo laboraret, in eius locum in Concilio designatus Legatus *F. Hieronymus Seripandus* Cardinalis, magni nominis Theologus, cui à Pontifice imperatum per *Mantuam* iter facere, & Cardinalem *Mantuanum* alterum Legatum secum abducere, vt vterque ad diem præstitutum *Tridentum* perueniret. Sed quicquid ille præceperit, à Legatis eò ventum non est ante diem tertium in festo Paschatis, quo tempore nouem Episcopos, qui ante aduenerant, reperiunt. A Pontifice quidem sedulò laboratum, vti Episcopi *Itali* itineri se accingerent. datæ quoque in eundem finem ad Proregem *Neapolitanum*, & ad suum in eo regno Nuncium literæ. neque cessatum à Pontificijs in Episcopis *Mediolanensibus* sollicitandis, & *Repub. Veneta*, vt suos in *Italia* quamprimùm capessere iter iuberent, cæteris verò per *Dalmatiam*, *Candiam* & *Ciprum* iniungerent, vt quam ocyssimè darent se in iter, Legatosque crearent Reipub. nomine Synodo interfuturos. Neque tamen facilè Præsules *Itali* loco se mouebant, quibus compertum erat, nisi impetrato *Cæsaris* assensu, qui in longum extrahebatur, nihil auspicandum; frustraque *Tridentum* peti ante *Hispanorum* & *Gallorum* in *Italiam* aduentum: plerisquè etiam, præsertim aulicis, quæ à *Papa* fierent omnia, non sincerè, & ex animo, sed officij simulatione fieri credentibus. Atqui sic res erat, Pontificem, cùm videret Concilium declinari non posse, tum, vt quàm maturissimè celebraretur desiderasse. Dicebat enim malum, quod ex Concilij comperendinatione perpetiebatur, certum esse: incertum vero, quòd in celebrando posset euenire: tum suos sanctæque Sedis inimicos maius ijs detrimentum adferre Concilij expectatione, quàm queant celebratione. Et cùm

Card. Seripādus in Card. Putei ægrotantis locum sufficitur.

Pontifex Antistites Italos ad proficiscēdum exstimulat: at illi cunctantur tamen & cessatores sunt.

natura,

natura esset impauidus, & in deliberationibus præceps, vulgatum illud verbum vsurpauit, Satius esse malum semel periclitari, quàm in perpetuo eius metu esse.

Ferdinandus *Philippus* 2.

Interea dum hæ moræ Concilio adferuntur, ad pacem inter *Sabaudiæ* Ducem & *Valdenses* in conuallibus Montis Cenisij degentes conciliandam via sternitur. Cum enim annum integrum & suprà suppliciorum acerbitate eos ad officium reducere tentasset; dein vim à se propulsantes, immissis in eos armatis cohortibus, instigante & pecunia subleuante Romano Pontifice, bello adortus esset, licet res velitationibus magis propter montium asperitatem, quam iusto prælio gereretur; totis viribus tandem certatum est pugna, qua Ducis exercitus, qui septem hominum millibus constabat, fusus ac profligatus, quatuordecim tantum è *Conuallensibus* desideratis. Et quamuis laborantibus suis nouas identidem copias in subsidium summitteret, tamen cum suos passim debellari cerneret, neque alium belli eius fructum, quàm vt rustici ac vicani rebellantes armis assuescerent, regio omnis vastaretur, & immanes sumptus fierent, decreuit tandem in gratiam eos accipere. Itaque V. Iunij inita pacificatio, qua conuentum; Vt præteritorum omnium, quæ eo bello gesta essent, obliuio sanciretur, conscientiarum libertate ijs permissa, atque vt conciones certis locis atque inter limites designatos, quos transgredi fas non sit, haberent, ac cœtus celebrarent; extra hos pastores concionari non possent, sed ægrotos tantum inuisere ac consolari, aliaque religionis suæ munia obire. Vt absentibus domo propter religionem, larem repetere, & proscriptis bona recuperare liceat. Vt Principi liberum sit pastores *Conuallensium* dimittere quos placuerit; ipsis verò in eorum locum alios accersere. Vt vbiq; locorum Romanæ religionis exercitium permittatur: neque tamen fas sit ad eam amplexandam quemlibet cogere. Hæc cum inaudiuisset Pontifex, vehementer excanduit Principem *Italum*, cui & ipse opem tulerat, neque adeò potens erat, vt non ipsius subsidio subinde indigeret, permittere hæreticis, vt intra ditionem suam conscientiæ libertate fruantur: super omnia veritus, ne in exemplum traheretur à potentioribus Principibus, sibique obijceretur ab ijs, quibus voluntas diuersam permittere religionem. In Consistorio itaque Cardinalium de ea re grauiter questus, vt de remedio cogitare velint, hortatur; instituta inter eum Principem & Regis Catholici in regno *Neapolitano* administros comparatione, hos præ illo dilaudans, qui eisdem diebus detecta *Lutheranorum* multitudine, qui circiter ter mille *Consentiâ* egressi in montem vicinum concesserant, vt rem diuinam peragerent ad doctrinæ suæ institutum, omnes profligarant, alijs in laqueum datis, alijs vstulatis, alijs in ergastula nautica relegatis. Sed nimirum leuioris operæ erat, paucos inermes & ope omni destitutos opprimere, quàm multitudinem armatam, montium præruptorum & semitarum angustarum opportunitatibus vti edoctam, & potentium vicinorum suppetias non temerè expectantem debellare. Misit tamen *Sabaudus Romam* qui apud Pontificem caussæ suæ æquitatem tueretur: qua ille audita, cum quod iure reponeret, non haberet, acquieuit.

Valdenses à Sabaudi cohortibus sæpe lacessiti, pro salute ac religione strenuè dimicant.

Et exiguo licet numero potentem exercitum fundunt fugantq;

Vnde Sabaudus qui bellum sponte non susceperat, hominum misertus, etiam dānosis sibi conditionibus pacem facit.

Pius Pont. Sabaudo de pacificatione cum Valdensibus succenset: deque ea in Consistorio queritur.

Facti æquitatem Sabaudus testificatur.

In *Gallia* etsi Regina & Præsules satis Pontifici factum vellent reiectis ad Concilium de religione controuersijs; Antistites tamen se ad conuentum indictum accingebant. Et cum Regis Galliæ Legatus Pontifici persuasum cuperet, neq; de doctrina in eo cœtu verba facienda, neque de vllo Pontificiæ authoritatis præiudicio, sed de rei nummariæ negotio Regisque ære alieno dissoluendo, ac de ijs, quæ in Concilio generali proponenda essent, & abusu aliquo reformando, ille certè verbis Legati fidere non ausus, & abusum illum cui remedium quærendum esset, interpretabatur, emolumentorum Curiæ Romanæ interceptionem, & consultationem de Concilio, præsagiebat (sic enim ei suboluerat) esse cogitationem cum Hispanorum consilijs coniunctam de Pontifice superiori Concilij potestati subijciendo. Ad hæc, dum per Procerum Aulæ dissidia etiam in prouincias diffusa, singulis sibi clientelas quantas poterant maximas adiungentibus, ad maximam loquendi libertatem ventum est, nouæ religionis professores manifestò sese prodentes, in Aulicorū Regi intimorum amicitia impunitatem sibi spondebant, frementibus licet eo nomine Catholicis. Inde in vniuersum regnum contentiones & discordiæ disseminatæ, vtraque factione sese mutuem odiosis *Papistarum* & *Hugonotorum* nominibus proscindente, concionatoribus ad

Pontifex Antistitū in Gallia conuentū suspectum habet, ne rebus suis incommodare velit, quicquid in contrarium Orator Regius profiteatur.

Diffidentibus in aula primoribus, per prouincias dissensiones oriuntur, & factiosa ad contumeliam nomina vsurpantur.

tumultus

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

tumultus passim classicum canentibus, & cunctis in diuersa tendentibus. Cum igitur Pontifex hoc rerum statu animaduerteret in factione Catholica monstri aliquid nasciturum, nisi omnes eòdem tenderent, atque ad eundem scopum dirigerentur, ad incommoda præuortenda eludendosque aduersariorum conatus iudicauit necessariam esse ministri Apostolici authoritatem, sed eius, qui nec *Gallus* origine esset, & tamen plus Gallici regni vtilitatibus, quam Sedis Apostolicæ tribuendum censeret. Eius generis Legatum in Cardinalium omnium societate circumspectans in *Galliam* ablegandum, *Ferrariensis* solus repertus dotibus omnibus necessarijs abunde instructus, vir exquisita prudentia, atque in tractandis negotijs dexteritate; cum familia Regia sanguinis propinquitate coniunctus, abamitæ Regis, quæ *Ludouici* XII. filia, consanguineus, & Guisiorum per Neptem affinis, quam Dux ipse duxerat vxorem. Huic Pontifex in Galliam proficiscenti quatuor singillatim commendat, vt pro virili Catholicorum factionem promoueat, Protestantum labefactet, Synodos cunctas Nationales & Præsulum conuentus amoliatur; Antistitum profectionem ad Concilium vrgeat; decreta denique in rebus Ecclesiasticis non multo ante facta reuocanda curet.

Pontifex Ferrariensi Card. in Galliam ad præuortendū incommodis proficiscenti quatuor commendat.

Sed interea dum Legatus adornat profectionem, quiddam in *Gallia* accidit, quod Regis intimis non minorem a Catholicis, quàm à Protestantibus trepidationis suspicionem fecit: multorum peruersis studijs, *Arthuro Desiderio* sacrifico iuxta *Aurelianum* XIV. Iulij comprehenso, detectis. Is cum libello supplice tendebat in *Hispaniam*, Ecclesiastici Ordinis nomine conscripto, *Philippi* Regis opem implorans contra potentiam Protestantium, quæ haud satis validis remedijs à Rege puero, & fœmina coerceri poterat. Et præter libellum mandata etiam secreta ad eum Regem *cifris* perscripta deferebat. In custodiam datus & de complicibus interrogatus, quia nonnullos prodiderat, quos in vulgus emanare putabatur periculosum; placuit Senatui de conscijs amplius non quæri: *Desiderium* ad mulctam ignominiosam luendam damnari; libellum coram eo concerpi: tum rerum in cœnobium *Carthusianorum*, ad perpetuam captiuitatem detrudi. Et quia multis indicijs quæ reus esset confessus, vero similia deprehenderant, visum Regijs Consiliarijs etiam diuersæ Protestantum factioni aliquatenus satisfacere. Vnde diplomate sancitum, ne *Hugonotorum* & *Papistarum* vocabula in contumeliam vsurpentur: ne quis prætextu exequendorum edictorum, quæ cœtus illicitos religionis caussa prohibent, alienas domos magno exiguoue stipatus comitatu ingrediatur: vt propter religionem vincti statim soluantur. Quicumque à *Francisci* primi tempore regnó excesserunt, ijs in regnum reuerti bonaque sua recuperare concedatur; dummodo Catholicè & sine offensione viuant: sin nolint, facultates suas distrahere, alióque migrare facultas sit. Huic rescripto, ne promulgaretur, Senatus *Parisiensis* intercessit; quod videretur cuique libertatem concessisse, quam vellet religionem amplectendi, quod in *Gallia* antea nunquam factum: quòd reditio in regnum eorum qui religionis caussa exulauerant, magnarum turbarum occasionem esset datura: quod denique bona vendendi, & alio se recipiendi libertas cum regni legibus pugnaret, quæ pecunias regno nisi exigua quantitate exportari vetant.

Desiderius sacrificus cum libello ad Hispanum misso intercipitur.

Edictum Regium in fauorem Protestantium de pace religionis.

In cuius promulgationem Senatus Parisiensis cōsentire recusat.

Verum quicquid in contrarium obijceretur, Edictum tamen promulgatur, ijs qui in custodia attinebantur, carcere mox liberatis, & qui ob religionem exulabant, in patriam postliminio reuertentibus. Ex eo cum Protestantium numerus magnopere auxisset, ac ab ijs cœtus plures frequentioresque haberentur, *Rex* cum *Regina* & primoribus regni in *Senatum* venit, vt de maturo hominum in iudicijs rebusque tractandis versatissimorum consilio, rebus pacandis rationem expedirent. Atque hìc *Cancellarius* Regis nomine præfatur, de religione ipsa minime agendum, sed de remedijs solummodo, quibus obuiam iri possit tumultibus ob religionem cotidie exorientibus; ne turbarum consuetudine ad licentiam procliues, obsequium Maiestati regiæ debitum exuerent. Senatorum verò tres erant de ea re sententiæ. I. vt à supplicijs in Protestantes tamdiu abstineretur, quoad Concilij decreto res esset determinata. II. Vt in eos capitali pœna animaduerteretur. III. Vt ad forum Ecclesiasticum eius rei, supplicijque cognitio remitteretur: vetitis interim illicitis coitionibus publicis aut occultis; interdictaque concionandi, aut sacramenta alio quàm Romano ritu administrandi

De ratione rerum pacandarum in Senatu deliberatur.

Senatorum III. sententiæ.

miniſtrandi libertate. Adhibito tandem temperamento conditum Edictum, quod à menſe *Iulianum* appellatum. Eo ſancitum; Vt omnes iniurijs abſtinerent, & pacatè viuerent. Ne concionatores verbis turbulentis ſeditiones in populo excitarent, niſi vellent eam noxam capite luere. Ne conciones haberentur, aut ſacramenta adminiſtrarentur alio quam recepto in Eccleſia Romana ritu. Vt hæreſeos cognitio ad forum Eccleſiaſticum pertineret: quod ſi reus ab eo brachio ſeculari tradatur, tum nulla grauior quàm exilij pœna irrogetur. atque hæc eo vſque obtineant, dum Synodi Vniuerſalis aut Nationalis ſententiâ aliter ſtatuatur. Edictum quoque vt gratia fieret omnibus, qui turbas in hunc vſque diem ob religionem mouiſſent, modo Catholicè & pacatè in poſterum viuant. Ad conciliandas verò controuerſias decretum, vt Antiſtites X. Augusti *Poſſiaci* conuenirent, & miniſtris Proteſtantium ad illum cœtum venturis publica fide caueretur: Catholicorum licet pleriſque refragantibus, quibus inſolens indignumque videbatur doctrinam hucuſque receptam compromitti, & maiorum religionem in diſcrimen vocari. ſed & ab his denique aſſenſum eſt, Cardinali *Lotharingo* hæreticorum confutandorum prouinciam in ſe recipiente, ampliſque promiſſionibus ſuorum animos implente: Regina etiam adnitente, quæ cum Cardinalem ingenij oſtentandi cupidum cognoſceret, ei ſummopere ſatisfactum cupiebat.

Ferdinandus. Philippus 2.

Edictum Iulianum.

Colloquium Poſſiacenſe indicitur, Lotharingo ſibi triumphum de miniſtris Proteſtantium ſpondente.

Ad Pontificem vbi de duobus hiſce Edictis eſt perlatum, tum laudis, tum reprehenſionis materiam facilè reperit. Curiam quidem ſupremam laudabat, quod religionis cauſſam tuendam ſuſcepiſſet: illud vero damnabat, quod contra quàm Pontificijs Canonibus eſſet ſancitum, nullam ſectarijs grauiorem quàm exilij pœnam inflixiſſent. Agnouerat tamen demum, vbi eouſque inualuit malum, remediorum vires vt exſuperet, tum quod corrigi nequit patientia leuius reddendum. At periculum quod impendebat ab Præſulibus in eundem cum Proteſtantibus cœtum congregatis, id ne tolerabile quidem iudicabat. itaque in eo præuortendo à ſe omnem operam ponendam: ſi minus cum fructu, at ſaltem eſſe ſe excuſabilem. Quamobrem tum ſedulò cum Regis Legato egit, tum per Nuntium ſuum Regem ſollicitauit, quandoquidem ipſi decretum eſſet conuentum eum habere, at certè aduentum Cardinalis *Ferrarienſis* in *Galliam* vellet opperiri. Eo enim Legato Apoſtolico idonea authoritate inſtructo præſente, cœtum fore legitimum. Ad Præſules etiam ſcripſit, poteſtatem ipſorum non eo vſque pateſcere, vt ad decreta in re religionis, ſiue in diſciplina vniuerſam Eccleſiam ſpectante condenda extendatur: ac proinde ſi limites ſibi præſcriptos excedere conentur, ſe non modo ab ijs decreta irrita facturum, verùm omnem quoque ſeueritatem contra ipſos adhibiturum. ſed neque Nuncij, neque Legati operâ quidquam effectum, refragantibus non ijs ſolis, qui Pontifici palam aduerſi, ſed Cardinali etiam Lothareno cum fautoribus ſuis. Nuncio tamen Regis nomine prædictum, nihil eſſe cauſſæ cur ab eo colloquio Pontifex metuere debeat, in quo niſi de ſententia Cardinalium nihil ſit definiendum.

Id Pontifex omni ope amoliri ſtudet, aut ſaltem in aduentum Legati ſui remorari.

Sacri nihilo minus Ordinis res in præceps vergere putabantur. Neque enim iactura ea pro leui *Romæ* habita, quòd in Comitijs ad *Eſiæ pontem* continuatis, controuerſiâ de honoratiori loco inter Cardinales & Principes Regij ſanguinis ortâ, à Sanctiori Concilio pro his contra illos eſſet pronunciatum, *Caſtellionæo* & *Armeniaco* Cardinalibus acquieſcentibus, & infra Principes aſſidentibus; vtcunque *Turnonius*, *Lotharingus* & *Guiſius* maluerint è comitiorum aula diſcedere, contra collegarum facilitatem frementes & indignabundi. Quo ſane tempore magno cum applauſu auditus, qui in comitijs plebis nomine orationem habuit, contra Eccleſiaſtici Ordinis ignorantiam & luxum acerbè inuectus, petenſque, vt Rex omnem ſacerdotibus Iuriſdictionem adimere, immenſas opes in pios vſus diſtribuere vellet; ac nationale Concilium cogere, cui Rex, illiuſue loco conſanguinei Principes præſint. Interim facultas publicè conueniendi, & conciones audiendi detur ijs, qui Eccleſiæ Romanæ ceremonias reſpuunt, interueniente in omni cœtu Regis mandatu miniſtro aliquo Regio veluti inſpectore, qui videat, ne quod inde Rex Réſue publica detrimentum ſentiat. Propoſitum etiam inibi, vt obuentionum Eccleſiaſticarum pars aliqua fiſco addiceretur: multaque alia ei Ordini damnoſa, creſcente ſemper Proteſtantium numero

Cardinales iis Conuentu Ordinum Principes Regis conſanguineos præcedere ſatagunt, nec impetrant.

In corruptos ſacri Ordinis mores acerba in Comitijs eius, qui pro plebe verba faciebat, oratio.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

mero, & alijs super alios ad eorum caussam accedentibus. Vnde sacer Clericorum ordo, vt malo imminenti præuerteret, coactus fuit Regi offerre quatuor decimas quotannis in sexennium pendendas: sic pacatiores pro tempore aulæ primores expectans. Sed ad fastigium præcipiti malo imponendum accessere prolixæ Reginæ matris ad Pontificem literæ quarto Augusti scriptæ, quibus, proposito ei regni Gallici ob religionis dissidium periculo, ad remedia eum adhibenda hortatur. Tantam esse multitudinem eorum, qui ab Romana se Ecclesia separauerunt, vt neque legibus, neque armis ad officium reuocari queant. ex his complures è præcipua nobilitate exemplo alios ad suas partes trahere: cumque inter eos nemo reperiatur, qui vllum Symboli Apostolici articulum abneget, aut VI. Oecumenica Concilia, plerisque consultum videri, vt licet diuersa in alijs sentientes, ad communionem Ecclesiæ admittantur. quod si id minus probetur, & Concilij generalis auxilium potius expectandum videatur, interea, cum necessitas vrgeat, & periculum sit in mora, ad particularia remedia deueniendum, introductis virorum pacis studiosorum ab vtraque parte colloquijs. Monendos, vt iniurijs, contentionibus, & contumeliosis appellationibus vtrinque abstineatur. Scrupulos & offensionum causas his, qui se ab Ecclesia nondum alienarunt, præcidendas. Nempe vt imaginum vsus à Deo vetitus, & à *B. Gregorio* damnatus è loco adorationis omninò tollatur: vt è Baptismo sputi in os infantuli iniectio, exorcismi, aliaque Dei verbo minimè præscripta remoueantur. vsus Calicis in sacra communione, & precum lingua populari restituatur. Curiones, primis mensium singulorum diebus dominicis, vel sæpius, omnes quibus est animus communicandi conuocent, & psalmos lingua vernacula decantent: eadem lingua preces publicas pro Principe, pro Magistratibus, pro aeris salubritate, & terræ fructibus concipiant: tum explicatis, aut Euangelistarum, aut *B. Pauli* de Eucharistiæ vsu locis, ad communionem qui adsunt, recipiantur. Vt Dominici corporis festum ad pompam solummodò institutum aboleatur. atque si in precibus publicis Latinum idioma placet retineri, ad communem audientium vtilitatem interpretatio lingua vulgari adiungatur. Vt de authoritate Pontificia detrahatur nihil, neque de doctrina; quandoquidem iniustum sit ob errata ministrorum tollere ministerium. Hæc à Regina ex *Ioannis Monlucij* Episcopi *Valentini* consilio, summa libertate Gallica credebantur conscripta. Quæ certè Pontificem vehementer commouerunt habita temporis ratione, quod suspicionibus in primis erat opportunum: quippe quo, & de nationali Concilio habendo passim increbuerat, & colloquium *Possiacense* iam fuerat indictum. Ille tamen re bene pensiculata dissimulandum pro tempore statuit, neque aliud respondendum, nisi, propterea quod Concilij indicti tempus instaret, in eo proponi posse quæcunque videbuntur necessaria; haud dubia spe, omnia inibi definienda, prout ad Dei cultum, & Ecclesiæ tranquillitatem conducere maximè videbitur.

Ecclesiastici ne ex sacerdotijs pars aliqua decidatur & applicetur ærario, vltro IV. decimas Regi offerunt.

Literæ Reginæ ad Pontificem, quibus hominum Catholicæ vnionis studiosorum sententiam promit, quousq; Protestantibus ad publicam Regni quietem indulgendum sit.

Pontifex his literis vehementer exasperatus pro tempore dissimulandum censet.

His occasionibus Pontifex, qui diu spem magis Concilij ostentarat, quàm fidem præstare decreuerat, in opinione animo dudum concepta confirmatur, Concilium tam suis, quàm Curiæ Romanæ rebus esse conducibile; immo id munimentum esse necessarium contra apparatum nunc impendentem, cuius, incrementum etiam suspicabatur. Eius rei indicio manifesto fuit lœtitia ea, cuius acceptis *Ferdinandi Cæsaris* literis XXIV. Augusti, claram dedit significationem. In his erat perscriptum, se Concilij celebrationi plenum assensum commodare. consilij sui declarationem hactenus ideo dilatam, vt *Germaniæ* Principes in sententiam suam pertraheret. iam quando nihil promouerit, orare Pontificem, vt officia & operam in conuocando Concilio velit accelerare. Quas ille literas tanti fecit, vt Principum Legatis, & Cardinalibus, qui tam frequentes aduenerant, vt Consistorium prope efficerent, exhibitas, diceret dignas esse, quæ literis aureis scriberentur: inde colligens Synodum non vltra differendam. Fore enim & fructosissimam, & frequentem adeo, vt iam incipiat subuereri, ne *Tridentum* tantæ multitudini capiendæ sufficere queat; sed haud dubiè cogitandum sit de Synodo in alium locum, cum vrbis amplitudine, tum regionis vbertate commodiorem, transferenda. Eius verbis à plerisque omnibus qui intererant, applausum est. erant tamen, quibus videbatur mali ominis, etiam prius transla-

At à Ferdinando Cæsare literæ Concilium accelerari cupiente, magna ipsum voluptate perfundunt.

translationis mentionem inijcere, quàm adhuc inchoatum esset Concilium; cùm vel minima quæque suspicio satis valida credatur ad impedimentum aliquod, aut certe remoram afferendam. Nec deerant, qui id Pontifici non ingratum suspicabantur, atque de industria eiaculatam translationis vocem, vt per eam ianua aperiretur impedimentis ac difficultatibus intromittendis.

Ferdinandus. Philippus 2.

Cùm autem iam constaret, Præsules *Germaniæ* ad Concilium minimè venturos, ac probabile esset, Gallis propter colloquium hactenus indictum, controuersias omnes inter se solos tractaturis, Concilium ex Italis & Hispanis solummodo conflatum iri; cumque hi non nisi exiguo numero adfuturi viderentur, venit quoque Italis in mentem ipsorum quàm paucissimos negotio posse sufficere; adeoque ab ijs apud Pontificem omni officiorum genere tentatum est, vt hoc onere eximerentur. At Pontifex in contrarium disseruit, esse sibi compertum *Transalpinos* omnes hanc domo mentem adferre, Pontificatum esse Concilio subijciendum. Eam caussam *Italorum* omnium esse communem, qui ob Pontificatus prærogatiuam alijs omnibus nationibus antecellant, caussæque huius tutelam præ alijs omnibus sustinere debeant. Sibi certum esse de absentia nemini facere gratiam, sed spem potius omnem præcidere. Id inde facile colligi posse, quod videant, quàm ille de mittendis eò Legatis sollicitus sit: qui præter *Mantuanum* & *Seripandũ* Cardinales eodem amandarit etiam *Stanislaum Hosium* Cardinalem *Warmiensem*. Itaque die proximo post exhibitas literas *Imperatoris*, quamuis is esset Dominicus, conuocata Cardinalium omnium Congregatione generali, de multis ad principium & progressum Concilij speciatim spectantibus egit; se Præsulum egenorum necessitatibus subuenturum recepit, sed vt omnes eò proficiscerentur mandauit, non nisi octo dierum spatio ad profectionem concesso. Necessitatem Concilij hoc ipso vrgebat, quod Religio Romana cottidiè aliquo in loco detrimenta perpetiebatur, alibi exulare iussa, alibi periculo alteri exposita. Nam hoc ipso tempore in Scotia in Procerum Regni conuentu interdictum ad Romanæ religionis ritum sacra peragere.

Præsules Itali gratiam sibi fieri petunt de profectione ad Conciliũ: sed reclamat Pontifex necessitatem eundi obtendens.

Card. Warmiensis tertius ad Synodum Legatus.

Romanæ religionis ritus in Scotia Edicto exulare iubentur.

Sextili mense cùm Possiacum conuenissent Præsules, de emendanda Ecclesiasticorum vita agi cœptum est: sed in ea re tempus haud magno fructu consumptum. Tum ad colloquium cautione interposita vocati conuenerant quatuordecim ministri Protestantium, in quibus primi nominis *Petrus Martyr Florentinus Tiguro*, & *Theodorus Beza Geneuâ* euocatus. Hi supplice libello quatuor à Rege postulabant. Vt Episcopi in hac actione tanquam partes, non tanquam iudices sederent. Vt Rex cum sanctioris consilij Senatoribus colloquio præesset. vt controuersiæ omnes ex solo Dei verbo deciderentur. Vt quicquid conuentum decretúmque fuisset, id per Notarios, de quibus inter partes conuenisset, scriptis mandaretur. *Reginæ* placuit, vnum è quatuor Secretarijs Regijs inseruire actioni. Tum illud, vt Rex colloquio præesset; sed vt id scripto comprehenderetur, assentiendum non putauit: quod neque ipsis expediret, atque vti tunc erant tempora, rebus Regis non conduceret. Et Cardinalis quidem *Lotharingus* Regis in hoc congressu præsentiam auidè appetebat, siue quò frequentior & honoratior esset Conuentus, siue ad ingenij ostentationem, certum sibi de hostibus triumphum pollicitus. At contra ex Theologis complures intercedebant ne Rex colloquio interesset: ne tenellæ eius aures (aiebant illi) pestifero doctrinæ veneno inficerentur. Cæterùm antequam ad congressum est ventum, supplicatio à Præsulibus facta, omnésque præter Cardinalem *Castellionæum* & V. Episcopos sacræ Communionis participes facti. à cæteris omnibus protestatum, sui non esse consilij dogmata tractare, neque de rebus fidei disputationem instituere.

In Colloquio Possiacensi ministrorum postulata.

Quinto Nonas Septembris principium actioni datum, præsentibus Rege cum Regina, Principibus consanguineis, & sacri Consistorij Senatoribus. aderant quoque Cardinales VI. cum Episcopis quadraginta. Rex ad id instructus monuit eos, quandoquidem conuenissent, vt turbis passim in regno nascentibus salutaribus remedijs consulant, quæque emendationem requirunt, corrigant, ne prius discederent, quam dissidia omnia essent composita. Tum Cancellarius pluribus sententiam Regis prosequutus, dixit malum, quo Gallia prematur, remedium subitum & propinquum deposcere. quod ab vniuersali Concilio expectetur, præterquam quod serum

Rex colloquij Præses paucis quid fieri velit, significat.

Cancellarius pluribus Regis voluntatē aperit.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

rum sit, etiam ab hominibus exteris proficisci, & rerum Gallicarum ignaris, & Pontificis voluntati necessario addictis. Antistites qui adsint, malorum, quibus regnum laborat, peritiores, & sanguine coniunctos, ad curationem eam applicandam magis idoneos. neque impedimento esse debere Concilium à Pontifice iam indictum, quando id aliàs sit factitatum, neque exemplo careat. Sub *Carolo Magno* plura Concilia eodem tempore celebrata: errorem Concilij Generalis à Nationali pluries correctum. exemplo esse, quod *Arrianismi* virus ab Concilio *Ariminensi* generali stabilitum, à Concilio, quòd in *Gallia B. Hilarius Pictauiensis* Episcopus congregarat, fuerit damnatum. Dein hortatus omnes vti eòdem collimarent; doctiores, ne se inferiores doctrina despiciant; atque hos vicissim, ne illis malignè inuideant; subtiles disputationes reijciant; neque tam alienum erga Protestantes animum gerant, qui fratres sint, eodem Baptismatis lauacro regenerati, & eiusdem Christi adoratores. Vti amicè ac placidè sine acerbitate ipsos in viam reducere tentent. plurimum enim ijs tribui, quod in propria caussa iudices sedeant. quo nomine ad maiorem in iure dicendo sinceritatem teneantur, præcluso aduersarijs ore: sin verò affectibus præpediti iudicium peruerterint, illorum decreta nullius ponderis fore & irrita. Cum ille perorasset, assurrexit *Cardinalis Turnonius*, gratijsque Regi, Reginæ ac Principibus, quòd huic colloquio interesse dignati essent, actis, dixit ea, quæ ab *Cancellario* fuissent proposita, tanti esse momenti, vt inconsultis collegis ad ea respondendum non putet; eòque petere, vt scripto comprehendantur, quo maturiùs de ijs deliberetur, recusante verò Cancellario, Cardinalis *Lotharingus*, vt nihilominus scripto mandarentur instabat.

Card. Turnonius à Cancellario proposita scripto comprehendi postulat.

Regina autem cùm animaduerteret id eò fieri, vt negotium in longum extraheretur, *Bezam* dicere iussit. Ille verò loqui iussus, postquam in genua procubuisset, inuocato Dei nomine, fideique professione facta grauiter questus est, quod eius professionis homines, tanquam turbulenti, seditiosi, & publicæ tranquillitatis perturbatores vulgò traducantur: qui tamen non aliud sibi propositum habeant, quàm Dei gloriam; nec liberam conueniendi facultatem ob aliud quærant, nisi vt pacatis conscientijs Deo seruiant, & Magistratibus obsequium præstent a Deo constitutis. Tum ad ea, in quibus cum Ecclesia Romana conueniunt, & in quibus dissentiunt, explicanda aggressus, de fide disseruit, de bonis operibus, de Conciliorum authoritate, de peccatis, de disciplina Ecclesiastica, de obedientia Magistratibus debita, deque Sacramentis. atque hic de Eucharistiæ Sacramento agens, tanto disserendi calore abripiebatur, vt etiam suæ professionis hominibus parum acceptus is sermo esset. Vnde porrecta Regi Ecclesiarum suarum confessione, vt eius capita examinarentur suppliciter petens, finem dicendi fecit. Vbi ille desierat, *Cardinalis Turnonius* in pedes assurgens, irarum plenus dixit, Episcopos qui adessent, conscientijs suis vim attulisse, cùm, vt noui isti Euangelistæ audirentur, consenserant. præuidisse enim fore, vt multa in Deum contumeliosa eructarent. ac proinde, nisi Regis mandatorum rationem habuissent, consurrecturos fuisse, & consessum abrupturos. Maiestatem igitur Regiam orare, ne ijs, quæ dicta sint, fidem habeat. Antistites enim contrarium adeo manifestè verum esse demonstraturos, vt quodnam sit inter veritatem ac mendacium discrimen facilè sit appariturum. Diem itaque ad respondendum petere, aut potius æquum censere, vt sermo vlterius non producatur, ne piorum aures blasphemijs offendantur. Quibus verbis perculsa *Regina* respondit, nihil in hac re factum, nisi de Principum, sacri Consistorij consiliariorum, atque adeo Senatus *Parisiensis* sententia; non ad aliquid in pietate innouandum, sed ad dissidia in religione componenda, & errores in viam reuocandos. quod vt legitimè & commodè fiat, ad Episcoporum prudentiam pertinere.

Beza iussus dicere, orationem habet.

Turnonius Bezæ verba vt abominanda criminatur, neque sermonem vltra producendũ censet.

Regina colloquium rite, & non nisi bono publico institutum asserit.

Consessu eo dimisso inter Præsules & Theologos consultatum, quid deinde esset agendum. Nonnulli censebant fidei confessionem perscribendam, cui si Protestantes subscribere recusarent, sine alia disceptatione continuò in ipsos tanquam hæreticos pronuntiaretur. sed cùm ea sententia, quasi nimis dura, videretur repudianda, placuit, vt ad duo tantum capita à *Beza* proposita responderetur, de Ecclesia, & Eucharistia. Colloquio igitur XVI. Kal. Octob. instaurato, Cardinalis *Lotharingus*

Alijs capitibus cõtrouersis omissis disputatio ad duo capita reuocatur.

ringus coram Rege Regina ac Principibus copiosam habuit orationem. Asseruit principio Regem membrum esse, non caput Ecclesiæ. Eius tuendæ curam præcipuam gerere, sed in ijs, quæ doctrinam spectant, Ecclesiæ ministris subiacere. Addidit, Ecclesiam non solis electis constare; vniuersalem tamen errare non posse. Si quando singularis aliqua errat, ad *Romanam* tum esse recurrendum; ad generalium Synodorum decreta, & consentientes antiquorum Patrum sententias: sed ante omnia ad scripturam Ecclesiæ sensu atque interpretatione explicatam. Hæreticos, quòd ab hac via deflexerint, in errores inextricabiles præcipitasse: certe nuperos in capite de Sacrosancto cœnæ Dominicæ mysterio, insanabili quæstionum curiosarum pruritu, quod à *Christo* ad nos arctiori vnionis vinculo secum constringendos est institutum, idem ad Ecclesiam odio irreconciliabili discindendam adhibuisse. Quam quæstionem paulo fusius tractans, concludebat, nullam cum Protestantibus, si in ea sententia permanerent, concordiæ rationem iniri posse.

Ferdinandus Philippus 2.

De his Card. Lotharingus copiose disserit.

Desinente Cardinali *Lotharingo* Episcopi omnes assurgunt, & in ea fide, quam ille professus fuerat, se viuere & mori paratos declarant; Regem vt in ea perseueret, obsecrant, promittentes, si huic articulo Protestantes subscribere non recusent, se de cæteris disceptationem non detrectaturos. Sed si contra recusent, cum ab omni audientia excludendos; tum toto regno eliminandos. Et *Beza* quidem facultatem ex tempore respondendi postulabat: sed cum iniquum videretur, ministrum priuatum adeo potenti Principi æquiparare, actio in alium diem fuit dilata. Atque hic Præsules fere omnes colloquio finem impositum cupiebant, sed *Valentiæ* Episcopus id cum ignominia sacri Ordinis coniunctum esse asseuerabat. Vnde iam denuo XXIV. mensis, coram Regina & Principibus, per absentiam Regis, institutum fuit colloquium. Ibi *Beza* de Ecclesia verba facit, de illius notis & auctoritate: de concilijs, quæ interdum errare posse contendebat; & de scripturæ dignitate. Ad quæ respondit *Claudius Espencæus*, præfatus se à multo tempore, vt colloquendi copia fieret, expetiuisse; & à supplicijs, quibus ob religionem miseri homines afficiebantur, semper abhorruisse. Demirari se subinde, qua auctoritate Protestantes, & à quo ad ministerium Ecclesiæ vocati instituti que sint; à quo manuum impositionem susceperint, vt legitimi pastores censeri debeant. quòd si vocationem extraordinariam obtendant, miracula desiderari, quæ huic testandæ necessaria sunt. Dein ad Traditiones facto transitu, ostendit, si quando de scripturæ interpretatione controuersia exoriatur, ad Patres recurrendum esse; multa solis traditionibus inualuisse, vt filium Patri consubstantialem; infantes esse baptizandos; *Mariam* etiam post partum virginem remansisse. Nullum Concilium generale, in ijs quæ doctrinam spectant, ab altero posteriori fuisse correctum. Ita post frequentes inter Theologos qui aderant vtriusque partis, disputationes & concertationes, cum rixæ, quàm disceptationi propior ea esset contentio, Cardinalis *Lotharingus* facto silentio, quæstionem de Eucharistia proponit. Decreuisse enim dicebat Præsules, se vlterius non progressuros, nisi de eo articulo conueniatur. Itaque petijt à ministris, an parati essent huic articulo *Augustanæ Confessionis* subscribere. Quam quæstionem *Beza* cum eluderet, vicissim quærens, an totius consessus nomine id peteret *Lotharingus*; & an ipse cum reliquis Præsulibus cæteris eius confessionis capitibus vellent subscribere; atque vtrimq; nihil directè responderetur, tandem *Bezæ* petijt scriptū, cui subscribi à se postularent, sibi tradi, vt de eo inter se maturè deliberarent. Inde in diem sequentem dilatum colloquium.

Præsules Lotharingi sententiæ applaudunt, & Protestantes subscribere cupiunt.

Proximo consessu Beza Lotharingo respondens de Ecclesia disserit.

Claudij Espencæi responsio.

Iubentur Protestantes subscribere articulo de Cœna iuxta Confessionem Augustanam.

Quo die vbi *Beza* coram Regina verba facere cœpit, Antistitum contra se odium concitauit. Retractato enim superiori de Vocatione ministrorum sermone, dum ministerij suorum auctoritatem propugnat, Præsulum vocationem & ordinationem per nundinationes, & quasi vitio factam pro legitima minimè habendam contendit. Deinceps, cum ad articulum de Eucharistia deuentum est, vt huic, quemadmodum Augustana confessione habebatur, subscriberet; postulabat, vt qui caput illud proponebant, ipsi primum subscriberent. Cum nec hic conueniret, *Hispanus* quidam è sodalitio Iesuitico, qui cum Cardinali *Ferrariensi* his ipsis diebus in *Galliam* venerat, & Concilio intererat, in Protestantes multa contumeliosa debacchatus, postremò

Beza aduersariorum postulatum eludit.

Hispani Iesuitæ in consessu arrogantia & proterula.

Reginam

Pius 4. Elizabetha. Franciscus 2.

Reginam increpuit, quod hisce rebus, quæ minimè ad ipsam, sed ad Pontificem, Cardinales & Episcopos pertinerent sese immisceret. quam hominis arrogantiam impatienter tulit Regina: sed Pontificis legatique reuerentia iniuriam dissimulauit.

Mutata colloquendi ratione delegantur vtrimq; quinque amicè de Eucharistia collocuturi, sed incassum. De colloquio Possiacensi varia hominum iudicia.

Iam quod hac colloquendi ratione nihil dabatur effectum, delegati duo Episcopi cum tribus Theologis moderatis pacisque studiosis, qui cum quinque ministris amicè conferentes, concordiæ rationes exquirerent. Ab his tentatum caput de *cœna Domini* verbis generalibus, è scriptis Patrum decerptis, quæque vtrique parti satisfacere possent, concipere. sed cum nec hic conueniret, solutum est colloquium: de quo varia erant hominum iudicia. Alij prauo id exemplo factum aiebant, vt errores semel damnati retractentur. Neque enim audiendos, qui fundamenta religionis tam longo tempore continuatæ corroboratæque labefactant, præsentibus præsertim idiotis. Licet enim in colloquio contra veritatem religionis Catholicæ nihil esset definitum, inde tamen & sectarios maiores spiritus capere, & viros pios animis deijci. Alij contra contendebant, futurum è republica, si istiusmodi controuersiæ sæpius disceptarentur. Sic enim partes in familiaritatem faciliùs coalituras, odia desitura, & alios impotentes affectus: multas ad concordiam rimas apertum iri; neque aliam malo, quod iampridem radices egerit, medicando viam aperiri. nam aulâ discordijs scissâ, religioneque priuatis simultatibus palliandis adhibita, nullam aliam medendi rationem iniri posse, nisi vt positis vtrimque animorum obstinationibus, sese mutuò tolerandis, ingenijs irrequietis, regnique perturbatoribus mantelum illud auferatur, quo improbè à se facta obuelata cupiunt.

Etiam Pontificis.

Pontifex hoc comperto, Colloquium nullo fructu solutum, magnam inde sensit voluptatem, & Cardinalem *Lotharingum* hoc nomine plurimùm laudauit, sed *Turnonium* multo magis. Imprimis vero probabat *Iesuitæ Hispani* zelum, quem priscis cælitibus dicebat æquiparandum, quod postposita Regis Principumque reuerentia, Dei caussam tam fortiter sustinuisset, Reginæ etiam in faciem alienæ auctoritatis vsurpationem obiectans. Contrà, orationem *Cancellarij* tamquam multis partibus hæreticam damnabat, ad Inquisitorum tribunal citandum interminatus. Curia verò Romana, vbi quid ea oratione vulgatum esset, accepit, non modo de viro tam insigni omnia mala dicere, sed ex eius sermone coniecturam capere, qualiter erga *Romam* affecti essent Regni Gallici administratores: sic vt Regis Oratori in caussæ eius patrocinio non leuiter fuerit desudandum.

Et Curiæ Romanæ.

Card. Ferrariensis Pontificis in Gallia Legatus.

Neque hic omittendum quod *Hippolyto Atestino* Cardinali *Ferrariensi* accidit, quippe argumento, quo de agitur, admodum affine. Is vbi in aulam primum venit, à Rege Reginaque honorificè acceptus, traditis fiduciarijs Pontificis literis, pro Legato Sedis Apostolicæ à Rege, Præsulibus, totoque sacro ordine fuit admissus. Cum autem Senatui Parisiensi suboluisset, eum habere in mandatis à Pontifice, vt capita in *Aurelianensi* Ordinum Regni conuentu superiore decreta de collationibus Sacerdotiorum, aut reuocentur, aut attemperentur; illud verò nominatim, quo erat vetitum Annatas beneficiorum *Romæ* pendere, vel omnino pecunias extra regnum, Sacerdotijs, vel gratijs *Româ* impetrandis asportare, Senatores, qui Decreta ea nondum promulgauerant, ne Cardinalis voti compos fieret, eadem XIII. Septembris promulgarunt. Cumque regni eius moribus inoleuerit, vt Legatus officium Legationis exercere nequeat, nisi facultates ei à Pontifice concessæ, Senatoribus in Curia Parlamenti prius exhibitæ, atque ab ijs examinatæ Arresto Curiæ ad modum & temperamentum redigantur, ac deinde diplomate Regio eâ formâ confirmentur; vbi Bulla facultatum Legationis, quam vocant, in Senatum est allata, vt ei sanciendæ decretum interponeretur, Cancellarius & Senatores id apertè recusarunt: affirmantes iam decretum esse, vt neque dispensationes contra Patrum sanctiones, neque Sacerdotiorum collationes contra sacros canones postmodum essent valituræ.

Mandata quæ habebat à Pôtifice, Curia Parisiensis nisi sub modo & conditione confirmare recusat.

Libellis incerto auctore sparsis petulanter exagitatur.

Ad hanc repulsæ infamiâ accessit alia haud leuior. Libellis enim in publico affixis, ac deinde per aulam & ciuitatem *Parisiensem* sparsis traductus fuit Cardinalis; quibus *Lucretiæ Borgiæ* matris, & *Alexandri* VI. Pontificis aui amores, cũ multis quæ eo Pontifice percrebuerant obscœnitatibus, refricabantur, ad Cardinalem populi ludibrio propinandum.

Cum

Cum vero Protestantes à colloquio *Posiacensi* conciones maiori libertate frequentarent, magnum se operæ pretium Pontifici nauaturum putauit Cardinalis, si cœtus eos & conciones quacumque ratione posset comprimere. Id officijs & sollicitationibus, & secretis apud ministros pollicitationibus principio tentatum. Verùm quòd propinqua necessitudine *Guisos* attingeret, cùm ministris, tum vniuersæ factioni, quæ *Guisijs* aduersabatur, omnino erat suspectus. Vnde quò fidem, auctoritatemque apud eos sibi conciliaret, Nobilium eius factionis gratiam demereri cupidus, officiosè eos inuisebat, ad conuiuia eorum adibat, & interdum mutata veste in dissimulationem sui compositus, concionibus illorum interueniebat. Quod plerisque offendiculo fuit, Legatum Apostolicum non nisi de voluntate Pontificis id agere reputantibus; aula vero Romana etiam ad ea, quæ à Cardinali agebantur, fremente.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Protestantium ministros pollicitationibus tentat, & Nobiles officijs demereri studet.

Galliæ Regina cum *Hispaniæ Regem* ob colloquium *Posiacense* grauiter commoueri intelligeret, *Iacobum Momberonium* ad eum placandum misit, qui prolixa oratione excusaret, id necessitati magis datum, quam in Protestantium gratiam factum; significaretque, Regem ac Reginã omissa Concilij nationalis mentione Episcopos quamprimũ *Tridentum* mittere decreuisse. *Philippus* verbis generalibus ac beneuolis respondit: sed rem omnem ad Ducem *Albanum* reiecit. Is vero Legatione audita, dixit, Regi suo admodum dolere, in regno tam vicino, & tot necessitudinum vinculis secum coniuncto negotium religionis ita frigidè tractari. Quin potius opus esse ea seueritate, qua *Henricus* vsus est in *Conuentu Mercuriali*, & non ita pridem *Franciscus* Rex in tumultu *Ambosiano*. Orare Reginam, vt se regnumque respiciat. Se certè, quando periculum *Galliæ* ad ipsum spectet, re inter Consiliarios suos diu ac seriò agitata statuisse, opes vniuersas ac vitam ipsum impendere, ad communem pestem exinguendam. Id proceres populumque *Galliæ* precibus exposcere. Scilicet *Hispani* admodum sagaces medendæ *Galliæ* valetudini amarum pharmacum præbentes, eodem sanare *Belgij* ægritudines satagebant, quæ nihilo minus periculosæ erant, vtcumque adhuc minus sese ostentarent, aut turbas concirent. Neque enim *Hispaniarum* Rex tantum authoritate apud prouinciarum *Belgij* Ordines valuit, vt ad tributum aut largitionem conferendam eos posset adducere. Eodemque tempore *Cameraci*, *Valentiæ*, ac *Tornaci* cœtus habebantur palam, magistratu licet id vetante, & nonnullos quod iussis ipsius parum obsequentes essent, in vincula conijciente. Vnde ad arma prope ventum est, cum manifesto rebellionis periculo, Principe *Aurasiensi* & Comite *Egmondano*, Protestantibus religionis ac libertatis suæ retinentissimis fauore haud obscuro suffragantibus: maxime post contractum ab eo Principe cum *Anna Mauritij* nuper Ducis *Saxoniæ* filia matrimonium. Et quidem certe ea res *Philippum* haud leuiter pupugit, vbi desitura esset potentis subditi sui cum primæ notæ inter Protestantes principe affinitas, facile diuinantem. *Hispani* tamen rem dissimulabant, quasi in *Belgio* nihil esset male sanum, deque infectione à *Gallia* sibi tantum metuerent, quam ideo bello purgatam volebant. Præter hæc cùm *Monberonio* quoque mandatum esset, vt de regni *Nauarræ* restitutione cum *Philippo* ageret, *Albanus* Regis sui nomine respondit, caussam non esse cur *Nauarræ* satisfiat, qui religionis negotium tam in diligenter agat. quod si petitionis suæ de regno auito recuperando, rationem haberi velit, sectarios in Francia ab illo prius bello lacessendos.

Regina parens apud Hispanũ excusat necessitatem Possiaceni colloquij.

Philippus beneuolè & comiter, Albanus præfractè & acriter respondet.

Hispani in medendo Galliæ inualetudini: Belgium suum respiciunt.

Willemi Aurausiensis cum Anna Mauritij Saxonis filia nuptiæ Philippũ angunt.

Albanus Mõberonij pro Nauarro postulationem eludit.

Regina quoque per Regium apud Pontificem Oratorem hoc ipsum *Posiacense* colloquium *Papæ Pio* curauit excusandum, quasi Rex ad Hugonotorum, & voces compescendas, qui se inauditos extrema pati conquerebantur, & tumultus reprimendos, necessitate adactus fuerit ad publicam audientiam coram Principibus & officiarijs Regni ijs concedendam: certus tamen, nisi rationum momentis conuinci possent errorum, vbi primum copijs idoneis esset instructus, armis eos opprimere. Egit etiam cum Cardinali *Farnesio Auenionensi* Legato, vti Legationem eam Cardinali *Borbonio* concederet, compensatione repromissa. Cumque *Farnesius* assensisset, de eadem re deinde cum Pontifice Regis *Nauarræ* & Cardinalis fratris nomine actum est ab Oratore, his propositis rationibus, quòd & simul se magnis sumptibus, quos in tuenda ciuitate facere cogebatur, esset liberaturus, & ab Hugonotis eam tutam redditurus, nihil aduersus eam ausuris Principe Regij sanguinis patrocinium eius suscipiente.

Eiusdem Colloquij necessitatem Pontifici Regina excusandã curat.

Atque

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

Pius non permittit, vt Car. Farnesius Legatione Auenionensi cedat in gratiã Card. Burbonij.

Atque hic quiuis non modò rerum agendarum peritus, sed vel medioeri præditus ingenio, facile animaduerteret gradum fieri ad dominium eius ciuitatis Pontifici aufe-rendum, & Galliæ vniendum. Eapropter *Pius* non tantùm non assentiendum putauit, sed ad Consistorium Cardinalium rem in hunc modum retulit, ac si fraudis aliquid & insidiarum sub honesta hac specie lateret, quod prima fronte minus obuium esset. Vnde contra *Reginam* & *Nauarræ Regem* grauem instituit querelam, quòd cum sæpenumero polliciti essent, se nunquam permissuros, vt in Sedis Pontificiæ præiudicium quidquam attentetur, ij ipsi tamen sectarijs fauerent, Præsules congregarent, colloquiorum aliarumque rerum præiudicialium auctores essent. Sibi qui mitiùs cum ipsis ageret, malam gratiam rependi. Quare Concilium maturandum, vt vel sic cognoscant, quam Principes seculares Ecclesiæ debeant reuerentiam. Eandem querelam cum minis ad Oratorem post detulit. Ille verò & postulationem de *Auenionensi* Legatione bonum publicum respicere, & omnes *Reginæ* actiones singulari iudicij maturitate & æquitate niti commonstrauit. Concilium porro ardentioribus votis ab Rege, quàm ab ipso Pontifice desiderari, haud dubiâ fiduciâ, cum omnibus Principibus pari æquitate, nulloque iuris discrimine processurum. Quo ille dicto Pontifici illudebat, qui paulo ante assenserat, vt à Clero *Hispaniarum* Regi maximum tributum penderetur, cum Galliarum Regi à sacro suæ ditionis ordine non nisi solas annatas obtinuisset. Pontifex vero petitione *Auenionensi* factus animo magis suspicax; & quòd in ea ciuitate complures essent Protestantes, ne eam *Nauarræ* Rex occupare posset metuens, continuo eò mittit *Fabritium Sorbellonum* cum peditibus bis mille & aliquot equitibus ad oppidi custodiam, vrbis præfecturâ, *Laurentio Lencio* Episcopo Fermi vicem Legati obituro traditâ.

Eius querela apud Regis Galliæ oratorem, & Legati responsum.

Pius in Hispanum, quam in Gallum munificentior.

Præsules qui Posiaci, soluto colloquio, in rei nummariæ negotio explicando dies aliquot posuerunt.

Quòd soluto colloquio *Posiaceno* Præsules ibi aliquàndiu commorati essent, post discessum Protestantum, ad constituendum capitationis negotium, ne inde Pontifex vbiq; quiritabundus nouam suspicionum caperet occasionem, Regina significandum ei curat, eam moram non ob aliam caussam fieri, nisi ad explicandum æris alieni, quo Rex grauabatur, negotium: dimissoque conuentu Episcopis edicturam, vt quanta possunt festinatione approperent ad Concilium. Inibi tamen actum de Calicis communione, Episcopo *Valentino*, de consilio Cardinalis *Lothareni* id proponente. Dicebat ille, si cœnæ integræ participatio concederetur hominibus, magnum illum, quem Protestantes faciunt progressum facile interruptum iri; multis hoc solo nomine ijs adhærentibus, qui alioqui illis aures præbituri non essent, si ab Ecclesia integram communionem possent percipere. Viri etiam rerum intelligentes iudicabant, eam viam esse expeditam, ad ipsos renouatæ religionis professores dissensionibus scindendos. Ex Episcopis pauculi id Edicto regio confestim statuendum exequendumque putabant, affirmantes communionem calicis nullo Ecclesiæ decreto sublatam, sed sola consuetudine: neque vllum exstare decretum Ecclesiasticum, quod vetet ne Episcopi quasi iure postliminij ad pristinum morem reuertantur. Sed Episcoporum pars maior nihil quicquam in eo genere, nisi Pontifice vel annuente, vel certe non repugnante statuendum censebat. Ex Episcopis erant nonnulli, qui omnino nihil innouandum crederent. Sed peruicit plurium sententia interueniente potissimùm Cardinali *Lotharingo*. Qui, vt assensum Pontificis impetraret, Cardinalem *Ferrariensem* officijs demerendum arbitratus est. Ac quò illum in sententiam suam traheret, Reginæ fuit auctor, vt postulata eius non reijceret, sed ad eum tum in hac, tum alijs occasionibus sibi deuinciendum, aliqua parte ei gratificaretur. Ac profecto Cardinalis comitate ac mansuetudine erga diuersæ religionis sequaces, prope omnium, qui principio ipsum oderant, & oppugnabant, beneuolentiam pepererat. Vnde negotio retractato, Rex de consensu intimorum consistorij sui, scripto manu sua subsignato concessit, vt capita ad res sacerdotiorum spectantia, conuentu *Aurelianensi* decreta suspenderentur, Legatoque fas foret, Bullam facultatum exercere. Hac lege, vt ille scripto manu sua confirmato promittat, se potestate sibi mandata non vsurum, acturumque cum Pontifice, vt abusus tollat, & corruptelis medeatur, quæ & in sacerdotijs conferendis, & in Bullis, siue diplomatis *Romæ* expediendis eueniunt. Verùm quicquid Rex ediceret, *Cancellarius* adduci non potuit, vt more solemni aut manum aut

In eo cœtu differitur de integræ cœnæ communione.

Quam & concedendã censet Card. Lotharingus, & Pontificis assensum in eam rem impetrandum.

Ea gratia Rex Legato Pontificio permittit Bullam facultatum exercere.

Cancellarius tamẽ sigillum appendere Regio diplomati recusat.

aut sigillum diplomati Regio apponeret. Vnde in defectus eius supplementum, necesse fuit *Reginæ* matri, *Nauarræ Regi*, & munerum publicorum administris scriptum illud Chirographis suis sancire. Qua re satisfactum est Cardinali Legato, de existimatione sua sarta tecta conseruanda, quàm de Pontificis desiderijs explendis sollicitiori. Is verò vt beneficij vicem rependeret, & Gallorum consilium de integra communione percipienda probat, & de ea ad Pontificem scribit: sed eo temperamento, vt neque ille, neque Curia Romana iustam inde caperent offensionem. Atque is fuit conuocationis eius exitus, qua Decreta Regi in subsidium centum aureorum millia ex diuenditis Ecclesiarum bonis immobilibus, modò Pontificis assensus inteueniret.

Ferdinandus. Philippus 2.

Card. Legatus pro integra communione apud Pont. intercedit.

Regi conceditur venditio bonorum Ecclesiæ.

Scribit itaque *Romam* Rex ad Oratorem suum, vt rem vrgeat, eius necessitate atque vtilitate repræsentata: quod ab eo factum sedulò, pridie quàm Pontifex Cardinalis *Ferrariensis* literas acceperat. His ille significat, quantas superarit difficultates, quanto opere impetrarit suspensionem articulorum contra libertatem Ecclesiasticam *Aurelijs* decretorum; simul potestatem vtendi facultatibus Legationis Apostolicæ; in quibus obtinendis hôc magis sibi fuisse sudandum, quod Cardinalem *Lotharingum*, quem suffragatorem expectabat, refragantem renitentemque ipso principio reperisset. Tum statum religionis in *Gallia* refert, quanto in periculo versetur, ne planè pessum eat & opprimatur: quæ item remedia ad eam tuendam adhibenda. Ea duo omnino esse, vt Regi *Nauarræ* ad eum modum satisfiat, vti religionis patrocinium velit suscipere. Item, vt populo per omnem *Galliam* sub vtraque specie cœna Dominica communicetur. hoc facto, ducenta millia animarum Ecclesiæ posse lucrifieri.

Card. Ferrariensis ad Pontificem literæ.

Duas religionis in Galliæ conseruandæ rationes proponit.

Id ipsum Orator Pontifici iam proposuerat, Regis, Ecclesiæ, Præsulumque *Galliæ* nomine contendens, vt Eucharistiæ Sacramentum populo integrum ministretur. Eam præparationem populo Gallicano non modo vtilem, sed necessariam; quâ hominum mentes ad decreta Concilij alacriùs accipienda comparentur ac emolliantur. nisi ea adhibeatur, periculum esse, ne remedium intempestiuum, humoribus adhuc crudis & male digestis, morbum grauiorem parturiat. Et Pontifex pro ingenio suo ex improuiso nulla habita deliberatione respondit, sua quidem opinione communionem sub vtraque specie, & connubia Sacerdotum fuisse semper *iuris positiui*: de quibus cum pari authoritate Pontifex statuere possit, atque Ecclesia ipsa vniuersalis, in vltimo Cardinalium consessu petitiones eas pro *Lutheranis* habitas. *Cæsarem* ipsum *Ferdinandum*, *Maximiliani* filij sui Regis *Bohemiæ* nomine, conscientiæ instinctu id expedire credentis, idem postulasse: dein gentium hæreditario iure sibi subiectarum caussa petitionem eandem iterasse, sed frustra; Cardinalibus ab ea alienissimis. Nunc itaque nihil velle statuere, nisi re in Consistorio Cardinalium prius deliberata, quod in diem decimum Decembris sit indicturus. Eo die Orator ritu solemni eorum, quorum de negotijs in Senatu agitur, Cardinales mane adit, in eundem locum dum Papæ aduentum præstolantur, congregatos, officijs singulos demulcens. Ex his prudentiores quique respondent, postulatum id esse eiusmodi, vt maximam requirat deliberationem, neque temerè de eo esse pronunciandum. Alios tanquam nouum quid ac inauditum, vehementer conturbauit. At Cardinalis *Cueuensis* præfractè negauit sese vnquam petitionem eam suffragio suo adiuturum. immo si ipse Papa de consensu aliorum Cardinalium ita statuerit, se conscensis *B. Petri* gradibus alta voce *Misericordiam* imploraturum; neque cessaturum dicere, Præsules *Galliæ* hæreseos labe esse infectos. Et consentienter huic Card. *S. Angeli* dixit, se nunquam pharmaci loco poculum toxico refertum populo Gallico propinaturum, multoque satius esse, sinere eum expirare, quàm vt ad remedia adeo exitiosa deueniatur. Quibus Legatus replicauit, Præsules *Galliæ* bonis firmamentis & rationibus Theologicis niti, quæ censuram adeo cõtumeliosam haud mereantur: rursusq; indignum sacri Ordinis proceribus sanguinem Christi appellatione veneni violare; & sanctos Apostolos, omnesque Ecclesiæ primitiuæ Patres, & multorum post seculorum, qui mortalium insigni emolumento spirituali cunctis Calicem illum sanguinis ministrarunt, habere pro veneficis.

Galliæ Regis Orator apud Pontificem Calicis communionem vrget.

Pontifex suam mox sententiam promit, sed ad Collegium Cardinalium rem referendam censet.

Orator Gallus Cardinalium animos pertentans, nõnullos præfractos inuenit.

Quorum contumeliosam obstinationẽ acuto ac prudenti responsione refellit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Pontifex in Consistorio rem in deliberationem mittit.

Hispani refragantur, solus Paciecus rationem affert.

Pontifex Consistorium ingressus, post sermones cum nonnullis Cardinalibus habitos, réque diligentius pensitata, quod ante dixerat, indictum cupiebat. Visum tamen rem proponere, seriam Oratoris petitionem recitare, Legati literas legendas dare, ac denique sententias exquirere. E Cardinalibus qui studebant Regi *Galliæ*, bonam Regis voluntatem diuersimodè probant; sed de postulato rem omnem ad Pontificem referunt. *Hispani* contra intolerabili audacia *Galliæ* Præsules, nunc hæreticos, alias schismaticos vocant: alij ignorantiæ damnant eos, nullam tamen aliam rationem, nisi quòd *Christus* totus est in vnaquaque specie, adferentes. Solus Card. *Paciecus* allegabat, omnem rituum in religione diuersitatem, maximè in ceremonijs potissimis, in schisma, imo in hostile odium denique desinere. Hispanos in *Gallia* Ecclesias adire, *Gallos* vicissim in *Hispania* sacrorum gentis participes esse. at si diuersimodè Eucharistia recipiatur, neque sacra communicent, tum Ecclesias necessariò seorsim instituendas, & inde schisma oriturum.

Card. Alexandrini sententia

F. Michael Card. *Alexandrinus* dicebat Papam id *de plenitudine potestatis* haudquaquam posse concedere; non quòd in eo desideretur authoritas super ea omnia, quæ sunt *de iure positiuo*, quo in genere isthuc esse ducebat: sed quia gratiæ parum capaces sunt, qui eam flagitant. Neque enim Pontificem posse malè faciendi facultatem concedere. esse autem hæreseos malum accipere ea mente Calicem, ac si credas omnino necessarium. quare Papam istiusmodi personis eum non posse concedere. Neque dubitandum, quin necessarium ducant calicem ij, à quibus adeo petitur: quòd non sit tanti de ceremonijs adiaphoris mouere controuersiam. Aut (inquiebat) isti calicem necessarium ducunt, aut non. si minus, quorsum separatione sua alijs offendiculo sunt? si necessarium putant, sine dubio hæretici sunt, & gratiæ incapaces.

Sentētia Card. Carpensis de communione Calicis.

Postremo loco Card. *Rodolphus Pius Carpensis*; (quippe ab inferioribus sumpto initio) sententiam promit, cæteris consentientem. atque hoc addidit, non salutem modò ducentorum millium, sed vnius hominis, satis iustam ac validam esse caussam, cur in casu iuris positiui Pontifex maturo consilio possit dispensare. sed in hoc casu sedulò reputandum, ne dum creditur, tot millia posse Ecclesiæ lucrifieri, decies tot centena millia hominum perdantur. hoc esse certissimum, eo impetrato, Gallos in re religionis petendi finem non facturos, sed ad aliud quidpiam obtinendum, gradum. Deinceps enim postulaturos, vt Sacerdotibus liceat esse coniugatis; vt populari lingua sacramenta ministrentur, idem in his caussantes, esse videlicet *de iure positiuo*; & ad multorum salutem esse concedenda. Iam si connubia permittantur Sacerdotibus, id inde sequuturum, vt familiam, vxorem ac liberos alentes, ad Principis quisque sui obedientiam respiciens, Pontificis obsequium detrectet: vt liberorum charitas ab officio ad omnem Ecclesiæ fraudem ac præiudicium abducat: vt de sacerdotijs in familias suas hæreditario iure asciscendis cogitent: vt denique intra breue tempus Sedes Apostolica vrbis Romanæ cancellos non exscendat. ante institutum cœlibatum, Sedem Romanam nullum ex alijs ciuitatibus, ac regionibus fructum percepisse. per hunc adeptam dominatum omnium Sacerdotiorum, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet. Rursum si lingua vernacula in sacris obtineret, futurum, vt omnes se gerant pro Theologis; vt vilescat Præsulum authoritas; vt hæresis in omnium penates irrumpat. Postremo, non magni interesse, vt communio calicis permittatur, quod ad rem ipsam attinet; modò alioqui fides sarta tecta conseruaretur: sed periculum esse, ne sic ianua aperiatur tollendis ijs omnibus, quæ introducta sunt iure positiuo: quorum solo beneficio prærogatiua Ecclesiæ Romanæ ab *Christo* tributa manet illibata. nam ab his quæ sunt de iure diuino nullum emolumentum nisi spirituale prouenire. Ob has igitur rationes sapientis esse consilij primam postulationem reijcere, ne ad secundam, aliasue deinceps accipiendas teneare.

De connubijs Sacerdotum.

De lingua populari in sacris ministrandis.

Papa Gallis Calicem negat: sed cum modestiæ affectatione.

His rationibus adductus Pontifex constituit negare quod postulabatur. atque quò minori id esset offensioni, Legatum officiosè orandum curauit, vt petitione ea absisteret: cumque id non impetrasset, rogauit, vt saltem in negotio lento pede procederet, quia id *Gallis* largiri non poterat, nisi alijs omnibus Catholicis inuitissimis.

mis. Instante verò Oratore, respondit tandem, etiamsi maximè posset, tamen id neutiquam concedendum hoc tempore, quo Concilium iamiam esset habendum. Æquum esse quandoquidem eò reiectum sit *Cæsaris* postulatum, eodem vt Gallica petitio referatur, quæ in ipso rerum tractandarum vestibulo possit discuti. neque multo diuturniorem fore eam moram, quàm quæ ad maturam in Consistorio deliberationem de gratia ea concedenda requiratur. Et cum hoc responso adhuc Oratori non satisfieret, subiunxit denique, sibi satis constare, omnes regni Præsules non id flagitare, imo potiorem eorum partem statuisse, nullum de ea re verbum facere: sed quod pauculis aliquot placeat, nec tam suo motu, quàm alieno impulsu, id communi omnium nomine sibi obtrudi. Quibus verbis denotabat *Reginam*, aduersus quam propter literas IV. Augusti ad se datas, erat commotior, tacitam animo premens indignationem.

Ferdinandus. Philippus 2.

Sub idem tempus, quo postulatum hoc Præsulum *Galliæ* innotuit *Romæ*, allatum est è *Germania* eosdem Præsules ad Protestantes inibi dedisse literas, quibus eos ad perseuerandum in doctrina quam profiterentur, animabant; benignam fauoris sui in Concilio auram, omniúmque quos in partes suas trahere poterant, promittentes. Atque idem nuntius Tridenti sermonibus hominum vulgatus, fecit vt Curia Romana, & Itali qui aduenerant Tridentum, de Præsulibus Gallis pessimè æstimarent, ipsos vtrobique tanquam nouatores, & inquietos diffamantes. Dicebant porrò, (suspicione ea, quæ referuntur, in maius augente) se, superiorum temporum controuersijs, quæ huic nationi cum Curia Romana in articulis præcipuis sæpiusculè intercesserant, & ijs quæ nuper euenerunt, consideratis, animum inducere non posse, Gallos venturos ad Concilium, nisi rerum turbandarum aut innouandarum animo. Quæ de natione sua opinio, ne in Pontificis animum altiùs demitteretur, Orator elaborandum sibi putauit, ei metum omnem demere conatus: verùm ille Ironicè hortatur oratorem, ne in ea re sibi facesseret negotium. non enim esse verisimile, aut credibile, tam paucos, quàm sint Galli Præsules, rem adeo magnam tentaturos; quam si fortè aggredi velint, Italos longè maiori numero horum se conatibus oppposituros. Id vero imprimis sibi molestum aiebat, quod cùm Concilium omninò in Gallorum gratiam sit indictum, vt ipsorum necessitatibus succurratur, ij tamen remoras inijcientes facilè ostendant, sibi curæ non esse, vt mala quibus se premi queruntur, persanentur. At sibi iam esse constitutum, siue adsint, siue adesse recusent, Concilium & aperire, & continuare, & ad exitum perducere. Legatos suos tot menses *Tridenti* hæsisse; tot Antistites magnis sumptibus, nec sine incommodis tempus ibi inutiliter consumere, dum *Galliæ* Præsulum otiosè satis ac fastidiosè itineri sese accingentium aduentum opperiuntur.

Itali Præsules Gallos suspectos habent, vt Germanorum fautores.

Quam opinionem Orator Pontifici demptam cupit: ille contra animo suo insitā dissimulat.

Atque vt cum dictis facta quadrarent, conuocato Cardinalium collegio, caussas commemorat, propter quas ante annum de consilio ipsorum Concilium indixerit; in quas difficultates inciderit; quemadmodum eas superarit, Principibus, qui opinionibus inter se pugnabāt ad Bullam suam accipiendam adductis; quam adhibuerit diligentiā amandandis eò Legatis, alijsque Præsulibus, quos adhortationibus ac monitis impellere potuerit: ante septem menses, omnia quæ a se expectentur, esse præstita, & maximis adhuc sumptibus continuari, sic vt in salarijs ministrorum & tenuioribus Episcopis subleuandis vltra ter mille aureos singulis mensibus eroget. Experientiā satis se edoctum, prolatationem Concilij rebus suis esse damnosam. *Germanos* cottidiè aliquid moliri, vt opus tam sanctum ac necessarium interturbent; hæreses in *Gallia* capere incrementum; atque ibi nuper conspectam aliquot Antistitum *Galliæ* quasi rebellionem, Calicis communionem tam absurdè, tamque violenter flagitantium, vt & maior meliorque Catholicorum pars ijs necessariò succubuerit. Omnes Principes Oratores suos eò destinasse; neque solum Præsules, qui nunc Tridenti sunt, numero esse ad Synodum inchoandam idoneo, sed & plures esse, quàm vnquam duabus vltimis vicibus quibus habitum Concilium, cōuenerint, quamobrem nihil vetare, quo minus cunctatione omni abiecta Synodum incoeptet. Hac Pontificis deliberatione ab Cardinalibus probata, assensuque firmata, ad tres Legatos, quos antea Concilio præsidere iusserat, duos alios adiecit, *Ludouicum Simonetam*, in

Pontifex in Consistorio Cardinalium suum in promouendo Concilio studium & diligentiam cōmemorat: à Germanis autem & Gallis impedimenta.

Synodum absque mora inchoandam cēsens, ad tres priores Concilij Præsides duos adiungit: & antequam incipiat de fine & exitu Concilij verba facit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

in iure Canonico versatum, & ad Patris purpurati honorem per omnes gradus munerum in Curia Romana grassatum; & *Marcum Siticum de Altemps* è sorore nepotem. Illi præceperat, vt è vestigio compararet se ad iter, neque de via subsisteret, sed confestim ab aduentu peractis ceremonijs consuetis, *Missam Spiritus Sancti*, per quam Synodi principium fiat, celebrandam curet. Addidit porrò, sibi non videri tolerabile, vt Synodus perpetuò consistat, aut in suspensiones ac translationes desinat, sicuti iam ante factum est, notabili Sedis Apostolicæ præiudicio ac periculo; sed vt finis ei quam ocyssimè imponatur. Ad id paucorum mensium operam desiderari, ijs quæ maximi sunt momenti iampridem determinatis, & quæ definienda supersunt, per frequentes disputationes & discussiones sub finem Pontificatus *Iulij* III. in ordinem digestis. Vt rebus iam accōmodatis nihil reliqui sit præter promulgationem: quod quantulumcunque est, id paucorum mensium spatio esse expediendum.

In Card. Simonetæ in vrbem Tridentinam introitu ostenti materies.

Cardinalis *Simoneta* iter ingressus nono Decembris *Tridentum* peruenit. Eo ciuitatem ingrediēte visus immanis ignis è terra exurgens vrbem supergredi instar vaporis igniti, quem stellam cadentem vocant, à quo magnitudine sola differebat. Inde otiosis hominibus prædictionum materia, alijs id boni quidpiam, alijs malum aliquod portendere volentibus: quæ commemorare hominis esset otio abutentis. Ibi deprehendit Cardinalis literas Pontificis, post discessum ipsius *Româ* perscriptas, quibus imperatum, vt priusquam Concilium aperiret, nouum à Pontifice mandatum expectaret. Itineris Comites ei fuere Episcopi aliquot, qui in Vrbe erant, quo tempore ille *Româ* discesserat: sed Legatum sequi à Papa coacti, *Tridentum* iam peruenerant: vbi præter Cardinales, reperti Præsules ad nonaginta duos.

Præsules Tridenti XCII.

Pontifex Cardinalem Ferrariensem per litteras monet, quid in Gallia fieri velit.

Ineunte Decembri Pontificis Nuntius, qui residebat in *Gallia*, *Romam* reuerterat. Is cùm Pontifici statum illius regni retulisset, scripsit ille ad Legatum, vt sacro Regis consistorio significaret, non aliam esse Concilij celebrandi caussam, nisi vt necessitatibus *Galliæ* subueniatur. Neque *Italiam*, neque *Hispaniam* Synodum requirere; *Germaniam* verò eam plane repudiare: itaque interesse in primis Gallorum eam flagitare. quod tamen ij cum neglexerint, & Pontifex pietate paterna adductus sedulò procuret, sintque iam *Tridenti* cum Legatis Præsules *Itali* magno numero, ac Hispanorum plerique hactenus aduentarint, cæteri in via sint, esse consentaneum, vt ipsi, quorum res maximè agitur, Oratorem ac Præsules quamprimum eò mittant. Præceperat insuper Legato, vt conciones ac cœtus Protestantum omni studio cohiberet, Theologis contrà adderet animos, indulgentijs ac gratijs spiritualibus ijs concessis, factáque temporalium auxiliorum spe. Ipse verò caueret ante omnia, ne vel concionibus, vel conuiuijs sectariorum adesse dignetur.

Duo Præsules è Polonia Tridentum venientes necessariam cæterorū absentiam excusant.

Ijsdem diebus duo è *Polonia* Præsules venere *Tridentum*. Ij cùm Legatos salutassent, & obseruantiam ab Ecclesijs eius Regni Sedi Apostolicæ debitam testati essent, exponunt, quibus artibus *Lutherani* doctrinam suam in *Poloniam* inducere attentarint; quæ fundamenta hactenus iecerint; quàm attenti ad præuortendum machinationibus ipsorum Episcopi excubent. Flagrare quidem omnes desiderio sistendi se Concilio, & præsentiâ suâ promouendi caussam omnium communem, sed respectum hunc aduersarij imminentis adeo validum ac necessarium ipsorum studia morari. Petere igitur liceat eis per Procuratores authoritate munitos Synodo interuenire, & vna cum Prælatis, qui sunt præsentes, ferre suffragia; atque vt singulis, qui ab Episcopis legitima de caussa impeditis mandata perferent, ius suffragij non denegetur. Ab Legatis responsum est verbis generalibus, matura deliberatione opus esse, priusquam de ea re statuant. moxque quid peteretur, & Pontifici nuntiatum, & ab eo ad Collegium Cardinalium relatum. Neque difficilis erat deliberatio, omnibus illud arctè tenentibus, in quod iam pridem conspirauerant, & quod superioribus consessibus obtinuerat, vt decreta scilicet fierent per singularum personarum, non per singularum nationum suffragia. Idque eò magis necessarium iudicabant, quod iactaretur, Gallos etiamsi Catholicos, secum ad Concilium Doctorum *Sorbonæ* & Senatus *Parisiensis* scita allaturos: quibus certum, Papæ auctoritatem ad arbitrium suum attemperare, eamque non nisi in quantum ipsis videbitur, agnoscere. Suboluerat etiam Cardinalibus *Hispanos* totos esse in Pontifice Concilij decretis subijciendo,

Ijdem absentium procuratores auctoritate munitos ad ferenda suffragia admitti postulant.

Re ad Pontificem relata, id postulatū reijcitur.

Gallorū Præsulum & Hispanorum cogitata Pontifici & Curiæ Romanæ suspecta.

do. Et Legati quoque *Tridento* ſæpius ſignificarant, ſe in Patribus obſeruare ſpiritus ambitioſos, & cogitationes de Epiſcoporum auctoritate amplificanda; *Hiſpanos* verò nominatim artificioſè proponere, poteſtatem Pontificiam ſaltem euſque neceſſariò reſtringendam, vt Synodi huius decretis derogare non poſſint. alioqui & fruſtra ſumptus fieri, & laborem impendi in Concilio celebrando, cuius decretis tam facilè Pontifex poſſit derogare, quàm facile leuiſſimis de cauſſis, & interdum ſine cauſſa Canonum omnium authoritati detrahit. Horum auſis nullo præſentiori remedio occurrendum putabant Cardinales, quàm ſi his opponerent Præſules *Italos*; quorum longè maior eſſet numerus; quique idem ſentientes, Tranſalpinos omnes multis partibus vincerent. Iſtud verò remedium irritum fore & inutile, ſi abſentium ſuffragijs locus ſit. Tunc enim & Hiſpanos omnes, & Gallos, literas mandaturos procuratorias, idque eodem recaſurum, ac ſi non per capita, vt ſolet, ſed per nationes ſingulas ſuffragia ferantur.

Ferdinandus, Philippus 2.

Quibus Pontifex cum Cardinalibus cenſent occurrendum, vt Itali numero ſint ſuperiores.

Reſcriptum itaque à Pontifice Legatis *Tridentum*; vt *Polonos* omni verborum benignitate complecterentur: ſed ita tandem concluderent, Concilium illud eſſe idem, cum eo, quod à *Paulo* III. cœptum, eiuſque continuationem; eòque agendi formam & ordinem ibi inchoatum, ac vtiliter vſurpatum, poſtmodùm ſeruandum. Inter alia id receptum, vt abſentium ſuffragia non computentur, nulloque loco habeantur. Id in ipſorum gratiam infringi non poſſe, niſi cum magna rerum perturbatione id ipſum alijs nationibus permittatur. Si quid *Polonia* poſtulet, quod ipſorum propriè interſit, neque in alijs regnis turbarum motuumque occaſiones excitet, id lubentiſſimè indulgendum, propter nobiliſſimæ illius Nationis promerita. Ex hac reſponſione creditum eſt *Polonos* ſatisfactionem accepiſſe: ij tamen poſt paucos dies negotij ſimulatione *Venetias* profecti, *Tridentum* amplius non reuerterunt.

Moderata in ſpeciem Pontificis ad Polonorũ poſtulatum reſponſio; ſed quæ ipſis ab eundi Tridento cauſſa.

Atque eo tempore incredibilem cœpit *Roma* lætitiam ex literis *Philippi Hiſpaniarum* Regis ſua manu ad Pontificem ſcriptis, quibus, quid à *Monberonia Regina Galliæ* nomine actum eſſet, quid item à ſe reſponſum ſignificabat. Iiſdem quoque opem ſuam ad Chriſtianum orbem hæreſeos labe purgandum Pontifici prolixè deferebat; ac regnorum omnium ditionumque ſuarum vires, ad quemuis Principem potenti præſentique ſubſidio adiutandum, qui imperium ſuum ea contage liberatum valdè cupiat. Sed interea ad ſiniſtram Romanorum de Gallis opinionem facta eſt acceſſio per nuncium *Lutetiâ* allatum, de quodam *Ioanne Tanquerello*, ſtudij Theologici candidato, à Senatu Pariſienſi ad recantanda ea, quæ publicè in diſceptationem adduxerat, ſolemni cenſura damnato. Is de more *Sorbonenſis* ſcholæ, induſtriæ ſuæ periculum facturus, de conſilio quorundam Theologorum, hæc inter alia capita diſceptanda propoſuerat; Pontificem *Chriſti* Vicarium, & Eccleſiæ Monarcham, Reges ac Principes præceptis ſuis minus obſequentes, regnis, ditionibus ac dignitatibus exuere poſſe. Quo nomine in iudicium vocatus, propriaque confeſſione criminis manifeſtus, quum male ſibi metueret, aufugit. At Iudices eo abſente decreuerunt, vt apparitor facultatis Theologicæ in Academia, perſonam abſentis repræſentans, quæſtionem eam temerè agitatam agnoſceret, & ignominioſa confeſſione retractaret. Vetitum quoque ne huiuſmodi quæſtiones in poſterum a Theologis agitentur: ſimul imperatum, vt ex his nonnulli Regem adeant, eique ſupplicent, vt ipſis gratiam faciat offenſionis, quòd rem tantam, quæ ad labefactandam fidem obſequij Regibus debiti ſpectat in quæſtionem adduci ſinerent, ſeque huic doctrinæ repugnaturos ſponderent. Hanc ob cauſſam de *Gallis Romæ* non aliter loquebantur, quàm de hæreticis deploratis, qui negabant authoritatem à *Chriſto* datam *D. Petro*, paſcendi vniuerſi gregis, omniumque ſoluendorum ac ligandorum; quæ poteſtas verſatur potiſſimùm, in delictis, quibus ſcandalum aut detrimentum Eccleſiæ in vniuerſum adfertur, coërcendis; nullo habito Principis aut priuati hominis diſcrimine. Afferebant in medium exempla *Henrici* IV. & V. Imperatorum *Frederici* I. & II. *Ludouici Bauari*, *Philippi Auguſti*, & *Philippi Pulchri Galliæ* Regis: & celebria Canoniſtarum ſuper ea re elogia. neque deerant, qui dicerent, *Curiam* vniuerſam *Parlamenti Pariſienſis Romam* eſſe citandam. Theſim quam tuendam ſuſcepit *Tanquerellus Tridentum* mittendam, vt primo quoque tempore examinata probetur, contrariam

Philippi ad Pontificem de rebus Galliæ literæ Romanos exhilarant.

Tanquerellus in publicis diſputationibus Pontificem poteſtate exuendi Principes ſeculares ditionibus ſuis armans, ab Senatu Pariſienſi damnatur.

Curiæ Romanæ de Parlamenti Pariſienſis Curia ampliſſima cenſura.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

verò damnandam. Ipse vero Pontifex dolorem, quem hac occasione cepit, moderatè ferendum ac dissimulandum censuit, quandoquidem læthalis qua *Gallia* tunc conflictabatur ægritudo, omnem huius mali sensum adimebat.

Persuaserat sibi iam *Curia Romana*, Concilio Tridentino neque Oratorem è *Gallia*, neque Episcopum interfuturum. Vnde omnium sermo erat, dignitati Pontificiæ conuenire, Gallos vt decretis Concilij, quod iam imminebat, quodque Pontifex anno ineunte omnino aperiendum statuerat, acquiescant, vi armisque subigere. Rem itaque Cardinalibus impertiens, hortatur eos, vt hinc expendant, non esse è dignitate Sedis Apostolicæ, aut sacri Collegij ab alijs regulas, aut præcepta, iuxta quæ reformandi sunt, accipere: Atque altrinsecus, eam esse temporum conditionem, vt, reformationem omnibus deposcentibus, etiam ijs, qui quid res ipsa sit, vix intelligant, propter nomen ipsum, quod est adeo speciosum, repudianda non sit. Ergo inter has rationum contrarietates optimum esse temperamentum, instituta sui reformatione aliorũ postulatis præuertere: quod non in rem modò præsentem conducibile futurum sit, sed & exemplo illustri viam alijs præeundo laudem pariturum. Hæcpropter sibi decretum *Pœnitentiariam* ac *Datariam*, duo præcipua Curiæ Romanæ membra primo loco reformare: dein ad alia minutiora animum applicare. Vnde ad vtramque prouinciam suscipiendam Cardinales aliquot segregauit. Tum causas exponit, quibus ad Concilium aperiendum, neque longius prolatandum excitabatur. Nempe quod in Transalpinis perpetuò malam mentem detegat, & perniciosa consilia, potestatem absolutam, qua Pontificem Romanum Deus donauit, deprimendi. quo plus ijs temporis ad consulta ea concoquenda suppetit, hoc & plures technas, & periculosiores excudi. imo subesse periculum ne in illorum partes tandem Itali quidam concedant. Quamobrem primam partem salutis in celeritate consistere, antequam sumptus in immensum excrescant: quorum nisi finis sit, Sedem Apostolicam ijs perferendis neutiquam suffecturam.

Pontifex prænortendis incommodis, aliorumque postulatis, Curiæ Romanæ reformationem instituendam censet.

Ac primùm Pœnitentiariæ ac Datariæ reformandis Cardinales designat.

Ex eo crucem Legationis Cardinali *Altempsio* tradidit, eique imperauit, vt quamprimum compararet se ad iter, vt si quà posset, Tridenti esset, dum Concilium aperiretur. Præceperat quidem Pontifex Cardinali *Simonetæ Româ* abeunti, vt sub aduentum suum Concilium *Tridenti* aperiret, sed *Cæsarei* Oratoris *Romæ* rogatu mandatum illud reuocarat, qui sedulo petierat, vt Oratorum sui Principis aduentum præstolarentur. Cum verò ille paulo post Pontifici significasset, *Cæsaris* Legatos ante medium Ianuarium haud dubiè *Tridenti* futuros, Pontifex *Marchionem Piscarium* ab *Hispaniarum* Rege Oratorem ad Concilium designatum obnixè orauit, vt sub idem tempus aperturam Synodi præsentia sua ornaret: idipsum à *Venetis* etiam contendens, vt Legationem quoque suam tunc mitterent; magna pompa atque ceremonia actionem eam cohonestatam cupiens. Scripsit tamen ad Legatos, vt Synodum continuò post aduentum Oratorum *Cæsaris*, aliorumque Principum supra memoratorum aperirent, sed vtcumq; vltra mediũ Ianuarium apertionem non differrent. Atque hoc rerum statu desijt annus M.D.LXI.

Cardinalem Altempsium V. Concilij Præsidem Tridentum ablegat.

Et Synodi apertionem festinari iubet.

HISTO-



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER SEXTVS.



Egati, secundum ea, quæ à Pontifice postremis literis mandata fuerant, XV. Ianuarij Congregationem indicunt generalem, in qua *Cardinalis Mantuanus* Legatorum Apostolicorum primus, de necessitate opportunitateque Concilij aperiendi apposite disseruit; Præsules omnes, ad actionem tam piam, sanctamque ieiunijs, eleemosynis, & frequenti sacrorum celebratione adiutandam, hortatus. Lectum deinde *Diploma Legationis*, die decimo mensis Martij proximè præcedentis datum, ac verbis generalibus, formulaque solemni conceptum: nimirum, mitti Legatos, tanquam *Angelos pacis*, qui Concilio conuocato præsideant, quod in festo Dominicæ resurrectionis inchoandum sit. Lecta item posthæc tria Pontificis *Breuia*. Primum datum V. Martij, quo Legatis permissum, potestatem facere Præsulibus ac Theologis durante Synodo, legendi libros prohibitos. Secundum datum XXIII. Maij, quo eisdem Legatis data facultas eos, qui hæresin clam eierassent, absoluendi. Tertium vltimo Decembris datum quo Pontifex, *ad tollendam omnem materiam controuersiarum inter Prælatos iam ortarum, aut quæ indies exoriri possunt super eorum præcedentia*, edicit, *vt Patriarchæ primum locum teneant, secundum Archiepiscopi, his succedant Episcopi; atque in his non sedis dignitas, sed promotionis tempus respiciatur; neque dignitatum Primatialium, siue veræ, siue prætensæ illæ fuerint, ratio habeatur.*

Patrum Tridentinorum Congregatio generalis.

Diploma Legationis recitatur.

Item III. Pij IV. Pontificis Breuia.

Quorum tertium est super ordine sedendi in Concilio.

Huic Breui viriliter, summaque cum acrimonia reluctatur F. *Bartholomeus* de *Martyribus* in *Lusitania* Archiepiscopus *Bracarensis*, indignabundus Concilium sumere principium à præiudicijs damnisque primariarum Christiani orbis Ecclesiarum: suamque sedem, quæ omnium in *Hispania* primatum obtineat, Pontificis sententiâ subijci non solùm alijs sedibus Archiepiscopalibus sibi subditis, sed Archiepiscopo etiam *Rossanensi*, cui nullus est suffraganeus; imo Archiepiscopis *Niciensi* & *Antibarensi*, qui ad residendum locum non habent, ac vix populum Christianum cui præsint. Præter fas & æquum esse, vti Pontifex vnam sibi, & aliam cæteris legem dicat; vt auctoritatis propriæ retinentissimus, tam facilè alios iure legitimo dispoliet. Qua ille sermonis libertate Legatis negotium facessens, effecit, vt ad elucidationem Breuis Pontificij ipsis confugiendum esset; non aliam Pontificis suamue mentem esse profitentibus, quàm vt Decretum nuper lectum nemini præiudicium creet, nulli

Super hoc Breui Archiep. Bracarensis mouet cõtrouersiam.

Cui vt satisfiat Legati declarationē edunt Decreti Pontificij.

nouum

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Alteram controuersiã mouent Præsules Hispani, vt Concilij apertio disertis verbis dicatur veteris continuatio.
His refragatur Zacynthi Episcopus.

nouum ius acquirat, neque cuiusquam legitimo iure subnixi aut proprietatem, aut possessionem interturbet: sed vt cuique Primati siue vero, siue prætendenti, idem ius, quod antea habuit, post Concilium competat. Huic interpretationi cum Archiepiscopus ægrè acquieuisset, *Hispani* reliqui instant vt apertura Concilij fiat in eum modum, ac si continuatio esset eius, quod à *Paulo* inchoatum, sub *Iulio* progressum habuit; atque expressa declaratione id testatum fiat, ne quis nouum esse cauillari possit. Hic Episcopus *Zacynthi*, qui olim Pontificis in *Germania* Nuncius fuerat, neque ignorabat quot calumnijs istiusmodi actio foret obnoxia, quantamque *Cæsari* offensionem esset paritura, respondit, quemadmodum ineptum sit de ijs, quæ iam decisa sunt, mouere controuersiam, cum pro determinatis sint habenda: ita minimè necessarium declarationem in præsentia instituere. Sic enim *Imperatori, Regique Galliæ* spem omnem ademptum iri de ratione ineunda, qua Protestantes Concilio se subijciant, aut suorum aliquem eo mittant. Et Legati, *Mantuanus* præsertim & *Warmiensis*, multis verbis Episcopi sententiam propugnant adeo constanter, vt post varias altercationes vtrimque satis amarulentas, *Hispani* affirmarint, se Protestatione facta in *Hispaniam* redire velle. Post multas tamen consultationes adducti tandem petitione sua absistere, ne *Cæsari Regique Galliæ, Germanis* item *Gallisq;* se opponerent: neue vberiorem querimonijs Protestantum materiam subministrarent; sed ea lege, vt nec verba vlla decretis inserantur, quæ aut nouum arguant Concilium, aut quidquam continuationi prioris detrahant: Tum, vt Cardinales promittant, Pontificem, ea omnia quæ duabus præcedentibus Synodi conuocationibus *Tridenti* acta fuerant, confirmaturum: eo etiam casu, si Concilium abrumpi contingat, antequam ad finem perducatur. Hac conditione placatis *Hispanis*, in id demum conuenit, vti verbis significantibus exprimeretur, dari principium Concilij celebrationi, suspensione qualicumque sublata. Quibus verbis, vtcumque ambiguis, & in contrarios sensus trahi idoneis, quòd concordiæ inter partes sarciendæ viderentur sufficere, ab omnibus probatis, placuit Dominica proxima, die mensis XVIII. Synodum aperiri. In fine ab *Cardinali Mantuano* propositum, è dignitate Patrum fore, vt post cœptum Concilium diebus festis Præsules sacellis publicis, reique diuinæ frequentes intersint; vtque *ad Clerum concio* Latina lingua habeatur. Cuius habendæ munus quandoquidem ijs interdum demandari possit, qui, quid temporibus, locis, ac personis conueniat, non satis intelligant, sibi videri, Præsulem vnum deligendum, qui ad instar *Magistri sacri Palatij Romæ*, quod est publicè recitandum, prius inspiciat, suumque interponat iudicium. Id cuncti cum approbassent, designatus *Aegidius Fuscatarius Mutinensis Episcopus*, qui prouinciam eam orationes, conciones, aliaque palam pronuncianda inspiciendi, recensendique susciperet.

Legati Hispanos certis legibus placant.

Et formam diemq; Concilio aperiendo præstituunt.

Decernitur cõciones Latinas ad Clerum diebus festis habendas, sed Episcopi Mutinensis iudicio ante probatas.

Anxia Legatorum cura, vt in formando celebrationis Concilij Decreto rerum inibi proponendarum potestatem sibi solis reseruent.

Cœtu dimisso Legati cum intimis suis de Decreto condendo deliberantes, id ea forma, quà conuenerat concipiunt. Sed cùm obseruassent inter Præsules, quando otiosi tam longo tempore Tridenti commorabantur, multa agitari; atque huic vnam cautionem, alteri aliam prouisionem proponendam videri, omniaque ad authoritatem Episcopalem amplificandam, Romanæ vero curiæ eneruandam tendere: visum malo venienti in ipso vestibulo occurrere, antequam mora motuq; inualesceret, idque Decreto interposito, ne quis præter Legatos quidquam in Synodo deliberandum in medium adducere possit. Et videbant facilè cœpti huius difficultatem: immo non defuturos qui contradicerent, præuidebant; eoque multa arte opus esse, vt suauiter ac sine sensu Patribus accipiendum propinent. Itaque cum positio negatiua, vti *Nemo præter Legatos proponat*, nimis dura atque aspera videretur, placuit magis affirmatiua, *vti Legati proponerent*; quâ non disertis verbis, sed virtualiter, aut potentiâ tantum cæteri excluduntur: idque quæsito prætextu debiti ordinis seruandi, & deliberationis ad Synodum ipsam referendæ. Et profectò mihi quidem videtur Decretum illud ea arte confectum, vt lectorem admodum attentum esse oporteat, qui velit sensum eius eruere; tantum abest vti prima fronte, aut auditione intelligatur.

SESSIO XVII. Et sub Pio IV. prima, quippe qua Concilium aperitur.

Die ergò XVIII. perinde atque deliberatum fuerat, ab vniuerso Clero facta supplicatio, à Theologis & Præsulibus qui iam præter Cardinales ad CXII. excreuerant. Hi infulati cum familijs præsidio rusticorum armatorum stipati, ab Ecclesia

D. Petri

D. Petri ad templum Cathedrale more solemni incedunt. Ibi Cardinalis *Mantuanus* Missam Spiritus S. celebrat, & *Gaspar à Fosso*, Archiepiscopus *Rheginus* orationem habuit. Eius argumentum, Ecclesiæ authoritas, Pontificis Primatus, & potestas Conciliorum. Asseruit authoritatem Ecclesiæ authoritate Verbi Dei nihilo esse inferiorem: Ecclesiam Sabbatum à Deo institutum in diem Dominicum mutasse: Etiam Circumcisionem Dei ipsius voce districtè imperatam sustulisse. atque hæc non Christi prædicatione, sed Ecclesiæ auctoritate innouata. Tum oratione ad Patres conuersa, hortatus est eos, ad incœpta contra Protestantes constanter prosequenda, haud dubiâ fiduciâ, eos nihilo magis posse decipi, quum Spiritus ipse sanctus possit errare. Dein post decantatum Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, Secretarius Synodi, Episcopus *Thelesinus* legit diploma Conuocationis Synodi iampridem allatum, & Archiepiscopus supra dictus protulit Decretum de Concilio aperiendo, hac forma sciscitatus Patres; *Placetne vobis, ab hodierno die, Concilium generale Tridentinum, sublata quacunque suspensione celebrari, & in eo debito seruato ordine tractari, quæ proponentibus Legatis ac Præsidentibus, ad controuersias de religione tollendas, ad mores corrigendos, & ad Christianam Ecclesiæ pacem conciliandam Synodo apta atque idonea videbuntur?* Et responsum, *Placet.* Verùm his verbis *Proponentibus Legatis*, quatuor Præsules contradixere, & ex ijs graues post secutæ disceptationes & controuersiæ. Ij fuere *Petrus Gueretus* Archiepiscopus *Granatensis*, *Franciscus Blanco* Episcopus *Auriensis*; *Andreas de Cuesta*, Episcopus *Legionensis*; *Antonius Gorromero* Episcopus *Almeriensis*. Dicebant se verbis ijs assentiri non posse, quippe nouis, nec in alijs Concilijs vsitatis, quæque libertatem proponendi restringerent: postulabantque vti suffragia sua in acta Concilij referrentur. Sed ab Legatis planè ijs responsum non est: tantùm Sessio proximè futura in XXVI. mensis Februarij indicta. Promotor vero Concilij rogauit Notarios & Protonotarios vnum, siue plura de rebus supradictis instrumenta condere. atque ita Sessionis eius factus finis.

Legati Pontifici nunciant quid in congregatione ac Sessione actum sit: ille verò Cardinalium consistorio omnem rem impertit. Multorum fuit opinio Concilium parum fœlicem progressum facturum, cuius ipsum principium incurrat in tot difficultates: neque valdè accommodum videri componendis de religione dissidijs, in quo Episcopi Hispani tanta animorum obstinatione cæteris contradicant: etsi altrinsecus Legati & Antistites Itali miram dexteritatem & concordiam in temporibus seruiendo, & difficultatibus superandis testati sint. Et Pontifex quidem Legatorum prudentiam mirificè laudabat, qui nouatorum temeritati (ita loquebatur) præuortissent. Neque grauiter tulit, quòd quatuor Episcopi sese opposuissent, quippe, qui multo plures auctoritati suæ aduersaturos metuebat. Cardinales obtestabatur, vt de reformatione sui consilia caperent, quòd viderent agendum sibi cum hominibus, quibus nullus officij respectus. mandauit, vt Episcopi Itali abitionem maturarent, & *Tridentum* scripsit, vt Decretum constanter tenerent, in eóque exequendo ne hilum quidem remitterent.

In *Gallia* verò, cum mensium aliquot spatio *Regina Nauarræ*, *Princeps Condæus*, *Colinius Maris* præfectus, & *Ducis Ferrariensis* vxor obnixè petijssent, vt nouam religionem profitentibus templa permitterentur, in quibus cœtus habere, & ritu suo conciones publicæ celebrari possent: cumque non ij solùm, alijque in aula proceres doctrinam eam palam agnoscerent, verùm etiam inferioris conditionis homines procerum exemplo animati, ad conciones locis ad id destinatis frequentes conuenirent, Catholici audaciam eam minimè tolerabilem existimantes, in populo motus periculosissimos excitarunt. Inde cædes & lanienæ vtrinque patratæ, magnatibus aliquot inter Catholicos frigidam suffundentibus, qui ambitione priuata stimulante ferre non poterant, Principes ac Duces factionis Hugonotorum gratia apud populum sese superiores. E tumultibus his propter conciones excitatis duo fuere maximè formidabiles, cum propter multorum cædes promiscuas, tum propter vim magistratibus factam: vnus *Divione*, alter *Lutetiæ Parisiorum*. His motibus dum remedia ab Consistorij Regij Consiliarijs exquiruntur, quæ omnibus Regni prouincijs applicentur, visum ex cunctis regni curijs Præsides ac Senatores delectos euocare, ex quorum

Ferdinandus. Philippus 2.

Orationis in apertione Synodi habitæ argumentum.

Decretum de celebrando Concilio.

In quo verba ea *Proponentibus Legatis* plerisque displicent.

Indictio futuræ Sessionis.

Cardinales Romæ huic Synodo malè ominatur, cuius principium vident adeò inauspicatum.

Inde Papa captat occasionem vrgendi studium reformationis in ipsis.

Tumultus Diuione & Parisijs religionis caussa; & cædes Protestantium conciones habentium

Quibus compescendis Iudices ab Rege delegati ad S. Germanum conueniunt.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Hospitalis Cancellarij grauis oratio

quorum sententia de re tota maturè decerneretur. Ijs decimosexto Kal. Febr. ad *Germani fanum* congregatis, Cancellarius Regis nomine declarat, ab Rege accersitos, vt cum ijs consultaret de idoneis remedijs, quibus motus in regno passim concitati reprimantur. Tum facta recapitulatione omnium quæ in hoc negotio hactenus accidissent, tandem professus est, se controuersias religionis penes Præsules, ad quos earum cognitio propriè pertinet, relinquere. curam verò tranquillitatis publicæ, & ciuium vniuersorum in obsequio, quod Regi debent, continendorum, non tam Ecclesiasticis, quàm Consiliarijs Regijs esse propriam. Sibi summopere semper probatum *M. Tullium Ciceronem*, qui *Catoni* ideò succensere solitus, quòd, cùm corruptissimo viueret seculo, in dicendis sententijs adeò seuerus & rigidus esset, ac si in *Platonis* republica Senatorem ageret. Leges, quomodò calceus pedi, sic temporibus ac personis attemperandas. Id modò nunc in deliberationem venire rebus cæteris relictis, an è re Regis existiment cœtus Protestantum permitti, aut vetari. neque in hac deliberatione disputandum de religione ipsa, vtra melior; quia non de religione constituenda, sed de republica ordinanda agatur. miniméque absurdum esse, vt multi boni ciues sint, qui bòni Christiani non sint: atque vt pacatè viuatur cum ijs, qui eadem sacra non colunt.

Edictum Ianuarium, & eius capita, quibus in fauorem Protestantium de Edicto Iuliano aliquid remittitur.

Dum quisque quid sui iudicij sit promit, variæ fuerunt sententiæ: sed vicit ea, quæ censebat de edicto Iuliano aliquid remittendum, & publicè concionandi libertatem Protestantibus concedendam. Conditum igitur edictum interuenientibus Cardinalibus *Borbonio*, *Turnonio*, & *Castilionæo*; item *Aurelianensi* & *Valentino* Episcopis, cum multis proceribus. Eius hæc capita. Vt Protestantes templa, agros, prædia, ac quæcunque bona Ecclesiasticis adempta, ijs restituant. Vt à templis, crucibus, ac statuis euertendis in posterum abstineant; alioqui capitis pœna plectendi. Vt intra vrbes, cœtus, conciones, & publicas preces habere, aut sacramenta administrare, clam vel palam, nocte vel interdiu non liceat. Vt executio pœnarum *Edicto Iuliano*, alijsue superioribus denunciatarum suspendatur. Vt Protestantibus extra vrbes conciones frequentantibus magistratus molestiam, aut impedimentum non adferant; sed ab omni potius iniuria defendant; in seditiosos, vtriuslibet religionis sint, animaduertentes. Ne quisquam religionis caussa alium lacessat, aut contumeliosa factionum verba vsurpet. Vt magistratui aut ministris publicis Protestantum cœtus adire liceat, explorandæ doctrinæ gratia. Iis nullas synodos, colloquia, consistoriaue celebrare fas sit, nisi magistratu permittente, aut præsenti. Leges ciuiles de ferijs, item de gradibus consanguinitatis in matrimonijs contrahendis prohibitis obseruent. Eorum ministri fidem suam iureiurando obstringant magistratui de edicto hoc seruando, deque nulla doctrina in concionibus populo proponenda, quæ *Nicæno Symbolo*, & libris veteris & noui Testamenti aduersetur. *Senatus Parisiensis* ne edictum hoc promulgaretur intercessit. Vnde mandatum à Rege denuò emanauit, quo Senatus iubebatur edictum promulgare, addita conditione, per modum prouisionis, donec à Concilio vniuersali de re tota decretum sit, aut certè donec à Rege aliter statutum fuerit; cui animus non esset duas in Regno suo religiones tueri, sed solam religionem Sanctæ matris Ecclesiæ, in qua ipse cum decessoribus suis vixerunt. Sed cùm de ea re adhuc inter Senatores non satis conueniret, Rex tertiùm mandauit, vt dilationibus omnibus ac difficultatibus omissis edictum publicaretur: quod VI. Martij factum, adiecta clausula, Senatum Edictum promulgare, vt regi obtemperent, habita temporum ratione, sine nouæ religionis approbatione, & per modum prouisionis, donec aliter ab Rege statutum fuerit.

Curia Parisiensis in Edicti promulgatione cōsentire recusat.

Rege tamen iterum iterúq; vrgente Edictum adiecta caussa promulgatur.

In Congregatione Tridenti XXVII. Ianuarij habita tria à Patribus sedulò consideranda ab Legatis proponuntur.

Sed, vt *Tridentum* reuertamur, die XXVII. Ianuarij, habita congregatione à Legatis III. fuere proposita. I°. vt libri a diuersis authoribus post hæreses natas editi, vnà cum Catholicorum contra eos censuris examinarentur, quò Synodus quid super ipsis habeat decernendum, statuat. Deinde, vt Synodi decreto omnes quos ea res tangit, citentur, ne querantur se inauditos damnari. III. an qui in hæresim inciderunt, dato commeatu, ampla concessione, & immensæ ac singularis clementiæ promissione ad pœnitentiam inuitandi sint; modò admissorum pœniteat eos, & Ecclesiæ Catholicæ potestatem recognoscant. Imperatum quoque Patribus,

vt,

vt, ijs quæ sunt proposita, diligenter consideratis, sequenti congregatione suam quisque proferat sententiam, tam super facili examine librorum ac censurarum, quam super reliquis capitibus. Delecti etiam Præsules quidam, inspiciendis & examinandis literis mandatorijs, eorumque excusationibus, qui impedimenta prætexebant, quibus, ne ad Concilium proficisci possent, detinebantur.

Ferdinandus. Philippus 2.

Qua occasione, quibusque gradibus vetitum fuerit libros legere, differitur.

Atque hic locus postulat, vt de origine librorum prohibendorum disseramus: quibus gradibus ad eum statum sit peruentum, in quo tum temporis conspiciebatur; & quæ nunc ratio inita fuerit. In Ecclesia veteri Martyrijs & persequutionibus exercita, nulla fuit prohibitio Ecclesiastica. viris tantùm pijs religio fuit impios libros legere, ne impingerent in vnum è tribus legis diuinæ præceptis, quibus iubentur homines mali contagionem vitare; tentationibus, nulla neque necessitate, neque emolumento inuitante, sese non obijcere; & tempus rebus vanis non impendere. His legibus, quippe naturalibus, tenentur & obligantur semper homines ad vitandam librorum improbatorum lectionem, etsi eam lex nulla Ecclesiastica vetaret. Sed vt hæ considerationes cessent, successit exemplum *Dionysij Episcopi Alexandrini* celeberrimi Doctoris, qui circa annum Domini CCXL. à Sacerdotibus suis hoc nomine increpitus, & ob rationes iam dictas titubans, per visionem monitus fuit, vt quemuis librum legeret, quòd praua à rectis discernere peritus esset. Et tamen à libris gentilium plus periculi importari putabatur, quàm à libris hæreticorum; erantque & libri hoc magis exosi, & eorum lectio reprehensioni eò magis obnia, quo plures Christiani Doctores nimia eloquentiæ addiscendæ curiositate assiduis eos manibus versabant. Quam ob caussam *D. Hieronymus* siue per visionem, siue in somnis à *Satana* virgis creditur cæsus. Inde sub hæc ipsa tempora circa annum CCCC. *Concilium Carthaginense* interdixit Episcopis Gentilium librorum lectione, hæreticorum libros legendi potestate facta, quod decretum extat inter Canones à Gratiano consarcinatos. Atque hæc est prima prohibitio formâ Canonis. Sunt & aliæ apud Patres consilij formâ, ad Legis Diuinæ, quam supra citauimus normam exigendæ. Iam hæreticorum libri, qui doctrinam complectebantur damnatam à Concilijs, sæpe ab ipsis Imperatoribus ciuilis disciplinæ caussa legi vetabantur. Ad hunc modum *Constantinus* libros *Arrij*; *Arcadius Eunomiorum*, & *Manichæorum*; *Theodosius Nestorij*, *Martianus Eutichianorum*, & in *Hispania Ricaredus* Rex *Arrianorum* scripta prohibuit. Concilijs atque Episcopis visum satis ostendere, quorum librorum damnabilis, aut apocrypha esset doctrina: quod factum à *Gelasio* anno CCCCIV. neque vlteriùs pergere, sed cuiusque conscientiæ liberum relinquere, libros eos vitare, an boni cuiusquam caussa legere velit. Post annum vero DCCC. Romani Pontifices, multis partibus ciuilis regiminis sibi arrogatis, & librorum lectionem prohibuerunt, & libros flammis mandari imperarunt, quorum auctores ipsi damnauerant: ad hoc tamen vsque seculum, non nisi paucissimi reperiuntur libri in eum modum prohibiti. Vniuersalis certè prohibitio sub pœna excommunicationis, nulla alia sententia præcedente, ne quis libros legeret hæreticam doctrinam continentes, aut hæreseos suspectos, nondum inoleuerat. *Martinus* V. Papa diplomate suo omnes hæreticorum sectas, *Wiclefistas* & *Hussitas* in primis, sacrorum communione interdixit: sed de ijs nullam facit mentionem, qui libros eorum euoluebant, licet multorum manibus tererentur. At *Leo Decimus Martino Luthero* damnato, libros simul eius omnes sub pœna excommunicationis legi vetuit. Et sequuti eum Pontifices, hæreticis omnibus diplomate eo damnatis atque excommunicatis, quod vocant *in Cœna*, eodem diris deuouent etiam illos, qui in libris eorum versantur. Tum in alijs contra hæreticos in genere diplomatis eodem diro censurarum fulmine librorum lectores feriunt. Inde magna rerum confusio inuecta: quandoquidem minime editis hæreticorum qui damnati essent, nominibus, potius ex doctrinæ qualitate, quàm ex nominibus auctorum ad librorum cognitionem erat veniendum. cumque diuersa essent diuersorum iudicia, innumeri inde conscientijs hominum scrupuli inijciebantur. Diligentiores quique hæreticæ prauitatis inquisitores sibi catalogos conficiebant auctorum, qui ad ipsorum notitiam peruenerant: sed nisi hi inter se componerentur, eadem adhuc restabat difficultas.

Dionysius Episc. Alexandrinus per visionem iubetur quemuis librum legere.

D. Hieronymus vapulat quod Ciceronianus esset.

Imperatores ipsi politici regiminis caussâ libros hæreticorum legi vetant.

Dein ea auctoritate sibi sumpta Pontifices.

Prohibitione etiam in vniuersum, ne quis libros legat hæreticorum.

Diploma *in Cœna* hæreticos omnes damnat & qui eorum libros attingunt.

Philip-

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Philippus Hispaniarum Rex, primus forma tolerabili confusionem hanc tollere aggressus est, lege lata, anno M.D.LVIII. quâ edictum, vt librorum ab Inquisitoribus Hispanis prohibitorum *Catalogus* typis excuderetur. Hoc exemplo *Paulus* IV. edixit *Romæ*, vt ab ijs, qui Inquisitionis officio inibi præpositi, *Index* conficeretur & imprimeretur, quod & breui post factum anno M.D.LIX. In eo multis parasangis longius itum est, quàm superioribus seculis, iactaque fundamenta tuendæ, magnoque opere amplificandæ auctoritati Curiæ Romanæ, adempta hominibus ea cognitione, quæ necessario requiritur ad vnumquemque ab iniustis vsurpationibus defendendum. Nam ad eum vsque diem librorum prohibitiones nunquam excesserant terminos librorum hæreticorum: neque quisquam liber legi prohibitus, nisi cuius auctor esset damnatus. At verò hic Index in tres classes fuit tributus. Prima continet nomina eorum, quorum omnia opera cuiuscunque argumenti, etiam profani, omnino vetantur. & in hunc album reponuntur non ij soli, qui doctrinam professi sunt cum Romana pugnantem, sed plerique etiam, qui in Ecclesiæ Romanæ communione vixerunt & obierunt. Secunda parte continentur nomina librorum singillatim damnatorum, cum alij eorundem auctorum libri minimè vetentur. Tertia pars complectitur scripta quædam auctore Anonymo: præterquam quòd clausula etiam generali vetantur libri omnes, qui non præferunt nomen auctoris ab anno M.D.XIX. scripti. quo nomine multi autores & libri damnantur, quos totis CCC. CC. & C. annis literati omnes in Ecclesia Romana manibus versabant, Pontificibus Romanis conscijs, nec contradicentibus tanti temporis spatio. E nouitijs etiam damnati nonnulli in *Italia* ipsa, imo *Romæ* excusi, Inquisitione approbante, imo per diploma suum Pontifice. quo ex genere sunt *Erasmi* annotationes in nouum testamentum, *ab Leone Decimo*, postea quam eas euoluisset, approbatæ diplomate dato *Romæ* X. Septembris anno M.D.XVIII. Illud verò super omnia notabile, quod fidei ac religionis prætextu pari seueritate interdicuntur damnanturque auctores librorum, quibus authoritas Principum & Magistratus ciuilis contra illicitas Ecclesiasticorum vsurpationes defenditur; aut potestas Conciliorum & Episcoporum à Curiæ Romanæ iniustis occupationibus vindicatur; aut denique illorum hypocrisis & Tyrannis, quibus fuco religionis imponitur populo, aut vis affertur, liquidò deteguntur. In summa, nunquam arcano tam præcellenti religio ad dementandos homines adhibita. Sed inquisitio hæc gradum vnum vlterius prouecta catalogum contexuit LXII. typographorum, quorum omnium libros prohibuit, quos illi scilicet typis suis euulgassent, à quocunque auctore, de quacunque arte, aut quocunque idiomate prodijssent, idque cum additamento magni ponderis, nempe prohiberi simul omnes libros ab alijs typographis impressos, qui vllum hæreticorum librum excuderint; vt iam vix liber aliquis legendus superesset. Illud vero seueritati Inquisitorum cumulum addit, quod pœna legentibus libros eo catalogo comprehensos ac prohibitos denuntiata, erat excommunicatio *Latæ sententiæ*; Pontifici reseruata, priuatio atque incapacitas munerum ac sacerdotiorum, perpetua infamia, cum alijs pœnis arbitrarijs. Rigidam hanc *Pauli* censuram, qui ei successit *Pius* iste IV. reuocauit, qui Indicem cum toto hoc negotio retulit (vti diximus) ad Concilium.

> Catalogus librorum ab Inquisitoribus prohibitorum editus curante Philippo. Item Index cõficitur procurante Papa Paulo IV. Huius Indicis tres classes.
>
> In hoc Indice pleraque absurda.
>
> Erasmi annotationes ab Leone X probatæ, à Paulo 4. damnantur.
>
> Intolerabilis Inquisitorum in omnibus complurium typographorũ libris prohibendis impudentia.
>
> Pauli censuram Pius sub incudẽ reuocat.

Super articulis propositis variæ erant sententiæ. *Ludouicus Beccatellus* Archiepiscopus *Ragusinus*, & *F. Augustinus Seluago* Archiepiscopus *Genuensis* censebant, istam de libris in Concilio tractationem, nullum bonum effectum posse producere, sed impedimentum potius allaturam ei determinationi, cuius gratia Synodus potissimùm conuocatur. *Paulum* enim IV. de consilio omnium Inquisitorum, & virorum primæ notæ opinionibus fretum, Catalogum perfectissimum composuisse, cui nihil addi possit, præter librum forte vnum aut alterum, qui duobus annis sequentibus dati in lucem: quæ res Synodi operam non meretur. Qui verò libros hoc catalogo prohibitos velit permittere, hunc declaraturum istam actionem Romæ parum prudenter institutam; atque ita authoritatem omnem & Indici iam euulgato, & Decreto, quod conficiendum, dempturum. quando axioma sit peruulgatum, nouas leges sibi ipsis plus existimationis, quàm veteribus detrahere. Quin libris nihil opus esse dicebat *Beccatellus*, quorum post inuentam chalcographiam plus satis sit: potiusque

> Duo Archiepiscopi Indicẽ à Paulo IV. factum probant, neq; aliud addendum putant.

esse,

esse, vt mille libri etiam immerito suo prohibeantur, quàm vt vnus aliquis vetari dignus permittatur. Neque pro dignitate Synodi esse, vt in his occupetur, in reddendis causis prohibitionum, in censuris infligendis, aut ijs, quæ varijs in locis à Catholicis factæ sunt, approbandis: quia id contradictionem implicare videatur. Eas esse Doctoris partes, eorum quæ dicuntur rationem reddere, Legislatorem, si idem faciat, authoritatem suam vltro imminutum ire. Subditum enim fere semper rationem quæ adfertur, impugnare: eam si diluerit, vim omnem præcepto abstulisse videri. Ob easdem caussas nihilo consultius facere, qui librum aliquem corrigat & expurget: ne scilicet excitentur animi hominum ad existimandum aliquid omissum, quod emendandum erat, aut certè aliquid mutatum, quod emendatione non egebat. Tum Synodum concitaturam contra semetipsam eorum omnium inuidiam, qui libris interdictis fauent, eóque facilè repugnaturos alijs Synodi decretis necessarijs. Denique cum Index *Pauli* sufficiat, frustra operam impendi, aut in eo quod iam actum, agendo; aut in eo, quod rectè atque ordine factum, infecto reddendo. Multæ aliæ rationes in confirmationē huius sententiæ allatæ à pluribus Episcopis, qui, quòd amplitudinē suā *Paulo* deberent, etiam prudentiā ipsius in disciplinæ Ecclesiasticæ administratione sūmopere laudabant, &, nisi seueritas ab eo instituta cōseruaretur atq; augesceret, vix putabāt futurū, vt puritas religionis posset retineri.

Ferdinandus Philippus 2.

Inquisitori prohibitionum caussas minimè reddendas.

Ioannes Thomas de S. Felicio opinionem tutatus est huic ex diametro pugnantem, tractationem de libris denuo instituendam in Concilio, ac si nulla præcessisset prohibitio. Illam enim quæ ab Inquisitoribus *Romæ* facta, Transmontanis ipso nomine esse odiosam, ac de cætero adeo rigidam, vt nemo eam seruare queat. porro nullam esse caussam iustiorē, cur lex in desuetudinē abeat, quàm si aut omnino non possit, aut certe ægerrimè possit obseruari. tum si in illius violatores nimia acerbitate animaduertatur. Esse quidem necessarium muneris eius dignitatem tueri. sed id satis appositè fieri posse, omissa omni eiusdem mentione; atque adhibitis solis cautionibus necessaijs, & pœnis moderatis. Videri itaq; sibi, omnem curam ponendam in deliberatione de modo. Modum autem hunc veluti optimum probare, vt libri censoriam virgulam nondum experti, inter Patres ac Theologos, tam præsentes in Concilio, quàm absentes distribuantur, qui examinatos censura sua perstringant. Deinde vt Congregatio non valde numerosa ab Synodo designetur, quæ inter censuram & librum Iudicis partes agat: atque idipsum in libris censuram iam passis obtineat. Hoc denique facto in congregatione generali proponatur, quæ quod è re publica videbitur, statuat. Iam quod ad citationem eorum, quorum res agitur, attinet, dicebat duo esse genera authorum: alios qui segregarunt se ab Ecclesia; alios qui Ecclesiæ corpori adhuc insiti. Priorum nullam habendam rationem. quippe, qui sola sui ab Ecclesia alienatione semetipsos, operaque sua (vti *D. Paulus* loquitur) condemnarunt, vt iam vltra audiendi non sint. Horum rursus qui Ecclesiæ insiti, alios mortuos, alios viuentes. Hos necessariò citandos, audiendosque: neque cùm de ipsorum fama atque existimatione agitur, contra opera eorum pronuntiandum, nisi rationibus prius auditis. de mortuis, quod priuatim eorum non multum intersit, id quod publicè expedit, sine offensionis periculo statuendum. At ex Episcopis alius ab eo dissentiebat, censens aduersus Catholicos vita functos eadem iuris forma, quā erga viuentes procedendum. Eorum enim parentes ac discipulos superesse, ad quos defunctorum fama vel infamia pertingit: quorum si minime interesset, at certe mortuorum memoriam haudquaquam esse damnandam nisi præuia iusta defensione.

Sanfelicius contrà, Pauli Indicem vti rigidum & odiosum retractandum putat à Patribus.

Et librorum examinandorum modum proponit.

Tum de citandis librorum auctoribus quid sentiat, exponit.

Neque deerant quibus iniquum videretur Protestantum scripta ipsis inauditis damnari. Aiebant enim, perinde ac leges aduersus personas sectariorum, vtcumque damnationem meritas, sententiam declaratoriam etiam in facto notorio absque citatione non permittunt: idem in libris eorum damnandis obseruandum, etsi manifestè hæresin contineant. *F. Gregorius* fratrum *Eremitanorum Generalis* dicebat, frustra esse eos, qui tot subtilitates ac minutias consectentur. librorum enim prohibitionem omnino esse instar cibi à medico vetiti. Id interdictum neq; esse sententiā contra cibum, neque contra eum qui præparauerit: audiendum tamen, quia præceptum sit ei bono cessurum, qui illud non respuat; atque ab eo impositum, cui salus eius sit curæ. neque hic

Quibusdam etiam Protestantes citandi audiendique videntur.

At Gregorius lepida allusione toto negotio facile defungitur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

hic agi de vllo cupedinarij præiudicio, sed de solo hominis morbo laborantis beneficio. quo fit, vt cibi per se salutaris vsus, ægroto, vtpote valetudini eius parum propitius, interdicatur meritissimò. Ad eundem modum Synodum debere instar Medici id solum spectare, quos libros conueniat fideles legere, quos minus; damnosos autem ac noxios vetare. neque cuiquam fieri iniuriam, si ab lectione libri, qui ex se bonus, arceatur; dummodo infirmitati hominum istius seculi parum sit accommodus. Multa præterea super hoc argumento proposita, sed ea fere omnia, in vnam ex ijs, quas commemorauimus, sententiam recidebant.

De III. articulo, nempe de venia & commeatu Protestantibus concedendo Card. Mantuani sententia.

Circa tertium articulum de Sectarijs ad pœnitentiam inuitandis facta spe veniæ, & comeatu ijs concesso, Legati ipsi sententijs variabant. Cardinalis *Mantuanus* existimabat omnes generatim venia & impunitate in præteritum donandos: ita permultos posse lucrifieri. Id remedium Principibus omnibus esse familiare ad seditiones ac rebelliones restinguendas, quas vi & armis opprimere nequeunt; scilicet reatus gratiam facere ijs, qui armis positis supplicium deprecantur. Ita minus factiosos se subducere, & reliquorum vires debilitari. Id faciendum, si vel paucorum recuperandorum spes supersit; imo vel in vnius gratiam: &, si forte nemo quisquã in rectam viã redire velit, admodum laudabile esse, officium fecisse, & sese faciles impetrandæ veniæ præstitisse. At altera parte instabat Legatus *Simoneta*, ab facilitate veniæ cæteris impẽdere ruinæ periculum. spem enim impunitatis multis esse ad peccandum illecebram. contra suppliciorũ acerbitatem, etsi ijs, qui eam perpetiuntur, duram atq; ingratam, tamen ad innumeros in officio retinendos necessariam. Ad clementiam testificandã satis esse, petentibus eam elargiri. sed qui non poscentibus, aut renuentibus eam obtrudat, homines minus attentos reddere ac indiligentes in excubando pro salute sua. Crimen hæreseos sine dubio pro leui habitum iri, si opinione hominũ adeo deprecabile credatur. In duas has sententias scissis Præsulibus; qui à salui conductus concessione erant alieniores, allegabant, in prima Synodi conuocatione nullum cuiquam datum: quod sane minimè factum fuisset, si id vel necessarium, vel conueniens temporibus haberetur. Et tamen Papam prudentissimũ, ac Legatos è collegio Cardinalium maximi nominis Concilij eius habenas tenuisse. In secunda iure concessum, quippe requirente *Mauritio* Saxone Septemuiro, cum cæteris Protestantibus, & ipsorum nomine *Carolo Cæsare*. Nunc verò, cùm comeatum nemo ex ijs postulat, imo *Germania* alta voce affirmat & attestatur se Concilium hoc pro legitimo non agnoscere, cui bono dari saluum Conductum, nisi vt, quæ à Synodo rectè atque ordine facta, sinistra ipsorum interpretatione violentur? Hispani Præsules vt in fidem publicam generalem Protestantes omnes reciperentur, pernegabant, ob præiudiciũ, quod Hispanicæ inquisitioni inde manaturum esset. fide enim à Concilio semel interposita, liberum fore cuiuis Protestanti nomen suum edere, & in iter se dare, nihil morante eum Inquisitionis officio. atque id ipsum *Romæ*, & per *Italiam*, vbi inquisitio viget, euenire posse prospiciebant Legati. His omnibus sedulò consideratis, de Indice in præsens id placuit, sufficiensque visum, vt ei conficiendo nonnulli deligerentur: tum, vt per aliquam decreti clausulam ijs, quorum libri vocantur in quæstionem, subindicetur eos inuitari ad Concilium, & auditum iri. De diplomate verò liberi comeatus, propter eas quæ occurrebant difficultates, placuit amplius deliberari.

In contrarium Simonetæ opinio.

Ad eam propugnandam firmamenta.

Præsules Hispani fidem publicam Protestantibus negant, ne inde Inquisitioni præiudicium fiat. De Indice conficiendo statuitur, de saluo conductu ampliatur.

Dum hæc aguntur, Cardinalis *Altempsius* Pij Nepos, quintus Legatus, die V. Februarij *Tridentum* peruenit: & simul nuntius de Edicto Gallico supra memorato, qui mirificè Patres omnes conturbauit, id indignè ferentes, quum ad nouitates abolendas Conciliũ cogitur, Principes decretis publicis easdem tolerare. Die proxima adductus in generalem congregationem *Antonius de Miglicio*, *Morauus* Archiepiscopus *Pragensis*, Orator *Cæsaris*; cuius mandatum statim lectum. Ille paucis orauit, & reliquas dicendi partes *Sigismundo à Tunn* alteri Oratori *Cæsareo*, qui nondum aduenerat, reseruauit. Et Synodus quidem respondit, se ex Legatorum *Cæsaris* aduentu incredibili lætitia affici, & mandatum *Cæsareum* agnoscere. Tentabat is Orator Cardinalem *Madrucium* Episcopum *Tridentinum* præcedere, ijsdem rationibus ac obtentibus allatis, quibus prima Synodi conuocatione vsus Didacus *Caroli Cæsaris* orator; sed monitus quid tum acciderit, illius rationibus minime pensitatis, acquieuit, inferiorem locum capessens.

Oratoris Cæsarei mandatum in Congregatione legitur.

Sed Card. Madrucio locus honoratior defertur.

Die

Die nono in Synodum acceptus *Ferdinandus Martinez' Mascarenius Lusitaniæ* Regis Orator, lectis vnà cum mandato eiusdem Regis literis fiduciarijs. Venerat vnà cum eo Doctor, à quo habita oratio satis copiosa. Eâ fructum commemorabat, quem ex Concilijs Ecclesia percipere solet, præsentium temporum necessitatem, impedimenta superioribus temporibus obiecta, ac denique Pij Pontificis in ijsdem hoc tempore superandis prudentiam. Conciliorum authoritatem ita deprædicabat, vt horum decreta pro oraculis diuinis ab omnibus accipienda putaret. Regem suum aiebat bene sperare, Synodi huius ope operaque fore, vt omnes de religione controuersiæ dirimantur; & sacerdotum mores ad synceritatis Euangelicæ normam dirigantur. Eâ gratiâ à se obseruantiam omnem polliceri, cuius testes futuri sint, tam Episcopi, qui iam aduenerint, quàm ij, qui breui venturi. Laudabat priscorum Regum pietatem, religionem & studium infatigabile in tot Orientis prouincijs Apostolicæ Sedis imperio subijciendis: quorum heroicas virtutes *Sebastianus* Rex sine dubio sit imitaturus. Neque intactam reliquit ipsius *Mascarenij* Oratoris Nobilitatem, animique magnitudinem, Patres ad eum benignè audiendum hortatus, quoties Ecclesiæ in regno *Lusitaniæ* necessitates eò inuitant. Promotor respondit paucis, mandatum Regium perlectum, orationem auditam, pietatem denique ac religionem commemoratam Synodum vniuersam incredibili lætitia perfudisse. Neque tamen rem nouam referri, sed omnibus notam, Regis, maiorumque ipsius gloria iam in illustri posita, propter religionem Catholicam non in suo tantum regno temporibus turbulentis sartam conseruatam, sed etiam in loca longè dissita, & alterum pene orbem propagatam. Ea de re Synodum Deo quantas possit maximas agere gratias, & mandatum Regis pro eo ac debet, accipere reuerenter.

Ferdinandus. Philippus 2.

Orator Lusitanus in Synodo admittitur, & ab Doctore qui vnà aduenerat, oratio habetur.

Synodi responsum.

In congregatione habita die vndecimo adfuit alter Orator Cæsareus, qui haud magna ceremonia acceptus, mandato iam in aduentu superioris lecto. Inde itum ad ea, quæ Concilium proprie tangunt, agitanda. De quibus quum paucula essent dicta, facta à Patribus potestas Legatis deligendi nonnullos, qui super Indice librorum congregationem instituant, tum alios, qui Decretum in futuram Sessionem conficiant. Ab Legatis librorum, censurarum, ac Indicis negotio designati Orator *Cæsaris* pro regno *Hungariæ*, *Patriarcha* Venetus, IV. Archiepiscopi, IX. Episcopi, Abbas vnus, & Præpositi, siue Generales duo.

Alius Cæsaris Orator admittitur.

Qui procurando Indicis negotio designati.

Die XIII. Oratores Cæsarei Legatis V. postulata commendant, etiam scripto consignata, quò facilior esset deliberatio. Vt nomen continuationis Concilij, quantum potest, caueatur; ne Protestantes eius repudiandi occasionem inde captent. Vt Sessio proximè futura protrahatur; saltem in ea leuia tantùm tractentur. Vt Confessionis *Augustanæ* socij in ipso Concilij primordio non exasperentur, libris ipsorum planissimè damnatis. Vt Protestantibus amplissimum liberi commeatus diploma concedatur. Vt denique quæ tractantur in Congregationibus clausa arcanaque habeantur, neque plebeiorum sermonibus pateant. Post hæc fauorem ac opem Imperatoris verbis, Patribus deferentes, nunciant, ab Maiestate Cæsarea sibi imperatum, si quando in rebus Concilij ab ipsis aduocentur, vti fidam in consulendo operam præstent, authoritatemque Imperatoriam illis adiutandis ac fauendis adhibeant.

Oratorũ Cæsaris V. postulata Legatis exhibentur.

Legati die XVII. respondent, quandoquidem in hoc elaborandum sit ipsis, vt omnibus satisfiat; sicuti illorum rogatu decreuerint nomen continuationis vitare: sic ad Hispanorum offensionem vitandam, à contrario quoque necessariò abstinendum. Deinde proxima Sessione se generalia leuiaque tantùm tractaturos; cæteræ tractationi plus temporis daturos. Tum, de Confessione *Augustana* in præsens damnanda ab se ne cogitatum quidem: nihilo magis de Confessionistarum libris in præsentiarum verba facienda; decretum modò, sub finem Concilij Indicem conficere librorum. Item, nationi Germanicæ fidem publicam amplissima cautione interpositum iri, postquam definitum fuerit, vtrum Germanis seorsim ab alijs nationibus, an iunctim cum cæteris suæ professionis, cautio præstanda sit. Postremo curaturos optima ratione, vt arcana Congregationum non effluant atque enuntientur; ipsis verò, quicquid agitur, impertiatur: quippe qui propensum *Cæsaris* animum satis habeant

Ad ea Legatorum responsio

 exploratum,

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

exploratum, neque dubitare debeant Oratores eius, pietatis ac religionis studio Domini sui ingenium æmulari.

Ferdinandi Cæsaris tertius Orator in Cögregatione admissus orationem habet.

Georgius Drascouitius Croatus, Episcopus *Quinquecclesiensis*, tertius *Cæsaris* Orator, *Tridentum* superiori mense venerat: sed non ante XXIV. Februarij mandatum Legationis in Congregatione generali exhibuit: quo tempore orationem quoque habuit. Eà in *Cæsaris* laudes exspatiatus, dixit, eum à Deo orbi Christiano miseris hisce temporibus donatum ad tot tantarumque miseriarum alleuamentum; instituta inter ipsum, & *Constantinum*, quoad zelum erga Ecclesiam, comparatione. Dein retulit, quam multis officijs, quantaque solicitudine in conuocationem Synodi incubuerit: quemadmodum ea semel impetrata, omnium Principum primus cœtum eum Oratorum præsentia condecorare voluerit, missis *Imperij*, *Regis Bohemiæ* & *Austriæ* nomine, duobus; Se verò seorsim pro Regno *Hungariæ*. Denique suo nomine Synodo gratias egit, quòd etiam ante conspectum Legationis documentum, locum prouinciæ sibi commissæ conditioni consentaneum assignassent. Lectum postea Decretum, ab Delectis verbis generalibus conceptum, tum vt Cæsareis id petentibus satisfieret; tum quòd materia non satis bene esset digesta.

Card. Mantuanus Patres monet, ne per illos in Congregationibus dicta factaue emanent.

Posthæc Legatus *Mantuanus* modesto ac graui sermone Patres monuit, vti in Congregationibus dicta tractataque silentio tegerentur. Periculum enim esse, ne publicata incurrant in difficultates: immo, si nullum eiusmodi periculum sit metuendum, certe consilia, quò tectiora sunt, eò maiori apud homines opinione esse ac reuerentia. Præterea, cum plerique passim reperiantur in congressibus, nec ea qua decet circumspectione, nec decori satis retinentes, euulgatis eorum erroribus vniuersum consessum labe aliqua aspergi. Neque vllum fere esse collegium, aut Concilium Ecclesiasticum, siue seculare, arctum, siue frequens, cui non suæ taciturnitatis leges sint indictæ, iurisiurandi vinculo, aut pœnarum denuntiationibus plurimùm firmatæ. Istam vero Synodum viris adeo prudentibus constare, vt nullo nisi proprij iudicij ligamento constringi debeant. Atque hæc non tam Patrum, quàm collegarum, imo sui ipsius gratia dici; quod deceat vnumquemque sibi ipsi officij sui esse monitorem.

Itē, vt de Saluo Conductu porro cogitēr.

Dehinc commemoratis difficultatibus, quæ in agitanda Salui Conductus materia inciderant, singulos hortatus est, vt in eam nihilominus cogitationes omnes conferrent. Nam si ante consessum plenè de eo statui nequeat, clausulam Decreto apponendam, Saluum conductum etiam in Congregatione extra Consessum concedi posse. Sic scilicet visum est Legatis rem extrahere, qui obiectis illis, quas diximus, ab Romanā & Hispanica Inquisitione difficultatibus, Pontificem de omnibus, quæ tam super eo capite, quàm super librorum Indice fuerant dicta, certiorem fecerant, & ab eo responsum *Romà* expectabant.

Ob Edictum Gallicum, & cessationem Patrum, Pontifex in fermento est; Hispanos etiā ab se alieniores non iniuria metuens.

Ille verò iam totus erat in fermento, siue ob Edictum Gallicum fremens; siue frendens, quòd Concilij Patres tempus tererent nullo adhuc operæ pretio. Male se rem habere, dicebat, cum Episcopi tam diu ab Ecclesijs suis absunt, ad dogmata tantùm ea ex superuacuo retractanda, quæ alijs Concilijs determinata essent. Præsules Hispanos caussæ suæ parum fauorabiles suspicabatur pridem; nunc verò alieniores factos putabat, post concessa Regi è reditibus Ecclesiasticis quadringenta millia aureorum quotannis decennio continuo pensitanda; cum potestate venundandi feuda Ecclesiæ, quorum reditus XXX. millia aureorum attingunt: qua concessione Ecclesia per *Hispaniam* insignem amplitudinis pristinæ imminutionem ac iacturam passa videbatur.

Lansacus ad Pontificem à Rege Galliæ mittitur, ad necessitatem moderationis in re religionis ei demōstrandam.

Sub id tempus *Romam* venit *Ludouicus Sangelasius Lansacus*, è Gallia missus, vt de rerum inibi statu Pontificem redderet certiorem. Is significat primùm, Regem suum, animaduersa eximia Pontificis in promouendo Concilio solicitudine, destinasse summum sanguinis splendore & meritis virum *Candallam* ad Synodum Oratorem, & fecisse, vt Episcopi XXIV. (quorum catalogum ei porrigit) iam in viam se dederint. Dein longa serie omnia quæ in Gallia post *Francisci* Regis mortem acciderunt, commemorat: necessitatem moderationis ac temperamenti aduersum Protestantes adhibendi ostendit: tum quòd regni vires ad eos per vim ad officium cogendos non sufficerent: tum etiam, quod si vis tentanda, multorum

procerum

procerum sanguine paci publicæ litandum esset; vnde non quies, sed maior omnium abalienatio, adeoque maior rerum perturbatio esset nascitura. Neque Regem de successu Concilij bene sperare, nisi ceteræ nationes, sed cumprimis Germani interueniant. Religione enim in *Germania* stabilita, non dubitare, quin idipsum à suis in *Gallia* sit impetraturus. Frustrà verò expectari, vt Concilij Decreta accipiant ij, qui conficiendis non sint adfuturi. Itaque quoniam Protestantes Galli cum Germanis indissolubili nodo vniantur, obsecrare se Pontificem, vt, si nihil aliud ipsorum aduentum remoratur, quàm vel loci securitas, vel procedendi modus, hæc ijs indulgere non dedignetur, propter incredibile, quod inde manaturum est, Ecclesiæ bonum. Respondet Pontifex primùm de Concilio, statutum fuisse sibi ab ipso Pontificatus sui principio illud conuocare: impedimenta verò ab *Cæsare*, *Hispaniæq;* Rege obiecta, sed vtrumque horum nunc Oratores & Præsules eò misisse; superesse solos Gallos, qui Concilij medica ope vel maximè indigeant. Nihil equidem à se prætermissum ad Germanos Protestantes prolectandos, etiam adusque aliquam sanctæ Sedis abiectionem: neque defuturum ipsis in largienda, quantam, qualemuè possunt expetere, securitate. Non æquum, nec tolerabile sibi videri, vt Concilium Protestantum libidini se permittat: sed si illi venire recusent, certè Patribus in via, quam fœliciter ingressi sunt, ac institerunt, fortiter pergendum. Verùm de ijs quæ in *Gallia* regno facta erant, respondit paucis, se ea probare non posse, & rogare Deum, vt his, qui tot malorum authores, ignoscere dignetur.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Responsum Pontificis.

Sed vereor, vt intra hos moderationis terminos se continere potuerit Pontifex, si quid eo ipso tempore, quo *Lansacus* anteacta excusatum ibat, in *Gallia* gestum esset, intellexisset. Regina enim XIV. Febr. ad *Germani fanum*, *Valentino* & *Sagiensi* Episcopis, item *Butillerio*, *Espencæo* & *Picherello* Theologis præceperat, vti vnà consultarent, vnde ratio ineundæ concordiæ principium posset capere. Illi verò hæc capita proposuerunt. Vt *S.Trinitatis* effigies è templis alijsque omnibus locis tollatur, neque deinceps vsquam erigatur: Item personarum quarumcunque, de quibus martyrologia in Ecclesia recepta testimonium non perhibent. Vt imaginibus coronæ & vestes non imponantur; ad eas vota & oblationes non fiant; vt in supplicationibus non gestentur. quibus omnibus Protestantes ipsi erant parati subscribere. De crucis autem signo repugnabant, asserentes à *Constantino Cæsare* primùm fuisse propositum ad cultum, contra veteris Ecclesiæ praxin. At *Nicolaus Mallardus* collegij Theologici *Sorbonensis* Decanus, cum alijs Theologis intercessit, imaginum cultum retinendum contendens, vtcunque multa prauo more irrepsisse non diffiteretur. Atque eodem mense *Rex Nauarræ* ad *Palatinum* Septemuirum, *Principem Wirtembergicum*, & *Philippum Hessum* dederat literas, quibus dicebat, etiamsi neque in colloquio *Posiaceno*, neque in hac vltima de imaginibus disputatione inter partes conuenerit, se nihilominus enixurum, vt repurgata religio constituatur; sed id sensim faciendum, ne publica regni quies interturbetur.

Ad ineundam cum Protestantibus concordiæ viam de imaginum cultu tollendo consultatur à Theologis ad Sangermanum.

Quam Decanus collegij Parisiensis interturbat.

Eo tempore *Guisius*, & frater Cardinalis *Lotharingiæ Tabarnas* vsque processere, Episcopi *Argentinensis* castellum: quò ex compacto quoque venit *Christophorus Dux Wirtembergicus* cum Ministris Confessionis *Augustanæ* propugnatoribus. Ibi per triduum collocuti *Wirtembergico* explicarunt, quantum *Augustanæ* confessioni in colloquio *Posiaceno* fauerint; quantum Galli reformationem profitentes, vt ei subscriberent solicitati, ab ea accipienda abhorruerint. Orant itaque vt *Germania* cum ipsis coniunctâ communi ope *Zuinglianorum* doctrina impediatur: non eo consilio, vt repurgandæ religioni, quam ab erroribus vindicatam vnicè exoptant, impedimentum afferant; sed vt virus pestiferum, per *Germaniam* iuxtà atq; *Galliam* disseminatum non vtrobique radices agat. Quod ea mente dicebatur, vt, cum res ad arma spectaret, faciliùs ab Germanis auxilia impetrarent, aut certe ad suppetias aduersarijs ferendas segniores redderentur. Hoc colloquium maximis *Romæ*, *Tridenti*, & in ipsa *Gallia* suspicionibus materiam subministrauit. Cardinalis cum fautoribus factum excusabant Christianæ religionis commodo, ad Protestantes in *Germania* ab sectarijs in *Gallia* abalienandos. Fama quidem percrebuerat, Cardinalem seriò cum *Germania* coniunctionem in religione expetiuisse, & sicuti *Geneuensem* profitendi formulam

Fratrum Guisiorum cum Duce Wirtembergico & ministris confessionis Augustanæ cogressio de re religionis.

Ex qua suspicionum materia.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

penitus oderat, ita ab Augustana confessione adeo parum abhorrere, vt ei locum in *Gallia* cupiat. Hoc certum, post finem *Concilij Tridentini* dicere solitum, se aliquando eadem cum ea confessione mente fuisse; nunc verò post Concilij definitionem, quod Christianum quemque decet, huic acquieuisse. Licet verò ex publicis Protestantum ad conciones cœtibus seditiones ac tumultus multis in locis nascebantur, qui repurgatæ religionis incrementum retardabant, deprehensum tamen eo tempore fuisse in *Gallia* MMCL. cœtus constitutos, quos vocabant Ecclesias.

Ecclesiarum repurgatarum in Gallia numerus.

Sessio XVIII. sub Pio IV. secunda.

Die XXVI. Februarij, qui Sessioni erat indictus, congregatis in templum Patribus Tridentinis, *Antonius Helijs* Patriarcha *Hierosolymitanus* rem diuinam celebrauit, *Antonius Cauchus* Archiepiscopus *Corcirensis* orationem habuit. Sacro peracto, cum legenda essent Principum mandata (solemni more, etiam in congregatione prius lecta, in Sessione denuò legendi) controuersia statim orta inter Regum *Vngariæ* & *Lusitaniæ* oratores, vtroque primum sibi in legendo locum deberi propter Regis sui eminentiam contendente. Nam de loco honoratiori in sedendo quæstio nulla nata erat, quod *Lusitanus* Orator, vtpote secularis in dextro templi latere, *Vngarus* quippe Ecclesiasticus in sinistro considebat. Legati deliberatione habita censent mandata eo ordine legenda, quo erant exhibita; nulla dignitatis Principum habita ratione. Lectum quoque Breue Pontificium, quo negotium conficiendi Indicis refertur ad Concilium. Id hac gratia *Romæ* fuit fabricatum. *Paulus IV.* vti dictum est suprà, Indicem componendum curauerat. Iam si ad eum emendandum, aut innouandum Synodus manum apposuisset, inde Synodi supra Pontificem potestas probabiliter potuisset adstrui. quamobrem ad anteuertendum illud præiudicium, visum satius, vt Pontifex vltro facultatem eam Synodo permittat. A Patriarcha celebrante lectum decretum, cuius hæc summa.

Inter Oratores Regum Hungariæ & Lusitaniæ cōtrouersia.

Qua occasione Indici librorum conficiendo Breue Pontificium fuerit necessarium.

Decretum Synodi de librorum delectu.

Synodum cogitantem Catholicæ fidei doctrinam in suam puritatem restituere, & mores ad meliorem formam reuocare, cùm librorum perniciosorum ac suspectorum numerus valde excreuerit, neque remedium multarum censurarum in varijs prouincijs, & præsertim Romæ editarum quidquam profuerit, censuisse, vt delecti ad hanc disquisitionem Patres de ea re diligenter considerent, suoque tempore quid vltra facto opus sit ad eandem Synodum referant, quò facilius zizania à Christianæ veritatis tritico possit separari, frequentes scrupuli ex hominum animis eximi, & multarum querelarum caussæ remoueri. Statuere item, vt vnà cum præsenti Decreto hæc ad omnium notitiam deducantur, vt si quis ad se pertinere putauerit, vel hoc librorum & censurarum, vel aliud quodcunque negotium in hoc generali Concilio tractandum, non dubitet, à sancta Synodo se benigne auditum iri. Et quoniam eadem Synodus Ecclesiæ pacem animitus optat, vt communem in terris matrem vniuersi agnoscant, omnes, qui secum communionem non habent, ad reconciliationem & concordiam, atque vt ad Synodum veniant, inuitare; omnibus charitatis officijs eos vti inuitare, ita complecti paratam. Insuper decernere, fidem publicam in Congregatione generali concedi posse, eiusdemque roboris ac momenti futuram, ac si in publica Sessione data & decreta fuisset.

Et omnibus ad Concilium fide publica inuitandis.

Quam in congregatione generali fas sit concedere.

Lecto Decreto, cum præmissus esset Titulus, Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata; Archiepiscopus *Granatensis* petijt, vt adderetur ad titulum, *Vniuersalem Ecclesiam repræsentans*, quod in Concilijs postremùm celebratis obseruatum meminerant. Dein idem rogauit *Antonius Parragues* Archiepiscopus *Calaritanus*; eique accedentes Præsules prope omnes Hispani, vt saltem postulatum ipsorum in tabulas publicas referretur, flagitabant. Neque verò petitioni huic aut contradictum fuit, aut alioqui responsum, sed sequentis modò Sessionis in diem Maij decimum quartum Indictio renunciata.

Dubitatio vetus renouatur de Titulo Synodi.

De decreto variæ hominum censuræ & iudicia.

Decretum more iam solenni typis euulgatū, quò faciliùs cunctis innotesceret, mox in

in varias hominum censuras incurrit. Primum sciscitabantur, quomodo Synodus inuitare possit eos, ad quos res in Concilio postmodum tractandæ pertinerent, si quæ eæ essent, nondum intelligeretur? Superioribus certè temporibus præter expectationem fere omnia in medium proposita. Dein, quomodo diuinatione quis assequi poterit quid Legati in Synodo sint propositurі, quibus ipsis id non ante est perspectum, quàm ad eos mandatis *Romà* fuerit allatum? Ad eundum modum, ij, quorum interest librum aliquem non damnari, quomodo scire poterunt, an aduersus illum librum quid instituatur? Certè citationis vniuersalitas, & caussæ incertitudo vnumquemque meritò adegerint ad eundum *Tridentum*: cùm vix quisquam sit, cuius non hoc aut illud negotium in Concilio possit tractari. Dicebant denique in vniuersum, decretum hoc in speciem inuitare; sed reuera ab Concilio excludere. Atque inter hæc fortassis non adeo laude digna, ingenuam Synodi confessionem non poterant non probare, nimirum, superiores prohibitiones in hominum mentibus scrupulos ingenerasse, & querimoniarum caussas excitasse. Ad hæc, in *Germania* suspicione id non vacabat, quòd Synodus in Sessione sibi ipsi facultatem concedit fidem publicam interponendi in Congregatione generali; cùm Germani quid discriminis esset inter ista non satis perciperent, ijsdem personis in vtroq; conuentu congregatis: nisi fortè, quod in Sessionibus mitrati, in Congregationibus pileati conueniant. Quod si eo tempore diploma commeatus expediri non poterat, ecquid vetabat Sessionem ex composito ea gratia indici? Postremò sub hoc inuolucro magnum aliquod arcanum latere plerique putabant; etsi prudentioribus firmiter credentibus Synodo esse persuasum, neminem è Protestantibus cuiuscunque commeatus prætextu *Tridentum* iturum, nisi per vim eò impellatur: sicuti factum anno M.D.LII. *Caroli Cæsaris* obstinatione, à qua re nunc non sit metuendum.

Ferdinandus. Philippus 2.

Ad ea, quæ ab Legatis significata, rescripsit Pontifex, sibi non placere, vt hæretici facta promissione veniæ ad pœnitentiam inuitentur. Id enim semel à *Iulio*, & iterum à *Paulo IV*. tentatum parum fœliciter cessisse. Nam hæreticorum, qui conscientiæ libertate frui possunt, neminem aliquo eam loco habere. eos verò, qui ijs in locis degunt, vbi viget inquisitio, dum metuunt detegi, vt de præterito sibi caueatur, simulata resipiscentia admissorum veniam accipere, eo consilio, vt grauiùs sed cautiùs postea peccetur. Deinde de saluo conductu, probabat commeatum dari omnibus, qui Inquisitione non premerentur: sed cauendum, ne hæc exceptio exprimatur. *Iulium* enim Pontificem, quando præteritorum veniam largitus est omnibus Hispanicæ ac Lusitanicæ Inquisitioni minimè obnoxiis, sermonibus hominum ansam dedisse, de authoritate Pontificia aliquid delibantium, quasi Pontifici non idem iuris in eas inquisitiones esset, atque in cæteras. Modum verò fidei interponendæ Synodi arbitratui permisit. Et laudabat formam quæ in Synodo adhibitu in *Germanorum* gratiam anno M.D.LII. quia iam semel visa & approbata: & quia eius interpositu tot Protestantes eo anno profectionem *Tridentum* non detrectarunt. De Indice demum decreuit, vti delegati cœptum fortiter vrgerent, quoad occasio sese daret, decretum, nullo Principe opponente, euulgandi.

Pontifex rescribens suam de Legatorũ quæsitis sententiam aperit, ac primum de venia sectariis cõcedenda.

Tum de saluo conductu eiusque modo ac forma.

Ac demum de Indice.

Hoc accepto à Pontifice responso, II. ac III. Martij habitæ fuere Congregationes ad statuendum de venia in vniuersum pœnitentibus, & saluo conductu *Tridentum* venire volentibus concedendo; deque vtriusque forma. Die IV. post multam disceptationem in eam tandem partē ab omnibus est itum, in quam tendebat Pontifex, Legatis eo astu rem tractantibus, vt de Papæ authoritate nemo controuersiam moueret. Et rationes *Romà* allatæ satis idoneæ videbantur ad omittendam sectariorum ad pœnitentiam inuitationem. Sed de diplomate commeatus difficultas maior; an nominatim *Gallis*, *Anglis*, & *Scotis* esset indulgendum. & erant qui *Græcis*, alijsque populis Orientis cautum vellent. De his autem statim apparuit, miseros homines, qui seruitute premantur, non posse sine periculo, aut absque subsidio pecuniario ad Concilia profectionem suscipere. Neque deerat, qui non intempestiuè monebat, factà iam per Protestantes in Ecclesia scissurà, alteram illam iam consopitam nec vel nominando expergefaciendam: cùm nimis notum sit, quàm non periculo vacet, noxios humores, dum quiescunt, in humano corpore commouere. Fide publica caue-

Patres in Papę sententiam eunt de omittenda sectariorum ad pœnitentiam inuitatione.

De saluo conductu quibus concedendus sit iterum ambigitur.

re

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

re *Anglis*, neque ipsis, neque alijs ipsorum nomine id flagitantibus, parum esse è Synodi dignitate. *Scotis* quidem posse caueri Regina deprecante, sed expectandum, quoad id petatur. De *Gallia* non iniuria dubitari, an Consistorium Regium illud in bonam partem sit accepturum, necne: quandoquidem cautione ea testatum erit omnibus, Regi Galliæ non deesse perduelles. At de *Germania* quæstionem non mouendam, quod his ea cautio aliàs interposita: verùm si Germanis solis caueatur, tum cæteros pro neglectis ac derelictis haberi. Inde permultis placuit, omnibus in vniuersum nationibus *Saluum Conductum* dari. Sed his Hispani reclamabant fauentibus Legatis, alijsque voluntatis Pontificiæ haud ignaris: frementibus verò illis, qui inde colligebant, Concilio supra Inquisitionem Hispanicam vix constare authoritatem. Difficultatibus tandem omnibus superatis, formatum decretum tribus constans partibus. Quarum primâ Germanicæ nationi cauetur eadem forma verbatim qua anno M.D.LII. Secundâ, Synodus *dat fidem publicam eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis, omnibus & singulis, qui secum in ijs, quæ sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque Regnis, Nationibus, Prouincijs, Ciuitatibus, ac locis, in quibus publicè prædicatur, docetur, siue creditur contrarium eius, quod Romana sentit Ecclesia.* Tertiâ, Synodus profitetur, vtcumque in illa fidei publicæ ad alias Nationes extensione omnes comprehendi non videantur (quod ob certas quasdam rationes est factum) existimandum tamen non esse, ab ea cautione excludi cuiusuis nationis homines, qui pœnitentia ducti ad Ecclesiæ gremium redire voluerint. Id testatum omnibus velle. sed quoniam de forma istiusmodi commeatus iterum atque iterum sit deliberandum, Synodum censere, accuratiorem de ea consultationem in aliud tempus differendam. in præsens verò sufficere, vt eorum securitati prospiciatur, qui Ecclesiæ doctrinam publicà professione repudiarunt. Decretum hoc continuò prælo commissum omnibus innotuit: & simul apparuit, Synodum de fide promissorum implenda non valde laborare. Vbi enim de forma salui conductus ijs, qui tertij essent generis, Patres cogitaturos se receperant, tantum abfuit, vt in eam curam incubuerint, vt contrà in excudendis Concilij Decretis in vnum corpus redactis, eam partem planè omiserint: relictâ scilicet hominibus materiâ inquirendi, qui factum, vt Patres, postquam se illorum quoque securitati consulturos promisissent, & se id omnibus testatum velle, etiam typis euulgassent, id tamen non modò re non præstiterint, sed consilium quoque suum, quod vt omnibus patesceret modo satagebant, omni mox arte dissimulari tegique procurarint.

Saluus côductus in Congregatione generali Germanicæ nationi datur. vid. sup. Idem ad alias nationes extenditur.

Tertia hæc decreti pars inter Decreta Synodi non extat, de industria obscurata.

Hic *Cæsaris* Oratores solicitant Legatos de reformatione ineunda; atque vnà de interpellandis per literas Protestantibus, vt veniant ad Concilium, sicuti *Bohemis Basileensis* Synodi tempore factum. Respondent Legati, ab XL. iam annis Principes omnes ac populos istam reformationis cantionem perpetuò occinuisse: neque tamen de capite vllo reformando tractatum esse, quod ij ipsi non ita interturbarint remoratique sint, vt cogitatio ea fuerit abijcienda. Nunc certè decretum Synodo incumbere in generalem Ecclesiasticorum per vniuersum Orbem Christianum emendationem: sed quemadmodum Clerus *Germaniæ* alijs omnibus morbosior, de quo præcipua *Cæsaris* solicitudo, emendari debeat, omnino non videre; quandoquidem *Germaniæ* Præsules ad Concilium nondum venerint. De Protestantibus autem per literas ad Synodum solicitandis frustra agi; quando certum sit, eos, qui Nuntios Pontificis tam indecenti, tamque immodesta responsione exceperint, ad Synodi literas nihilo decentiùs aut modestiùs responsuros.

Oratores Cæsarei de Clero reformando agi, & Protestantium aduentum per literas solicitari petunt. Legatorum responsio ad vtrumque.

Die II. Martij Legati in Congregatione generali articulos XII. proponunt, vt Patres ad eosdem proximis congregationibus examinandos excutiendósq; sese comparent.

Articuli XII. ab Legatis proponuntur in Congregationibus excutiendi.

I. Qua ratione prouidendum, vt Episcopi & Curiones in Ecclesijs suis resideant, neque ab ijs absint, nisi iustis de caussis, honestis, necessarijs, & Ecclesiæ Catholicæ commodis.

II. Annon expediat prouidere, ne quis ad sacros ordines promoueatur, nisi simul ad certum alicuius beneficij titulum sit promotus, cùm multæ fraudes ac fallaciæ deprehendantur in ijs, qui ad titulum Patrimonij ordinantur.

III. Ne pro collatione quorumcumque Ordinum Episcopi,& alij Ordinum collatores, aut eorum ministri,aut Notarij quicquam accipiant. *Ferdinandus Philippus 2.*

IV. An Præsulibus permittendum sit,vt in Ecclesijs, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ,vel ita tenues,vt negligantur, præbendarum aliqua in distributiones quotidianas possit conuerti.

V. An parochiæ grandes,quibus ob populum numerosum opus est pluribus Sacerdotibus, habere etiam debeant plures titulos & erectiones.

VI. An beneficia curata tenuia, quæ ob tenuitatem Sacerdoti sustentando non sufficiunt,factis perpetuis eorum vnionibus reformari debeant.

VII. Qualiter prouidendum Rectoribus Ecclesiarum illiteratis & impuris, annon expediat deputare ijs coadiutores, aut Vicarios idoneos, parte fructuum eisdem pro sufficienti victu assignata.

VIII. An Ordinario permittendum sit capellas vetustate collapsas,quæ ob inopiam nequeunt instaurari,transferre in Ecclesias matrices.

VIV. An concedendum Ordinario, vt singulis annis visitet beneficia commendata,etiam si regularia.

X. An matrimonia clandestina,deinceps contrahenda irrita esse debeant.

XI. Quæ conditiones requiruntur,vt matrimonium clandestinum non sit, sed in facie Ecclesiæ contractum.

XII. Quæ ratio ineunda aduersus immanes abusus eorum, qui ex eleemosynarum & indulgentiarum dispensatione captant quæstum.

Posthæc iussi Theologi articulum hunc infra scriptum studiosè expendere,in congregatione sibi peculiari post discutiendum. Nimirum, An sicut *Euaristus* & Concilium *Lateranense* declararunt matrimonia in occulto contracta, valida non esse quoad forum & Ecclesiam: ita Synodus possit declarare ea absolutè esse nulla, sic vt reticentia,siue occultatio inseri debeat impedimentis atque obicibus matrimonij, quibus fit irritum. *Alius articulus de clandestinis matrimonijs.*

Dum hæc geruntur *Tridenti*, *Ferdinandus Cæsar* audito Protestantes in *Germania* fœdus inter se pacisci & conscribere militem, per literas Tridentinos Patres & Pontificem ipsum hortatur, vti eo vsque actionibus Concilij supersedeant, dum quorsum motus ille euasurus sit, intelligant. vnde reliquum eius mensis, ob eam caussam, & quod plerique dies erant religioni sacrati, sacris ceremonijs peragendis datum.

Die XVI. *Franciscus Ferdinandus Auala Marchio Piscarius* Catholici Regis Orator in Congregationem generalem veniens mandati literas exhibuit. Eius nomine habita oratio, in hanc sententiam. Quandoquidem Concilium vnicum sit sanandis Ecclesiæ malis remedium, salutariter & opportunè à *Pio* V. his temporibus adhibitum. *Philippo* Regi non deesse voluntatem præsentia sua cœtum eum cohonestandi, & exemplo alijs præeundi, si per occasiones liceret. Nunc cùm non possit, misisse eò *Marchionem*, qui ab Rege opem omnem ac fauorem deferret, non nescio Ecclesiæ, etiam cum maximè Dei præsidio nitatur, necessarium esse interdum subsidium humanum. Oratori adeo perspectam esse incredibilem ac prope diuinam Synodi prudentiam, vt omnem à se exhortationem superuacaneam iudicet. videre satis,quam solida hactenus iacta sint fundamenta; quanta arte ac moderatione omnia in præsens tractantur, mitigando ac temperando, non irritando & exasperando. quare cum non dubitet subsequentia ante factis responsura, Regis sui verbis omnia officia, operam & fauorem polliceri. Promotor Concilij nomine respondet, aduentu Oratoris Regis tam potentis Synodo animos additos, & spem factam, remedia quæ malis Christiani orbis subleuandis adferuntur, fore salutaria. Itaque Maiestatis tantæ fauorem toto animo complecti; ei ingentes gratias agere; suam, ad paria tantis meritis faciendum propensionem offerre; & ad omnia quæ ipsi in honorem cedant præstanda; ac nominatim hoc ab Oratore mandatum, quantum de iure debet,admittere. *In aduentu Marchionis Piscarij Oratoris Regis Catholici, Galeatius Brugoras Regij fisci patronus orationem habet.* *Responsum Synodi in Oratoris admissione.*

Die rursum XVIII. *Cosmi Florentiæ* & *Senarum* Ducis Orator in Congregationem admissus post lectum mandatum orationem habuit, qua postquam multis arctam sui *Et Ioannes Strozius Florentiæ Ducis Orator nomine Principis sui orationem habet.*

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

ſui Principis cum Pontifice coniunctionem expoſuiſſet, hortatus eſt Patres ad Eccleſiam perpurgandam, & ad lucem veritatis ab Apoſtolis patefectam vſquequaque diffundendam, oblatis Synodo omnibus ab Duce ſuo præſidijs, quæ ipſe iam antè Pontifici ad Maieſtatem Sedis Romanæ tuendam detulerat. Promotor reſpondens Synodi nomine agit Duci gratias: & poſt honorificam *Leonis Decimi* ac *Clementis* VII. mentionem, ſubdit, Synodũ non ob aliud congregatã alioue ſpectare, quàm ad diſſenſionem omnem profligandam, diſcuſſis ignorantiæ tenebris, & veritatis luce manifeſtata.

Oratores VII. pagorum Heluetiorum Romanæ religionis in Synodo admittuntur.

In congregatione habita die XX. admiſſi *Melchior* Luſſi Eques, Heluetiorum Catholicorum Orator, & vna *Ioachimus Propoſtus* Abbas, Abbatum & aliorum eius nationis Eccleſiaſticorum nomine. Pro ijs verba facta in hanc ſententiam. Conſules VII. pagorum, pro eo ac decet Eccleſiæ filios, miſiſſe oratores, qui Synodo adeſſent, obedientiam ſponderent, notumque facerent omnibus, ſe ſtudio propugnandæ Sedis Romanæ nulli cedere nationi. Id feciſſe teſtatum *Iulij* II. & *Leonis* X. temporibus. item, quando cum pagis vicinis pro religione decertarunt, cæſo *Zuinglio* nefandiſſimo Eccleſiæ hoſte, cuius cadauer inter demortuorum corpora quæſitum concremarunt, quò teſtarentur ſibi cum illis, quamdiu extra Eccleſiam manere vellent, perpetuum & verè ἄσπονδον bellum fore. Agnoſcere enim ſe in finibus *Italiæ* conſtitutos tamquam rupem, quæ obiectu ſuo impediat ne malum àb Aquilone in nobilis eius regionis viſcera irrumpat. Synodus per Promotorem reſpondit Heluеticæ gentis erga ſedem Apoſtolicam pietatis officia, & promerita multa eſſe &, immania: ſed nullum obſequium aut officium præſtari potuiſſe opportunius, quàm ſit hæc Legatio, tam prolixam Synodo beneuolentiam deferens. Eam aduentu Oratorum multùm recreari, & præter ſpem, quam in *Cæſaris*, Regum, ac Principum præſidio collocet, etiam laudatiſſimæ huic Nationi plurimum confidere.

Oratores Prælatorum, totiusque cleri Hungarici in Synodo audiuntur.
Capita orationis Dudithij.

Die VI. Aprilis in congregationem recepti *Andreas Dudithius*, Epiſcopus *Tininienſis*, & *Ioannes Coloſuarinus* Epiſcopus *Chanadienſis*, pro clero *Hungariæ* Oratores. Prior orationem habuit, quâ Archiepiſcopum *Strigonienſem*, Epiſcopos, & vniuerſum Regni clerum triplici nomine ſumma perfuſos lætitia dicebat: ob *Pium* IV. ad ſummum Eccleſiæ faſtigium adſcitum; ob Concilium *Tridentinum* conuocatum; & ob tales Legatos Apoſtolicos ad id deputatos. Dein Præſulum erga Eccleſiam Catholicam obſeruantiâ laudatâ, eiuſdem Cardinalem *Warmienſem*, qui cum illis verſatus fuerat, & homines norat, teſtem adducit. Tum & nationis vniuerſæ pietatem commendat, quæ armis Turcorum fortiter ſe obiectans de reliquo orbe Chriſtiano optimè merebatur; & ſingularem Epiſcoporum in reſiſtendo hæreticorum machinationibus induſtriam. Denique communi Antiſtites omnes voto, vt Concilio ipſi intereſſe poſſent, expetiuiſſe; ſed obſtare regni neceſſitates, quæ præſentiam eorum requirunt, cum ad propugnacula quæ ſunt in confinibus ab incurſionibus Turcorum tuenda; tum ad excubandum aduerſus hæreticos. Officium igitur ſuum per Oratores neceſſariò teſtari. per hos ad Synodi patrocinium tanquam tutum perfugium ſe recipere, atque ad eius decreta accipienda obſeruandaque ſummam animi promptitudinem offerre. Reſpondit ſecretarius Concilij nomine, ſatis compertam eſſe Patribus, Eccleſiæ Hungaricæ ob Synodum conuocatam gratulationem; id verò ſupereſſe, vt aſſiduis Deum precibus de fœlici eiuſdem euentu interpellent. Equidem deſideraturos fuiſſe ſe, vt Præſulum eius nationis aſpectu coràm frui poſſent; ſed quando nimis iuſtas ijs eſſe abſentiæ cauſſas etiam Cardinalis *Warmienſis* teſtimonio conſtet, excuſationem admittere, ſperantes, religionem Chriſtianam nihilo minorem ex illorum in proprijs Eccleſijs præſentia fructum percepturam. Eòque magis, quòd Oratoribus ipſis, Patribus optimis ac religioſiſſimis negotia actioneſque ſuas commendarint. Synodum igitur ipſos & mandata ab ijs exhibita lubenter amplecti.

Synodus reſpondet per Secretarium.

Articulus de reſidentia olim latis vexatus, nouis denuo contentionibus exagitatur.

In congregationibus à die VII. ad vſque diem XVIII. aſſiduè habitis, diſceptatum à Patribus ſuper primis IV. articulis, ſed omnium copioſiſſimè ſuper primo de reſidentia. Ex ijs omnibus, qui Concilij Tridentini primæ conuocationi interfuerunt,

runt, (quo tempore magna partium altercatione de residentia actum) V. tantùm Episcopi nunc aderant: nihilominus tamen, vbi primùm articulus ille fuit propositus, ea statim in partes discessio facta, ac si inter eosdem controuersia vetus, & ab antiquo extitisset; quod in nulla alia quæstione, neque illo tempore, neque Iulio Pontificè, neque in præsens contigisse obseruatum est. Huius rei caussam nonnulli hanc assignant, quod ceteræ tractationes, quippe Theologicæ vix satis ab omnibus intelligebantur; qui verò eas capere poterant, non nisi contemplantium more de ijs disserebant, nullo interueniente affectu, nisi solo odio in Protestantes, qui quæstiones has in medium afferendo alijs molestiam exhibebant: hæc autem controuersia proprium tangeret Præsulum peculium. Apud Curiales plurimùm poterat ambitio, aut certe obligatio, quâ obstringebantur sequi opinionem heris suis maximè opportunam. Alios exstimulabat inuidia, quibus cum deessent artes conscendendi ad id dignitatis fastigium quo illi iam peruenerant, aut aspirabant; quòd attollendo sese illis æquare non possent, illos ad sortem suam deprimendo æqualitatem attingere se posse sperabant. In hoc articulo quisque prout affectus erat, variè laborabat; singulis suum in congregationibus suffragium, aut alienum, si quid haberet memorabile, magni facientibus. Ex tanto suffragiorum numero XXXIV. ad manus meas peruenerunt, eadem planè, quâ pronunciata fuerant, formâ: aliorum præter solam conclusionem nihil sum nactus. Verùm hoc in loco illud tantùm, quod est notabile, memorandum duxi.

Ferdinandus. Philippus 2.

Patriarcha Hierosolymitanus primus ostendit hunc articulum in prima Concilij huius conuocatione fuisse tractatum ac discussum; imò conclusum, ad residentiam stabiliendam duo in primis prouidenda. I. Pœnas aduersus non residentes denunciandas; dein remouenda, quæ residentiam impediunt. De priore quidem adeo abunde decretum Sessione VI. vt nihil addi posſit. Mulctam enim pecuniariam grauissimam impositam, vt absentes dimidia parte fructuum vnius anni mulctentur; qua grauior excogitari non potest, nisi Episcopos velint esse mendicos. Aliam grauiorem non temere infligi, etiã in insigni contumacia vindicanda, nisi forte priuationem. Quæ cum executioni sit mandanda, neque alius à Pontifice eam exequi sit idoneus; (quod vetus Ecclesiæ consuetudo caussarum Episcopalium censuram Apostolicæ Sedis cognitioni reseruarit) ea Sessione Patres in Pontificem coniecisse curam omnem remedij adinueniendi, vel alios Ecclesijs Pastores prouidendo, vel alia ratione; & in Metropolitanum, de Pastoris absentia Pontificem certiorem faciendi. De altero etiam agi cœptum, compluribusque decretis, tam in ea Sessione, quàm in alijs, permultas exemptiones impedimentorum, quæ Episcopis in obeundo munere obijciuntur, sublatas: atque id in præsens superesse, vt in reliquis exemptionibus tollendis constanter pergatur, patribus aliquot (sicuti tum factum) selectis, qui colligant in vnum impedimenta, vt ijs in congregatione propositis prospiciatur.

Patriarchæ Hierosolymitani de residentia suffragium.

Hunc excepit *Archiepiscopus Granatensis*, affirmans in eodem Concilio propositum fuisse aliud potentius & efficacius remedium, nempe obligationem ad residendum esse *de iure Diuino*: qua de re totis X. mensibus actum. Eum verò articulum vti necessarium, & inter capita doctrinæ Ecclesiasticæ primarium, haud dubiè determinandum fuisse, nisi Synodi eius progressum aliquid interrupisset. Certe & quæstionem fuisse discussam, & rationes adductas in medium mox typis editas: vt materiâ iam præparatâ, digestâque nihil restet, nisi vt perficiatur. Hoc enim definito *residentiam esse de iure Diuino*, impedimenta omnia sua sponte facilè desitura; Episcopos, eo quod est muneris sui probè cognito religiosè officium facturos, vti decet eos, qui se Pastores ducunt, non mercede conductos; & reputantes gregem sibi à Deo commissum, ac sibi villicationis suæ rationem reddendam, neque culpam in alios conijciendam muneris male obiti; neque dispensationibus eos quicquam iuuari aut saluari; certè prouinciæ sibi traditæ inuigilaturos. Et quidem multis è veteri ac nouo testamento testimonijs, & in ea Patrum interpretationibus adductis contendebat, veritatem eam esse Catholicam. Ac maior sanè pars Congregationis ad opinionem illam accedebat, authoritatibus ac rationibus ei firmandæ comportatis.

Archiep. Granatensis sententia.

Quam complures vti Catholicam probant.

Alij

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Alij vti nouiter excogitatā reijciunt.

Alij eam repudiabant vti nouam, & non modò ante æuo, sed & hoc sæculo ante Cardinalem *Caietanum* inauditam. Illum dicebant primùm mouisse quæstionem, & partem eam sustinuisse: sed eandem post reiecisse, quippe, qui ætate grandior acceperit Episcopatum, in quo nunquam resederit. Ecclesiam illud semper tenuisse, Pontificem posse dispensare. Non residentes omnibus seculis aut castigatos, aut increpitos, sed solummodo tamquam Canonum violatores, non autem Legis diuinæ. Prima Synodi huius conuocatione quæstionem eam agitatam: sed disceptationem à Legatis viris prudentissimis, quòd periculo non vacaret, scitè dextreque compressam. Id nunc trahendum in exemplum. Libros enim de ea re exinde editos multis offendiculo fuisse, & disceptationem hanc solo factionum studio susceptam demonstrasse. Nam quod scripturæ sacræ & Patrum authoritates attinet, eas ad perfectionem modò adhortationes esse; nihil hic esse solidi præter Canones, qui sunt verè Leges Ecclesiasticæ.

Aliorum sententia, controuersiæ huius disceptationem esse & intempestiuam, & inutilem.

Nonnulli contrà sentiebant, neque huius esse loci, neque temporis, eam agitare quæstionem; neque ex eiusdem determinatione boni quidpiam nasciturum, sed à multis potius incommodis impendere periculum. Synodum enim hanc ad hæreses extirpandas congregatam, non ad Catholicos schismate distrahendos: quod dubio procul esset futurum, damnata ea opinione, quam si non maior, certè media pars Patrum amplectitur. Alterius opinionis authores eam adinuenisse, non quòd veritate niteretur, sed vt ad residendum Ecclesiasticos exstimularent, inualidis nihilominus rationum firmamentis freti. Non enim reperiri homines attentiores ad deuitandas diuinæ legis, quàm Ecclesiæ sanctionum præuaricationes. De quadragesima rite seruanda præceptum minus violari, quàm mandata Decalogi. Neque esse credibile, si à Deo fuisset præscriptum, vt in festo resurrectionis Dominicæ vnusquisque apud sacerdotem peccata confiteretur, & ad sacram communionem accederet, plures quàm nunc, cœnæ Dominicæ communicaturos. Vt Missa solemni more & habitu celebretur, legem esse Ecclesiasticam, sed quam nemo infringit. Qui pœnalibus Canonum sanctionibus minus obsequens est, multo faciliùs extra officij viam abiturum, vbi nullus à pœnis temporalibus, sed ab sola iustitia diuina metus. Vix vllùm ex Episcopis ea Synodi determinatione officium diligentiùs facturum: sed inde potius captaturum & occasionem aduersus Sedem Apostolicam recalcitrandi, &, authoritatem Pontificiam restringendi (quod inter nonnullos hactenus susurratur) & Aulæ Romanæ deprimendæ. Eam vnicum esse Ordinis Ecclesiastici decus & ornamentum. Eius vnius in gratiam Clero passim honorem deferri. Hæc si abijcitur atque deprimitur, de Ecclesiæ existimatione vbi que locorum plurimum decessurum. Quare iniquum esse, eam rem tractari Pontifice & Cardinalium Senatu inconsultis, quorum in foro res cum primis vertitur.

Homines ad Ecclesiasticas sanctiones, quàm ad Diuinæ legis præcepta seruanda esse attentiores.

Pauli Iouij suffragium.

Neque hic prætereunda est *Pauli Iouij* Episcopi *Nucerini* sententia, quæ fuit huiusmodi. Synodum conuocatam ad plagam ingentem, nempe deformationem Ecclesiæ medicandam. Omnibus esse persuasum huius mali caussam esse Præsulum ab Ecclesijs suis absentiam. Verum id, vti ab omnibus affirmatur, ita vix satis à quouis forsitan expendi ac considerari. Non esse prudentis medici de caussa morbi tollenda agere, nisi primùm eam probe cognoscat. dein, annon ea sublatā, maiora mox mala inde sequutura sint, accuratè præuideat. Certe si absentia Presulum corruptelis, quæ irrepserunt in Ecclesiam, caussam dedisset, minus deformitatis in Ecclesijs illis deprehensum iri, in quibus nostro seculo proprij Præsules perpetuò residisse animaduertuntur. Iam summos Pontifices centum annos assiduò commorantes Romæ, nihil omisisse, quod ad populum studiosissimè instruendum pertineret: eam tamen vrbem nihilo melius institutam reperiri. Atque omnino regni cuiusque metropolin, in quibus fere Præsules Sedes suas figunt, esse præ alijs deformitate notabilem: & contrà miseras aliquot vrbes, quæ à centum annis Episcopum suum non aspexerunt, vitiorum sordibus minus esse corruptas. Etiam inter Antistites seniores qui adsint, & in Ecclesijs suis perpetuò hæserint (sunt enim ex his nonnulli) neminem posse dare Diœcesin à se melius constitutam, quam sint vicinæ Episcopis destitutæ. Qui istiusmodi Ecclesias greges dicit sine pastore, eum pensi non habere, etiam Parochos,

Absentiā Præsulum non esse corruptelarū in Ecclesia caussam.

rochos, ac non solos Episcopos, curam gerere animarum. De solis Episcopis verba fieri, quasi musquam fideles Christiani esse possint, nisi vbi sunt Episcopi; & tamen in ipsis montibus, in quibus Episcopus nunquam visus, Ecclesias reperiri, quæ ciuitatibus Episcopalibus exemplo præire poterunt. Patrum, qui in prima Synodi conuocatione interfuerunt, & zelum laudandum, & actiones imitandas, qui pœnarum interminatione Præsules excitatum ibant ad Ecclesias suas frequentandas; & principium dederant tollendis impedimentis, quæ absentiæ dant caussam: neque tamen permittendum, vt ea spes nos fallat, quasi in hac residentia posita sit Ecclesiæ reformatio; sed potius metuendum, ne vti nunc remedia quæruntur ad stabiliendam Prælatorum residentiam, ita posteri incommodis inde prouenientibus sapientiores facti, remedia ad absentiam denuo inuehendam sint quæsituri. Non quærenda vincula adeo robusta, quæ, vbi opus est, dissolui nequeant, cuius generis foret Ius illud diuinum: quod nunc post mille & CCCC. annos tentatur. Episcopum perniciosum, qualem vidimus *Coloniensem*, huius doctrinæ effugio latebras sibi quæsiturum ab obedientia Pontificis, si vel ad rationem actionum reddendam citabitur; vel ab grege suo procul facessere iubebitur, ne præsentiâ suâ malum alat. Se quidem agnoscere, Præsules, qui articulum determinatum volunt, abundare zelo: sed credere etiam, nonnullos velle eius beneficio vti, ad se obedientiâ Pontificis subducendos: quæ quò arctior est, hoc magis vnitam tenet Ecclesiam. Ijs verò hoc instillatum cupere, quicquid in eo genere operantur, id Parochis vsui futurum, ad ipsos Episcoporum imperio eximendos. Nam si articulus obtineat, confestim dicturos, Episcopum, nec posse ipsos Ecclesia dimouere, nec potestatem ipsorum reseruationibus restringere; & tanquam Pastores immediatè à Deo datos, plus iuris in gregem, quam ipsis Episcopis concedant, vindicaturos. neque esse, quod ijs respondeatur. Et quemadmodum regimen Ecclesiæ tot seculis stetit per Hierarchiam: ita facile in democratiam & anarchiam, à quibus ei vastitas, collapsurum. *Ferdinandus. Philippus 2.*

Ex ijs, qui, cum residentiam crederent esse *de iure diuino*, quæstionem tamen eam hoc rerum statu discutiendam haud putabant, *Ioannes Baptista de Bernardis* Episcopus *Adiacensis* egregiam protulit sententiam in huncmodum. Quandoquidem nunc non agatur de hac aut illa opinione firmanda, sed tantùm de Clero ad residendum obligando, vti id effectum sortiatur; friuolum esse declarare, vnde ea manet obligatio, & frustra laborari in alia re, quàm in absentiæ caussa tollenda. Absentiæ verò non aliam esse caussam, nisi quòd Episcopi in aulis Principum degentes secularibus negotijs administrandis impliciti tenentur, Iudicum, Cancellariorum, Secretariorum, Consiliariorum, & Quæstorum munia obeuntes: adeo vt vix ferè munus aliquod publicum reperiatur, in quod Episcopus aliquis adlectus non sit. Hanc alieni muneris vsurpationem prohibitam à *D. Paulo*, necessarium ducente, vt qui Ecclesiæ militat, secularibus abstineat negotijs. Faciendum igitur quod per Apostolum Deus præcipit: rursusque vetandum, ne Ecclesiastici in secularibus munus, officium, gradum ordinarium, vel extra ordinem teneant. Hoc semel prohibito, statutoque, ne negotijs implicentur secularibus, cum Episcopis nulla supersit caussa cur aulam frequentare debeant, sua sponte absque præceptis, pœnarumue denunciationibus, in suam quemque se diœcesin ad residendum ibi recepturum, neque inde, negotiorum occasionibus iam ademptis, facilè migraturum. In summa vrgebat, vti Synodi declaratione innotesceret cunctis, neque Episcopis, neque alijs, quibus animarum cura incumbit, fas esse, seculare aliquod munus aut officium exercere. Episcopi Adiacensis pia probaque sententia.

Huic Episcopus *Quinqueecclesiensis Cæsaris* Orator contradicens asserebat, si *D. Pauli* verba in eum sensum acciperentur, tum & Ecclesiam Vniuersam, & Principes omnes ab anno octingentesimo ad hunc vsq; diem eo nomine damnandos, quo potissimum laudem meruisse censentur. hos, quòd Iurisdictiones temporales donarint, illos, quòd acceperint; quas etiam Pontifices Romani, & Episcopi in Diuorum numerum relati exequi sustinuerunt. Imperatorum, Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hungariæ, vt quisque fuit melior, ita plures ex sacro Ordine in Consilium suum sanctius adsciuisse, quos omnes necessum fuerit damnari, si præcepro Diuino ab his muneribus arceantur. Sed nimirum errare toto cœlo, qui credat præceptum Cui Episcop. Quinqueecclesiensis refragatur.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

tum *D. Pauli* Ecclesiasticos tantum respicere, & non omnes Christi fideles, qui Christo nomen dederunt. *D.* enim *Paulum* ita argumentari; sicuti qui militiam exercet mundanam, non est addictus ijs artibus, quibus vita sustinetur, quia pugnant cum militis officio; ita qui militant *Christo*, hoc est Christianos omnes abstinere debere ab ijs exercitijs, quæ cum Christiana professione pugnant, nempe solis peccatis. illud verò, quod absque peccato fieri potest, cuique esse licitum. Neque reprehendi meritò Præsules propter operam istiusmodi muneribus impensam, nisi peccata esse arguantur. Ecclesiæ amplitudinem, & singularem, qua apud omnes est, existimationem non aliunde magis prouenire, quàm quòd dignitates Ecclesiasticæ viris illustribus, & sanguinis nobilitate conspicuis deferantur, & amplissima in administratione publica munia Præsulibus demandentur. quorum si Ecclesiastici essent incapaces, tunc neminem è nobilitate ad sacrum Ordinem aspiraturum; nullum Præsulem aliquo loco ac nomine futurum; immo Ecclesiam, quæ solis plebeijs, & plebeio more viuentibus constatura esset, in omnium opprobrium & contemptum ituram. At contra Doctores rerum intelligentes semper tenuisse, ea Edicta, quibus rerum ciuilium administratione Ecclesiasticis interdicitur, aut Sacerdotes publica munia capere prohibentur, libertatem Ecclesiasticam temerare. Hæc sententia communi omnium Præsulum applausu fuit accepta, etiam eorum, qui residentiam *de iure diuino* esse putabant. adeò potentes sunt in hominibus affectus, ad iudicium, ne contradictiones possit discernere, corrumpendum.

In cuius sententiam plerique omnes concedunt.

In cæteris articulis discutiendis minus fuit negotij: vbique tamen dictum aliquid memoria non indignum. De secundo, qui vetat promouere ad sacros Ordines titulo patrimonij, hoc certum, post Ecclesiam primitus fundatam constitutamque, assignatis cuique cœtui ministris necessarijs, aureis illis temporibus neminem ad sacros Ordines admissum, qui non peculiari ministerio destinaretur. verùm pia hæc institutio mox corrupta: alijs, quòd exemptionibus essent muniti, aut ob alios aspectus humanos; Episcopis verò, vt numerosum haberent clerum, nemini petenti sacros Ordines denegantibus. Itaque in Concilio *Chalcedonensi* id genus Ordinationis prohibitum, quod tunc temporis vocabant absolutum aut solutum (ita enim propriè sonat vox Græca) Decretumque vti nemo nisi ad munus peculiare ordinaretur, atque vt liberæ solutæque ordinationes nullæ essent ac irritæ: idque multis deinceps canonum posteriorum sanctionibus fuit confirmatum, vt iam pro Regula generali reciperetur in Ecclesia, *Neminem sine titulo posse ordinari.* Iam antiquis illis bonisque temporibus *Tituli* appellatione denotabatur munus, aut ministerium obeundum. Vbi verò corruptelæ inualuere, Tituli nomine cœpit intelligi reditus, vndè victus comparatur: adeoque, quod sancitum erat, vt in clero nemo esset otiosus, mutauit in illud, vt nemo esset egenus; ne quis labore suo victum sibi parare cogeretur. Ita vero Canonum sensu hac interpretatione obuelato, *Alexander III.* in *Lateranensi* suo sanxit, Ne quis ordinaretur sine titulo, ex quo tantum posset capere, quantum ad vitam alendam esset necessarium; addita exceptione à regula, nisi de suo, aut hæreditate paterna abundè illi suppeteret. Quæ quidem exceptio à ratione aliena non foret, nisi titulus ad hoc vnum quæreretur, nempe, vt victum suppeditaret. Ob hanc caussam multi fictis probationibus sibi patrimonium esse contendentes, ad Ordines admittebantur: alij ad verum patrimonium ordinati, illud postmodum alienabant; alij denique nacti homines, qui tanta patrimonij sui portione ipsis cederent, quanta illis alendis esset sufficiens, ordinabantur: dein acceptis ordinibus, patrimonium ijs, à quibus commodato acceperant, restituebant. Inde factum, vt crescente Sacerdotum inopum numero, multæ in Ecclesiam corruptelæ inuaserint, emendationem requirentes.

Ad intelligentiam II. articuli de ordinatione ad Titulum patrimonij dissertatio.

Tituli nomine quid olim, quid item vltimis seculis denotaretur.

Hoc igitur articulo in Synodo proposito, in varias itum est sententias. Nonnulli dicebant, hoc posito, residentiam esse de iure diuino, ac singulis, quod sui muneris est, obeuntibus, Ecclesijs adeò plenè perfectéque prouisum iri, vt nullus sit futurus vsus Clericorum beneficijs non gaudentium, aut ordinationum titulo patrimonij, aut alio titulo: omnibusque incommodis consultum iri. In clero nec fore desidem aliquem ac otiosum, vnde innumera mala & exempla perniciosa manare solent; nec mendi-

Prima opinio quorundam Patrum, residentiâ stabilitâ facilè huic malo consuli.

mendicum, aut ad exercenda vilia officia necessitate adactum. Liquidò constare, nullam esse commodam reformationem, nisi quæ res ad principium vnde deflexerunt, reuocat. Ecclesiam antiquitus tot seculis perfectè vixisse; hac sola via integritatem pristinam posse repetere. *Ferdinandus. Philippus 2.*

Aliorum opinio erat, aditum ad sacros Ordines nemini vetandum propter egestatem, qui vitæ probitate, aut idonea literarum cognitione eos promereatur. Pauperes enim in Ecclesia primitiua exclusos non fuisse, neque Ecclesiam ab eo vnquam abhorruisse, vt Clerici ac Sacerdotes manuum suarum labore vitam sustentarent. Exemplo esse *D. Paulum* Apostolum, & *Apollo* Euangelistam, qui tentorijs conficiendis vitamtolerabant. Etiam postquam Imperatores Christiana sacra amplexati sunt, *Constantium Constantini* filium VI. Consulatu priuilegium clericis concessisse, ne vectigal ob eas merces penderent, quas in officinis & tabernis diuendebant; quod illas cum pauperibus communicarent. Sic eo tempore obseruatum *D. Pauli* ad fideles præceptum, vt in honestas operas incumberent, vt esset, quod in pauperes erogarent. Vitam improbam ac facinorosam indignam esse ordine clericali, quæ offendiculum pariat apud populum. operari autem, & de labore suo viuere, tum honestum esse, tum ad ædificationem. Quod si quis valetudinis infirmitate mendicare cogatur, id neutiquam esse pudendum, quippe, cum fratres gloriæ sibi ducant, dici mendicantes. Pronuntiatum illud non esse dignum Christiano, nempe, laborare, labore manuum alimentum sibi parare, aut in casu impotentiæ mendicare, parum decorum esse *Christi* ministris; aut aliud dedecere eos, quàm peccatum. Ac si quis putet egestatem rapinæ, alijsue delictis caussam dare, re bene pensitata reperiet, eiusmodi scelera à locupletibus citiùs, quàm à tenuioribus patrari; atque auaritiam magis impotentem atque indomitam, quàm sit paupertas, quæ actuosa & negotiosa, male agendi occasiones procul habet. Inter bonum & pauperem benè conuenire, sed bonum & otiosum malè cohærere. Scriptis ac concionibus satis testatum grande illud beneficium, quod Ecclesia militans in hoc seculo, & quæ est in Purgatorio, ex Missarum celebratione percipit; quas certe non diuites, sed pauperes Sacerdotes celebrant. His sublatis, & fideles superstites, & animas defunctorum ingentibus suffragantium subsidijs spoliatum iri. Satius esse seuerissimo edicto præcipi, vt homines probi & eruditi etiam absque vllo titulo ordinentur. Cessare enim in præsens caussam, cur antiquitus illud prohibitum. Eo tempore ordinatos cum titulo sedulos fuisse in functionibus Ecclesiasticis exercendis, & ædificationis Ecclesiæ studiosos; cæteros verò, quippe otiosos, offendiculo fuisse; cùm contrarium hodie obtineat, ordinatis cum titulo plurimùm ministeria Ecclesiastica dedignantibus, atque otio diffluentibus; egenis verò functiones obeuntibus, & in Ecclesiæ ædificatione occupatis.

Altera, viros probos & doctos, etsi inopes, absque titulo ordinandos.

Manuum labore victum sibi quærere non indignū Christi ministris.

Hæc sententia paucos habuit approbatores; & alia media permultos. Videlicet, vt mos ille iam receptus neminem ordinandi sine titulo aut beneficij Ecclesiastici, aut patrimonij ad victum idonei, porro obtineat, ne Sacerdotes cum summa sacri Ordinis contumelia mendicantes deprehendantur. Tum vt ad præuortendum fraudibus statuatur, omnem Episcopus adhibeat diligentiam, ne patrimonium, ad quod clericus ordinatus fuit, alienetur. Sed ab eo longè diuersum sentiebat *Gabriel le Veneur* Gallus, Episcopus *Viuariensis*, affirmans patrimonium Clericorum esse quid seculare, de quo Ecclesiasticus nulla lege possit statuere. Multa quidem posse interuenire, propter quæ lex aut Magistratus legitimè imperare possit, vt illud alienetur. sed in genere id compertum, Clericorum bona patrimonialia, quoad præscriptiones & contrahendi formam iuri ciuili esse obnoxia. Itaque à Patribus iterum, iterumque cogitandum priusquàm contractum ciuilem irritum faciendi potestatem sibi sumant.

Tertia sententia eaq; media multos habet suffragatores.

Nisi qua iuris ciuilis potestati derogare videtur.

Tertij articuli proponendi hæc fuit occasio, quòd præceptum *Christi* de gratijs spiritualibus liberali manu ac gratis donandis, sicut gratis fuerunt acceptæ, in conferendis Ordinibus diuersimodè violaretur. Neque recens erat hic abusus, sed sæculis anteactis magis inualuerat. Etenim in Christianæ religionis cunabulis abundante charitate, populus, qui a Christi ministris spiritualia accipiebat, non modò iuxta Dei præceptum à *D. Paulo* explicatum paria faciebat, quæ ad victum necessaria

Qua occasione Simonia in collationē sacrorum Ordinum ac beneficiorum primum irrepserit, differitur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

ſaria eſſent, ſuppeditando, ſed adeò copioſè miniſtrando, vt ad pauperes ſubleuandos etiam ſupereſſet: ſic tamen, vt nullius ſubiret mentem ea cogitatio, temporale quod dabatur, pretium eſſe doni ſpiritualis. Sed poſtquam temporale, quod in communi aſſeruabatur & poſſidebatur, cœptum eſt diuidi, & reditus certus, appellatione Beneficij, titulis applicari, cum hucuſque diſtincta non eſſet ordinatio à collatione tituli, ac proinde beneficij titulo annexi, ſed vnà darentur & acciperentur; tunc primum viſum eſt ordinatoribus, propter emolumenta, quæ ordinatis inde proueniunt, præter ſpirituale, etiam temporale aliquid dari, cuius intuitu in remunerationem temporale quiddam ſumi poſſit. Cui verò propoſitum erat beneficium impetrare, is ſeſe ad voluntatem dantis accommodare neceſſe habebat. Inde ſequuta negotiatio aperta, quæ in Orientali Eccleſia ne multis quidem Canonibus ac cenſuris emendari vnquam potuit: vtcumque præpotens Dei manus, emolumentorum magna parte Saracenorum flagello ſublata, eam valde imminuerit. In Occidentali item, bonis licet frementibus, eadem alibi magis, alibi minus obtinuit ad vſq; annum ſalutis milleſimum, quo tempore facta inter ordinationem & collationẽ beneficij diſtinctione, ordinatio cœpit gratuitò concedi, ſed in collatione pretium exigi manifeſtiùs. Ex eo creuit ſemper abuſus, varijs impoſitis denominationib⁹, vtpote annatarũ, minutorum ſeruitiorum, ſcripturæ, ſigilli, & iſtiuſmodi tegumentorũ, quibus coopertus graſſatur per Eccleſiam, exigua ſpe eius aliquando tollendi, quoad *Chriſtus* ipſe alia vice nummulariorum menſas euertat, & flagello nundinatores iſtos è templo eijciat.

Epiſcopis ordinarijs ad ſecularia plus æquo attentis, inſtituti Epiſcopi Titulares, qui ipſorũ vicem fungerentur.

Verùm ordinationi, quæ à collatione beneficij ſeparata gratis adminiſtrabatur, non diuturnum fuit id gaudium. Epiſcopi enim ſpretâ eâ, tanquam abiectâ & infructuoſâ, ad alterã ſolam, vnde emolumentũ percipiebant, erant attenti. Vnde à veris Epiſcopis in ſolo temporali adminiſtrando occupatis, relicta pedetentim ordinationum adminiſtratione, inſtituti Epiſcopi Titulares, qui miniſteria Epiſcoporũ Eccleſiaſtica obirent. His, quòd reditus nullos poſſiderent, neceſſum erat è functionibus quas obibant, ſibi victum parare: ijque viciſſim, quos ad ordines admittebãt, his aliquid conferre cogebãtur, primùm eleemoſynæ nomine, ſiue oblationis, dein honoratiore titulo donationis, ac denique, ne cum debitum eſſet, omitteretur, impoſito nomine mercedis, non quæ Epiſcopo ordinanti, ſed famulis eius, aut tabellioni, aut alijs inter ordinandum miniſtrantibus cederet. De hoc igitur abuſu articulus inſtitutus, altero illo, qui in collatione beneficij vſuuenire ſolet, relicto, tanquam deplorato, neque alio remedio quàm extremo, ſanabili.

De II. articulo opinionum diuerſitas.

Super hoc articulo non diuerſitas affectuum, ſed diſſimilis perſonarum qualitas diuerſas peperit opiniones. Epiſcopi enim prædiuites, ſi quid per ſe, aut per officiales, aut notarios acciperetur, id damnabant vti ſacrilegum ac ſimoniacum, citatis in eam rem *Gehezi*, qui Prophetæ *Elizæi* famulus, & *Simonis Magi* exemplis; item rigido *Chriſti* præcepto, *Gratis accepiſtis, gratis date*: multiſque Sanctorũ Patrum contra illud peccatum exaggerationibus. Dicebant nomina donationis aut eleemoſynæ ſpecioſa quidem eſſe, ſed inanes tantum obtentus, quibus effectus repugnat, propter Ordinem enim acceptum dari, abſque quo nihil daretur. Si eleemoſynæ nomine, cur non alia occaſione dari, aut alio tempore? Ordines certè nulla re interueniente conferendos. Id verò hîc mali eſſe, quòd ſi quis profiteatur ſe id Epiſcopo ordinanti dare nomine eleemoſynæ, ille iniuriam ſibi factam exiſtimet, neque alio tempore ſit accepturus. quamobrem fruſtra eſſe, qui credant, ſe Deo aut hominibus fucum poſſe facere. Ideo decreto abſoluto ſtatuendum inſtabant, ne quis quidquam largiatur, etiam vltro, vel eleemoſynæ nomine; aut quidquam accipiat, nec in ordinatoris vſum, nec in cuiuſquam è ſuis; ne in Notarij quidem, aut ſcriptionis cauſſa, aut ſigilli, aut cuiuſcunque operæ poſitæ, aliòue prætextu.

Epiſcopi lauti ac locupletes nihil vllo nomine accipiendũ cenſent.

Contrà tenuiores in ordinationibus perindeatq; in alijs, oblationes & eleemoſynas accipere fas putãt.

At qui titulo tantùm Epiſcopi, & tenuiores, contrà arguebant, ſicuti ſacrilegus meritò cenſendus ſit, qui pretio ordines diuendat; ita qui eleemoſynam à *Chriſto* tantopere commendatam ſublatum eat, charitatem euertere, & Eccleſiam penitus deformare. Eandem enim omnino rationem in ordinationibus militare, quæ in confeſſionibus, communionibus, miſſis, ſepulturis, alijſque Eccleſiaſticis functionibus obtinet. nihil eſſe cauſſæ cur vetari debeat, ne in illis

illis magis, quàm in his, quidquam vltro detur, aut accipiatur. nam quod de elecemosyna etiam alijs temporibus elargienda obijcitur, ad alias non minus functiones pertinere. Ab antiquissimis temporibus consuesse Ecclesiam oblationes & eleemosynas his occasionibus accipere. ijs sublatis, inopes religiosos, qui inde victitant, ad victum aliunde quæritandum necessitate coactum iri. Indicijs manifestis constare, & à D. iam annis apparuisse, diuites ministeria Ecclesiastica non obituros. Ita religionis exercitium interiturum, & populum cultu religioso destitutum, in impietatem, & diuersas perniciosas superstitiones ruiturum. Atque vt extra ipsum Ordinationum subiectum non egrediamur, si reprehensione vacat, propter pallia, quæ ab Sede Apostolica dantur Metropolitanis, etiam millia aliquot aureorum dependere, quorsum Episcopo vitio vertitur, ab ijs, qui sunt ordine inferiores, aliquam grati animi testificationem accipere? aut quorsum de ijs, quæ sunt eiusdem generis, non diuersæ modo, sed & contrariæ Leges sanciantur? Appellationem abusus id non mereri, quod ab origine sic est institutum. Etiam in Pontificali proditum esse, in ordinationibus, cum in peragenda re diuina ad oblationes venitur, cereos, nempe res seculares, Episcopo ordinanti ab ordinatis offerri: quibus tamen vel quantitas, vel apparatus, pretium & æstimationem potest addere. quapropter non esse adeo odiosum, quod in misellis Episcopis reprehenditur, neque mereri, vt cum eius ordinis infamia alij laudem sibi arrogent reformatorum, veriùs Pharisæorum imitatores, *dum festucas obseruant, ipsi excolantes culicem.*

Ferdinandus. Philippus. 2.

Pallia ab Sede Apostolica Metropolitanis venundata.

Nonnulli dicebant articulum hunc non posse decerni, quippe contrarium decreto Innocentij III. in Concilio generali, in quo non solùm probatur consuetudo dandi & accipiendi quiddam temporale in ministratione Sacramentorum, sed præcipitur etiam Episcopis, vt censuris & pœnis Ecclesiasticis populum adigant ad eam consuetudinem obseruandam, addito etiam *Laudabilis* encomio ijs, quæ nunc sicut impia & sacrilega damnantur.

Consuetudo dandi & accipiendi in ministratione Sacramentorum Innocētio III. probatur vti Laudabilis.

At *Dionysius Græcus* Episcopus *Milopotamensis* longa digressione excurrens disserebat, quàm conducibile futurum esset ædificandis in *Christo* fidelibus, si Sacramenta ab Ecclesiasticis mero charitatis studio ministrarentur, neque aliunde quàm à Deo operæ positæ merces expectaretur. Deberi quidem illis victum, & præterea quiddam in subsidium. Sed huic satis superque esse prouisum decimarum assignatione. Clerum enim, etsi decimam populi partem non constituat, tam grandem portionem accipere, præter alia bona, quæ duplo plura possidet. quare iniquum esse, illud vti exigat, cuius iam centuplum acceperit. Quod si contendant esse pauperes Episcopos, id non arguere Ecclesiæ egestatem, sed opes eiusdem non æquis portionibus diuisas. Iusta enim & Legitima distributione instituta, esse vnde abundè omnibus sufficiat: sic vt operam suam liberè communicare debeant, absque alio hostimento, quàm eo, quod vltra debitum iam acceperint. fatebatur non esse in promptu tam multos abusus eodem momento auferre, sed ab ordinationibus commodè posse sumi reformandi initium; ita tamen, vt non ad solam conferendi ordinis actionem reformatio ea restringatur, sed ad alia actionem eam antecedentia etiam extendatur. Admodum enim absurdum esse, vt Clericus licentiam procurandi sibi Ordinatoris postulans, literas dimissoriales è Cancellarijs Episcopatuum magno licitetur, aut facultatem sui extra præscriptum tempus ordinandi *Româ* magno pretio comparet: horum verò reformatione neque lecta de solis Episcopis Ordinatoribus emendandis cura suscipiatur. Hæc de dimissorialibus Episcoporum literis opinio multis fuit accepta: alterum vero de facultatibus *Roma* quæsitis Cardinalis *Simoneta* monuit ad Synodi cognitionem non pertinere, sed Pontificem de eo cogitaturum.

Dyonysius contrà eā improbat, quod Ecclesiasticis aliunde, ac inprimis ab assignatione decimarum abundè suppetat.

Literæ dimissoriales magno constant.

De mercede Notarijs debita nonnihil dictum, alijs officium illud Ecclesiasticum, alijs merè seculare esse censentibus; adeoque, quod ijs penditur, non inuidendum. *Antonius Augustinus* Episcopus *Ilerdensis*, rerum antiquarum diligens obseruator, affirmabat in Ecclesia veteri ministros in conspectu totius populi ordinari solitos, vt diplomate, aut literis testimonialibus opus non esset: tum vni titulo siue bene-

Ministri in conspectu populi olim ordinabātur, vnde nullus diplomatum, aut literarum testimonialium ijs vsus.

 ficio

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

ficio addictos diœcesin non mutasse; sed si forte negotij caussa aliquò proficiscendum esset, ab Episcopo literam impetrasse, quæ tum *Formata* dicebatur. Testimonialium literarum vsum, ex quo populus ordinationibus interuenire desijt, & clerici vagari ac discurrere cœperunt, ad supplendam populi præsentiam introductum. Itaque munus illud pro seculari ducendum, sed quod in materia spirituali versetur, cum moderatione exercendum, & mercedem quidem notarijs concedendam videri, sed certis limitibus circumscriptam, ac moderatam.

Notariorum munus seculare.

Per occasionem IV. articuli de præbendis & quotidianis distributionibus disceptatur.

Quod quarto capite propositum fuit, id ad Ecclesias tantum collegiatas pertinet, quæ quidem, cum inter alia ministeria ipsa institutione ipsis præscripta ad hoc quoque obligarentur, vt certis horis a Canone definitis (quæ Canonicæ inde dictæ) in templum conuenientes hymnis ac psalmis Dei laudes celebrarent, reditus quoque certos percipiebant, vnde Canonici commodè victitare possent. Atque his vno è quatuor modis gaudebant. Vel enim omnes vna solùm mensa sumptu communi instar Monachorum regularium alebat; vel sua cuique seorsim portio præbebatur, *præbenda* inde denominata; vel post præstitum à singulis Ecclesiæ debitum ministerium, dimensum suum in annona, aut pecunia numerata capere consueuerant. Disciplina ea viuendi in commune exiguo tempore viguit, plerisque diuisionem vel in præbendas, vel in quotidianas distributiones singulis faciendas flagitantibus; tum alijs, qui vel ob inualetudinem, vel ob exercitium aliquod Spirituale sacris officijs interesse non possent, excusari cupientibus. Neque erat difficile aliquid causari cur sacris non interuenirent; vnde in re diuina parum frequentes præbendæ tamen fructum perciperent. Vbi verò non nisi opere peracto sua cuique mensura tribuebatur, non adeo procliue erat excusationem obtendere: adeoque disciplina sanctior, & in frequentandis officijs diuinis assiduitas in secundo genere, quàm in primo diligentius culta. factumque inde, vt viri pij ex eo tempore Ecclesijs quidpiam donantes aut legantes, id in quotidianas distributiones conferri præciperent: experimentisque comprobatum, quò maiores essent distributiones, hoc Canonicos ad Ecclesias itasse frequentius. Quamobrem ad discutiendam eorum socordiam, qui in diuinis officijs obeundis essent segniores, hæc ratio visa est percommoda, vt præbendarum pars aliqua in distributiones conuertatur. Hanc opinionem complures è Præsulibus laudabant, quòd inde notabilis ad Diuini numinis cultum accessio haud dubiè expectaretur, cuius indubitatos effectus ipsa proderet experientia. Atque hoc erat huius opinionis fundamentum.

Distributiones quotidianæ Canonicis frequentiùs templum adeundi caussa.

Vnde opinio nata, præbendarum partem in distributiones quotidianas conuertendam.

In contrarium differit Catharensis formam iam diu institutam nō mutandam.

At *Lucas Bizantius* Episcopus *Catharensis*, pius sed inops, contrarium tuebatur, Canonicos censuris & mulctà partis redituum, imo priuatione omnium fructuum, & ipsarum præbendarum, cogendos potius ad officium; sed formam primitus institutam non immutandam. Cum enim omnes istiusmodi institutiones sint testamentariæ; vltimas autem fidelium voluntates violari aut mutari sit nefas, nihil in his non modò meliorationis obtentu, sed ne verè in melius quidem innouandum: quòd iniustum sit in alienam rem ideo manum inijcere, quia ille non optimum in modum re sua vtatur. Illud verò in primis cauendum, ne, cum in comperto sit omnem functionem spiritualem, quæ spe præmij exercetur, esse simoniam, dum vni malo quæritur remedium, alteri grauiori ianua aperiatur, atque è negligentibus euadant simoniaci. Verum his rationibus altera parte respondebatur, penes Concilium esse vltimarum voluntatum mutationem. Deinde de diuinis officijs, lucri, aut mercedis specialis spe obeundis distinguendum esse, an lucrum aut præmium quod expectatur, caussa sit principalis, an secundaria. Hîc enim non peccari, Canonicis stata sacrorum tempora potissimùm obseruantibus, vt Deū religiosè colant; secundariò autē ad consequendas distributiones. Alteri vicissim replicabant, non videre se, quomodo Synodo plus iuris in bona defunctorū, quàm in viuentiū competere debeat: neminem autem adeo esse ineptum, qui hæc sibi arroget. Tum doctrinam qua asseritur, fas esse seruire Deo secundariò emolumenti spe, non esse adeo, atque creditur certam & indubitatā. Quod si ita se res haberet, certè caussam eam nunquam secundariam dicendam, sed primariam potius, quæ impellit ad operandum, & absque

Alteri respondent.

que qua foret, nulla operatio sequeretur. Hæc opinio à Patribus ingratijs audita, magnum in Congregatione strepitum excitauit, singulis satis sibi conscijs, se titulum & munus redituum caussa suscepisse, neque nisi fructuum intuitu, onus illud vnquam subituros. Itaq; ne suo se ore damnarent, applausus datus articulo in hunc modum, vt hominibus ad Dei cultum quam optimè excitandis præbendæ conuerterentur in distributiones.

Ferdinandus, Philippus 2.

De hisce IV. articulis vbi disserere desijssent, designati mox Patres Decretis conficiendis; vnàque propositum, de sex reliquis articulis in sequentibus congregationibus sermonem instituendum, postremo articulo de clandestino matrimonio in peculiarem Sessionem reiecto. Verum die proxima Legatis vna cum Patribus delectis in vnum congregatis, vt è Patrum opinionibus Decreti substantiam elicerent, super primo de residentia articulo sententijs inter eos variatum est. Cardinalis *Simoneta* fauebat opinioni, quæ residentiam vult esse *de iure positiuo*; eoque dicebat maiorem Patrum partem etiam illos, qui tenebant eam esse *de iure diuino* existimasse quæstionem eam in præsentia omittendam. Mantuanus contra, etsi quid ipse de ea controuersia animi haberet, aperiendum non putabat, disertè tamen profitebatur maiorem Patrum partem eius declarationem petijsse. E cæteris Legatis *Altempsius Simonetæ*, reliqui duo, respectu etiam alteris delato, *Mantuano* accedunt: eaque sententiarum discrepantia aliquo acerbitatis sensu non caruit, vtcumque cum verborum modestia expressa. Ea gratia Legati die XX. Congregationem generalem habent, in qua de scripto quæstionem infra scriptam legendam proponunt his verbis. Quoniam multi è Patribus tenuerunt, ab Synodo declarandum, residentiam esse *de iure diuino*; alij super ea re verbum non fecerunt; & nonnulli eiusmodi declarationem omnino non faciendam existimarunt, vt, qui condendis Decretis sunt designati eadem subitò facilè, & firmiter conficere queant, placeat Vobis per solum verbum *Placet* exprimere, velitis, necne, in Synodo declarari *residentiam esse de iure diuino.* Decretum enim more solemni Sanctæ huius Synodi pro suffragiorum pluralitate, esse conscribendum; quorum inter pronuntiandum certum numerum assequi facile non fuit propter opinionum varietatem. Libeat ergo singulis adeo clarè ac distinctè suffragium promere, vt ab actuarijs subnotari possit.

Designantur Patres Decretis concinnádis.

Non solùm Patribus sed ipsis quoque Legatis super Residentia in diuersa tédentibus ad suffragia perroganda itur.

Dum sententiæ perrogantur, LXVIII. è Patribus simpliciter respondent *Placet*, & XXXIII. *non placet*, Tum XIII. *placet consulto prius sanctissimo Domino nostro.* Et XVII. *non placet, nisi prius consulto Sanctissimo Domino nostro.* Inter XIII. & XVII. hoc erat discriminis, quod tredecim absolutè declarationem requirebant, eandem repudiaturi, si Pontifici aliter videretur. Contra septemdecim absolutè eam recusabant, admissuri tamen, si Pontifici probaretur. Subtili certè discrimine, sed quo horum quisque se seruitium Domino suo maximè approbaturum sperabat. Cardinalis *Madrucius* ad interrogatum directè non respondit, tantùm ad suffragium à se in Congregatione pronunciatum rem reiecit, quod pro *iure diuino* faciebat. Et Episcopus *Buduensis* dixit, se quòd haberet declarationem pro omnino affirmatiua, cupere vt promulgetur. Suffragijs itaque collectis ac diuisis, cum plures dimidio declarationem poscerent, & quarta solum pars eam reijceret, cæteri vero, etsi conditione adiecta, primis accederent, nata mox iurgia ac voces contumeliosæ, reliquumque eius congregationis super eadem materia sermonibus confusissimis transactum. Vnde Card. *Mantuanus* imposito cunctis silentio, monitisque Patribus vt modestiam colerent, coetum dimisit.

Suffragiorum numerus, & patrum in dissentiendo acumen.

Consultatione dein inter Legatos habita quid esset faciendum, placuit omnibus, Pontifici eius rei euentum singillatim significare, atque interea dum responsum expectatur, proximis congregationibus reliquos articulos prosequi. Constituerat quidem *Mantuanus Camillum Oliuam* Secretarium suum ea gratia Romam mittere per equos dispositos cum literis fiduciarijs: at *Simoneta* omnia scriptis consignari volebat. Eò tandem ventum, vti suffragia in vnum componerentur, tum rei successus pertexeretur narratione satis fusa, si quid reliqui esset, id Secretario exponendum relinqueretur: qui eo ipso die sub vesperam *Tridento* abijt. Atque hæc, etsi quàm posset, tectissimè gererentur, Hispanorum tamen solertiam effugere non potuerunt, qui

Legati rei euentum Pontifici per literas quàm ocyssimè exponunt.

seruituti

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

servituti intolerabili initium factum grauissimè conquerebantur. Omnes enim Synodi tractationes *Romæ* non modò expendi ac considerari, sed deliberari etiam ac constitui. Concilium in eadem ciuitate bis antea congregatum, hoc ipso nomine parum fœlicem habuisse successum; & sine fructu, imo maxima cum offensione solutum, quòd à Patribus nihil, sed omnia *Romæ* definirentur. Sic vt per omnium ora vulgo iactetur infami prouerbio *Spiritum illum Sanctum, qui Tridentinæ Synodi consilia gubernat, in mantica clausum Româ subinde mitti.* Pontifices eos Ecclesiæ minori offendiculo fuisse, qui Concilij conuocationem omnino detrectarunt, quàm qui conuocatum, sibi seruum & obnoxium esse voluerunt. Olim homines ea se spe sustentasse, futurum, dummodo Concilium impetrari posset, vt omnibus Ecclesiæ morbis fieret medicina. Nunc verò post obseruatam rerum, quæ *Iulio* & *Paulo* Pontificibus acciderunt, & quæ hoc Pontifice geruntur Ataxian, omnem rerum meliorum spem plane deploratam; neque vltra boni quidquam ab Synodo expectandum, quæ ad Curiæ Romanæ commoda tota est proiecta, huius vnius arbitrio mouere & quiescere edocta.

Id Præsules Hispani intolerabilem esse seruitutē queruntur.

Repetito de Residentia sermone, animorum quoque exasperatio recrudescit.

Ea occasione cum in proxima Congregatione de articulis superiùs propositis cœptum est agi, in controuersiam de residentia sermo statim recidit. Quem interpellans Cardinalis *Warmiensis*, dicebat de eo argumento abundè tractatum. Decretum mox conficiendum, quod materiam eam determinet. Eo proposito, cuiuis fore liberum, quod vltra dicendum habeat in medium adferre. Sed quoniam ne sic quidem exacerbatæ hominum mentes interquieuerant, Archiepiscopus *Pragensis Cæsaris* Orator Patres monuit oratione perpetua, vt magis placidè & imperturbatè loquerentur, respicerentque decorum, & dignitati personæ, quam sustineant, & ipsi loco debitum. Cui *Iulius Superchius Episcopus Caprulanus* commotior respondit, nihil minus decere Concilium, quàm vt Præsulibus leges dicantur, etiam ab ijs qui secularis potestatis personam gerunt. Atque ab hisce verbis aculeatis ac mordacibus res ad partes & factionem itura videbatur, nisi *Warminensis* in ea congregatione Præses, moderandis Patrum affectibus intentus, sermonem de articulis aliò diuertisset, & de liberandis Episcopis Catholicis, qui in *Anglia* attinebantur in carcere, mentionem iniecisset. Nam si nobilis ea natio per Episcopos suos Synodo interueniret, futurum, vt regnum illud ab Ecclesiæ communione non omnino segregatum videretur. Consilium quidem omnibus placuit; sed facilius desiderari, quàm præstari posse credebatur. Ac profectò, cùm *Angliæ Regina* Nuntium ab Pontifice consultò missum reiecerit, non erat caussa, cur Patres, eam Synodi precibus aurem commodaturam sperare debuerint. Hoc illi vnum poterant, Principes Catholicos de pio hoc officio interpellare. Die XXV. qui *D. Marco* sacer, Oratores Veneti in congregatione generali auditi. Post mandatum lectum, datum eiusdem mensis die XI *Nicolaus de Ponte* Oratorum alter orationem habuit, cui à Synodo forma solemni responsum.

De Episcopis qui in custodia apud Anglos liberandis iniecta mentio, sed frustra.

Oratores Veneti admittuntur.

Paucis his diebus prudentiores quique inter Præsules cum animis suis reputantes quantam & Synodus vniuersa, & Patrum singuli existimationis suæ imminutionem essent subituri, nisi turbæ concitatæ consilescerent, ad tumorem animorum sedandum cogitationem conferunt, monstrantque, nisi placidè ac quietè, in rerum Synodalium tractatione pergant, præter offensionem, quam alijs daturi, & ignominiam, in quam præcipitaturi essent, etiam necessitatem Concilij absq; vllo fructu dissoluendi mox incubituram. Quibus adducti suasionibus reliquos VI. articulos (in quibus non ita copiosa disserendi seges) satis pacatè moderatéque in Congregationibus excusserunt. Super quinto iudicatum necessarium parochijs in quibus populus numerosus, consulere: sed de modo, difficultatis aliquid subortum. Siquidem Parochiarum diuisio à populis principio fuit instituta, quando incolæ aliquo numero vera fide imbuti, ad religionis suæ exercitium templo fabricato & sacerdote conducto Ecclesiam constituebant, quam propter vicinorum circa habitantium consociationem Paroeciam denominabant. Cum verò crescente numero, atque incolis latius diffusis, Templum illud & Parochus non sufficerent, tum qui longius dissiti Templum aliud ædificabant, vbi ipsis commodiuscule esset. Atque hic tam ordinis, quàm concordiæ

V. Articulus de Parochiarum diuisione excutitur, eiusque occasio explicatur.

caussa temporis processu obtinuit, vt Episcopi consensus accederet. Verùm postquam Curia Romana vigore reseruationum, conferendorum beneficiorum potestatem sibi sumpsit, qui parochiales Ecclesias Româ adepti fuerant, vbi de numero animarum sibi subiectarum decedere, adeoque de emolumento suo detrahi animaduertebant, Pontificis fauore subnixi, obluctari cœperunt. Inde factum, vt sine Curiæ Romanæ ope grandis parochia diuidi, aut noua erigi non potuerit; aut si quid eiusmodi tentandum esset, præsertim in regione Transmontana, propter *Appellationum*, aliorumque litigiorum impedimenta sumptus in immensum excreuerint. Vt igitur his incommodis in Concilio obuiam iretur, Præsules sic sentiebant: Quando vnum templum populo sufficit, vnus verò Rector non sufficit, non ideò titulos multiplicandos; quia vbi in vna Ecclesia plures sunt Curiones, ibi plurimum sunt discrepantiæ & opinionum dissidia, sed ab Episcopo cogendum Parochum assumere sibi tot in subsidium Sacerdotes, quot Ecclesiæ necessitas requirit. Vbi vero incolarum ædificiorumque multitudo diuisionem postulat; tum Episcopo permittendum nouam Ecclesiam parochialem erigere, tam populi, quam redituum facta diuisione; aut certè populo ad reditum idoneum constituendum pecuniam contribuere adacto. Vltimam sententiæ huius clausulam *Eustachius Bellaius Parisiensis* Episcopus, qui *Tridentum* ante paucos dies venerat, minimè probabat, quippe in *Gallia* non valituram, vbi dicebat, nullum sacro Ordini in Laicos imperium in temporalibus concedi. Sibi verò è dignitate Concilij Oecumenici non videri, Decreta condere, quæ ex vlla Christiani orbis prouincia meritò sint eliminanda. Huic respondit *Franc. Thomas Casellus* Episcopus *Cauensis*, nescire Gallos, eam potestatem ab *Christo* & *Diuo Paulo* Concilio datam, à quibus populo præceptum sit, victum suppeditare ijs, qui ipsis spiritualia ministrant: Gallis verò modò Christiani esse velint, præcepto huic parendum. *Bellaius* replicauit, se hactenus intellexisse, quod à Christo, *Diuoq; Paulo* Euangelij ministris conceditur, esse ius accipiendi victum ab eo, qui sua sponte eum largitur, non autem ad largiendum adigendi. neque dubitare, quin *Galli* perpetuò velint audire Christiani, sed argumentum hoc porro non premere.

Ferdinandus. Philippus 2.

Præsulum sententia.

Cuius extremam clausulam emendari cupit Bellaius, ne ab Gallis reijciatur.

Sexto & octauo articulis nihil opus fuisset Decreto, si Episcopi authoritatem suam retinuissent, aut certe penes Parochos & populum, quorum (sicuti ante dictum est) erat Ecclesijs suis prouidere, & quibus id iure debetur, potestas ea permansisset. verum materiæ huius excutiendæ necessitas oritur inde, quod hæc omnia Curiæ Romanæ sint reseruata. Videbant quidem, & in hoc consentiebant Præsules omnes, Ecclesijs necssariò prouidendum; sed nonnulli id aggredi detrectabant, ne in authoritatem Pontificiam manum immitterent, casus attrectantes huic Sedi reseruatos, idque magno numero. *Leonardus Marinus* Archiepiscopus *Lancianensis* iuridicè dissérebat, quandoquidem omnia Cancellariæ Apostolicæ officia sint promercalia, iniquum esse, vt quæ illic expediri solebant, imminuantur: sic enim emolumentorum partem licitatoribus sine ipsorum consensu decedere: satius esse permittere, vt prouisiones ex *Roma* fiant, vbi quantum intersit singulorum considerari possit. Et videbatur Archiepiscopus iste in eo argumento porro iturus propter commoda, quæ ipse cum amicis suis ex ijs officijs percipiebant, nisi Archiepiscopus *Messanensis Hispanus*, qui proximus illi assidebat, submonuisset, nihil in Synodo definitum iri, quod non *Romæ* prius deliberatum conclusumque fiet. Atque hac occasione renouata formula in prima Concilij conuocatione introducta, in concedenda Episcopis potestate super rebus Pontifici reseruatis, vt nimirum adderetur, id ab ijs fieri tanquam Apostolicæ Sedis delegatis. quæ clausula omnibus Decretis super eiusmodi materia factis fuit inserta.

VI. & VIII. articulos Patres non temerè attingunt, quia sunt de casibus Curiæ Romanæ reseruatis.

Archiep. Lancianensis aliam addit rationem.

Quem Messanensis à metu securum esse iubet.

Circa septimum articulum, vtcunq; omnibus iustum videretur, homines & ad populum erudiendum à doctrina, & ad ædificandũ ab morum probitate satis bene comparatos & idoneos, Ecclesiarum ministeria obire, Patres tamen suo se officio abunde functos putabant, si in futurum modò consulerent. Cum enim leges eæ odiosæ sint ac licentiores, quæ retro spectantes de negotijs anteactis statuũt, sufficere, si in posterum homines idonei regendis Ecclesijs præficiãtur, interim verò, qui in earum possessione sunt, cuicuimodi sint, tolerentur. Archiepiscopus *Granatensis* dicebat, Maiestatem diuinam

VII. Articulus de reformandis illiteratis & impuris Ecclesiarum rectoribus.

Arch. Granatensis remouendos censet.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

uinam ratam non habere hominis inepti atq; inidonei ad exercẽdum Christi ministerium designationem, eoq; esse nullam: imò quod prouisio ea legitimâ ratione minus nitatur, teneri ex officio, indigno Rectore remoto digniorem alium substituere. Sententia hæc Patres approbatores non habuit, quippe nimis rigida, & quam sciebant executioni mandari non posse; cum nulla esset certa proportio, aut mensura, ad quam ministrorum habilitas necessariò esset exigenda. Ideo mediam amplexi sunt viam, nec quod in articulo propositum excedentes, & inter imperitos ac impuros discrimen statuentes, vt cum illis tanquam minùs noxijs mitiùs ageretur. Et quandoquidem æquissimum erat Episcopum Ecclesijs sibi subditis prouidere, quando nullæ à Pontifice manarunt collationes, eidem quoque concedendnm putabant, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, contra eos, qui à Pontificijs minus dignè instituti, remedia adhiberet.

Cuius sententiâ, vti rigidiore, reiectâ, media placet.

Articulus nonus erat de visitatione beneficiorum commendatorum, de qua disserendi occasionem Patribus præbebat consuetudo laudabilis, quæ in abusum degenerauerat teterrimum. Frequentibus Barbarorum in Imperium Occidentale incursionibus sæpe fiebat, vt Ecclesiæ pastoribus suis priuarentur, eo tempore, quo per incursiones hostiles, aut oppidorum obsidiones, aut incarcerationes liberum non erat ijs, ad quos Canonum præscripto id pertinebat, successores illis prouidere. Vnde, ne populus diu Rectorem spiritualem desideraret, primarij prouinciæ Præsules, aut certè vicinus aliquis Antistes, Ecclesiam eam alicui è clero pietate & probitate conspicuo, ad eamque gubernandam idoneo eousque commendabant, quoad remotis obstaculis Pastor canonicum in morem eligi posset. Idem ab Episcopis & vicinis Parochis fiebat, quando rure Ecclesia aliqua parochialis similiter vacabat. Cumque & commendans, virum aliquem insignem semper perquireret, ac Commendatarius, ne conceptam de se expectationem falleret, summa ope niteretur; magnus ex istiusmodi commendatione fructus ad populum perueniebat. Sed vt optima quæque corrumpi maximè sunt opportuna, dum & Commendatarius quispiam non solum Ecclesiæ sibi commendatæ bonum, sed inde sibi commodum aliquod ac compendium cogitat; & Præsules itidem Ecclesias pastoribus nulla vrgente necessitate commendant, crescente semper in manus corruptela, necesse fuit lege lata interdicere, ne commenda vltra sex menses duraret, neue commendatarius vllum è commenda fructum caperet. Pontifices tamen Romani, supra legem hanc potestatem sibi vendicantes, non modò ad longius tempus Ecclesias commendabant, & commendatario assignabant bonam fructuum partem, sed vlteriùs progressi commendabant ad vitam, & fructus omnes ei perinde atque cum titulo possidenti concedebant. Sic Curiæ Romanæ stylus mutauit in contrarium, & vbi in diplomatis Concessionis caussa his fere verbis reddebatur, *Vt Ecclesia interea recte atque ordine administretur, eam tibi commendamus*, his dein verbis exprimi cœpit. *Vt statum ac conditionem tuam decentius administres, hanc illamue Ecclesiam tibi commendamus.* Immo, quod maius est, sanxerunt Romani Pontifices, moriente commendatario beneficij disponendi ius suæ potestatis esse; neque eum, ad quem collatio beneficij alioqui spectaret, huic se immiscere posse. Commendatarijs verò à Papa in hunc modum constitutis, Episcopis non permittebatur inspectio summa in regimen Ecclesiarum à Pontifice alteri sic commendatarum, & qui Curiam Romanam frequentabant, nulla lubentius beneficia, quàm in commendam aucupabantur, ea multo potius, quam quæ titulo possidentur impetrantes, quòd Præsulum superiorum imperio ea ratione eximerentur. Ita Episcopus auctoritatem supra maiorem partem Ecclesiarum suæ diœceseos amisit; & Commendatarij ab omni inspectione liberi, neglectâ ædificiorum curâ, alijsque sumptibus necessarijs parcentes; neque alium sibi finem, quàm (vt est in præfatione diplomatis) status sui sustentationem proponentes, omnia ruere & concidere patiebantur. Huic malo auerruncando cum non aliud obstaret, nisi quòd parum decorum videretur, Episcopum manum immittere in id, quod à Pontifice alteri iam esset commendatum, visum est decenter prouidere, demandata Episcopis visitandi inspiciendique potestate, sed tanquam summi Pontificis delegatis.

Articulus IX. cuius occasione de Commendarum siue beneficiorum cõmendatorum laudabili origine, & subrepentibus corruptelis differitur.

Commendæ principio institutæ Ecclesiarum bono, procurante Curia Romana conceduntur Ecclesiasticorum prouentui augendo.

Commendarum concessione, & Patroni ius collationis beneficij, & Episcopi potestatem inspectionis in regimen Ecclesiarum cõmendatarum amittebant.

Articuli

Articuli duodecimi proponendi caussa non absimilis fuit, ad reformandos scilicet abusus eorum, qui antiquam institutionem in rem quæstuariam conuerterant. Etenim cum alicubi necessarium videretur Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, & alia id genus opera pia instituere, neque alius ei rei fundus suppeteret, quàm ex fidelium eleemosynis, visum est viris quibusdam bonis pijsque prouinciam sibi sumere, eleemosynas eas domesticatim quæritandi; & quo facilior aditus pateret, fidesque dictis maior esset, Episcopi literis testimonialibus sese communire. Alij verò ne ab Episcopo remora aliqua ijs obijceretur, à Pontifice facultatem vnà cum literis commendatitijs impetrabant, idq; haud grauatè, parte nempe aliqua emolumenti, propter diplomatis expeditionem Curiæ Romanæ cedente. Hæc institutio derepente in immanem abusum degenerauit. Nam è pecunijs corrogatis non nisi minutissima quædam portio operi accedebat. deinde ij ipsi, quibus quæstuariam exercendi concessa facultas, personas viles atque infames sibi surrogabant, quibuscum aut eleemosynarum commoda partiebantur, aut certe eisdem quæstum omnem pretio locabant. Denique illiberale hoc hominum genus, vt quæstum facerent vberiorem, mille artibus ac fraudibus sacrilegis atque impijs populo illudebant, insolenti habitu amicti, ignes, aquas, tintinnabula, crepitacula, aliaque circumgestantes, ad terrorem superstitionemue in plebeiorum animis concitandam: miracula ficta narrantes; indulgentias falsas prædicātes; & stipem dare recusantibus cum imprecationibus mala omnia infortuniaque minitantes; atque his alijsque impietatibus, omnibus fidelibus odio simul & offensioni. quibus tamen non erat facile mederi, propter Apostolicas, quibus erant muniti, facultates. Dum materiam hanc Præsules excutiunt, & in corruptelis recensendis, quæ iam dicta sunt, aliaque innumera impiè facta commemorant; simul remedia olim frustra tentata, & tunc in speciem nihilo magis profutura explicant, vnicum tantummodo repertum remedium, quod vnanimi propè consensu probatum, quæstorum eius generis & nomen & vsum abolere.

XII. Articulus in quo fraudes & imposturæ quæstorum ex eleemosynis in pia opera collatis quæstum captantium explanantur.

Vnicum huius mali remedium, quæstores istiusmodi abolere.

Eodem tempore *Ducis Baioariæ* Oratores *Tridentum* veniunt, sed Legationem in Congregatione exponere recusant, nisi honoratior ijs, quàm Venetis Oratoribus locus detur. Quod illi cùm neutiquam concederent, Legati moram interponunt, quoad *Româ* Pontificis de ea re voluntatem exquirant.

Oratores Bauari cum Venetis de præcedentia certant.

Vbi Pontifici nunciatum est de Patrum in Congregationibus super residentia suffragijs; & ille Hispanos in vnam omnes sententiam conspirare animaduertisset, mali rem putauit esse ominis: tantam animorum consensionem non nisi Rege conscio accidere potuisse, liquidò conspicatus. Dicebat se iam pridem multiplici experientia edoctum, Præsules *Transmontanos* amplitudini *Italiæ*, Sedisque Apostolicæ esse infestos. Regem sibi non iniuria suspectum, qui fidem datam de auctoritate sua conseruanda non præstiterit. Sed sermonis hic vtique erat finis, si Principes ipsum deserant, in cœlo reperturum præsidium. Habere in numerato decies centena millia aureorum: neque si res postulet, alia totidem desideraturum. de cætero, Deum Ecclesiæ suæ consulturum. Etiam vniuersa aula Romana insignem periculi sui sensum præ se ferebat, animo præsagiens, nouitates istas Patrum id spectare, vt aut tot sint Papæ, quot Episcopi, aut certe Pontifex nullo loco sit, omnibus officiorum Cancellariæ suæ emolumentis amputatis. Adhæc Pontificis in *Hispania* Nuntius significarat verba illa, *Proponentibus Legatis* decreto primæ sessionis inserta Regem offendere. Illud autem decretum Pontifici eò magis arridebat, quòd ex aliorum offensione colligebat, ipsis certum esse, rebus eius quantum possent, incommodare. id ipsum tamen apud Regem excusauit, quasi se auctore minimè factum, sed videri quidem necessarium ad turbulentorum hominum petulantiam retundendam. Synodum alioqui instar Babylonicæ turris futuram, si ambitioso cuiq; potestas fieret effrenatâ audaciâ turbas & mutationes ciendi. Legatos certe viros esse cordatos, & Maiestatis suæ obseruantes, paratosque ea semper proponere, quæ ipsi grata, & pijs omnibus prudentibusque non sint iniucunda. Sed cum Regio Oratore, qui iuxta se *Romæ* tum residebat, & ista tractabat, paulo durius egit, primum questus, illum non ea, quæ decebat officia præstitisse. Tum Præsulum Hispanorum procedendi in Concilio modum incusauit, vti seditiosum,

Pontificis & Curiæ Romanæ solicitudo ob Hispanorū Præsulum in oppugnanda Romanæ Sedis auctoritate peruicaciā.

Item propter Regis ipsius offensionem, quem it placatum.

Cum Varga Regio Oratore de iniurijs sibi factis altercatur.

Ferdinandus Philippus 2.

tiosum. Et Decretum inibi factum docuit esse Sanctum ac necessarium, neq; inde cuiquam fraudem fieri, quòd proponendi partes Legatis sint tributæ. Cui *Vargas* respondit, si in decreto id duntaxat diceretur Legatos propositurps, neminem ea re doliturum. Verùm ablatiuũ *Proponentibus Legatis* omnem Episcopis proponendi libertatem adimere: eoque istam loquendi formulam in aliam mutandam. Tum Pontifex nec sine indignatione replicauit; non tantum sibi esse otij, vt *cuius generis, & cuius casus* cogitare debeat. Neque de nihilo nata suspicio Pontificis. Compererat enim Oratorem per varios cursitores in *Hispaniam* ac *Tridentum* missos, & Præsules Hispanos monuisse, vt libertatem pro virili propugnarent; & Regi significasse, Concilium non esse liberum, sed obnoxium.

Curia Romana accepto eorum, quæ Tridenti gerebãtur nuncio, animo consternata rebus suis malè ominatur.

Iam cum in Curia Romana pleriq; ab Præsulibus Tridentinis amicis suis, quid ibi rerum gereretur, rescivissent, atque ab his diuersa, prout illi diuersimodè erant affecti, accepissent, ea res *Romæ* maximos tumultus, imo consternationem animorum excitauit. Videbantur enim sibi Curiales videre *Romam* iam nunc Prælatis vacuam, omnique prærogatiua atque eminentia dispoliatam; Cardinales *Romam* inhabitantes Episcopatibus exclusos; pluralitatem beneficiorum omnino prohibitam; nullum Episcopum, aut Curionem munus aliquod impetrare posse *Romæ*: ne Pontificem quidem ipsum in horum, quæ dicta sunt, aliquo, quæ tamen potestatis eius sunt columina, dispensare posse. sic auctoritatem Pontificiam magna parte labascere. Veniebat illis in mentem illud *Liuij, Maiestatem Principis difficiliùs ab summo fastigio ad medium detrahi, quàm à medio ad ima præcipitari.* Disserebant, quantas vires habiturum esset Decretum ad Episcoporum auctoritatem amplificandam, qui negata Pontifici, vi reseruationum, potestate, beneficiorum collationem ad se proculdubio essent tracturi. Episcopos Transmontanos, vt Italorum quoque nonnullos, præbuisse se semper pessime animatos erga Curiales, siue per inuidiam, siue quòd adeo facilis non esset ipsis ad aulam accessus. Etiam diligenter cauendum ab his, qui simulant se *Româ* procul abesse conscientiæ caussa, tanquam ab ambitione remoti, alijs certe peiora tentaturi, si daretur occasio. hypocritas istos, etsi tectiores, alteris illis magis esse ambitiosos, quippe, qui aliorum ruinâ ad altiorem gradum viam sibi præstruere velint, quod à Paulo IV. re satis approbatum. Et quoniam Hispani in id conspirauerant, compertúmque erat *Vargam* eos hortatum, vt ab incepto non desisterent, complures mussitabant Rege impulsore id geri. qui, cùm animaduerteret ad subsidia à Clero impetranda duas sibi difficultates exsuperandas, & assensum Papæ impetrandum, & remouendam contumaciam Capitulorum ac Collegiorum, quorum plerique è præcipua nobilitate, exempti ab Episcoporum Iurisdictione, & collatione Pontificia beneficijs ornati, Regis consilijs obniti susq; deq; habebant; curæ habuerit, eos modò Episcopos prouehere, qui à se omnino pendeant, quique ipsi Episcopatus suos se debere agnoscerent, Capitula Collegiaque illis subijciendo, & Papæ imperio subtrahendo, adeoque horum operâ facile ac absolutum sibi in Clerum dominium comparare.

Tum de Legatis multa queritur.

De Legatis omnibus in vniuersum Curia Romana querimonias habebat, quòd articulum proposuissent, aut proponi permisissent. Iam ante maxima arte ac solertia in Synodo fuisse decretum, vti ipsi omnia proponerent: neque id alia fini, nisi ad eludendos conatus eorum, qui *Romæ* pessimè cuperent. nec habere quod caussentur, cùm confusionem ab hac controuersia in primo Concilo excitatam adhuc meminerint. Sed de *Mantuano* & *Seripando* Cardinalibus grauissima erat querela, de illo potissimùm, qui pro authoritate, atque existimatione qua pollebat, putabatur omnibus incommodis facilè potuisse occurrere. Tum de remedijs disserentes, dicebant Legatos alios *Tridentum* mittendos, ad bonum publicum magis attentos, eosque nec Principes, nec fratres, sed per Curiæ Romanæ gradus ad id fastigium euectos. omniumque sermonibus ad primum locum designabatur *Ioannes Baptista Cigala Sancti Clementis* Cardinalis, muneribus *Referendarij* & *Auditoris Cameræ* maxima cum laude sua, & rerum Romanarum incremento functus, auctoritatis Pontificiæ propugnator acerrimus. Primo loco ei, vt *Mantuano* Cardinali sit superior, delato, hunc sine dubio sese subducturum.

Imprimis Mantuano & Seripando.

Pon-

Pontificis mandatu multæ habitæ Congregationes Cardinalium consultationibus super rebus Synodalibus præpositorum, in quibus, cum ad mali sæuientis cursum sistendum varia essent allata remedia, de negotio multò quàm antea sedatius, emendatiùsque est tractatum. Non damnabat Pontifex opinionem eorum, qui à *iure diuino* stabant; sed probabat eos potius, quòd locuti essent ex animi sui sententia: interdum addens, eam forsitan opinionem esse saniorem. Sed de ijs querebatur, qui ad ipsius arbitrium sententiam suam conformassent: cùm Concilium ideo coierit, vt suam quisque proferret opinionem, non autem vt ad inuidiam declinandam rerum difficilium determinationem alienis humeris imponeret. Sibi valde displicere aiebat inter Legatos suos altercationes, quas cum offendiculo publico emanare haud decebat, sed clanculum asseruatas aut conciliari, aut ad ipsum referri. Atque vti illud probabat, sententiam suam liberè effari, ita odio habere arte emendicata suffragia, &, quod nonnullis vsitatum, alios dolis, & quasi vi subuertere. Neque imperare sibi posse, quin illud ferat ægerrimè, quod contra Concilij libertatem dictum; & de rebus Synodalibus *Romæ* consultationem, esse ipsius Synodi violationem. Id quidem mirum videri, se, qui caput sit Concilij; & Cardinales, qui membra potissima; aliosque Præsules *Romæ* commorantes, quibus in Synodo ius est suffragij, pro extraneis haberi, vt quæ inibi tractantur, ipsis impartienda non sint, nec de ijs ab ipsis sententia ferenda: Eos verò, quibus legitimè interesse non datur, malis artibus huic sese immiscendi licentiam sibi sumere. Manifestum esse Præsules omnes mandato Principum suorum *Tridentum* esse profectos, atque ad illud sese conformare; imo Oratores literis ac officijs ipsos ad Principum suorum commoda procuranda adigere. Neq; tamen quemquam ideo dicere (quod tamen esset dicendum) Concilium minime esse liberum. Atque id in omni sermone maxima vehementia amplificabat, affirmans illud, dicere Concilium non esse liberum, esse prætextum eius, qui fœlicem Synodi exitum videre non cupiat, ad eam dissoluendam, vel ad existimationem illi detrahendam. quod genus hominum pro occultis hæreseos fautoribus reputet.

Ferdinandus Philippus 2.

Romæ à Pontifice & Cardinalibus delegatis de toto negotio consultatur, sed animis iam sedatioribus.

Tandem postquam super hoc negotio cum omnibus Oratoribus *Romæ* iuxta se commorantibus sermonem habuisset, & cum Patribus purpuratis sæpius consultasset, die IX. *Maij* conuocatis Cardinalibus nuntios *Tridento* acceptos legi iubet. Tum consultationum habitarum facta recapitulatione, necessitatem dexterè & constanter in hoc negotio procedendi aperuit: subindicans magnam esse manum contra Sedem Apostolicam coniuratorum. Dein responsum legi imperat, quod *Tridentum* mittere destinarat, duobus comprehensum capitibus. Prius erat, Concilium ab se quidem libertati suæ semper relictum, & liberum deinceps futurum. Alterum, æquum esse, vt se veluti caput agnoscat, ac obseruantiam Sedi Apostolicæ debitam sibi deferat. Quod responsum Cardinales omnes, quid de eo sibi videretur, interrogati, vnanimes probarunt. Nonnulli monuerunt quandoquidem adeo discordes sint Legati, alios etiam extra ordinem mittendos. alij, mereri hoc negotium pro eo, quo est, momento, vt & ipse, & quotquot sunt in Collegio Cardinales, *Bononiam* eant, vt *Tridento* viciniores ad omnes occasiones præsto sint. Quibus Papa respondit, se paratum non *Bononiam* modò, sed & *Tridentum* ire si opus sit; Cardinales verò omnes se itineris comites offerunt. Cum de alijs Legatis mittendis cõsultaretur, decretum, sermonem eum esse differendum, ne Cardinalis *Mantuanus* missionem sibi dari postulet. quod existimationi Synodi graue præiudicium esset allaturũ, propter egregiam quam *Cæsar*, *Hispaniæ Rex*, & prope omnes Principes de ipsius probitate fouent opinionem, & propter authoritatem, qua valet apud maiorem partem Patrum Tridentinorum.

Et responsum Pontificis Tridentũ Romã mittendum legi iubetur.

De alijs Legatis ad Synodum mittendis agitur, sed ea res protollitur.

Literis perscriptis cum Oratoribus *Ducis Venetiarum* & *Florentiæ* egit, vti ij Principes res Pontificatus suis, qui Tridentino Concilio intererant Oratoribus vellent commendare, eisdemque mandare, vti agerent cum Prælatis ditionum suarum, ne intersint tractationibus contra sedem Apostolicam institutis, ac singillatim ne negotium de residentia tanto animorum ardore prosequantur. Dein, Episcopis omnibus, qui adhuc in aula sua erant, ad se accersitis, expositaque necessitate profectionis ipsorum *Tridentum*, negotij sui caussa, locupletes promissis onustos, tenues verò via-

Episcopi plures à Pontifice Tridentum amandantur, qui ab ipsius partibus stent.

Pius 4.
Elizabeth.
Carolus 9.

De Galliæ Rege sibi conciliando, & causæ suæ in eo regno aduersarijs coercendis Pontificis destinata.

tico subleuatos amandauit ad Concilium. Quod ab eo factum, tam ad augendum suorum numerum, cùm de residentia sermo esset habendus, quàm quòd iam in Synodo XL. Galli expectabantur, de quibus nihil ille boni mente præsagiebat. Atq; vt regnũ *Galliæ*, cuius Oratores breui *Tridentum* aduentaturi credebantur, consilijs ipsius non obluctaretur, statuit *Galliarum Regi* centũ millia aureorũ in subsidium dono dare, & totidem altera cõmodato, quasi à mercatoribus sumpta, Rege de sorte & vsuris idoneã cautionem interponente, & vnà conditionem, se seriò & ex animo absq; simulatione acturum. Edicta reuocanda, & bellũ Protestantibus indicendũ. Ea pecunia *Heluetios* & *Germanos* conducendos, qui sub Legato suo cum insignibus Ecclesiæ militent; Vt nemini *Hugonoto* nisi se consentiente ignoscatur. *Cancellarius*, Episcopus *Valentinus*, alijq; ab se nominandi, in custodiam trudantur. In Synodo contra suam auctoritatem nihil tractetur: deque annatis nulla ab Oratoribus fiat mentio. qua tamen de re, se cum Rege pacisci, eamque ad ipsius arbitrium reformare promptum offert.

Cum Oratore Gallo de residentia & libertate Synodi agit.

Posthæc de residentia à Pontifice consultatum, vt saltem, vbi occasio daretur, de ea verbis congruis sermo fieret, quæ neque fraudi, neque scandalo essent futura. Diligenter itaque pensitatis rationibus certò apud se constituit residentiam & approbare, & exequendam curare, quacumque tandem lege nitatur, Canonica siue Euangelica. Atque hac forma respondit Oratori *Gallo*, cum de ea verba fecisset, simul addito, Exequutionem omnium præceptorum Euangelicorum sibi soli deputatione traditam. *Christum* cum *Petro* dixit, *vt agnos suos pasceret*, voluisse, vti mandata omnia diuina solo *Petro* mediante executioni mandarentur. Decretum igitur sibi diploma conficere sub pœna priuationis Episcopatuum, quod erit proculdubio longè formidabilius, quam vlla Concilij declaratio *de Iure diuino*. Cumque Orator articulum vrgeret de libertate Synodi, dixit Pontifex, si omnimoda libertas ipsis concederetur, eam non ad solius Pontificis, sed ad Principum quoque secularium reformationem, extensuros. Ac profectò hoc loquendi genere sibi mirificè placebat, quippe solitus dicere, nihil esse periculosius, quàm defensoris partes semper sustinere. Quod si alij Concilium sibi intentent, eadem arma similiter ipsis intentanda.

Reformationẽ Curiæ suæ simulans, nihil spirituale attingit: tantùm facultates Pœnitentiariæ ademptas Datariæ permittit.

Per eosdem dies illud exequi aggressus, quod iampridem flagitatum promissumque fuerat, Curiam nempe suam absque opera Concilij reformare, à membro primario auspicatus, *Pænitentiariæ* emendationem promulgauit; rumore itidem per vrbem sparso, breui eum & *Cancellariam* & *Cameram* reformaturum. Et sperabant quidem omnes, ea, quæ ad salutem animarum spectantia, in hoc officio sæpe multumq; tractantur, ad pietatis regulam conformatum iri. verùm in eo diplomate neque pœnitentiæ, neque conscientiæ, neque alterius cuiusquam rei spiritualis vel minima mentio facta. Tantùm *Pænitentiariæ* facultates abstulit, quas in varijs caussis beneficiarijs, & exteriorem fratrum Regularium disciplinam spectantibus exercere consueuerat, id interea reticens, vtrum facultates eas *Pænitentiariæ* ademptas: alijs officialibus esset traditurus; an verò sicuti abusus indecoros vrbe *Roma* esset exterminaturus. Sed euentus extemplo vltrà ambigendi caussam sustulit: quandoquidem eadem ab Dataria, alijsque vijs, sumptu solummodo maiore impetrabantur. Atque hic fuit reformationis denique fructus.

Omissis capp. de matrimonio & residentia de reliquis articulis IX. Decreta cuduntur.

Vt *Tridentum* reuertamur, Patrum opinionibus pronuntiatis, nouemque Decretis confectis per deputatos (nimirùm articulis de matrimonio omissis, sicuti iam ante conuenerat; item de residentia, quòd Legati aliquammultorum consensum, vt in præsens omitteretur sedulis officijs impetrarãt) ea in Congregatione fuere proposita, vt stabilirentur, legenda in Sessione suo tempore indicta. Hic statim residentiæ fautores omissione illa offensi postulata sua adferunt. Et cùm Legati respondissent articulum illum nondum satis exagitatum, neque Sessionem illam ei proponendo oportunam, sed id suo idoneoq; tempore futurum; eò vehementius instabant, vt in præsens proponeretur. Et quanquam rationes allegabant, cur nullũ tempus contingere posset oportunius, & mussitabant fraudem esse, & artificium, vt residẽtia nunquam decernatur: cum tamen animaduerterent Legatis esse persuasum eam in præsentia omittere, & qui contrariam opinionem tuebantur Romã instinctos efficacius in contrarium solicitare, petitione sua absistere coguntur. Vnde de cæteris articulis pauculis immutatis IX. capita conficiuntur.

Pisca-

Piscarius Marchio Regis sui nomine enixè petijt, vti Patres in ea Sessione vellent declarare Synodum illam esse continuationem eius, quam *Paulo* Pontifice cœptam *Iulius* est prosequutus. Quam petitionem Præsules *Hispani* alijque eorum sequaces iuuabant, sustentabantque, asserentes fidei stabiliendæ necessitatem id omnino requirere: alioqui decreta iam facta, summa cum impietate in dubium posse reuocari. At Legati *Cæsarei* acriter in contrarium obniti, dicereque, se, id si fiat, protestatione facta è vestigio abituros. *Cæsarem* enim, qui Germanis receperit, coitionem hanc Patrum pro noua conuocatione habendam, tantum dedecus tolerare non posse. Neque ideo, quæ iam decisa sunt, vocari in quæstionem; sed dum spes aliqua affulget de *Germania* ad officium reducenda, spem certe eam non derepente præcidendam cum tanta *Cæsareæ Maiestatis* offensione. Cardinalis *Seripandus* totus erat in continuatione determinanda; ideoque non ita pridem in diplomate Conuocationis conficiendo in hoc multum desudarat, & nunc corroborandæ Hispanorum petitioni fortem operam nauabat. Verùm Cardinalis *Mantuanus* constanter reclamabat, ne tam insigni iniuria Imperatorem vltro lacesserent. Vt tamen adhibito temperamento placaret *Hispanos*, dixit duas iam habitas Sessiones, in quibus nulla facta de ea re mentio. Itaque si adhuc ad aliam differatur, inde nihil cuiquam futurum præiudicij. factum hac *Mantuani* opera, & Legatorum Cæsareorum discedendi proposito, vt *Piscarius* ageret remissiùs: cùm inter hæc commodùm veniunt à *Ludouico Lansaco* principe Legationis ab Consilio Regio è *Gallia* ad Synodum missæ literæ. Quibus, de via cùm non longè abesset, scribens, Legatos Patresque orat, vti ad suum collegarumque aduentum Sessionem protollerent. Vnde *Mantuano*, occasione ea arrepta, de Sessione proroganda rem in deliberationem adducente; atque vno hac consideratione, alio altera, plerisque quod commotiores hominum super residentia animi vix dum resedissent, ad assentiendum persuasis, statutum, ad conseruandam Synodi dignitatem, non extrahere Sessionem, sed eandem nulla materia proposita celebrare.

Ferdinandus. | *Philippus* 2.

Regis Hispaniarum Orator Synodi continuationem declarari petit: cuius petitioni Oratores Cæsaris obluctantur.

Seripandus Hispano, Mantuanus contra Cæsareis suffragatur.

Die XIV. Patribus solitâ ceremoniâ in locum Consessui publico destinatum congregatis, reque diuina, ac precibus de more peractis, Secretarius Principum mandata legit eo ordine, quo Oratores in Congregationem aduenerant; nempe *Regis Catholici*, *Ducis Florentiæ*, *Heluetiorum*, *Cleri Hungarici*, & *Venetorum*: Promotorque paucis, Principibus ijs omnibus egit gratias, quod Synodo vires facultatesque suas pro eius securitate ac libertate detulissent. Tum ab Episcopo celebrante Decretum hac forma recitatur. *Synodum iustis nonnullis & honestis de caussis censuisse, Decreta ea, quæ hodie in præsenti Sessione statuenda ac sancienda erant, in diem quartum Iunij esse prorogandi; qua die Sessionem habendam esse omnibus indicit.* Neq; aliud ea coitione gestum.

SESSIO XIX. Ac III. sub Pio IV. qua, lectis Principum mandatis Decretum fit de Sessione proroganda.

Consessu peracto *Marchio Piscarius Tridento* discedit, necessitatem sibi impositam caussatus ad Præfecturam suam *Mediolanensem* reuertendi, propter motus ab *Hugonotis* in *Delphinatu* nuper excitatos. Cùm autem constaret, non esse ijs copias, quibus extra prouinciam eductis, alios possent lacessere; atque inter ipsos & *Mediolanum* interiectum *Sabaudiæ* Ducem; creditum à plerisque id *Piscarium* facere Regis sui mandato, qui cum valde cuperet Synodum procedere, & ex controuersia inter Oratorem suum & Regis *Galliæ* Oratores de honoratiori loco, occasionem eius interturbandæ facile nasci turam perspiceret, leuatam eam voluit. Vnde biduo post *Marchionis* discessum, *Ludouicus Sangelasius Lansacus*, Francicæ Legationis caput, *Tridentum* venit, Præsulibus diuersarum nationum, ac nominatim *Hispanis*, ei in occursum magnâ frequentiâ euntibus. Postridie *Arnoldus Ferrerius* Præses *Parisiensis*, & *Vidus Faber Pibracius*, vterque è togata natione, in Legatione collegæ eòdem venerunt.

Biduo post abitum Marchionis Piscarij Tridento, Oratores Galli eò veniunt.

Per eosdem dies Patribus in Concilio per nuntios significatum, quas voces Pontifex, Cardinales, & Curia Romana occasione residentiæ contra ipsos emitterent; etiam plerique eorum literas ab Cardinalibus heris suis & ab alijs amicis acceperant, querimoniarum, expostulationum, & monitorum plenas, quas illi cæteros non celabant. Et vicissim *Romæ* nunciatum, quid *Tridenti* post accidisset. Pontificis verò contra *Card. Mantuanum* bilis magis quàm prius accensa, quòd manifestandæ continuationis occasionem è manibus amisisset, quam Orator & Præsules *Hispani* valde vrgebant. Vrebat hominem, quod videret Cardinalem in caussa residentiæ *Hispanis* coniunctum,

Pontifex iterū Card. Mantuano succenset, ob omissam manifestandæ continuationis occasionē.

Pius. 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

iunctum, in caussa continuationis ijs aduersum, vtrobique, imo passim sibi contrarium. Neminem esse alioqui pectore adeo obtuso, qui in tanta rei opportunitate ad declarationem gradum nollet facere; quæ si ex sententia succedat, tum in fauorem Ecclesiæ Catholicæ progressum factum: sin minus, solutum iri Concilium, quod Ecclesiæ non minori cedat emolumento. Tum ad consultationem de alijs Legatis mittendis reuersus, ac nominatim de Cardinali *S. Clementis*, præcipuam Legationis partem & mandatum illi destinauit, *Mantuano* verò ne principem locum adimeret, & tamen abeundi materiam suppeditaret, eum in Episcopum ordinandum censuit, quòd ante paucos dies allatum esset de morte *Francisci Turnonij* Card. qui Decanus collegij, cuius fatò vnus è VI. Episcopatibus vacabat.

Card. Turnouij obitus.

Cæsar autem vbi intellexit propositum in Synodo declarare continuationem, grauiter commotus iussit significari Pontifici, quando id succederet, se Oratores suos *Tridento* euocaturum. Eisdemque mandauit, si eiusmodi deliberatio institueretur, vti ilico promulgatione non expectata discederent. Subijt nihilominus animum Pontificis spes, ea ratione Synodum posse dissolui; eóque magis contra *Mantuanum* ira exarsit, quod illius culpa optima occasio euanuisset, quam qua ratione possit recuperare serio ac sedulo cogitabat. Curia certe Romana, tam exemplum sui Principis æmula, quàm quod res ipsorum ageretur, de Patribus Concilij quiritari & obmurmurare pergebat, ac potissimum de *Mantuano*, *Seripando*, ac *Warmiensi*: vicissimque Præsules *Tridentini*, *Hispani* præsertim, in priuatis congressibus de Pontifice atque aulicis conquerebantur. De illo, quòd Synodum seruitute quadam premeret; cui cùm liberam ac integram de rebus omnibus agendi statuendique facultatem absque interpellatione relinquere teneatur, nihil tamen neque in Synodo proponeretur, nisi quod Legatis placeret, quodque *Româ* ijs præscriberetur; neque postquam est positum in medium, liberè de eo sententiam proferre dabatur, etiamsi nonnunquam LXX. Episcopi in eandem sententiam concurrerent. Deinde, quòd, cum Concilium debeat ab omni præuentione, concursu, ac intercessione cuiuscumque alterius potestatis esse liberum & immune, leges tamen accipiat eorum, quæ tractanda; simul eorum, quæ tractata, limitationes, emendationes decretaque. Quod cum fiat, caussam non esse, cur verè Concilium dici mereatur. Adhæc, esse in Synodo supra XL. quorum alijs XXX. aureorum, alijs vsque ad LX. coronatorum congiarium menstruum à Pontifice penditur: cæteris plerisque, Cardinalium, aliorumque aulicorum literis metum intentari. De aulicis hæc erat querimonia, quod cum ipsi emendationem pati non possent, sibi tamen fas esse vellent, calumniari, increpare, & dijudicare, quæ ab alijs ad diuini nominis cultum essent facta. Cumque contra reformationem necessariam ac leuem adeo sese obstinauerint, multo maiores turbas & contradictionem expectandam, si quid tangitur aut tractatur, quod magis ad viuum eos pungit: debuisse saltem Pontificem voces comprimere hominum affectibus suis plus æquo indulgentium, & in speciem testari, (quando re, factoque sese ligari non patitur) Concilium liberè ac syncere procedere.

Cæsar monet Pontificem se suos euocaturum, si continuatio declararetur. Mutuæ Curialium de Legatis, & Præsulum de Pontifice & Curialibus querimoniæ.

Etiam inter *Paulum Aemilium Verallum* Episcopum *Caputaquensem*, & *Bellaium* Episcopum *Parisiensem* in conuentu complurium Episcoporum ad verba asperiora ventũ. Cùm enim hic non probaret, in deliberationibus suffragia numerari potius, quàm appendi, atque ille respondisset æquali esse Episcopos omnes conditione, interrogante *Parisiensi Verallum* quot animas curæ suæ haberet subiectas, illoque affirmante, quingentas, *Bellaius* excepit; si inter personas ipsorum comparatio instituatur, se quidem cedere paratum: sin verò habeatur ratio eorum, quos vtrique repræsentant, male æquiparari, qui pro D. hominibus, cum eo, qui pro quingentis millibus verba faciat.

Bellaius Episcopus Parisiensis sententias Patrum appendendas cẽset non numerandas, contra quã Verallus.

Cum hic esset rerum status ante diem XXVI. nulla habita congregatio. Eo die Oratores *Galli*, qui, de Principum suorum præscripto, cum *Cæsareis* idem secum sentientibus mandata sua antea communicarant, in congregatione generali comparent. Mandato Legationis ibi exhibito, lectoque, *Vidus Faber* longam habuit orationem. qua exposito ardenti Regis sui desiderio, vt Concilium loco opportuno minimeque suspecto conuocaretur: tum officijs ea fini apud Pontificem & Principes omnes Christianos interpositis, quis ex eius apertura fructus expectandus esset, commemorauit.

Vidus Faber Regis Galliæ Oratorũ nomine in Congregatione orationẽ habet.

rauit. Dein porro pergens, ſicuti toto cœlo errare fatebatur eos, qui ritus omnes Eccleſiæ innouatos cupiunt: ita non minori reprehenſione dignos, qui pertinaciter omnes tuentur, nulla habita ratione, quid vel præſentis temporis conditio, vel publicæ vtilitatis reſpectus requirat. Adhæc ſingillatim explicat, quas tentationes Satanas erat adhibiturus, ad Patres è recto tramite abducendos: cui ſi aurem commodarent, omnem Conciliorum auctoritatem mox interituram. Multa alia Concilia iampridem in *Germania* & *Italia* nullo, aut certè minimo cum fructu habita, quæ quidem neq; libera, neq; legitima fuiſſe perhibent, quod ad alienam voluntatem loquerentur. Ipſis verò cauendum in primis, ne poteſtate libertateq; à Deo ipſis conceſſa abutantur. Nam ſi in priuatorum cauſſis ſeuera animaduerſione digni cenſentur, qui contra ius & æquum cuiquam gratificantur, grauiore ſupplicio dignos Iudices in rebus diuinis auram popularem conſectantes, aut tanquam togata mancipia, Principibus, quibus ſe deuinxerunt, addictos. Vnumquemque à ſemetipſo examinandum, quo affectu abripiatur. Et quoniam aliquot anteactarum Synodorum defectus huic præiudicare videntur, conſentaneum eſſe, vti factis demonſtrent, tempus illud iam abijſſe, atque cuique liberum eſſe diſputare. Nunc foro flammiſque non diſputari: nunc fidem promiſſam non temerè violari: *Spiritum S.* non aliundè quàm è cœlo euocandum. Hoc Concilium non eſſe illud, quod *Paulus III.* inchoauit, & *Iulius III.* proſequutus eſt, temporibus turbulentiſſimis inter arma; quodque nullo operæpretio ſolutum: ſed nouum, liberum, pacificum & legitimum, ad antiquum morem conuocatum, de Regum omnium, Principum, rerumque publicarum conſenſu; ad quod *Germania* ſit conuolatura, ſecumque nouarum diſceptationum auctores adductura, grauiſſimos & eloquentiſſimos eius diſciplinæ viros. Eâ gratiâ Regem à ſe auxilium polliceri. E Patribus plerique, & ex ipſis Legatis nonnulli hæc Oratoris verba in malam partem accipere videbantur. quibus Promotor, quòd formam excederent generalem, & verborum officioſorum vices, quid reſpondendum eſſet, neſciebat. vndè præter morem receptum cum ea oratione congregatio exitum habuit.

Ferdinandus. Philippus 2.

Cui, quod pleriſque Patribus parum eſſet accepta, Promotor more ſolito non reſpondet.

Iidem Oratores poſtridiè Legatos cum vna eſſent, adeunt. Ibi Præſules Gallos, quod ad Synodum nondum venerint, excuſant, tumultibus regni id imputantes; ſimulque promittentes, vbi turbæ eæ reſederint, quod ſperabant breui futurum, aduentum acceleraturos. Dein oſtendunt Hugonotos ſuſpectam habere Concilij à *Paulo* inchoati continuationem, & nouum flagitare. Regem ea de re cum *Cæſare* egiſſe, qui ſociorum *Confeſſionis Auguſtanæ* rogatu idipſum poſtulat. Etiam cum Pontifice ſuper eo actum, atque ab illo reſponſum, ſuâ non multum, quid hìc fiat, intereſſe; inter *Galliæ* & *Hiſpaniæ* Reges controuerſiam modò eſſe, quam ipſe reijciat ad Concilium. Petere igitur, vti iam tandem diſertis verbis declaretur, indictio Synodi eſſe noua, neque verba ea adhibeantur, *Indicendo continuamus*, & *continuando indicimus*; ambiguitate Chriſtianorum profeſſioni minime conueniente, & contradictionem in ſe implicante. Inde Decreta ab Concilio pridem facta, ab *Eccleſia Gallicana* nondum accepta, immò ne ab ipſo Pontifice: certè *Henricum Regem* aduerſum ea proteſtatum. Super hoc articulo ſe iam ad ipſos Legatos accedere, quandoquidem Papa iterum atque iterum profeſſus ſit contentionem hanc de Indictione aut continuatione Synodi non eſſe ſuam, eóque à ſe ad Patres Concilij relatam. Atque hanc petitionem non contenti verbo exprimere, ſcripto conſignatam Legatis reliquerunt. Legati re deliberata, ipſi quoque ſcripto reſpondent, ſe Epiſcoporum abſentium excuſationem, quantum in ipſis eſſet accipere: Sed eorum, quæ in Concilio peragenda ſunt tractationem, ad illorum vſque aduentum differre non poſſe. Id enim Patrum, qui iampridem aduentarint, nimio incommodo futurum. Neque in ipſis ſitum, declarare, hanc Synodi Indictionem eſſe nouam, ſed tantummodò iuxta diplomatis Pontificij tenorem, & arbitrium Synodi ibi præſidere. Et quidem Oratores Galli hoc reſponſo interea erant contenti, deliberatione cum Cæſareis habita, vlteriùs non procedendum rati, quamdiu in actis Synodalibus mentio nulla habetur continuationis. Videbant enim, quandoquidem *Hiſpani* etiam prima Seſſione declarationem continuationis vehementer ſollicitaſſent, ſi eius contrarium

Oratores Galli ab Legatis, petunt declarari, Indictionem Synodi eſſe nouam, & verba diplomatis Pontificij quippe ambigua mutari.

Ab Legatis redditur reſponſum.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

rium ipsi nimis vrgerent, Concilij dissolutionem forte inde sequuturam. Verùm hoc Legatorum responsum à Gallis diuulgatum, qua parte dicebant, concessam ipsis præsidendi authoritatem iuxta voluntatem Synodi, Hispanis occasionem sermonis ministrauit: quasi Legati verbis Concilio se subijcerent, factis verò eidem imperitarent. Et *Granatensis* dicebat, verè absolutum plenumque illud esse dominium Concilij, vti Legatis seruis suis in omnes occasiones, actusque; etiam vt dominando heri partes agant.

Præsules Hispani de Residentia in Synodo tandem statui petunt.

Legatis in Sessionem sequentem nihil proponentibus, Præsules residentiæ fautores super ea re sermonem inijciunt. etiam Oratores *Cæsareos*, *Gallos*, *Lusitanos*, aliosque interpellant, vt eius decisionem Sessione proxima à Legatis exorent: quoniam post materiam eam propositam & exagitatam, offendiculo futurum sit, indecisam relinquere; & priuatum aliquem respectum arguere videatur: quando & Præsulum pars maior, & in his nominatissimi quique decisionem deposcant.

Galli & Cæsarei de dogmatis fidei tractationem in aduentum Protestantum differri postulant, atque interea agi de reformatione.

Galli præterea vnà cum *Cæsareis* instant, vt fidei dogmata non excutiantur per absentiam Protestantum, qui ea sint impugnaturi, antequam de ipsorum contumacia constet, cùm superuacaneum sit nemine contradicente de ijs disputationem instituere: inprimis cum alia non desint, de quibus inter omnes conuenit, nempe morum reformatio. Addebant porro, *Angliæ* Oratorem in *Gallia* significasse *Reginam* suam decreuisse mittere ad Concilium, atque esse veri simile cæteros Protestantes idem facturos, atque inde sequuturam generalem eorum, qui ab Ecclesia secesserunt, ad eandem vnionem. quod effectum dari debere nemo ambigat, modò bona reformatio præcedat.

Ad posterius postulatum Simonetæ responsum.

Ad secundum hoc postulatum Cardinalis *Simoneta* respondit, negotium illud videri quidem facile, sed valde arduum esse; quippe, quod in beneficiorum dispositione omnino consistat; cuius abusus ab Regibus ac Principibus potissimùm proficiscantur. quibus verbis Oratores omnes pupugit propter nominationes, aliaque iura, quæ Reges exercent, ac præ alijs Rex Galliarum.

Super altero motus cientur, sed qui mox de communi assensu Oratorum & Præsulum sedantur, ne inde Pontifex occasionem arriperet Cõcilium abrumpendi.

Sed alterum quod petebatur de residentia maiorem habebat difficultatem, Patribus excusationem aliàs adhibitam accipere recusantibus: nempe, materiam non satis digestam; item, non sufficere tempus Consessui præstitutum ad eam explanandam, aliaque id genus. immo in tantum creuit animorum ardor, vt inter Præsules Transmontanos plerosque conuenerit interposita protestatione discedere. Atque id tumultui compescendo dedit occasionem. Oratores enim ne Concilium sic abrumperetur metuentes, neque nescientes, Papam omnes eius interrumpendi occasiones focillaturum; & sollicitationibus suis destiterunt, & non solùm cum Episcopis egerunt, vt propositum abeundi deponerent, sed etiam cum Regis *Hispaniæ* ministris, vt declarationem continuationis vltrà non vrgerent. Illi vero desistere parati etiam apud Legatos attestantur, se in præsens eam non postulare: æquum non esse affirmantes, vt alij, qui Synodum dissolui dissiparique cupiunt, actionibus suis operiendis *Hispaniarum* Regem tamquam mantelum obducant. Hæc attestatio Legatis mirificè placuit, qui *Marchioni Piscario* verbo obligati, non perspiciebant, quomodo alioqui fidem liberare possent. neque eisdem minus gratum accidit consilium de residentia in præsens omittenda. Ac quò dictorum neminem pœniteret, scriptum curarunt conficiendum, atque in congregatione, vti probaretur, legendum: nimirum, res ante propositas proxima Sessione minimè determinandas, sed graues iustasque ob caussas ad aliam Sessionem differendas. Ita gemino onere, eoque graui leuati sibi videbantur.

Promotor responso aculeato Oratoribus Gallis reddito dignitatem Synodi tueri iubetur.

Appetente Consessus die, multi Præsules, quos *Oratoris Galli* oratio vehementer pupugerat, Legatos rogant, vt quo tempore Legationis mandatum in Sessione publicè legeretur, solidum & acutum Oratoribus responsum fieret. Et Cardinalis *Altempsius* auctor fuit, vt hominis illius forensis, qui cum plebeijs solis agere consuerat, insolentia retunderetur. Vnde *Ioanni Baptistæ Castello* Promotori imperatum sic ei respondere, vt dignitatem Synodi tueatur, neminem verò re aut verbo perstringat.

Pontifex Legatos iubet Continuationem declarare: sed mox Legatorum prudentiæ rem permittit.

At re diu multúmque deliberata Pontifex constituit continuationem esse declarandam: neque dubitabat omnia bene cessura, quicquid *Imperator* diceret, faceretue. Itaque *Tridentum* cursitorem cum hoc mandato ablegat. quod cum II. die Iunij eò peruenisset, Legatos vehementer conturbauit, propter confusionem, quam inde

inde in Concilio nascituram videbant. Itaque vnanimi consensu statuunt Pontificem de rerum statu certiorem facere, eique significare, quid esset tractatum, quod Decretum iam esset promulgatum; atque omnino fieri non posse, vt quod ille mandarat, sortiatur effectum. Imo Cardinalis *Altempsius*, qui veniam proficiscendi *Romam* alijs de caussis impetrarat, subito consilium capit die sequenti per equos dispositos eò contendendi, vt coram officium illud exequatur. Verùm ea ipsa nocte per cursitorem allatæ *Româ* literæ, quibus Pontifex rem omnem Legatorum prudentiæ iudicioque permittit.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Quamobrem die IV. Iunij Sessio more & ceremonijs solitis habetur: mandata Episcopi *Salzburgensis* & Regis *Galliarum* recitantur. His lectis Promotor respondet, sperandum esse omnibus Christiani Orbis incommodis consuli posse remedio eo, quod Pontifici videtur necessarium: videlicet Oecumenico hoc Concilio, opera Spiritus Sancti de consensu Principum iam inchoato. E quibus *Galliarum* Rex missis eò hominibus conscientiæ integritate, ac religione præstantibus, non auxilium modò huic Synodo, sed obedientiam quoque obtulerit. Id ei deberi non minus quàm alijs Concilijs. quibus vtcunque ab hominibus malè affectis falsò sit obiectum, ea neque vera, neque legitima fuisse, apud homines tamen pios plurimi semper habita Concilia, ab ijs, penes quos erat auctoritas, congregata, quomodocunque alij libera non esse calumniarentur. neque aduersus ea magis, quàm contra istam Synodum Satanæ insidias ab Oratoribus copiosè ac subtiliter commemoratas, etiamsi grandes, vnquam valuisse. Certum esse Patribus Concilij, non accipere in sequiorem partem accuratam & liberam ipsorum monitionem de aura populari non captanda, aut voluntate Principum non consectanda; sed vti eam habent forsitan pro non necessaria, imò superuacanea, ita animum inducere, eam à syncera mente profectam, ne contra mansuetum piumque suum institutum, moremque receptum quidquam respondere cogantur. Nihilo minus vt ipsis Oratoribus inanem metum adimant, quo percelli videntur, & vnà suum propositum reique veritatem aperiant, ijs prædicere, ex effectibus aliquando appariturum, Concilium, cuiuscunque hominis, aut Principis cupiditatem, voluntatem, & potentiam, post propriam dignitatem & authoritatem habere: *Regique Carolo* omnem operam & studium, ad dignationis, Regni, Statusque sui conseruationem, salua fide & religione syncera, polliceri. Hoc responso *Gallis* minimè satis est factum: qui sese aliud non meruisse agnoscebant. Dein ab Episcopo celebrante lectum Decretum: *Synodum propter varias difficultates ex diuersis caussis exortas, atque etiam, vt Dogmata cum ijs, quæ ad reformationem spectant, simul tractentur, & sanciantur, Sessionem proximam indicere in diem sextam decimam Iulij, ad ea, quæ de vtraque materia statuenda Synodo videbuntur, definienda. Sic tamen, vt dictum terminum pro arbitrio & voluntate, etiam in generali Congregatione, restringere & prorogare posit.* Inter Præsules XXXV. volebant Decreto inseri, ea Sessione de residentia agendum. alij, continuationem esse declarandam. quæ quidem existimatum est consultò fuisse proposita ad tumultus excitandos, quibus Concilium posset dessolui: quod eorum auctores rebus Romanis plurimum deuincti pœnitentia tangerentur, ob ea, quæ ab ipsis parum prouidè, nimisque liberè de residentia, Curiæ Romanæ adeo exosa prius dicta fuissent: verùm cæteris omnibus silentium agentibus Sessionis factus est finis.

Sessio XX. quæ est IV. sub Pio IV.

Promotor Synodi nomine Galliarũ Regis Oratoribus respõdet, neque satis ijs facit.

Decretũ Prorogationis Sessionis.

Die VI. habita Congregatio generalis, vt de ijs quæ sequenti Sessione erant tractanda consultaretur. In ea propositi articuli communionem spectantes,

Articuli in proximã Sessionem discutiendi.

I. An fideles omnes necessitate, & ex Dei Præcepto vtramque speciem Eucharistiæ sumere teneantur?

II. Vtrum Ecclesia iustis rationibus adducta, morem introduxerit Laicos sub panis tantummodo specie communicandi, an verò in eo errarit?

III. Vtrum totus & integer Christus, gratiarum omnium fons, adeo plenè sub vna panis specie, quam sub vtraque sumatur?

IV. An rationes, quibus Ecclesia adducta fuit, vt Laicos sub vna tantum panis specie communicaret, ita sint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vsus cuiquam sit permittendus?

V. Si

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

V. Si honestis rationibus alicui concedendus videatur, quibus conditionibus concedi debeat?

VI. An paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessaria sit Eucharistiæ communio? His propositis interrogati Patres, an de ea materia esset agendum, & an articulis aliquid addendum superesset? Et quamuis *Oratores Galli*, ac Præsulum bona pars in ea essent opinione, de dogmatis non ante tractandum, quàm constaret, vtrum Protestantes Concilio interesse vellent, quando compertum sit, quandiu illi futuri sint contumaces, tractationem omnem fore inanem, quippe neque Catholicis necessariam, & ab alteris minime accipiendam: nemo tamen hic se opposuit, omnibus propter sedula *Cæsarianorum* officia spem concipientibus calicis cõmunionem posse impetrari: atque ita initium satisfactioni Germaniæ dari. Hoc posito, agendum esse de VI. articulis; simul addito, Theologorum opinionem primùm audiendam, dein Præsulum, statim apparuit, totum tempus ad Consessum vsque, in eo solo consumendum, cùm & LXXXVIII. Theologi audiendi essent, & Præsulibus suffragia magno numero ferenda. Itaque nonnulli dicebant, articulos illos accuratam discussionem minimè desiderare, quod superiore Conuocatione *Iulio III.* Pontifice argumentum illud satis copiosè sit pertractatum. Eo iam discusso, digestoque, quæ tum tractata fuere, statutaque, breui solidoque examini subijcienda; vt intra paucos dies ad decisionem veniatur; cæteri vero dies reformationi impendantur. Superesse enim articulum de residentia, iam ante propositum, & in parte examinatum: quem tandem aliquando absoluere sit æquissimum. Huic sententiæ Patres XXX. sese accedere palam declarabant, multoque plures tacitè eam approbaturi videbantur, vt conclusionem res iam spectaret. Verum Cardinalis *Simoneta* moram adferre conatus, cum diceret, non esse è dignitate Synodi rem tractare, quoad animi exacerbati superioribus diffidijs, quæ verum videre non sinunt, iras posuissent, viam patefecit *Ioanni Baptistæ Castaneo Archiepiscopo Rossanensi*, & *Pompeio Zambeccario Episcopo Sulmonensi*: quibus magno animorum ardore atque acrimonia priores excipientibus, prope abfuit, vt à strepitu ad iurgia aliaque grauiora veniretur. His *Mantuanus* mederi cupiens, residentiæ fautores orauit, vt in præsens quiescerent, alia Sessione, aut certè, quando de Sacramento Ordinis ageretur, de residentia quoque tractatum iri pollicitus. Motu sic composito, simulque hoc demonstrato, maioris esse cum ob prolixitatem, tum ob difficultatem operæ, res sub *Iulio* Pontifice agitatas replicare, quam easdem de nouo examinare, idque hoc casu euenturum, quod vsuuenire solet vbi iudex sententiam fert super lite apud alium iudicem disceptata, hæc demum deliberatio obtinuit, vt à Theologis primùm verba fierent, duabus Congregationibus in singulos dies indictis, quibus duo Legati interuenirent, distributis in eum modum prouincijs ad actionem maturandam, Præsules verò quotquot interesse vellent. His duorum dierum interuallum ad libros euoluendos concedendum, tertio die actionem auspicandam. Atque hunc finem isthæc habuit Congregatio. Cæterum promissio a *Mantuano* inconsultis Collegis facta *Simonetam* adeo vehementer commouit, vt offensio ea in manifestum proruperit dissidium: Prælatis Curiæ Romanæ fautoribus *Mantuanum* increpantibus, & in eo animum male affectum calumniantibus: viris contra probis ac synceris raræ id prudentiæ tribuentibus, quòd tempore adeo difficili necessitati obsequutus, protestationes ac scissuras iam iam imminentes anteuenisset. Ab ijsdem quoque vitio datum *Simonetæ*, quod offensionem inde cepisset. Probabile enim videri, *Mantuanum* dignatione supra *Simonetam*, ac *Seripandi* & *Warmiensis* collegarum, quorum mentem habebat perspectam, suffragationi confisum, existimasse consilium abs se necessitate premente captum, ab illo etiam iri approbatum.

Residẽtiæ declaratio à nõnullis Patribus denuo vrgetur.

Mantuanus tractationem de residentia pollicetur.

Quo nomine succenset ei Simoneta.

Oratorũ Cæsaris super reformatione XX. postulata.

Postera Die Oratores Cæsarei, quandoquidem id iam se impetrasse cernebant, quod tanto opere desiderauerant, vt *Calicis communio* proponeretur, cuius intuitu hactenus cautè circumspecteque se gessissent, Legatos adeunt, & secundum sua à *Cæsare* mandata, capita reformationis proponunt.

I. Orandum summum Pontificem, vt seipsum & Romanam Cariam reformari benignè patiatur.

II. Vt

II. Vt numerus Cardinalium reducatur, si non ad duodenarium, saltem ad duplicatum, cum duobus super numerarijs nempe XXVI. Ferdinandus Philippus 2.

III. Prouidendum, ne fiant amplius dispensationes scandalosæ.

IV. Reuocandas omnes exemptiones contra iura communia passim concessas; Monasteriaque omnia sub Episcopi potestate constituenda, sub cuius sunt diœcesi.

V. Tollendam prorsus pluralitatem beneficiorum, & statuendum, quòd singulæ Ecclesiæ Cathedrales, & Collegia singulas erigant scholas. Et quod Ecclesiastica officia non dentur conductitijs presbyteris.

VI. Episcopos omnino ad residentiam cogendos, nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, vt officia sua per seipsos, non per vicarios exerceant. Quod si Episcopi non sint idonei, vel potentes, non vni vicario totius diœceseos curam mandandam, sed pluribus personis. insuper visitationes, diœcesanasque Synodos quotannis habendas.

VII. In Ecclesia omnia ministeria gratis præstanda, & quæ sunt adeo tenuis reditus, vt ministeria Ecclesiæ absque quotidianis emolumentis nequeant supportare, incorporanda cum alijs beneficijs non curatis pinguioribus.

VIII. Reuocandos in vsum veteres Canones contra Simoniacam prauitatem.

IX. Constitutionum Ecclesiasticarum multitudinem nonnihil contrahendam, superfluis resectis, neque Prælatorum Sanctionibus obligationi iuris diuini æquiparatis.

X. Excommunicatione non vtendum extra casum peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis.

XI. Officia diuina diligenter & deuotè celebranda, quæ aliquando ita præcipitatè à celebrantibus proferuntur, vt nec ipsi se intelligant, nec ab alijs intelligantur.

XII. Breuiaria & Missalia purganda, resecandaque omnia, quæ non ex diuinis sunt desumpta literis, & tædiosam prolixitatem psalmorum & orationum, habito delectu contrahendam.

XIII. Officijs diuinis, quæ Latino sermone peraguntur, preces linguâ vernaculâ fideliter versas immiscendas.

XIV. Clerum, & Ordinem Monasticum ad primitiuam institutionem redintegrandum, ne tantæ monasteriorum diuitiæ tam flagitiosè dissipentur.

XV. Considerandum sacro Concilio, annon res ipsa efflagitet aliqua iuris positiui relaxare, & de pristino rigore aliquid remittere super discrimine ciborum ac ieiunijs, & in coniugio clericorum aliquibus nationibus concedendo.

XVI. Ad conciliandos populorum animos tollendas multiplices Euangeliorum postillas, & nouam publica auctoritate per peritos Theologos faciendam: & similiter nouam Agendam, siue librum ritualem, quem parochi omnes recipere teneantur.

XVII. Rationem adinueniendam non ad malos parochos expellendos, quod esset factu facile, sed ad meliores substituendos.

XVIII. Plures Episcopatus in latioribus prouincijs erigendos, & opulenta cœnobia in hunc vsum conuertenda.

XIX. Quod ad bona Ecclesiastica in alios vsus conuersa & distracta, præstare forsitan hoc tempore, vt hæ dissimulentur iniuriæ.

Ad

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Ad extremum, vt aliquid Pontifici gratum insereret, eiusque animum propositionibus his conspectis lectisque exulceratum deleniret, subiunxit;

XX. Legatos Concilio præsidentes dare operam debere, ne quæstiones inutiles, quæ offendicula parere poßint, vt hæc, An sit residentia de iure diuino, necne, aut similes, proponantur; aut si id vitari non poßit, non patiantur saltem Patres effundi in bilem, nec offerri in fabulam aduersariorum.

Super capite XVII. additæ etiam peculiares quædam considerationes ad minus peruicaces inter sectarios ad Catholicam fidem reducendos, nimirum:

Eos qui sanioris mentis videbuntur, in proximam Catholicam Academiam mittendos, & breuiter erudiendos.

Iniungendum Episcopis Academiam non habentibus, vt in Academia vicina eligant Collegium, pro adolescentibus Theologiæ studiosis alendis & instituendis.

Limitatum auctorum catalogum edendum, qui legi debeat in scholis: nec alios admittendos.

Legati respondent, per communionem calicis fieri, vt hæc proxima Sessione proponi nequeant.

Propositionibus his perlectis, Legati ad consilium summotis arbitris capiendum secedunt. Tum reuersi respondent, fieri non posse, vti proxima Sessione aliud proponatur, quando ipsorum rogatu de *Communione Calicis* argumento graui ac difficili sit agendum. Multa esse, distinctæque naturæ quæ sunt proposita, neque simul posse digeri. Itaque ex occasionibus videri Præsulibus impartienda, prout horum quidquã apposite ad aliud aliquod reformationis caput accõmodari poterit. Ab Oratoribus facile perspectum est, hæc à Legatis ideo dicta, ne scriptum ab ipsis exhibitum in Congregatione publicaretur, sed vt rebus sic prolatis *Cæsaris* expectationem frustrarentur. Itaque consultatione habita, visum ijs necessarium *Cæsarem* certiorem facere tam singillatim de hoc negotio, quàm generatim de forma procedendi in Concilio: eaque gratia Episcopus *Pragensis* vnus ex Oratoribus delectus, qui equis cursorijs iter faceret, voluntateque *Cæsaris* perspecta, ante diem Sessioni destinatum *Tridentum* rediret. Altera parte Legati, cum res Synodales parum ex animi sui sententia procedere animaduerterent, tum alijs de caussis, tum inprimis, quod Pontificem sibi infensum, & se illi suspectos conspicarentur, rerum & anteactarum & impendentium statum illi communicandum existimant. Ab ijs igitur electus *F. Leonardus Marinus Archiepiscopus Lancianensis*, magni animi vir, & Pontifici gratus, quippe dignitate ab eo auctus, eòque charus, ac *Seripando* amicissimus; qui pro mandatis rem omnem ei aperiret, Legatos excusatum, & Beatitudinem suam placatum iret. Datæ ei communi Legatorum nomine *Epistolæ Fiduciariæ*: quibus Cardinalis *Simoneta* grauatè admodum chirographum apposuit: id alioqui non facturus, nisi inter ipsos ante conuenisset, singulos etiam seorsim literas ad Pontificem daturos. *Simoneta* scripsit, sibi fuisse decretum, singulares per *Archiepiscopum Rossanensem*, ad ipsum plenius informandum literas dare: sed re melius pensitata statuisse, eousque sustinere scriptionem, quoad quid esset effectum *Lancianensis* operâ comperisset.

Episcopus Pragensis ad Cæsarem ab Oratoribus suis amandatur, vt de statu Concilij eum faciat certiorem.

Et ab Legatis ad Pontificem Arch. Lancianensis.

Offensiones & criminationes mutuæ *Romanistarum* contra *Tridentinos*, & horum vicissim contra illos, nouis subinde cursitoribus aduentantibus augebantur. *Tridenti* residentiæ fautores deflebant miserias Ecclesiæ, seruitutem, quâ Concilium premebatur, abiectam ac planè deploratam spem omnem Ecclesiæ Romæ instaurandæ. Alteri contra queruntur schisma, imo apostasiam à sede Apostolica, in Concilio procudi: Transmontanos odio Italorum non tam Pontificatus depressionem, quàm abolitionem consectari. Eo quippe fundamento Ecclesiæ, quod Christus ipse posuit, conuulso, vniuersæ fabricæ ruinam subsequuturam. Pontifex nouis cottidie nuncijs perculsus, quæ alia ex alijs deteriora succedebant, prout *Tridentum* indies rerum nouarum occasiones ministrabat: tum ijs, quæ in *Germania* & *Gallia* contra quàm ille destinarat, acciderant, intimis sensibus magis magisque angebatur. neque tantos

Romanorum & Tridentinorum Præsulum mutuæ hinc inde querelæ.

Pontificem item alia ex alijs anxium atque sollicitum habent.

tantos sollicitudinum aculeos sentiebat ex opinione maioris partis Patrum de residentia, quantos ex negotiationibus in eam rem factis, ac præcipuè ab Principum Oratoribus, inde persuasus Principes ipsos de authoritate illius oppugnanda esse sollicitos. Videbat *Cæsaris* cogitationes ad filium in *Regem Romanorum* creandum conuersas, adeoque ad *Germanos* omnibus officijs demerendos. eamque ob caussam, & reformationis capita Legatis exhibenda curasse, & Oratorem *Pragensem* ad se euocasse, vt rationem eorum in Synodo proponendorum ac statuendorum expediret. Regem item *Galliarum* opibus exhaustis innumeris difficultatibus circumsessum, & ad pacem cum *Hugonotis* faciendam prope coactum. Id si fiat, mox Præsules omnes Gallos ad Concilium conuolaturos, tum Hispanis accessuros, aut certè nouos articulos contra authoritatem Pontificiam excogitaturos. Hanc procellam ingruentem opere & verbis disijciendam ratus, quatuor millia *Heluetiorum*, & equites *Germanos* ter mille conducere statuit: *Nicolaum Gambaram* cum quingentis peditibus, & centum equitibus Ferentarijs *Auenionem* mittit. item pecuniam *Sabaudiæ* Principi, vt suos armaret, & *Hugonotis* obijceret, si descensionem in *Italiam* tentarent. Atque vt Principes omnes inescaret, decreuit cum ijs agere de fœdere defensiuo Catholicorum omnium contra Protestantum vbicumque locorum machinationes, facilem ab singulis assensum sibi spondens, hoc certe, si non alio intuitu, ad sese mutuis suspicionibus liberandos. Principes omnes *Italiæ* eò adducere perfacile videbatur. *Florentiæ* enim Ducem sibi addictissimum. *Sabaudi* plurimum interesse, quem ille pecunia iuuerit, & propter proprium periculum: *Venetos* percupidos nationes omnes Transmontanas procul *Italiâ* habere. Regem *Hispaniæ Neapolitani* regni, & *Mediolanensis* Ducatus caussa eadem necessitate vrgeri: Perinde atque *Galliam*, quæ in magnis versatur angustijs. Itaque *Cæsareo* & *Veneto* Oratori *Romæ* rem proponit. Abbatem *S. Saluti* in *Galliam*, & *Odescalcum* in *Hispaniam* eadem caussa mittit. cui simul mandat, vti apud Regem de Episcopis *Hispanis* querimoniam habeat, quòd vnanimes auctoritatem suam impugnent: eique commonstrent, articulos ab Imperatore propositos, ad schisma concitandum comparatos. Neque erat difficile ijs, qui varios Principum fines etiam veluti per transennam aspiciebant, quem exitum id consilij habiturum esset, antè videre. *Cæsar* enim nullis legibus commodaturus erat assensum ijs, quibus Protestantes suspiciosiores redderentur. *Galliæ* Rex tantum aberat à Protestantibus aditu *Italiæ* arcendis, vt nihil illi accidere posset optabilius, quàm vt ad vnum omnes regno *Franciæ* facesserent. Rex verò *Hispaniarum* tot latifundiorum in *Italia* Dominus, ab Principum *Italiæ* consociatione magis abhorrebat, quàm sitiebat excidium hæreticorum. *Veneti* denique cum *Duce Florentino* ab ijs omnibus alienissimi erant, quæ *Italiæ* quietem interturbare possent. Et reuera is fuit suscepti euentus. nemo vnus Principum fœderi subscribere volebat; singulis propriam aliquam caussam allegantibus, sed communem vnam, fore vt Concilij progressus sic impediretur. Quanquam plerique credebant, id si accidisset, Pontifici ingratum haud futurum; ipso, vt eam alerent opinionem, occasiones vtique ministrante. Nam in Cardinalium Consistorio recèns proposuerat, vt Synodi continuationem à *Tridentinis* Patribus curaret declarandam; residentiam vero ipse declararet. Quæ quidem quominus effecta darentur Cardinalis *Carpensis* suffragio factum est: qui, maiore Senatus parte approbante, censuit, non esse è re Pontificis, Sedisque Apostolicæ, quæ sunt odiosa, quæque alterutrius partis animos abalienare possunt, se auctore decerni; sed longè præstabilius esse, ea in præsens Concilio liberè relinqui.

Ferdinandus. Philippus 2.

Remedia malis ingruentibus ab se.

Item ab fœdere publico defensiuo Principum Catholicorum contra Protestantes.

Eius paciscendi probabilitas.

Eiusdem conficiendi difficultates.

Sanum Cardinalis Carpensis Pontifici consilium.

Neque tamen temperabat sibi, quin de Oratoribus omnibus in Consistorio quereretur. De Gallis aiebat, *Lansacum* in postulatis suis videri Oratorem *Hugonotorum*, dum Patres oratos vult, vt *Regina Angliæ*, *Heluetij Protestantes*, *Duces Saxoniæ* & *Wirtembergi* expectentur in Concilio, pro hostibus ac perduellibus pridem denunciati, neque aliud spectantes, quàm vt Synodum corrumpant, & *Hugonotorum* opinionibus imbuant. se verò curaturum, vt in fide Catholica persistat; neque deesse sibi efficiundi facultatem. Eundem cum collegis patrocinari nonnullis, qui auctoritatem Concilij supra Papam disputationibus tuentur. quæ opinio cùm hæretica sit, eius

Pontificis in Consistorio de Oratoribus Principum querimoniæ.

quoque

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

quoque fautores esse hæreticos, quibusuis persecutionibus & supplicijs castigandos. Præterea, Oratores eos instar *Hugonotorum* viuere, neque sacramento debitam reuerentiam exhibere. *Lansacum* in mensa coram multis, quos inuitauerat, Præsulibus dixisse, tot Episcopos è *Gallia* & *Germania* ad Synodum venturos, vt Idolum *Romæ* sint profligaturi. De vno itidem è Legatis *Venetis* apud eum Senatum questus est. Cardinales *Mantuanum*, *Seripandum* ac *Warmiensem* Galero Cardinalitio profitebatur esse indignos. Et de Præsulum vnoquoque secundum occasiones loquebatur, cum singulorum amicis agens, vti eum per literas monerent. Quæ omnia ab eo gerebantur ac dicebantur (vtut non omnibus fidem adhiberet) non linguæ intemperantia, sed de industria, vt varijs artibus vnumquemque, alium metu, hunc pudore, illum ciuilibus officijs ad sui excusationem impelleret; quam summa cum facilitate ac benignitate accipiebat, promptum sese præbens ad meliora credenda. Neque credibile est, quantum rebus ipsius promouendis hac ratione momentum accesserit, alios lucrifaciendo, atq; vt alij circumspectiùs ac remissiùs sese gerant, efficiẽdo. Vnde cum ingenio esset ad bene sperandum valde procliui, genium sequutus iactabat, omnes contra ipsum antea fœderatos, sed tandem in ipsius gratiam omnes conspiraturos, quòd ipsius ope omnes indigeant, & suppetias vnus, alius gratias requirat.

Item de Præsulibus in Synodo.

Quos varijs artibus sibi deuincire & conciliare conatur.

Inter multos Præsules, quos Pontifex postremùm Româ ad Concilium miserat, sicuti iam dictum est, erat *Carolus* de Vicecomitibus, Episcopus *Ventimigliensis*, Mediolanensis olim Senator, multis obitis Legationibus vir rerum experientissimus, & iudicio admodum acuto. Hunc prima post Concilium promotione Cardinalem creauerat, & nunc promissis onustum, tanquam secretum ministrum *Tridenti* adesse voluit. Commissum ei, vt cum diuersis ea coràm tractaret, quæ chartis minimè inserenda videbantur: vt de Legatorum dissensionibus ipsum commonefaceret, earumque caussis; vt Episcoporum affectus, opiniones, & artes accuratè obseruaret: deque alijs omnibus magni momenti rebus singillatim perscriberet. Eidem imperatum, vt Cardinalem *Mantuanum* præ alijs omnibus Legatis obseruaret: sed cum *Simoneta*, qui optimè mentem ipsius nouerat, consilia communicaret: atque omni studio incumberet in id, vti declaratio residentiæ in perpetuum soporem daretur. si id minus posset, saltem ad finem vsque Synodi interquiesceret. si ne hoc quidem, certè quoad posset, in longum extraheretur: rationibus omnibus, quas in eam rem facere animaduerteret, adhibitis. Ei quoque schedulam dedit nominibus eorum inscriptam, qui à partibus Romanis in eadem caussa stetissent; quibus & gratias agi, & calcar ad fortiter pergendum addi, & gratitudinis spem inijci præcepit. Cæterum quomodò aduersarum partium Præsules essent habendi arbitrio ipsius permisit. tantum monuit, interminationibus vtendum vegetis, sed absque verborum acrimonia: anteactorum obliuionem ijs promittendam, qui sese ipsi permitterent: ac Cardinalem *Borromeum* de omnibus certiorem faciendum. quod ab eo sedulò factum. Epistolarum verò de ea re prudenter admodùm ac iudiciosè conscriptarum commentariolum mihi videre contigit, è qua eorum, quæ dicenda sunt, bona pars desumpta.

Episcopus Ventimigliensis à Pontifice ablegatur Tridentum, secretũ ministrum acturus.

Commentarius Literarum Episcopi Ventimigliensis.

Verùm vbi ad Pontificem tandem allatum est, quid *Mantuanus* de residentia Patribus promisisset difficultate diuertendi tractationem eius articuli, dissidioque inter Legatos coorto, animaduersis, subuereri cœpit, annon maiorum malorum catena necteretur, in eo capite veluti maximi momenti, non rem modò suam, sed & existimationem verti arbitratus. Quam enim spem superesse reprimendi conatus ministrorum alijs Principibus inseruientium, si suorum audacibus consultis non prospiciat? Itaque cùm morbum, qui vitales iam partes inuaserat, potentibus remedijs depellendum cerneret, statuit suam aduersus *Mantuanum* indignationem palam testari, hunc inde sibi fructum spondens, vt ille aliam agendi rationem capesseret, aut missionem honestam postularet, certè *Tridento* discedendi caussam aliquam comminisceretur: vnde si fortassis Concilij dissolutio sequutura esset, nihilo deterius rebus suis consuleretur. Primùm igitur, quæ ad *Mantuanum*, vti principem inter Legatos perferebantur mandata, ea ad *Simonetam* perscribi imperat: dein ex albo Cardinalium *Romæ* Tridentinis consultationibus præpositorum Cardinalem *Gonzagam*

Pontifex Cardinal. Mantuano iniuria iratus, iracundiam in eum indignis modis exercet.

gam expungit, eique per *Fredericum Borromeum* nunciari iubet, Cardinalem patruum suum de euertenda Sede Apostolica capere consilia, verùm ea haud dubiè in suum caput familiæque suæ ruinam recasura. Etiam Cardinali *S. Angeli*, qui *Mantuæ* erat amicissimus, quid gestum sit, denarrat; se illi infensissimum ostendit; nec minus iratum *Camillo Oliuo* Cardinalis Secretario, quasi re non præstiterit, quæ verbo receperat ab hero *Romam* ad se missus. quod certè misero magno constitit. vtcumque enim Cardinalis Pontificis sibi gratiam reconciliarit, ille tamen hero vita functo *Mantuam* cum heri corpore reuersus, ab Inquisitoribus multiplici obtentu in carcerem conditus, multa diu perpessus est. Hunc ego quidem virum angustijs hisce liberatum multa virtute cognoui, & meliori fortuna dignum.

Ferdinandus Philippo 2.

Et in Secretarium eius Camillum Oliuum.

Pontifice sic affecto Archiepiscopus *Lancianensis* venit *Romam*. Ei inter alia vnas literas exhibet, supra XXX. Episcoporum chirographis subscriptas, qui à partibus residentiæ stabant. His queruntur immerito suo alienatum à se Papam: attestanturque, sibi nunquam venisse in mentem opinione sua auctoritatem Pontificiam labefacere; quam parati sint contra omnes mortales defendere, atque omni sui parte inuiolabilem tueri. Eæ literæ dici non potest, qualiter Pontificis animum affecerint, tum ad Legatorum *Mantuani*, *Seripandi* ac *Warmiensis* literas benignè accipendas; tum ad narrationem *Archiepiscopi* comiter audiendam. Is quæ acta essent, singillatim commemorans, suspicionem conceptam maxima parte leuat. Dein ad Cardinales excusandos Pontifici ostendit, eos, cùm præuidere non possent aliquid inde incommodi nasciturum, quam animis conceperant opinionem, verbis palam expressisse: post verò exortis nulla ipsorum culpa, aut defectu, contentionibus inter Patres, ipsorum ad eam opinionem propugnandam accessionem, maximum Beatitudini suæ, vniuersæque Curiæ Romanæ decus peperisse. Non enim obiectari potuisse, Pontificem & Curiales suos contradicere opinioni, quæ ab omnibus pia habetur ac necessaria. Præterea ex eodem successu & Legatis ipsis apud Præsules magnum nomen, & authoritatem partam, & ad moderandum nonnullorum impetum viam factam; vnde alioqui cum insigni Ecclesiæ detrimento, magna sine dubio scissura exoritura fuisset. Tum narrat frequentia & potentia Legatorum officia ad Præsules pacandos, & ignominiam ijs inustam ab his, qui profitebantur se contra conscientiam tacere non potuisse. Adhæc pericula impendentia, & necessitatem, quâ *Mantuanus* ad promittendum adactus. Atque ad suspicionem omnem ex animo Pontificis eluendam retulit, maiorem partem Præsulum offerre, se, eum caput Ecclesiæ Sessione proxima declaraturos; eamque Legationem sibi imposuisse, quam multis de caussis scripto consignandam non putabant: è quibus tam multos nominibus suis designauit, vt Papa in admirationem raptus dixerit, improbas linguas & nequiores calamos Patres eos longe alijs coloribus sibi depinxisse. Ostendit porro Principum administros in Concilio promouendo tam firmiter vnitos ac sociatos, ac Præsules ad quiduis pro eius continuatione perpetiendum ita comparatos, vt eius dissoluendi occasio nulla sese datura videretur. Tractationem autem de residentia eò vsque prouectam, Patribus conscientiæ & honoris, Oratoribus verò existimationis suæ caussa sic ad eam defendendam obligatis, vt de controuersiæ eius definitione neganda sermo omnino habendus non sit. Exemplari denique exhibito postulatorum à *Cæsareis* Legatis propositorum, docet omnia eò tendere, vt Papa Concilio Iurisdictionis suæ apicem summittat: Cardinalis verò *Mantuani* prudentiam & solertiam, quá ne in Congregatione proponerentur vitauerat, summè prædicat. Ad extremum concludit, quandoquidem nullo remedio, vel arte, quæ facta sunt, infecta reddi possunt, Pontificem pro sua sapientia casui plurimum tribuentem, si quid forte fortuna occurrat non malitiosè, sed indiligenter, parúmque circumspectè à quouis factum, solita benignitate antefactis veniam daturum; vt deinceps verò omnia ex sententia animi cedant pro imperio præcepturum; cupientissimis omnibus, vt nihil quidquam aut proponatur, aut tractetur, quod non prius ab Beatitudine sua consultatum fiet ac deliberatum.

Archiepiscopi Lancianensis in Legatis & Prælatibus excusandis, ac Pontifice demulcendo opera.

Pontifex hac rerum Synodalium relatione diligenter considerata Archiepiscopum quamprimùm remittit, cum literis ad Legatos, & alios nonnullos eorum, qui literas

Lancianensis cum literis & mandatis Tridentum remittitur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

literas ad se datas obsignarant. Ei mandat, vt cunctis suo nomine significet, se velle Concilium liberum, omnes ex amini sui conscientia suffragia ferre, & Decreta secundum veritatem fieri. Non esse se animo alienato & offenso, quòd Præsules huic magis, quam illi sententiæ suffragentur; sed magis ob negotiationes & artes, quibus hominum animis ac persuasionibus vis quædam afferri videtur: tum propter contentiones & verborum amarulentiam inter ipsos natam: quæ Concilij generalis dignitati parum respondent. Neque sese opponere residentiæ determinationi, sed suadere potius, vt feruoris, qui rapit transuersos, desinant. neque dubitare, quin, vbi animis conmitigatis solum Diuini Numinis cultum, & Ecclesiæ bonum respexerint, argumentum illud maximo cum fructu possit tractari. Etiam Cardinali *Mantuano* annuit vti significetur, se maximo cum gaudio ipsius innocentiam amoremque perspexisse, eiusque indicia manifesta aliquando daturum. Orare interim elaboret, vti Synodus finem ocyus habeat, quoniam ex sermonibus cum *Lancianensi* perspexerit mense Septembri claudi posse. In communibus quoque ad omnes Legatos literis scripsit, vti vestigia Concilij sub *Iulio* sequuti, resque eo Concilio digestas repetentes, eas continuò fine facto determinarent.

Decommunione Calicis à Theologis disceptatur, eiusque necessitate ex diuino præcepto.

Per id tempus in Congregationibus Patres Tridentini Theologorum opinionibus super XVI. articulis audiendis incumbunt, die IX. mensis auspicati, & XXIII. desinentes. In his etsi LX. Theologi verba fecerant, nihil tamen dictum magno opere obseruandum. Cum enim disputatio ea esset noua, neq; à scholasticis pertractata, sed in Constantiensi Concilio quasi primo saltu definita, atque à Bohemis vi armisq; magis, quàm ratione ac disceptationibus defensitata, nihil erat aliud Theologis euoluendum, præter nonnulla à pauculis aliquot scriptoribus, quos Lutheri propositiones excitarunt, proximis XL. annis conscripta. Vnde inter omnes facilè conuenit, nullam esse Calicis necessitatem, neque vllum extare de eo præceptum. Ad hanc conclusionẽ probandam, citant omnes Noui Testamenti locos, in quibus solius panis fit mentio, sicut *Ioannis* cap. VI. *Si quis ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum.* Ab ipso tempore Apostolorum contendunt solam speciem panis in frequenti vsu fuisse, sicut apud *D. Lucam* legitur, Discipulos in *Emaus* in fractione panis *Christum* agnouisse: sed de vino ne verbum quidem. Et *D. Paulum* in mari naufragũ benedicere pani, vini autem non meminisse. Item inter antiquos Canones, multos facere mentionẽ Cõmunionis Laicæ, quæ à Clericorũ communione differat, neq; id discrimen in alio, quàm in participatione Calicis consistere. His addunt typos veteris testamenti. *Manna* enim, quod Eucharistiam præsignificabat, potus nullum genus habere coniunctũ. *Ionathan* melle gustato non potasse, aliaque eiusdem generis, quæ ad nauseam repetita, patientẽ auditorẽ requirebant. Neq; silentio prætereundũ, quod ab *Iacobo Payua Lusitano* serio allatum, Christum & præcepto, & exemplo declarasse, speciem panis omnibus, Calicem verò solis Sacerdotibus concedendum. Ipsum enim pane consecrato dedisse eum Apostolis, cum adhuc essent laici, & vniuersum populum repræsentarent, cum mandato, vt de eo comederent omnes. Dein ordinasse Apostolos Sacerdotes, his verbis, *Hoc facite in mei commemorationem*: ac tandem consecrasse Calicem, & eisdem iam in Sacerdotes consecratis porrexisse. Verùm prudentiores quique hoc genus argumentorum pro leui ducentes, duobus potissimùm insistebant. Vnum erat, Ecclesiam à Christo habere potestatem res accidentales in Sacramentis immutandi. In Eucharistia autem tanquam sacrificio vtramque speciem esse necessariam, sed tamquam sacramento vnam solam. itaque rite potuisse Ecclesiam vnius tantummodo vsum imperare. Atque id inde confirmabant, quod Ecclesia quasi in ipso principio formam Baptismi per inuocationem *S. Trinitatis* semel innouarit in solam *Christi* inuocationem: dein ad diuinam institutionem redierit. Alterum argumentum erat, Ecclesiam errare non posse. Cum autem ea vsum solius speciei panis introduxerit, idque tandem Concilium *Constantiense* approbarit, iure dicendum, nullum extare præceptum diuinum, aut necessitatem in contrarium. Verum *F. Antonius Mondulphensis*, Episcopi *Pragensis* Theologus, præfatus se in hoc idem sentire cum alijs, nullum esse præceptum diuinum, monuit, non minus pugnare cũ doctrina Catholica dare Calicem laicis per præceptũ diuinũ, quam,

Super articulo I°. Probatur nullam esse calicis necessitatem.

Ridiculum Payuæ Lusitani argumentum.

Duo maioris ponderis argumenta.

Mondulphensis superiorum argumentorum imbecillitate commonstrata, Concilij Constantiensis decreto standum censet.

quam eundem ijs negare præcepto diuino. Ideo id genus argumenta in eum modum cōcludentia esse segreganda, perinde ac illud de discipulis in *Emaus*, & *D. Paulo* in nauigio, quoniam ex ijs posset colligi, non esse sacrilegium, vnam speciem absque altera consecrari: quod cum mente omnium Doctorum, & sensu Ecclesiæ pugnat; simul, distinctionem de Eucharistia allatam, vt est sacramentum, & vti est sacrificium, planissimè eneruat. Constare insuper ex Ordinario Romano, distinctionem communionis in laicam & clericalem, esse locorum in Ecclesia, non sacramenti accepti diuersitatem. Præter hæc, ex ea ratione posse colligi, non solos celebrantes sed vniuersum clerum calicis esse participes. De authoritate Ecclesiæ in mutandis rebus accidentalibus sacramentorum minime esse ambigendum; sed hisce temporibus id non disceptandum, vtrum calix sit quid accidentale, an substantiale. Concludit igitur articulum hunc commodè posse omitti, quippe ab *Constantiensi* Concilio hactenus definitum: quartum vero ac quintum accurate tractandos, siquidem calice tot nationibus, quot eum flagitant, concesso, alias omnes disceptationes superuacaneas, imo damnosas esse. In eandem sententiam loquutus quoque *F. Ioannes Paulus* Episcopi Quinquecclesiensis Theologus. Sed omnibus inuitissimis auditi, quòd contra animi sui conscientiam loqui putarentur: hic domini præsentis rogatu; ille heri, antequam *Tridento* abierat, mandatu.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Super II. articulo vnanimis quoque fuit Theologorum pro affirmatiua consensus; quorum rationes ad III. capita reducebantur. I. Erat conformatio ad vetus Testamentum; vbi populus in sacrificijs ciborum Deo oblatorum partem capiebat, libaminum vero nullam. II. vt populo omnis amputetur occasio credendi aliud sub specie panis, & aliud sub specie vini contineri. III. erat periculum irreuerentiæ. Atque hic, quæ à *Io. Gersone* olim recitata, recensentur. Nempè ne sanguis vel in Ecclesia, vel dum portatur, præsertim hyeme per montes possit effundi; ne laicorum promissis barbis adhærescat, ne dum asseruatur acescat; ne vasa satis capacia, quæ decem aut viginti millibus hominum sufficiant, vix reperiantur; ne alicubi, vbi vinum carè emitur, nimij sumptus fiant; ne vasa parum munditer habeantur; ne Laici pari cum Sacerdotibus dignitate constituantur. Atque eas rationes iustas esse ac legitimas necessariò inde euincebant, quod alioqui tot seculis Præsules omnes & Doctores falsum docuissent; imo Ecclesia Romana, & Concilium *Constantiense* fœdè errassent. Sed ipsi Patres, eos, qui istiusmodi rationes (vltimam excipio) afferebant, risu excipiebant. Nam si Ecclesia totis XII. seculis, etiam cum maiori paupertate laboraret, rationem reperire potuit, qua periculis hisce obuiam iret, nostris hisce tempestatibus multo esse procliuius incommodis ante memoratis occurrere.

Super II. rationes adferuntur, ob quas Calix Laicis non sit communicandus.

Incommoda recensentur, à quibus periculum in calicis communione.

Super III. articulo ad euincendum, totum *Christum* sub vna specie sumi, argumentum ex doctrina Theologorum de concomitantia fuit allatum. Etenim cùm corpus *Christi* virtute consecrationis existat sub pane, post *Christi* verba omnis potentiæ & efficaciæ plena semel pronunciata, *Hoc est corpus meum*: cumque corpus *Christi* sit viuum, sanguine & anima non defectum, & cum diuinitate coniunctum, illud fixum manebat & indubitatum sub panis specie totum *Christum* sumi. Sed inde colligebant nonnulli, simul omnes *Christi* gratias recipi, quando ei, qui totum *Christum* possidet, nihil deesse potest, qui vnus abunde omnibus sufficit. Alij contrà consequentiam eam negabant aut necessariam, aut probabilem, sumendo *Christum*, omnem eius gratiam recipi; quoniam baptizati etiam iuxta *D. Paulum*, omnes *Christo* sunt pleni: quibus tamen nihilominus cætera sacramenta conferuntur. Et quia argumenti huius vim quidam declinabant, affirmantes, necessaria esse reliqua sacramenta propter peccata post baptismum commissa, alteri replicarunt, priscæ Ecclesiæ consuetudine baptizatos è vestigio ad communionem admissos. Vnde, quemadmodum ex eo, quòd quis per Baptismum Christo erat plenus malè sequeretur, Eucharistiam alias gratias non conferre: ita ex eo, quod quis totum Christum sub panis specie sumpserit, non recte colligi, nullam aliam gratiam beneficio calicis percipi. Neque sine summa absurditate astrui posse, Sacerdotem qui in missæ celebratione corpus Domini, adeoque totum *Christum* sumpserit, bibendo calicem nullam

Totū Christū sub vna specie sumi probatur ex concomitantiæ doctrina.

An qui Christum sub vna specie sumit, omnes eius gratias recipit.

nullam gratiam percipere. Nam alioqui ea actio bibendi indifferens esset & inanis. Porro communi scholasticorum & Ecclesiæ doctrina esse definitum, in omni actione sacramentali, virtute operis ipsius, quod vocant *Ex opere operato*, gradum aliquem gratiæ conferri. Cum autem negari non possit, bibere sanguinem Christi actionem esse sacramentalem, nihilo plus suam illi gratiam specialem esse denegandam. In hac controuersia maior pars Theologorum tenuit, modò sermo non instituatur de quantitate gratiæ, quæ respondet modulo recipientis, sed de ea, quam scholastici vocant sacramentalem, eam esse æqualem in eo, qui vnam solam speciem sumit, atque in eo, qui vtramque. Alteram opinionem numero quidem pauciores, sed maiore cum efficacia propugnabant. Super hoc articulo (quo animo, aut qua fini nescio) longiusculè progressus est *F. Amans Seruita Brixianus*, Episcopi *Sebenicensis* Theologus, secundæ huius opinionis patronus, qui *Thomæ Caietani* doctrinam allegans, sanguinem non esse partem humanæ naturæ, sed primum alimentum, atque addens, dici non posse, corpus necessariò alimentum suum trahere in concomitantiam, inde inferebat, quod sub vtraque specie continetur, non omnino esse idem. simul addebat, sanguinem in Eucharistia iuxta verba *Christi*, esse sanguinem effusum, adeoque extra venas (in quibus quandiu detinetur, potus esse nequit) ac proinde, cum vena in concomitantiam non posse trahi. Immo Eucharistiam institutam in memoriam passionis Christi, quæ facta per separationem, & effusionem sanguinis. Hac opinione proposita, ingens & à Theologis qui aderant, & in subsellijs excitatus strepitus. Quo ille composito, quæ dixerat retractans, excusat se calore disputationis abreptum rationes aduersariorum tanquam suas attulisse, quas tamen refellere tandem decreuisset. Et quidem certè reliquum sermonis in rationibus ijs confutandis impendit, veniam sibi dari precatus ob scandalum datum, quod inter disserendum non priùs apertè monuisset, rationes eas esse captiosas, & sententiæ suæ contrarias. Atque ita orationis finem fecit, de reliquis tribus articulis nihil omnino loquutus.

> Amans Seruita Protestantium sententiæ accedens, contendit sub vtraque specie in sacramento non idem contineri.

> Quam coronæ dissentientis strepitu perterrefactus retractat, & refellere studet.

Vbi ad IV. articulum ventum, admirabile est, quanta conspiratione Theologi Hispani, alijque omnes Hispaniæ addicti pertenderint, nullis legibus vsum Calicis *Germanicæ* nationi, aut alteri cuiuis permittendum. Eorum quæ ab ipsis dicta, hæc fuit summa. Quandoquidem nulla causarum, quæ superioribus seculis Ecclesiam impulerunt ad Calicem populo adimendum adhuc desierit, sed omnes magis quàm olim vigeant; atque ad has nouæ validiores magisque essentiales accesserint, æquissimum esse Concilij *Constantiensis*, imo Ecclesiæ veteri ac recenti Decreto adhærescere. Quod autem pericula irreuerentiæ attinet, quæ primum genus causarum constituunt, ea in præsentia magis, quàm vmquam antehac formidanda. Tum temporis neminem extitisse, qui non firmiter crederet realem ac naturalem Christi in Sacramento post consecrationem, quamdiu species manebant, præsentiam. Calicem nihilominus etiam tunc sublatum, quòd homines sanguini *Christi* debitum ac necessarium honorem non deferrent. Nunc verò quem cultum, quamue reuerentiam expectandam? alijs realem præsentiam negantibus; alijs non nisi in ipso Sacramenti vsu eam admittere contentis. Pietatis feruorem in hominibus bene Catholicis valde refrixisse: studium verò rerum humanarum, iuxta atque incuriam diuinarum vehementer auxisse. Inde iustam esse metus caussam, ne negligentia maior maiorem pariat irreuerentiam. Sacerdotes ab alijs hominibus magis quàm vmquam aliàs hac tempestate discriminandos, qua Protestantes eos in odium apud populum adduxerunt, doctrinamque illam proseminarunt, quæ exemptiones aufert, secularibus eos magistratibus subijcit, potestate dimittendi peccata priuat; atque vt tum à populo ad ministerium vocentur, tum iussu populi munere submoueantur, præscribit. His scilicet Ecclesiam debere impelli ad ritus eos omnes studiosè conseruandos, quibus ad ipsorum existimationem aliquid adijcitur. Periculum ne vulgus falsas induat opiniones, sibique persuadeat aliud Calice, quàm specie panis contineri, hoc tempore esse præsentius propter nouitates vulgo sparsas. Plerique dictitabant Calicem ab Ecclesia prohibitum odio erroris *Nestoriani*, qui, cum non crederet totum Christum sub vna specie latere, & nouitiorum hæreticorum nonnulli idem profiteantur,

> IV. Articulus excutitur: in quo exagitando Hispani nullo aspectu Laicis cuiusuis Nationis calicis vsum concedunt.

> Calicis vsum olim prohibitum odio erroris Nestorij à nonnullis asseritur, sed falsò.

antur, par esse, vti ea prohibitio minime relaxetur. Quid assertione hac sibi velint, mihi satis assequi non datur, qui nunquam legerim *Nestorium* tale quidpiam tenuisse, aut hodiernos nouatores hoc causæ suæ patrocinium quæsiuisse. Tertium vero periculum, ne auctoritas Ecclesiæ vilescat, & argumentum inde ducant, auferendo laicis Calicem, Ecclesiam errasse, dicebant non tam instar periculi timendum, quam pro certissimo euentu habendum. Neque enim Protestantes alium ob finem calicem vrgere, nisi vt inde adstruant Synodum errore pristino deprehenso, eum concessione calicis emendatum velle, tanquam de victoria parta triumphaturi, atq; ab hoc articulo ad aliorum Ecclesiæ rituum innouationem postulandam transitum facturi. Et errare quidem longè, qui credat Germanos hic acquieturos, in cæteris verò animum inducturos se Concilij Decretis submittere. quin gradum inde facturos ad tollenda ieiunia, & ciborum discrimina; ad matrimonium Sacerdotum, & Iurisdictionis Ecclesiasticæ abolitionem quoad exteriora petendam: qui scopus est vniuersorum. Rem non credendam, esse verè Catholicos, qui calicem deposcant. Nam Catholicos, omnes credere, Ecclesiam errare non posse; nullum cultum aut obsequium Deo gratum, nisi huic probatum: atque obedientiam Ecclesiæ summam esse hominis Christiani perfectionem. Pro certo tenendum, quicunque calicis communionem petit, eam vti necessariam ducere; quicunque autem eam tenet sententiam, Catholicum non esse. Ad hæc, neminem calicis vsum ideò poscere, quod credat, absque concessione Synodi se non posse legitimè eo vti: sed magis, ne Principes sui ipsos interpellent & impedimenta obijciant. qui si populis suo viuere ingenio permitterent, id illi sine cuiusquam concessione subito sibi arrogarent. Huius rei certissimo documento esse, quòd non populi, sed Principes Synodo supplicent: quorum hi absque decreto legitimo nouitati locum dari nolint: illi suæ ipsorum voluntati, quàm Concilij decreto eam debere malint. Cumque argumentum hoc Theologi valdius premerent, *F. Franciscus Foriero Lusitanus* vocem emisit consessus iudicio petulantis audaciæ indicem; Principes eos, qui calicem postulant, permissu Concilij velle euadere Lutheranos. *Hispani* in hac caussa id inprimis considerandum monent, si *Germanis* illud concedatur, id ipsum *Italos* & *Hispanos* flagitaturos; nec sine iniuria posse denegari. Inde nationes eas addiscituras & Ecclesiæ imperium detrectare, & aliarum legum Ecclesiasticarum innouationem requirere. Vt iam ratio nulla magis compendiaria detur, quà gens Catholicissima in Lutheranam euadat, quàm si calicis potiundi facultas permittatur. *Franciscus Torrensis Iesuita* hic oportunè dictum Cardinalis *S. Angeli* summi Pœnitentiarij commemorat, Satanam solitum transformare se in Angelum cœlestem, & ministros suos in ministros lucis ad fideles in fraudem pelliciendos: nunc verò sub calicis & sanguinis Christi inuolucro atque operimento hortari ad calicem venenatum populo propinandum.

Nonnulli addebant prouidentiam Diuinam, quæ Ecclesiæ regimini præest, Concilium *Constantiense* superiori seculo inspirasse ad Decretum de remouendo à Laicis calice stabiliendum, non ob eas solum rationes, quas ea tempestas suppeditabat, verùm hoc quoque aspectu, quòd si calix in vsu nunc esset, non temerè signo aliquo exteriori Catholici ab hæreticis distinguerentur. Sublata verò ea distinctione, Protestantes cum fidelibus in eandem sese Ecclesiam immiscerent, fieretque, quod dicit *D. Paulus, vt modicum fermentum totam massam subito corrumperet.* sicque Calicem concedendo, hæreticis latior ad nocendum Ecclesiæ campus daretur. Alij, quos fugiebat idem postulatum Pontifici fuisse exhibitum, atque ab eo ad se onere leuandum, & rem in longum extrahendam, reiectum ad Concilium, sinistrè accipiebant, eo tempore quid tale à Patribus in Synodo, ac non ab ipso Pontifice flagitari: id fieri suspicati, ad concessionem, si qua impetraretur, alienis interpretationibus ampliandam: vnde noua Concilij conuocandi necessitas incumberet.

Atenim qui Cæsaris totque aliorum Principum ac populorum desiderijs aliquid concedi posse putabant, mitiùs minusque rigidè agendum suadent, neque sinistris interpretationibus pias fratrum infirmorum preces eludendas; sed præceptum *D. Pauli* magis sequendum, vt etiam in *imperfectorum defectus sese transforment, ad eos Christo lucrifaciendos:* neque tam humanis famæ & existimationis aspectibus abducantur, quam

Ferdinandus. Philippus 2.

Fratris Lusitani de Principibus Calicem flagitantibus arrogans procaxque dictum.

Et Iesuitæ improbum ac contumeliosum.

Alij animi sui acerbitatem prouidentiæ imputant.

Contra alij infirmis fratribus aliquid condonãdum charitatis aspectu sentiunt.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

quam charitatis norma dirigantur: quæ alijs omnibus conculcatis, etiam prudentiæ & sapientiæ humanæ, cuique cedit & compatitur. Dicebant, inter rationes ab alteris allatas has solas consideratione dignas; quòd Lutherani se victoria potitos iactaturi sint, cùm in confesso sit Ecclesiam antea errasse: tum, quòd ab hoc ad alia maiora postulanda gradum facturi. verùm tota via errare qui credat, negando calicis vsum os ipsis posse obturari. satis enim iam iamque ab ijs dictum, in hoc erratum esse admissum: postmodum dicturos, errori additam peruicaciam, animique obstinationem. Mutationem certè non esse rem nouam, aut Ecclesiæ indecoram, vbi agitur de Constitutionibus humanis. Ecquis enim ignorat eadem non omnibus temporibus conuenire? innumerabiles esse ritus Ecclesiasticos, & introductos, & obliteratos. neque esse contra decorum Synodi, ritum aliquem vtilem existimasse, quem euentus inutilem comprobarit. Denique animum inducere, nullum petendi innouandiq; finem facturos, id hominum esse suspiciosorum, & in commodis suis nimis auidè captandis iniquorum. simplicitatem charitatemque Christianam *B. Paulo* teste, *nihil mali suspicari, omnia credere, omnia tolerare, & bene sperare.*

Art. V. quibus legibus & cōditionibus calicis vsus concedendus sit.

Atque inter Theologos hi soli super V. articulo verba facturi videbantur, quandoquidem qui absolutè calicis communionem negabant, non habebant, quod de conditionibus quibus calix concedendus esset, dicerent. Iam horum duæ erant distinctæ opiniones. Vna eaque communior, vt calix ijs conditionibus concederetur, quibus ab *Paulo III.* concessus, de quibus suo loco dictum est. Altera huic contraria paucorum, nempe, quandoquidem calix permittitur Laicis, ad vacillantes in Ecclesia firmandos, id ita temperandum, vt effectus voto expetitus inde sequatur. Eas conditiones id afferre non posse; quin potius eos in Lutheranismum haud dubiè præcipites agere. Etsi enim certum sit, hominem verè pœnitentem debere eligere quoduis malum temporale potius, quàm vt peccet, *Caietani* tamen consilium fuisse, vt in hoc casu ad specificam comparationem nunquam veniatur; nempe vti dicat, se malle forcipibus candentibus aduri, aut in rotam imponi discruciandum, aut quid simile. illud enim esset tentare semetipsum citra necessitatem, & terroribus abs re sibi repræsentatis bono animi proposito excidere. Idem in ea, qua de agitur occasione euenturum. qui ambigunt & titubant, de Synodi erga eos gratia monitos, ea fore contentos, Deo Ecclesiæque eo nomine gratias acturos; alijs cogitationibus & nouitatibus relictis, sensim in fide robur viresque acquisituros. Expressum esse *D. Pauli* mandatum *infirmos in fide assumere, non disputando,* non opiniones & regulas ijs præscribendo, sed simpliciter, expectato tempore opportuno, quo vberiùs possint institui. Quod si quis hoc tempore in *Germania* conditionem proponat, vt hoc aut illud credant; dum in dubio est animus, in multas difficultates incursuros: dumque, quid credere, aut non credere debeant, secum animo volutant, in errorem aliquem nunquam ante meditatum fortean præcipitaturos. Ad hanc rationem addunt porro, si interea dum asseritur Ecclesiam iustis de causis calicem Laicis ademisse, idem rursus conceditur absque vllo remedio incommodorum, quæ auferendi ansam dederunt, sed alijs appositis conditionibus; apertam eam esse confessionem, calicem iniuria fuisse sublatum sibi. itaque optimum videri conditionum loco apponere remedia incommodis antedictis, hæc videlicet, Ne calix vnquam extra templum exportetur; Vt sola panis species ægrotis sufficiat; Ne diu asseruetur ad vitandum putredinis periculum; Vt fistulis vtantur, sicut olim in Ecclesia Romana, ad vitandam effusionem. his decretis facile appariturum, olim non temerè calici parcitum. Ita reuerentiam in hominum animis excitatum, populis ac Principibus satisfactionem datum iri, neque infirmos tentationibus adeo fore obnoxios. Inter *Hispanos* erat qui diceret, non ita facilè fidem eorum verbis adhibendam, qui affirmant Catholicos in *Germania* potiundi calicis tanta religione, & tam ardenti cupiditate flagrare: consultiùs sua quidem opinione facturos Patres, si nonnullis in *Germaniam* missis inquirant, qui illi sint, qui calicem sitiunt, quibus ad id aspectibus impellantur; ac qua sint de cætero fidei professione. Tum Synodum harum rerum narratione scientiorem factam, maturam solidoque nixam fundamento deliberationem posse inire, neque cæcorum in morem de coloribus iudicantium, alienis verbis fidere.

Arguitur conditiones neutiquam apponendas.

Conditionum loco apponenda remedia periculorum siue incommodorum, quorum mentio, in II. articulo excutiendo facta.

Sextum

Sextum articulum Theologi paucis absoluerunt, existimantes Eucharistiam non esse sacramentum necessitatis. Cum enim *D. Paulus* praeceperit ijs, qui illud sumpturi sunt, *vt seipsos prius probent* an digni sint, necne, censebant inde manifestum esse, sacramentum illud non posse ministrari, nisi ijs, qui recta ratione vti possunt. Quod si in veteri Ecclesia alicubi contrà obseruatum sit, id factum, vbi, & quando veritas non adeo clara ac perspecta fuit, atque hoc tempore. quare à Concilio statuendum, vti huius seculi vsus obtineat. Atque hic non deerant qui monerent, de antiquitate reuerentiùs loquendum, neque affirmandum, Patres illos priscos cognitione veritatis fuisse destitutos. *F. Desiderius Parnormitanus* ordinis fratrum *Carmelitanorum* solus censuit articulum hunc omittendum: quod cùm à nostri seculi Protestantibus id in quaestionem vocatum non fuerit, non videretur tempestiuum eius tractatione nouitates in medium adducere. rem ipsam in vtramque partem probabiliter disceptari posse. vbi vero percrebuerit agitatam in Synodo, multorum curiositatem ad altiorem disquisitionem facilè stimulatum iri, & cespitandi occasionem daturam. Enimuero facilè aliquem adduci posse, vt credat Eucharistiam sacramentum esse necessitatis non minus quàm Baptismum. Huius fundamentum esse in verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Sic illius, *Nisi carnem meam manducaueritis, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam.* Neque verò exceptionem paruulorum firmamentum satis probabile habere in *B. Pauli* praecepto, iubentis, vt quisque sese probet, quod à paruulis fieri non potest. Sacram enim Scripturam pariter praecipere, vt Baptismum praecedat professio doctrinae fidei. quod si ad adultos solos hoc restringendum sit, paruulis à baptismo minimè exclusis, vtcumque fidem addiscere non possint: sic examen quod praecedit Eucharistiam, de adultis solummodò accipiendum, paruulis eius communione non exemptis. Concludit igitur, se vsum paruulos non communicandi approbare; sed vt Concilium disceptationem super capite instituat, quod à nemine impugnatur, id vero omnino non probare.

Ferdinandus. Philippus I.

VI. art. de Sacramento coenae paruulis ministrando.

Argumentum astruendae Eucharistiae necessitati.

Peractis Congregationibus Theologorum, Legati inclinabant ad calicem *Germanis* concedendum conditionibus ijs, quas *Paulus* III. dixit, alijsque nonnullis. Vnde cum intimis congregati super I°. IV. & V. decretum formant, alijs sepositis, quoad difficultates à Theologis super ijs propositas extricent. Accersitis itaque in Congregationem Praesulibus, sciscitantur, an placeat tria decreta iam confecta dari, vt de ijs in prima congregatione sententias promant. *Granatensis*, qui in Legatorum mentem penetrauerat, & concessioni Calicis, vt qui maximè, refragabatur, negat recedendum ab ordine articulorum: qui cum sit essentialis, fieri non posse, vt ad IV. & V. decisionem ante veniatur, quàm de secundo ac III. sit statutum. At *Thomas Stella Episcopus Iustinopolitanus* vicissim negat conuenire dignitati Synodi formas logicas, aut honestas deliberationes artificijs frustrandas. Replicauit *Granatensis*, id ipsum à se desiderari, nimirum, vt ordine singula proponantur, confusioneque in procedendo vitata neutiquam impingant. huic accessit *Mutius Callinus* Archiepiscopus *Iadrensis*, *Iustinopolitano* autem in subsidium venit *Ioannes Thomas de Sancto Felicio* Episcopus Cauensis. Ab his duobus ad sales & dicteria itum. quod inter *Hispanos* primùm offensiunculam, dein inter Praesules susurrum excitauit, tandemque dimittendo coetui causam dedit: monitis prius ab Cardinale *Mantuano* Archiepiscopis, vt schedulas confectas legerent, & expenderent, quò altera congregatione de ordine tractandi statueretur.

Legati in calicis concessionem propendentes decretum formant.

De ordine cōtrouersiam mouet Granatensis: cui nec desunt refragatores, nec suffragatores.

Iam quia saepenumero acciderat, vti Congregationes subitò abrumperentur offensione ab aliquo primi nominis Praesule accepta, locus hic postulat, vt ordinaria eiusmodi euentum causa recitetur. Supra dictum est in Tridentina Synodo fuisse Episcopos magno numero, quos Papa pensione menstrua sustentabat. Hi omnes à *Simoneta* pendebant, quem vtilitatibus Pontificis prae alijs inuigilare, & habere mandata secreta agnoscebant. Ille vero iudicio pollens, prout cuiusque genius & ingenium erat, ita opera eorum vtebatur. Ex hoc numero cùm essent nonnulli ex audacia & facetijs misti, hos in Congregationibus opponere solebat ijs, qui consilia destinationibus suis contraria agitarent. Hi edocti erant artem prudenter & facetè

Card. Simoneta Episcopos aliquot faceta dicacitate cuiuis illudere peritos, in Praesules sibi in Cōcilio contrarios immittere putabatur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

facetè iocandi, alios irritantes & ludificantes, ipsi nec hilum perturbati, sed decorum passim seruantes. Et meretur sane opera ab ipsis Pontifici & Cardinali præstita, vti nominatim memorentur. Ex his duos supra nominauimus, Episcopos *Cauensem*, & *Iustinopolitanum*. Præter quos erant *Pompeius Zambeccarius Bononiensis*, Episcopus *Sulmonensis*, & *Bartholomaus Sirigo Cretensis*, Episcopus *Castellanetensis*. quorum quisque ad peruulgatas patriæ suæ artes, dotes eas addiderat, quæ in aula Romana comparantur. Horum opera offensiones inter *Mantuanum* & *Simonetam* (de quibus supra) intumuere, dum obloquiis & detractionibus *Mantuani* famam lædunt, nec malignis vocibus *Tridenti*, nec mordacibus literis *Romæ* parcentes. quæ *Simonetæ* ideo imputabantur, quòd ipsos plurimi faceret. Ille verò apud Secretarium *Mantuani*, & Episcopum *Nolanum* criminationes illas diluens profitebatur se, quòd tantum Cardinalem debita obseruantia non coluissent, amicitiæ illorum renuntiaturum fuisse, nisi rerum status opem eorum requireret, vt haberet scilicet, quos in Congregationibus Præsulum ineptijs opponeret.

De Mantuano ab ijs parum pro dignitate habito excusat.

Augustinus Paunigartner Orator Ducis *Baioariæ*, postquam duos menses tamquam priuatus *Tridenti* hæsisset, honoratiorem quàm Oratoribus Venetorum sibi locum deberi obtendens, de mandatu demum Principis sui, vti in publico compareret, die XXVII. Iunij in Congregationem acceptus infra Oratores Venetos consedit: prius attestatus, sicuti validissimæ sunt sui Principis rationes, ita paratum esse ad eas quouis alio in loco defendendas. verùm in Concilio, vbi de religione agitur, decreuisse de apicibus hisce minimè contendere, sed contentum cedere, modò id absque præiudicio suo, aliorumque Principum *Germanorum* Imperij sanguinis Electoralis fiat. Respondent Oratores *Veneti*, ad protestationem, suæ Ditioni meritissimo deberi superiorem locum: atque vti *Baioariæ* Dux nunc locum ijs cesserit, ita sperare dehinc omnibus locis cessurum. Tum *Bauarus* orationem suam satis prolixam & liberam prosequutus, quis esset in *Baioaria* religionis status commemorat, populum illum hæreticis circumseptum, qui etiam in intima regionis penetrarint. Esse inibi Parochos *Zuinglianos*, *Lutheranos*, *Flaccianos*, *Anabaptistas*, & aliarum sectarum homines, quam zizaniam Præsules hactenus eradicare non potuerint, quod contages ea non infimam modo plebem, verùm nobiles etiam infecerit. Huic occasionem dedisse, impuram Cleri vitam, & immania flagitia, quibus commemorandis supersedendum censet, ne castis auribus pariat offensionem. hoc vero præterire non posse, quod suus Princeps inculcatum velit, frustra in emendanda doctrina laborari, nisi moribus prius reformandis incumbitur. Clerum enim propter libidinem vbique infamem. Magistratum politicum nullum tolerare ciuem concubinarium; concubinatum vero in clero adeo esse frequentem, vt è centum Sacerdotibus vix tres quatuorue reperiantur, quos ea labes non attigerit, aut qui non clam vel palam matrimonium contraxerint. Inde fieri, vt in *Germania* Catholici castum matrimonium cœlibatui contaminato anteferant. Cæterùm plerosque sese ab Ecclesia segregasse propter Calicis prohibitionem, cuius vsum Dei verbo & Ecclesiæ primitiuæ exemplo sibi agnoscant imperatum. Eundem in Ecclesijs Orientalibus ad hunc vsque diem inoleuisse, etiam in Ecclesia Romana olim obtinuisse. *Paulum* III. Pontificem *Germaniæ* eum permisisse. quò grauius de suo Principe queruntur *Bauari*, quod subditis id boni inuideat. Cui malo nisi Synodus tempestiue occurrit, Celsitudinem suam profiteri, neque sibi fore liberum prouinciam administrare, & necessitate adactum iri ad id populo indulgendum, quod prohibere non possit. Offendiculis in Clero propulsandis remedium proposuit, bonam seriamque reformationem, qua tria emendarentur. Vti in Episcopatibus scholæ & Academiæ instituantur, ad educandos adolescentes qui in pios doctosque ministros euadant. Vt matrimonium Sacerdotibus permittatur, sine quo ea tempestate incassim tentatur omnis cleri reformatio: præsertim cum cœlibatus non sit de iure diuino. Vt denique communio sub vtraque specie laicis concedatur. quæ si antehac fuisset concessa, multas *Germaniæ* prouincias in obedientia Sedis Apostolicæ fuisse permansuras: vbi etiam illæ quæ ad hoc vsque tempus obsequium præstiterunt, aliarum nationum exemplo veluti torrente abreptæ, nunc cottidie segreges deueniunt.

Ducis Bauariæ Orator Venetis litem mouet de præcedentia sed tandem ijs cedit.

Venetorum responsum.

Oratoris Bauari in generali Congregatione oratio.

Ad commodam emendationem III. requirit; scholas erigi, matrimonium Sacerdotibus, & calicem laicis concedi.

Neque

Neque tria hæc remedia à Principe suo ideo requiri, quod per ea confidat deuios in rectum tramitem, aut sectarios ad Ecclesiam reuocari posse, sed hae solum fini, vt retineat nondum segregatos. Ad illud postremum redijt, à reformatione necessariò actioni initium dandum: alioqui nullum Synodum facturam operæ pretium. Quod si post clerum reformatum Princeps *Bauarus* interrogetur, quid in materia dogmatum sentiat, tunc opportunè aliquid consideratione dignum posse proferre in mediū, quod hoc tempore euulgandum non habeat: quando imprudentiæ fit, rebus domi intutis, copijsq; nondum comparatis de hoste bello lacessendo consilia agitare. Illud inter dicendum subinde Patribus instillauerat, hæc ab Principe suo non eò dici, quasi leges Synodo vellet præscribere, sed vt animi sui mentē reuerenter bona cum venia impertiat. Et cum dicto orandi finem fecit. Per Promotorem respondit Synodus, Principem aliquem, aut Legationem è *Germania* iam diu omnium votis desideratum, sed præ omnibus *Ducem Baioariæ*, firmissimum Sedis Apostolicæ in ea regione propugnaculum. Se Oratorem eius magna cum animi voluptate aspicere & accipere; daturosque operam, vti ante hac fecerint, ea vt decernantur, quæ ad Dei gloriam & salutem fidelium conducere arbitrabuntur. Isthæc oratio *Gallos* Oratores valde exhilarauit, cùm viderent alios à se, Concilij Patres, de ijs, quæ necessariò suggerenda, liberius monere. sed ab responsione magna in eorum animis orta æmulatio, cùm hanc benignam, ac gratiosam cernerent; illam, quæ sibi facta, acrem & asperitatis plenam meminissent. Verùm cur id grauatè ferrent, causa non erat. Etsi enim Orator *Bauarus* Clerum in genere acriùs morderet, de Patribus tamen summa cum reuerentia loquutus est; vbi contrà *Gallorum* oratio ad reprehensionem eorum qui aderant, tota comparata fuit. Præterquam, quòd quid *Gallis* respondendum esset, ante est deliberatum; *Bauaro* autem sine præmeditatione responsum. Sed in hoc cum vtrisque pariter actum, quòd eorum verba auribus solis accepta.

Ferdinandus Philippus 2.

Synodus per Promotorem respondet.

Oratores *Cæsarei* secum animis reputantes in Congregationibus Theologorum superioribus diebus habitis, *Hispanos* & bonam *Italorum* partem contra concessionem Calicis disseruisse, & ex ijs plerosque, eos, qui pro Calice starent, Hæreticos dixisse, vt hoc, aliaque ab illis obiecta refellerent, à Bauaro proposita iuuarent; tum Presules præuerterent, ne incidant in easdem cum Theologis ineptias, super ea re scriptum conficiunt, quod in eadem Congregatione, postquam *Bauarus* perorasset, Legatis exhibent, in hanc sententiam. Habere se nonnulla, de quibus Patres prius commonitos velint, quam illi, quid sentiant, exponant. Theologos vltimis diebus bene verba fecisse, & satis conuenienter regionibus ac prouincijs in quibus ipsi degant, sed parum appositè alijs regnis & nationibus. Patrum vero sententias rebus sic accommodandas, vt medicinam afferant membris affectis, non autem partibus sanis, quæ medicam manum non requirunt: quod ab ijs commode tum demum factitabitur, vbi quæ partes sint infirmæ, & quo auxilio potissimum subleuandæ, satis intellexerint. Atque ab regno Bohemiæ initio facto, vt altiora non repetantur, eorumque, quæ Constantiæ acta mentio omnis omittatur, satis constare, in eo regno nullas machinationes, aut vires, ne bellum quidem ipsum potuisse, post illud Concilium adimere populo Calicem. Imo Ecclesiam certis conditionibus, eundem benignè ei concessisse. Ijs cum non staretur, ab *Pio II.* reuocatas. Sed *Paulum* & *Iulium III.* ad regnum illud recuperandum Nuntios suos misisse, qui calicem ijs permitterent: vtcumque negotium interpositis impedimentis ad optatum finem perductum haud fuerit. Hoc nunc tempore postquam *Cæsar* Archiepiscopatum *Pragensem* instituerit suis sumptibus, atque à Comitijs Regni impetrarit, ne Sacerdotes *Calistini* ab alio, quam ab ipso ordinentur, vtque illum Legitimum suum Præsulem agnoscant, *Maiestatem Cæsaream* ab summo Pontifice enixè contendisse, ne tam bellam *Bohemorum* recuperandorum occasionem è manibus amitteret; huius rei arbitrium quandoquidem Beatissimus Pater Synodo permittat, penes ipsos esse, Regnum illud, facta populo Calicis gratia, sartum tectum conseruare. Bohemos in paucis ab Ecclesia Romana desciuisse; Sacerdotes coniugatos, aut ab Episcopis, qui à Sedis Apostolicæ communione secesserant, ordinatos, nunquam expetiuisse; in precationibus publicis Pontificis, Cardinalium, & Episcoporum mentionem

Ferdinandi Cæsaris Oratores scripto Legatis exhibito, quantum in Calicis concessione momentum sit, declarant.

Præsertim apud Bohemos.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

tionem facere. Aliquam, quæ est in doctrina, discrepantiam, Calice ijs concesso, facilè posse sarciri. Neque mirandum, ab rudi imperitaque multitudine opinionem eam conceptam; quando homines eruditi, pij, ac Catholici teneant, maiorem ab fidelibus gratiam vtriusque speciei communione, quàm vna solâ participata obtineri. Aduertendum itaque Patribus, ne nimia seueritate homines ad desperationem impellant, neue efficiant, vt in Protestantum se brachia conijciant. Esse quidem in *Hungaria*, *Austria*, *Morauia*, *Silesia*, *Carinthia*, *Carniola*, *Stiria*, *Bauaria*, *Sueuia*, alijsque partibus *Germaniæ* Catholicos, qui Calicem auidissimè flagitent. Id *Paulus* III. cum persentisceret, permisisse Episcopis, hunc vti ijs communicarent, sed rem occurrentibus impedimentis non peractam. His si Calix auferatur, periculum esse, ne euadant Lutherani. Theologos inter disserendum ambigere, an non isti, qui Calicem deposcunt, sint hæretici. At *Cæsarem* in Catholicorum tantùm gratiam id procuratum velle: etsi bonam spem capiat, ea concessione multos Protestantes ad Ecclesiæ gremium redituros: nonnullis hactenus attestantibus, se nouitatibus exsatiatos de reditu & conuersione cogitare. nisi id fiat, contrarium esse metuendum. Atque vt ei respondeatur, qui non ita pridem sciscitatus est, ecquis Calicis concessionem peteret, hoc scitiorem eum velle, *Cæsaream* Maiestatem petere, vti fas sit Archiepiscopo *Pragensi* ordinare Sacerdotes Calistinos: idem poscere in regni gratiam Oratores Cleri *Bohemici*: absque cuius postulati obtinendi spe foret, nullæ ibi superessent reliquiæ Catholicorum. In *Hungaria* cogi Sacerdotes ministrare ipsis calicem, bonorum, imo capitis periculo intentato. Cumque Archiepiscopus *Strigoniensis* hoc nomine Sacerdotes aliquot castigarit, ab eo tempore & populum absque Sacerdotibus Catholicis, & paruulos sine baptismo permansisse; omnes in profunda veritatis Christianæ ignoratione versari: vnde facilis sit in Paganismum lapsus. Orare itaque ad extremum Patres, vti populi illius sortem misereantur, rationemque commiscantur, qua integri in recto fidei tramite constanter pergant; deuij autem in rectam viam redeant.

Et ipsos in Germania Catholicos eius sitientissimos.

Quorum nomine Cæsar Synodum solicitat.

Sub finem Congregationis Legati schedulas super III. primis articulis confectas exhibent, ne in scopulum, qui superiori congregatione obiectus, impingerent. Diebus verò proximis Patres de omnibus instituta tractatione, super tertio fusius disserunt, de gratia sacramentali disceptantes, vtrum qui communicant plus duabus speciebus, an vna recipiant: vno hanc, alio aliam opinionem tuente. Cardinalis *Seripandus* affirmat, hanc ipsam controuersiam in Synodo *Iulio* Pontifice agitatam; atque eo tempore determinatum, quæstionem eam non mouendam. Præsules tamen nonnulli vrgent rei controuersæ declarationem, sed frustra: cùm propter opinionum repugnantiam; tum quod maior pars tueretur, vtramque opinionem esse probabilem. Sed ad difficultates omnes vitandas hoc demum pro conclusione stabilitum, totum Christum recipi gratiarum omnium fontem.

Iterum agitatur quæstio, vtrum communicantes plus duabus speciebus, an vnâ recipiant, sed non definitur.

Iam ex Episcopis, qui residentiæ causam magnâ animi affectione atque ardore propugnauerant, nonnulli abitionem *Tridento* parant; tum quòd sese exosos animaduerterent; tum quod, si in incœpto persisterent, à magno aliquo malo sibi metuerent. Inter hos erat Episcopus *Mutinensis*, quem ante nominauimus, vir excellenti doctrina, & integritate animi præditus. Item Episcopus *Viuariensis*; *Iulius Pauesius* Archiepiscopus *Surrentinus*, & *Petrus Paulus Costazzarus* Episcopus *Aquensis*, alijque, qui abeundi veniam à Legatis impetrarant; à *Mantuano*, cui amicissimi erant, vt molestia liberatos cerneret; ab cæteris, vt offensionum occasiones effugerent. At Orator *Lusitaniæ* Legatis ostendit, id fieri non posse, nisi cum maximo famæ atque existimationis Concilij detrimento: quandoquidem satis nota esset omnibus abeundi caussa, cunctique calumniaturi essent, exulare à Synodo libertatem; quod Pontifici ignominiæ esset cessurum. Inde decretum eos detinere ac demorari; eoque magis, quod his digressis, alij ad abeundum sese compararent.

Præsules aliquot de residentia libere loquuti sibi metuentes abitionem Tridento cogitāt.

Legatis cunctantibus proponere cæteros articulos, propter eas, quas inde emersuras difficultates præuidebant, die III. Iulij *Cæsarei* Oratores & *Bauarus* instant, vt suffragia super ijs ferantur. In eum finem indicta in diem proximum Congregatione, Oratores *Galli* scripto prolato hortantur Patres vt Calicis communionem concedant,

Oratores Galliæ Legatos monent circa communionē calicis aliquid de summo iure remittere, & prærogatiuæ Regum suorū præiudicium non adferre.

cedant, hoc firmamento freti, quòd in ijs, quæ sunt iuris positiui, quo in genere isthuc est, non sit adeo obstinandum animis, sed occasionum necessitate considerata temporibus aliquid largiendum: neque scandalum hominibus offerendum tam pertinaci humanorum præceptorum obseruandorum studio, tantâque mandatorum diuinorum incuria, vt in his reformationem omnem repudient. Quamobrem petunt, quicquid ea de re statuant, ita temporibus accommodetur, vt neque prærogatiuæ Regum *Galliæ* præiudicent; qui in inauguratione sua calicem accipere consueuerunt; neq; consuetudini receptæ in quibusdam eius regni monasterijs, Calicem Monachis statis temporibus ministrandi. Neque aliud in Congregatione factum, nisi quod proposita omnia VI. doctrinæ capita, quæ sequentibus discuterentur. *Ferdinandus. Philippus 2.*

Gallorum isthæc interpretatio Legatos nonnihil perculit, ne in vnum cum Oratoribus *Cæsaris* conspirarint, subueritos; eòque sibi circumspectiùs procedendum in hoc negotio arbitrantes. Itaque pensitata diligenter Gallorum propositione de præceptis iuris positiui ampliandis, ostendunt concessionem calicis plerasque alias secum trahere difficultates in diuersis subiectis, præter eas, quæ propositæ essent. Nam petitionem à *Bauaro* non ita pridem de Sacerdotum coniugio factam; & nudiustertius in conuiuio, coram multis Patribus ad id inuitatis, *Lansacum*, cùm hortaretur eos ad gratificandum *Cæsari* calicis vsum suis postulanti, subindicasse, *Galliam* etiam requirere, vt preces, officia diuina, & missæ sacrificium lingua populari peragantur, vt imagines Sanctorum è templis amoueantur, liceatque Sacerdotibus vxores domum ducere. cumque intelligerent multo faciliùs principijs obsisti, quam progressibus, & minore cum molestia quemlibet aditu prohiberi, quàm foras eijci, statuunt tractationem de calice non esse huic tempori accommodam. Igitur cum *Pagnano* Marchionis *Piscarij* administro primum agunt, vti à Patribus obnixè petat, ne prius rem definiant, quàm ad *Hispaniarum* Regem rei nuncius deferri possit. Tum Congregationes die VI. & VII. intermittunt, his diebus cum *Cæsareis* acturi, vt negotium illud differre velint, varijs in id rationibus adductis: quarum validissima erat, temporis breuitas ad concessionis necessitatem abunde Patribus explicandam. Post multam demùm tractationem placuit Oratoribus omnem eam partem differri, quæ dogmata spectaret. Sed cum id Legatis non satisfaceret, Oratores tandem consentiunt, vt illud solum caput differatur, facta in decreto dilationis mentione, ac promissione de eodem alio tempore definiendo. Iam reliquum erat, vt cum *Gallis* agerent; quod opinione multo facilius repertum, illis asserentibus, id neque ab se propositum, neque postulatum; sed se veluti optiones *Cæsareanis* accessisse. Hac difficultate superata ad decreta contexenda itum est: quod quidem quò maiori fieret celeritate, Patribus significatum est, si quid suggestum, additumue vellent, id scripto mandarent, ne Decretorum confectionem remorarentur.

Legati ad eludendam Gallorum de concedendo calice petitionem varia prætexunt, & comminiscuntur.

Vnde ab Oratoribus tam Cæsareis, quàm Gallis impetrant, vt de ipsorum assensu capitis illius determinatio differatur.

In diei VIII. Congregatione *Daniel Barbarus* Patriarcha *Aquileiensis* suffragium laturus dixit, quando de pace *Galliæ* allatum esset, ac credibile videatur multos Præsules venturos, tractationem de dogmatis ad illorum vsque aduentum protrahendam. Sed cum nemo alius id vrgeret, ne ipsi quidem Oratores *Galli*, propositio ea sponte sua concidit. Proxima Congregatione *Antonius Augustinus* Episcopus *Ilerdensis* monuit, mentionem consuetudinum *Galliæ* in decreto faciendam iuxta Oratorum petitionem, verbis illius Regni priuilegia reseruantibus, insertis: hoc insuper addito, Græcos, etiam post *Constantiensis* Concilij determinationem, minimè prohibitos vti calice in communione, quod priuilegio obtinent sibi olim viso. Sed cum nemo ei suffragaretur præter *Bernardum del Bene Florentinum* Episcopum *Nemausensem*, nihilo magis huic assertioni auscultatum est. Post Congregationem Orator *Ferrerius Augustinum* sedulò percunctatur, de priuilegij huius forma, auctore, & tempore. Quo ab illo ad *Damasum* Pontificem relato, subrisit Orator, pro comperto habens, in Ecclesia *Romana* centum post *Damasum* annis, abstinere Calicis vsu pro sacrilegio habitum: Ordine Romano communionem Laicorum cum calice perpetuò describente, ac *Innocentio III.* attestante anno MCC. fœminas in sacra communione Christi sanguinem accepisse.

Dan. Barbarus etiam omnium dogmatum tractationem protolli petit ad aduentum vsque Præsulum Gallorum, sed surdis canit.

Priuilegium Græcorum vti Calice, etiam post Constantiense Concilium.

Die X. *Leonardus Haller Germanus* Episcopus *Philadelphiensis* nomine tenus, qui supe-

Et Episc. Philadelphiæ varijs rationibus persuasum cupit Legatis, Præsules Germaniæ esse expectandos.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

superiori hebdomada eò venerat, suffragium super decretis pronunciaturus, oratione præmeditata digressus, Legatos & Synodum rogauit, vti Præsules *Germaniæ* expectare vellent, varijs ad eam rem allatis rationibus, è quibus tres ab eo cœtu parum gratis auribus acceptæ. Nempe, Concilium illud generale dici non posse, in quo vna integra natio Christiani orbis primaria desideretur. Eâ non expectatâ in rebus Synodalibus procedere, non aliud esse, quàm negotia præcipitare. Item à Pontifice singillatim literis inuitandos fuisse. Scilicet nesciebat bonus ille Pater, quibus officijs Pontifex ante biennium per *Delfinum* & *Commendonum* Nuncios, *Germanos* solicitasset, & quid ab vtrisque Protestantibus atque Catholicis responsum fuerit, illis planè abnuentibus, his verò sese excusantibus, quod Concilio interesse non possent. Sed plerique opinabantur, eum Legatorum *Cæsareorum* impulsu hæc loquutum, qui quod rem Calicis in aliud tempus prolatam viderent, alia omnia extracta in longum vellent.

Dum IX. capita reformationis recitantur Episc. Veglensis primum incusat vti imperfectum, quod corruptelas Curiæ Romanæ non tangeret.

Proxima Congregatione recitantur nouem capita reformationis iam stabilita. Horum primum de ordinationibus gratuitis, *Albertus Duimius* Episcopus *Veglensis*, qui ante hebdomadam *Tridentum* modò venerat, neque huius materiæ tractationi adfuerat, se habere dicit pro imperfecto, nisi vnà statuatur, *Romæ* quoque abstinendum à pecunijs exigendis propter dispensationes, siue ordinum indebito tempore, ætate immatura, absque venia & examine Ordinarij sumendorum; siue irregularitatum, aliorumque impedimentorum Canonicorum: quandoquidem in his ingentes sumptus fiunt. Episcopis egenis, quibus ferè non suppetit ad victum, exiguam eleemosynam dari; quam ille ex animo censet tollendam, dummodo offendiculo non sint, quippe, rutam decimantes, aurum verò & argentum suffurantes. Atque ea occasione excurrens in taxationem solutionum, quæ *Romæ* fiunt nomine dispensationum omnis generis, addidit, hunc morem sibi esse familiarem, quoties ad ipsum adferuntur dispensationes, siue propter ordinationes, siue alia de causa, sciscitari an pretium earum persoluerint; cùm verò se dependisse respondent, tum non admittere, sed re infecta dimittere. Idque se iam publicè profiteri, quòd ad idipsum faciendum Episcopi omnes ex officio teneantur. Hæc vbi dixisset, respondent Legati, iamdudum de ea re tractatum in Congregatione: cui visum referre ad Papam eius caussæ determinationem, cuius maximè interest officia Curiæ Romanæ decenter emendari. Replicat verò Episcopus, se, cùm esset *Romæ* carnispriuij vltimi tempore, de eadem re conquestum sæpius apud eos, quorum erat huic malo prouidere, semel verò in ædibus Cardinalis *Perusini* coram multis Cardinalibus, & Præsulibus aulicis; à quibus tum responsum est, in Concilio hæc esse proponenda. Nunc cùm videat contra fieri, & à Synodo ad Pontificem reijci, decreuisse perpes silentium, curâ emendationis Deo relictâ.

Legatorum responsio.

Reformationis negotium Roma ad Synodum, & ab Concilio Romam reijcitur.

Super art. II. de ordinatione ad Titulum, & ad reditum vtra melior.

Circa II. caput de ordinationibus ad titulum Episcopus *Quinqueecclesiensis* censuit, magis necessarium prouidere secundum vetera Ecclesiæ instituta, vt nemo sine titulo & officio ordinetur, quàm sine beneficio ac reditu. quod inde offendiculum maximum nascatur, multis functionem Sacerdotalem capessentibus, non vt Deo Ecclesiæque inseruiant, sed vt otio luxuque diffluentes amplis facultatibus gaudeant. In hoc Synodo animosè incumbendum, rationemque ineundam, quâ nemo reperiatur Ecclesiasticus, non dicatus certo alicui ministerio. Ab se enim proximis temporibus obseruatum, *Romæ* nonnullis Episcopatus dari hoc solo nomine, ad eos promouendos: quibus intra breue tempus resignatis, ipsi Episcopi tantum titulares manent, affectata sola nominis dignatione. quod quidem inuentum priscis illis Ecclesiæ Patribus, quippe pestiferum, odiosum fuisset haud dubiè atque abominandum.

Cap. IV. de parochijs amplis diuidendis.

Ad IV. caput de amplis & numerosis Ecclesijs parochialibus diuidendis, postquam Decretum probasset, addidit, non minus necessarium ingentes Episcopatus diuidere, vt ijs administrandis Episcopi sufficere queant. Sibi constare, esse in *Hungaria* Episcopatus, qui ad ducenta milliaria procurrant: hos ab vno solo, nec visitari commodè, nec regi posse. Verùm hæc ab Curiæ Romanæ fautoribus parum benignis auribus hausta, ne tractationem de residentia resuscitatam isti vellent, subtimentibus.

Sed

Sed in offensa maiori apud Patres fuit ab eadem natione Episcopus *Segouiensis*, verbis translatis ac metaphoricis ipsius Pontificis reformationem proponere ausus; nempe stellarum tenebras discuti non posse, nisi sublata prius solis ipsius opacitate; neque corpori ægro sanitatem restitui, quamdiu caput, à quo influxus est in membra, male sese habet. Super vltimo vero capite de quæstuarijs dixit, parum esse è dignitate Synodi, aut Ecclesiæ vtilitate à minutijs hisce reformandis capere initium. ab ijs quæ summa essent, fuisse auspicandum, & ab gradu superioribus ad inferiores descendendum. Cui sententiæ etsi Præsulum Hispanorum & Italorum plerique applauderent, alij tamen affirmantes Decreta hactenus esse confecta, & trium dierum interuallum, quod solum restat, vsque ad Sessionem, non admitterè nouæ materiæ excussionem: alij nuper dicta leuiter impugnantes, simul persuasum omnibus cupientes Pontificem seuerissimam instituisse aulæ suæ emendationem, cuius abusus & remedia melius *Romæ* & discerni & applicari possint, vbi malum omnibus obuium est, quàm in Concilio; his, inquam, alijsque artibus salutaria consilia ab his ceterisq; Præsulibus proposita eluserunt, & vti IX. in præsens articulis contenti essent, effecerunt.

Ferdinandus. Philippus 2.

Episcopus Segouiensis oratione figurata ipsius Pontificis reformationem ante omnia instituendam monet.

Cœtu dimisso Legati, alijque Pontificis rationibus addicti, qui remanserant, dicta auditaque recolligentes, queruntur audaciam Præsulum in rebus nouis ac seditiosis citra reuerentiam proferendis, quæ immodicæ licentiæ appellationem potius, quàm libertatis mereatur, supra modum augeri. Theologos etiam prolixis dissertationibus temporis plus satis absumere, de rebus nihili digladiantes, & ineptias sæpe consectantes. Id si porro facere pergant Synodum nunquam desituram; & adhoc impendere periculum, ne gliscente audacia res in deterius vergant. *Ioannes Baptista Castellus Promotor*, qui easdem partes conuocatione superiori *Iulio* Pontifice exercuerat, suggerit Cardinalem *Crescentium* solitum interpellare Præsules, quoties euagarentur extra rem propositam, & filum sermonis abrumpere; si qui prolixiores essent, vt sermonem in pauca contraherent iubere; interdum silentium illis indicere. Id si vna alteráue vice ab Legatis nunc fiat, sine dubio & negotia Synodalia fore compendiosiora, & occasiones eloquendi, quæ ad rem minus pertinent, circumcisum iri. Promotoris consilium Cardinalis *Warmiensis* palato non sapiebat, adeo vt profiteretur mirum non esse, si Deus Opt. Max. Concilij huius progressum minime bearit, cuius dirigendi rationem adeo obliquam *Crescentius* sequutus sit. Concilio Christiano libertate nihil esse vtilius, magisue necessarium. Concilia aureis illis seculis celebrata voluentibus, apparituras inter ipsa principia contentiones, & discordias, etiam coram Imperatoribus tum temporis potentissimis; sed quæ Spiritus Sancti auspicijs in admirabilem concordiam mutarint: quo miraculo quies hominum mentibus parta. acres fuisse in Concilio *Niceno* contentiones; nec minus aculeatas in *Ephesino*. Idcirco mirum videri non debere, si in præsentiarum occurrant inter Patres opiniones diuersæ ciuilem in modum prolatæ. Nam qui medijs humanis & violentis his obuiam ire velit, facturum, vt Synodus amissa libertatis opinione, etiam existimatione omni cadat. bonum esse factum Deo omnia permittere, qui potens est Concilia regere, animosque in nomine suo congregatorum ad [illegible]bitum moderari. Cardinalis *Mantuanus* sententiam *Warmiensis* probat, damnato *Crescentij* instituto, neque tamen contrarium esse censens libertati Concilij abusus Decretis corrigere, ordinem & tempus loquendi præscribendo, sua cuique parte tributa. Id quoque probante *Warmiensi*, conuenit vti de ea re Sessione ipsa præciperetur.

De reprimenda Præsulum in loquendo licentia, ac Theologorum in differendo profusione Legati consultant.

Remedium, quod huic malo olim ab Crescentio Legato adhibitum monet Castellus, Warmiensis improbat, vti parum pium ac honestum.

Iam postquam *Cæsarei* spe omni obtinendi vsum Calicis exciderant, illis porro vrgere absistentibus, Galli cum Præsulibus aliquot remoras omnes quas possunt, obijciunt, vt Sessione in diem XVI. indicta nihil aliud ageretur, quàm quod bis antea factum fuerat, nempe, vt in Sessionem sequentem omnia prorogarentur. Legati contrà ad vitandam ignominiam omnibus ingenij neruis contendunt, vt quædam decernantur; saltem IV. capita de communione, ac IX. de reformatione publicentur. Hi difficultatibus remouendis, illi interponendis incumbunt. hoc

Galli obiectis difficultatibus Sessionem, quæ instat, prorogari volunt: Legati contra, vt in ea aliquid decernatur, vrgent.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

scopo vtrisque proposito, cum ad Sessionem bini tantum dies superessent, die XIV. habita est Congregatio matutina: cuius initio *Granatensis* obtestatur Legatos, vt rei, qua de agitur, dignitate perspecta, Sessionem prorogatam vellent, oratione que perpetua ostendit, quot, quantæque difficultates necessario decidendæ adhuc restarent. Legati in contrarium obfirmati, nullam admittunt rationem, & examinandæ doctrinæ faciunt initium. Dum primum caput legitur, statim vbi ventum est ad locum, vbi dicitur, sanguinis communionem non posse inferri ex illis verbis *Christi* apud *Ioannem*, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis &c.* *Granata* asseruit locum illum de Sacramento minimè accipiendum, sed de fide sub metaphora alimenti, allato ad id firmandum contextu, & multorum Patrum, *Augustini* verò in primis interpretatione. Cardinalis verò *Seripandus* verba illa sic interpretari aggressus, quasi in Cathedra auditoribus prælegens, omnibus expositione sua satis fecisse videbatur. Sed cùm Granatensis ad replicandum maiori cum vehementia accedens peteret tandem, vt adderetur hæc ampliatio, ex illis verbis quocumque sensu accipiantur secundum varias Patrum expositiones communionem Calicis inferri omnino non posse, additio ista quibusdam Patribus non placebat, alijs tanti non esse videbatur. Sed plerisque id visum insolens, additionibus non necessarijs, quæ stabilita essent ac determinata, conturbare. Et fuere è Patribus XXXVII. qui sibi *Non placere* dicerent. Legatis nihilo minus, vt contentionum finis aliquis esset, placuit in hoc assentiri, vti clausula adiungeretur; quæ quidem certè per vim inserta videtur, & in editione Latina habetur ad ea verba, *Vtcumque iuxta varias &c.*

In primo capite Decreti Granatensis aliquid requirit.

Et clausulæ additionem licet inuitissimis Patribus impetrat.

In II. capite, quo agitur de potestate Ecclesiæ circa dispensationem Sacramentorum, cum eò ventū esset, vbi dicitur, Ecclesiam potuisse mutare vsum Calicis, ad exemplum formæ Baptismi immutatæ, *Iacobus Gibertus de Nogueras* Episcopus Alliphiensis, consurgens dixit esse blasphemiam. formam enim Baptismatis esse immutabilem, neque vnquam fuisse mutatam. In essentialibus Sacramentorum, quæ sunt forma & materia, nullum esse auctoritati locum. super qua re multis verbis vltro citroque iactatis, tandem statutum, clausulam illam tollere. Longum esset commemorare quàm multa dicta, alijs impedimenta objicientibus; alijs cum cœteros loqui audirent, silentium sibi imperare nescientibus. Ita comparatum est naturá, vt multitudine semel concitata, certatim quisque contendat, ecquis maiores motus edat; neque Collegium vllum optimatum tanta solicitudine seligi potest, quod non facile in Proceres & plebem rursus diuidatur. Patientiá tamen & constantiá Legatorum superatis difficultatibus, in congregatione vespertina stabilita Doctrinæ capita cum Anathematismis, vtcumque Cardinali *Warmiensi*, bono certe cum affectu, & Theologorum aliquot rogatu scrupulum interponente. Illi enim monuerant in III. Capite doctrinæ, cum dicitur, fideles, qui vnam solam speciem accipiunt nulla gratia ad salutem necessaria defraudari, occasionem indè disputandi ministrari, quòd cùm Eucharistia Sacramentum necessarium non sit, eadem ratione possit colligi, penes Ecclesiam esse, eam totam Christianis auferre. Cui obseruationi Præsulum plerique fauebant, id emendari petentes, quòd ratio in contrarium adducta euidentissima esset, & irrefragabilis. Itaque motus ille non temerè sedatus Cardinalis *Simonetæ* opera, suadentis, vt proxima congregatione in schedula describerent, quomodo emendatum vellent.

In II. capite Episcopus Alliphiensis clausulam blasphemiam (vti aiebat) tolli postulat, & is quoque impetrat.

Iniectus quoque super tertio capite ab Card. Warmiensi scrupulus.

Ea congregatione nouam offensionis occasionem dedit Episcopus *Quinqueclesiensis*, qui extra congregationem monitus de verbis ab eo dictis, nempe *Romæ* Episcopatus dari solummodo ad homines promouendos, eandē rem repetitam longa oratione prosecutus est, tanquā excusationis forma animi sui sententiam explanaturus, sed re vera quæ ante dixerat cōfirmans, atq; sub finem sermonis Patres ad suffragia liberè ferenda nullo habito personarū respectu adhortatus. Congregationis illius successus *Simonetam* valde cōmouit. Vnde ea finita *Warmiensem* adortus, ostendit ei, quantum Sedis Apostolicæ rebus officeret faciles aures præbere ineptijs Theologorum,

Episcopus Quinqueeclesiensis ab se dicta firmat magis, quàm retractat.

logorum, hominum in ſpeculationibus, aut certè vanis ſubtilitatibus, quas ipſi magni faciunt, cum Chimeræ modo ſient, tempus impendere aſſuetorum. Eius rei documento eſſe, quod fere nunquam inter eos conueniat. à tam multis inter ipſos caput illud citra contradictionem approbatum. Nunc nonnullos ex ijs noua comminiſci meditamenta, quibus alij, quando ad rem ipſam ventum erit, haud dubiè ſint contradicturi. Hoc certum, quicquid dicitur, ab cauſæ fautoribus propugnatum, & ab aduerſarijs oppugnatum iri, nec multum referre paulo plus minuſue aſſertiones ſint ab obiectionibus ſecuræ. Duas iam indictas Seſſiones, in quibus nihil decretum. Si tertia Seſſione idem fiat, de Concilij exiſtimatione planiſſimè actum. Idcirco neceſſum eſſe, vt aliquid in ea ſtatuatur. *Warmienſis* victus collegæ verbis reſpondit, Theologos illos ab Oratoribus Cæſaris ad ſe miſſos, & quicquid eſſet, id bonum in finem à ſe factum. Tum primùm ſenſit *Simoneta* Præſulis illius candorem aliena ſagacitate deceptum; atque inde ſuſpicatus miniſtros *Cæſaris* ex illius ore arcani quidpiam expiſcatos, ſuſpicione ſua cum alijs Legatis communicata, fecit vt prima quaque opportunitate illum ea de re commonefacerent.

Ferdinandus Philippus 2.

Habuit & vltimus dies *conflictum* aliquem. Epiſcopus enim *Nemauſenſis*, inſtigantibus Regis *Galliæ* Oratoribus, petijt, vt in primo capite reformationis, vbi Notario pro literis patentibus Ordinum aliquid accipere conceditur, nullum conſuetudini Regni *Galliæ* præiudicium fiat, in quo nihil datur hoc nomine. Huius poſtulato cum Hiſpani aliquot acceſſiſſent, ſatisfactum omnibus, additâ decreto clauſulâ, quâ ſalua fieret conſuetudo. Alijs porro mutationibus non magni momenti petitis ac conceſſis, omnibuſque ad Seſſionem poſtera die mane habendam comparatis, ac Legatis ad abeundum in pedes erectis, *Arrias Gallego* Epiſcopus *Gerundenſis* coram adueniens interpellat; ac Legatos conſidere, & ſe audiri petit. Importunitate hominis icti, alius alium intuetur. Sed quid facerent? Seſſionis habendæ deſiderium quiduis perferre ac pati docuerat. Conſidentibus ergo Legatis, non ſine multorum Præſulum, præſertim curialium indignatione, Epiſcopus, capite de diſtributionibus lecto, ait durum ſibi videri, Epiſcopo vt poteſtas fiat, ſumendi tertiam partem præbendarum, & in quotidianas diſtributiones conuertendi; quando olim fructus omnes & prouentus Eccleſiarum erant diſtributiones, & in præbendas per abuſum degenerarunt: Cumque Epiſcopus à Deo poteſtate donatus ſit, prauas conſuetudines ad veteres ac bonas reuocandi; iniuſtum eſſe, data ei ab Concilio tertia parte auctoritatis ipſi debitæ, reliquas duas partes ei adimere. Declarandum igitur relinqui Epiſcopis amplam poteſtatem in diſtributiones tantum aſſignandi, quantum ipſis expedire videbitur. Hanc opinionem *Pragenſis* Archiepiſcopus alijs confirmat argumentis, & in eam ſe propendere cæteri *Hiſpani* vultu etiam ſignificabant. Cardinalis verò *Mantuanus*, Antiſtitum illorum pietate multùm laudata, fatetur nodum illum dignum eſſe Synodo vindice, adeoque collegarum, quos habuit conſentientes, nomine pollicetur, proxima Seſſione de ea re habitum iri ſermonem.

Additur clauſula, petente Epiſcopo Nemauſenſi, ad I. caput de reformatione.

EpiſcopusGerundenſis ſuper III. cap. reformat. poſtulat, vt poteſtas Epiſcoporum, non ad tertiam modo præbendarum partem in diſtributiones conuertendã, ſed latius extendatur.

Vbi venit dies XVI. Legati Oratores ac Præſules more ſolemni templum petunt. Atque hic tacendum non eſt, dum Miſſa celebratur, Epiſcopum *Tininienſem* concionatum. Is, nulla habita ratione, quòd de communi conſenſu Patrum conueniſſet, de conceſſione Calicis ea Seſſione verbum non facere, id ſolum Concionis ſuæ argumentum eſſe voluit, copioſè diſſerens quem ad modum vſus Calicis vigente charitatis ardore omnium fuerit communis; ea verò deferueſcente, & nonnullorum negligentiâ ſurrepentibus incommodis, eiuſdem vſum minimè interdictum, ſed è ſuggeſtis doctum atque declaratum, minus eſſe mali ijs, qui ab indecoro eius vſu ſibi temperare non poterant, calice omnino abſtinere: horum exemplo alios temporis proceſſu, ne ad curam adeo ſolicitam obligarentur, eius vſu abſtinuiſſe. In primis illis memorabile pietatis exemplum poſteris ad imitandum propoſitum commendabat: contrà, nouatorum huiuſce ſeculi impietatem damnabat, qui ea gratia cœlum terræ miſceant. Patres ad pietatem hortatur, & ad commune incendium reſtinguendum, neue ſinant ipſorum culpa omnia conflagrare; imbecillitati filiorum, qui præter ſanguinem *Chriſti* aliud nihil poſcunt, aliquid condonent: ne tot prouinciarum & regnorum amiſſionem pro leui iactura ducant: & quandoquidem benedictus ille

SESSIO XXI. ſub Pio Pontifice V. de communione ſub vtraque ſpecie, & paruulorum.

Capita concionis habitæ ab Epiſcopo Tininienſi.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Saluatoris sanguis tam auidè desideratur, & deposcitur, pristinam illam in sumentibus negligentiam, quæ abstinendi caussam dedit, nihil metuant, sed petentibus annuant. *Christo* enim minimè placere, vt in sua opinione pertinaces dissidium adeo exitiabile foueant inter Christianos, eius sanguinis causâ, quem ille effudit ad omnes arctissimæ charitatis vnione constringendos. Tum ad exhortationem appositè transitu facto, qua Patres ad residentiam inuitabat, absoluit Concionem, ab Legatis, alijsque, qui ad æternum silentium capita hæc damnata cuperent, parum gratis auribus acceptam.

Decretum Synodi IV. capp. cõprehensum.

Peractis ceremonijs ab Episcopo celebrante recitatur doctrina IV. capitibus comprehensa; quorum hæc summa.

Synodum, cum varia errorum monstra de Sacramento Eucharistiæ circumferantur, censuisse ea, quæ ad Communionem sub vtraque specie, & paruulorum pertinent, hoc loco exponenda: cunctisque Christi fidelibus interdicere, ne posthac de ijs aliter credere, docere, vel prædicare audeant.

Cap. I. Laicos & Clericos non conficientes non astringi iure diuino ad communionẽ sub vtraque specie

I. Itaq; Ecclesiæ ipsius iudicium & consuetudinem sequutam, Declarare, Laicos & clericos non conficientes, nullo diuino præcepto obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum: neque salua fide, dubitari posse, quin alterius speciei communio illis ad salutem sufficiat. Quod si Christus in duabus panis & vini speciebus hoc Sacramentum instituerit & Apostolis tradiderit, non inde sequi, fideles omnes ad vtramque speciem accipiendam astringi. Ac nihilo magis id colligi posse ex Domini nostri sermone apud Ioannem Cap. VI. vtcumque enim verba sunt vtramque speciem designantia, alia tamen esse, quæ solum panem nominant.

Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.

II. Declarare præterea, potestatem in Ecclesia perpetuo fuisse, in dispensatione Sacramentorum mutationem instituendi salua illorum substantia: Id ex D. Pauli verbis in genere non obscure innui, cum ait, Ministros Christi esse dispensatores mysteriorum Dei. Et in specie de Eucharistia, de qua coràm cùm venturus esset, se dispositurum profitebatur. Ecclesiam itaque hanc suam in Sacramentorum administratione authoritatem agnoscentem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens vtriusque speciei vsus fuisset, tamen mutata illa consuetudine iustis de causis hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbasse: quam sine eiusdem Ecclesiæ authoritate mutare nemini licet.

Totum Christum sub qualibet specie sumi.

III. Declarare insuper, sub singulis speciebus totùm atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, eos, qui vnam solam speciem accipiunt, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari.

Paruulos non obligari ad cõmunionem sacramentalem.

IV. Denique docere, paruulos vsu rationis carentes, nulla necessitate obligari ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem, qui in illa ætate filiorum Dei gratiam per Baptismi lauacrum acceptam amittere non possunt. Neque ideo damnare antiquitatem, quæ contrarium morem in quibusdam locis aliquando seruauit: cum sine controuersia credendum sit, Patres nulla salutis necessitate id fecisse, probabili tamen causa pro illius temporis ratione fretos.

Deinde recitantur Anathemata IV. doctrinæ huic consentanea.

I. Contra eum, *qui dixerit fideles omnes, Dei præcepto, vel necessitate salutis, ad vtramque speciem Sacramenti Eucharistiæ sumendam teneri.*

II. Si quis dixerit, Ecclesiam Catholicam non iustis rationibus adductam, vt Laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret: aut in eo errasse.

III. Si

III. Si quis negauerit totum Christum, omnium gratiarum fontem, & authorem, sub vna panis specie sumi.

IV. Si quis dixerit communionem Eucharistiæ paruulis esse necessariam, antequam ad annos discretionis peruenerint.

Ferdinandus. Philippus 2.

Post hæc lectum item aliud decretum, dicens,

Synodum in aliud tempus reseruare duos articulos propositos quidem, sed nondum excussos, prima quaque sibi oblata occasione examinandos atque definiendos; Videlicet, *An rationes, quibus Ecclesia adducta fuit, vt sub vna tantùm specie Laicos communicaret, ita sint retinendæ, vt Calicis vsus nemini cuiquam permittatur.* Item, *an si honestis rationibus Calicis vsus cuiquam nationi, aut regno concedendus videatur, quibus conditionibus id fieri debeat.*

De articulis II. quorum determinatio in aliud tempus reiecta.

Dum decantatur Missa *Alphonsus Salmeron* & *Franciscus Torrensis* Iesuitæ post subsellia stantes, alter cum *Warmiensi*, alter cum *Madrucio* colloquuntur, asserentes in primo capite doctrinæ in materia institutionis Sacramenti in vltima cœna sub vtraque specie, rem aliquanto obscuriùs expressam: esseque necessarium disertis verbis dicere, *Christum* instituisse Sacramentum in panis & vini speciebus, Apostolorum tantùm, & conficientium, non autem omnium fidelium gratia. Istam clausulam necessariò inserendam Decreto, ad scrupulum omnem Catholicis demendum, & hæreticis omnem opponendi, calumniandique ansam. Se, qui, vti Theologi ab Pontifice ad Synodum missi essent, in re tanti momenti non potuisse animi sui sensum reticere. Et verò tam vehementer instant, *Salmeron* in primis, cum *Warmiensi* agens, vt finita Decreti lectione, hic primùm, dein *Madrucius* rem publicè proposuerint. Multis quidem res proposita placuit; sed a maiori Patrum parte repudiata, non ob rei ipsius naturam, verùm ob subitum ac improuisum proponendi modum, nullo idoneo ad deliberandum tempore concesso. Ob eandem caussam cæteris Legatis nihilo fuit acceptior; illi tamen, & loci eius decorum spectantes, & maiorem motum deuitantes respondent, in Sessionem sequentem vnà cum duorum articulorum reliquorum tractatione reseruatum iri.

Iesuitæ duo cum Legatis & Patribus sedulò agunt, vt explanando primo capiti decreti aliquid addatur.

Id quoque in Sessionem sequentem reijcitur.

Lecta deinde IX. capita reformationis.

Decreti de reformatione capita.

I. Vt nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, nec pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum Episcopus, illiusue ministri accipiant. Notarij verò in his tantùm locis, in quibus consuetudo nihil accipiendi non viget, & vbi pro officio exercendo nullum est constitutum salarium, decimàm aurei partem accipere possint.

II. Ne quis Clericus secularis, quamuis aliàs sit idoneus, ad sacros Ordines promoueatur, nisi beneficium, patrimonium, aut pensionem, quæ ad victum honestè sufficiant, pacificè possideat. Illud verò beneficium resignari non possit, neque pensio extingui, neque patrimonium alienari sine Episcopi ipsius licentia.

III. Vt in Ecclesijs tam Cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt, vel certè tenues distributiones quotidianæ, Episcopus possit tertiam partem fructuum præbendarum in eas distributiones conuertere.

IV. Vt in Ecclesijs parochialibus, in quibus populus est numerosus, Episcopi cogant Rectores aliorum Sacerdotum opem auxiliarem sibi assumere. Tum vt eæ Ecclesiæ, quæ longè latèque diffunduntur, diuidantur, nouisque Rectoribus competens portio assignetur, & si necesse fuerit, populus ad ea, quæ sufficiunt subministranda compellatur.

V. Vt Episcopi possint facere vniones perpetuas beneficiorum curatorum, & non curatorum, propter paupertatem, & in cæteris casibus à iure permissis.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

VI. Vt Episcopi Parochis illiteratis, & imperitis coadiutores pro tempore deputent, & scandalosè viuentes castigent.

VII. Vt Episcopi beneficia Ecclesiarum vetustate, vel aliàs collapsarum in alias Ecclesias transferant: parochiales verò lapsas refici procurent, etiam parochianis ad eas fabricandas adactis.

VIII. Vt beneficia omnia qualitercunque commendata ab Episcopis quotannis visitentur.

IX. Vt in quibuscunque Christianæ religionis locis nomen, officium, & vsus Quæstorum aboleatur.

His decretis proxima Sessio indicta in diem XVII. Septembris, adiecta declaratione, quod Synodus pro arbitrio posit etiam in Congregatione generali dictum terminum, aut alium quemuis in posterum præfigendum vnicuique Sessioni restringere & prorogare.

De huius Concilij actis, quàm de superiorum maior expectatio.

Huius Concilij actiones anteactis temporibus nunquam tantam sui expectationem concitauerant, quantam hoc tempore, omnibus ferè Principibus in eo deposcendo conspirantibus, Legationibus ea gratia missis; tam multis Præsulibus ex singulis regionibus ac prouincijs congregatis, vt eorum, qui superioribus conuocationibus interfuere numerum quadruplo excederent: &, quod caput erat, principio ante sex menses ei facto, ijsque in quotidianis, & assiduis tractationibus consumptis, multis cursitoribus, ac Præsulibus continuò *Româ Tridentum*, & *Tredento Romam* festinantibus. Vbi verò Decreta Sessionis typis mandata prodiere, tum vno ore omnes vulgatum prouerbium de *montibus parturientibus* vsurpare: ac singillatim duorum articulorum in aliud tempus reseruationem notare. Mirum enim videbatur, cum quatuor Anathematis totidem articulis fidei confectis, illum de vsu Calicis concedendo iuris esse Ecclesiastici declarari non potuisse. Multis quoque videbatur articulus ille primo loco tractandus; quòd eo semel concesso disputationum materia praecideretur. Tertium doctrinæ caput in fine diligenter fuit examinatum, quòd fidelis solum Christi corpus sumens gratia necessaria minimè fraudatur. quæ manifesta confessio videbatur amitti gratiam non necessariam. Sed hîc rursus dubitabatur, an sit potestas aliqua humana, quæ possit impedire superabundantem, & non necessariam Dei gratiam. & si forte possit, an charitas admittat huiusmodi ad bonum impedimenta. Duo autem præ cæteris materiam sermonibus præbuere. Vnum, necessitas hominibus imposita credendi, veteres Ecclesiæ Patres paruulorum communionem pro necessaria minimè duxisse. vbi enim agitur de veritate historiæ, res est facti; & præteriti, vbi authoritas locum non habet, quæ iam facta immutare nequit. Atqui notum est legentibus *D. Augustinum*, eum nouem in locis, non vno verbo, sed oratione perpetua asserere Eucharistiam paruulis esse necessariam: duobus verò ex his eam Baptismo æquare, quoad necessitatem. immò sæpiùs quàm semel, dicere, ipsam Ecclesiam Romanam tenuisse, ac definiuisse eam necessariam ad paruulorum salutem, adducto in eam rem *Innocentio* Pontifice, cuius adhuc extat Epistola, id explicatè adstruens. subijtque permultos mirari, cur Synodus citra omnem necessitatem huic se implicarit quæstioni sine fructu, certè cum manifesto discrimine, ne palam affirmetur, aut *Innocentium*, aut Concilium errasse. Alterum erat, Anathema secundum, quo declaratur, hæreticum esse, qui dicit Ecclesiam non iustis rationibus adductam, vt Laicos absque calice communicaret. quod non aliud est, quàm fidei articulum super actione humana stabilire. Et mirabile visum fateri, hominem non teneri ad obseruationem Decreti nisi *de iure humano*; sed vt idem credat esse iustum, obligari *iure diuino*. Tum pro articulis fidei ea statuere, quæ quotidiè immutantur. Alij addebant ad hæc, si tam iustæ essent Decreti caussæ, eas non fuisse reticendas; neque homines terroribus, sed modestis suasionibus ad credendum cogendos. Id enim verè esse dominatum super fide exercere, quod *B. Paulus* adeò auersatur. De capitibus reformationis hæc publica fuit hominum vox, neque

De Decretis his hominum censuræ & iudicium: ac primum,

Super III. dogmate.

Super communione paruulorum.

Super Canone II.

Dein super capit. de reformatione.

que articulos minoris momenti, neque leuiori brachio attingi potuisse: Patres scilicet imitatos medicum, qui corpore à pthisi laborante, in pruritus curationem incumbat. Illud verò, manum violentam in populi bulgam immittere ad Ecclesiæ nouum Rectorem suis sumptibus sustentandum, aut Ecclesias collapsas restaurandas, satis insolens, tum quoad substantiam, tum quoad modum videbatur. quoad substantiam, quòd Clero etiam ad luxum opes superessent, qui varijs nominibus Laicis ob accepta mage debitor erat. quoad modum, quòd neque *Christo*, neque Apostolis vnquam venerit in mentem compellere homines ad sua contribuenda, sed suis tantùm permittere, vt sponte oblata acciperent. Legenti verò *D. Pauli* ad *Corinthios* & *Galatas* Epistolas, facilè appariturum, quam curam debeat dominus boui trituranti, & quod officium Catechumenus institutori elementis religionis ipsum imbuenti; sic tamen vt nulla actio aut ius eius exigendi ijs competat, neque vllum extet Prætoris Edictum, cuius authoritate niti debeant.

Ferdinandus. Philippus 2.

Finita Sessione, proxima Legatorum cura fuit de digerendis ijs, quæ in sequentem Consessum discutienda viderentur, ita tamen vt rebus in angustum contractis, quantum posset, tempori parceretur. Interea literæ ad Cardinalem *Simonetam Tridentum* perferuntur ab *Alexandro Simoneta* fratre scriptæ, & aliæ rursus ab Cardinale *Gonzaga* ad *Mantuanum* patruum datæ. Hæ efficacissimas complectebantur ad vtrumque Pontificis nomine exhortationes ad dissidia inter ipsos sopienda, & animorum in posterum mutuam conspirationem. Vnde Dominica post Sessionem proxima cæteris Legatis è templo domum discedentibus, *Simoneta* mansit cum *Mantuano* pransurus: indeque perfecta sequuta est reconciliatio. cumque ille occœpisset apud *Mantuanum* habere sermonẽ de Præsulibus, qui in domo ipsius secretas consultationes iniuerant contra *Mantuanum*, eique non iniuria suspecti fuerant, *Mantuanus* illum maxima cum modestia repressit, affirmans dehinc haud dubiè non ita loquuturos. Tum seria inter eos instituta tractatio, quomodo Pontifici, Aulæque Romanæ in materia residentiæ plenè satisfieret, & qui Præsules aptissimi essent, ad alios in suam sententiam pertrahendos. Hos, qui se iam declarâssent ad Pontificis curiæque Romanæ commoda attentiores, vtcumq; cætera intelligentes, tamen quod authoritas eos deficeret, ad hoc officium parum idoneos iudicabant. Itaque *Mutinensem* & *Brixianum* Episcopos vtrumque probitatis famâ, & rerum tractandarum intelligentiâ spectatum, huic negotio adhibent. Eodem die Archiepiscopus *Lancianensis* Episcopis, qui per ipsum dederant literas ad Pontificem conuocatis Breue Pontificium exhibuit, humanitatis, amoris, & speciosarum promissionum plenum, quod ad omnes commitigandos, & ad pristinum in asserenda residentia ardorem relaxandum magnam vim habuit. Accidit etiam eo ipso die aliud quiddam rebus Pontificijs admodum opportunũ. Marchio enim Piscarius ad Secretarium suum miserat exemplar literarum, quibus Hispaniæ Rex ad illum scripserat, se, cum accepisset, *Cæsari*, Galliæque declarationem continuationis Synodi valde displicere, ac si fieret, dissoluendo Concilio occasionem posse ministrare, ideo præcipere, ne ea res amplius solicitetur; modò altera parte nulla nouæ Indictionis declaratio requiratur, sed Concilium, vti cœpit, ita porro procedat. Præsulibus item suis significatum velle, allatum ad se de controuersia & disceptatione super residentia, quam illi declarari de iure diuino obnixè petierint. Se quidem zelum & animi synceritatem in ipsis probare, sed simul existimare, istiusmodi declarationem hisce temporibus parum accommodam. idcirco velle, vti ea petitione absistant. Literas has Secretarius Præsulibus Hispanis ostendit. Sed *Granatensis* ijs diligenter consideratis dixit, negotium rite procedere, quando Pontifex declarationem nolit. Nescire quidem Regem quantum in ea re momentum sit, qui non alijs vtatur consultoribus, quàm Archiepiscopo *Hispalensi*, qui ipse nunquam in diœcesi sua domicilium fixit, & Episcopo *Conchensi*, qui assiduus in aula sit. Sibi satis compertum, qua fini Rex ita præceperit, & hactenus quidem pariturum, vt in contrarium nolit attestari: certum tamen esse sibi perpetuò, vbi res sese dabit, petitionem continuare, quod exploratum habeat Regi non displiciturum. Oratoribus quoque *Cæsareis* & *Gallis* ostensum fuit literarum caput de continuatione Synodi. à quibus apposite responsum, nihil opus esse decla-

Card. Mantuanus & Simoneta antea discordes, literis Roma scriptis in gratiam reducuntur.

Et consilia communicant vt Pontifici plenè satisfiat.

Responsum Pontificis ad literas à Præsulibus scriptas per Lancianensem.

Regis Hispani ad Piscarium literæ, quibus, quid à Præsulibus suis super residentiæ & continuationis Synodi declaratione fieri velit, significat.

Granatensis honesta confidentia.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

declaratione verbis expressa, quando id ipsum rebus effectum satis reddant.

Quid proxima Sessione decernendum in congregatione proponitur.

Congregatio proxima habita die XX. quâ propositum, de sacrificio Missæ, & corruptelis, quæ circa eam, esse tractandum. Cardinalis *Mantuanus* monuit Præsules, vt in Congregationibus sententiam dicerent placidè, sine strepitu & quanta possent breuitate: facta etiam mentione regularum, quas Legati in vnum redegerant, ad Congregationes Theologorum rite ordinandas, atque ad contentiones, confusionem, ac prolixitatem vitandas. Eas perlectas Patres omnes, qui aderant, approbarunt. Posthæc Cardinalis *Seripandus* disseruit de modo examinandi capita doctrinæ, & Anathemata in Congregationibus, in memoriam reuocans eadem in eodem Concilio olim fuisse examinata, discussa, & stabilita, ac tantum non publicata, Contractiores itaque esse debere Patrum super ijs disquisitiones; in quibus ante omnia opus sit celeritate. *Granatensis* subiecit, quando de Missa aliàs sit actum, & ad Sessionem proximam temporis abundè sit, de Sacramento Ordinis simul posse tractari: eique opinioni suffragatur Episcopus *Quinqueccleſienſis*. Quod alij sic accipiebant quasi ironicè dictum, alij de industria ad declarationem residentiæ inde inferendam, prout antea receperat *Mantuanus*. Prodeunt tandem articuli in Congregationibus Theologorum discutiendi. Cæterùm ordo quem diximus, tractationis VII. regulis comprehenditur.

Granatensis inijcit de sacramento etiam Ordinis tractandum.

VII. regulæ, quibus, ordo ab Theologis inter differendum obseruandus præscribitur.

I. Vt in singulis argumentis propositis quatuor tantummodo è Theologis à Pontifice missis publicè disserant, ijque ab Legatis delecti, seculares duo, totidem Regulares.

II. Vt ab Oratoribus Principum è Theologis secularibus ab ijs missis tres deligantur.

III. Vt Legatorum singuli eligant vnum è Theologis secularibus, qui ipsorum domestici.

IV. Vt ex alijs omnibus Theologis secularibus Præsulum domesticis, quatuor solis selectis in quaque materia loqui concedatur; facto ab ijs initio, qui in Doctoratus dignitate tempore priores.

V. Vt è Regularibus Generalis quisque tres è suo ordine deligat.

VI. Vt Theologrum nemo in disserendo horæ dimidium excedat: si quis erit prolixior, hunc Magister ceremoniarum interrumpat: si quis breuior, hoc maiorem apud omnes laudem inueniat.

VII. Vt Theologorum cuique, qui à disserendo super aliqua materia excluditur, liceat animi sui de re proposita sensum scripto consignatum ad deputatos afferre. Iuxta has regulas ratione subducta creditum XXXIV. Theologos dissertaturos, eosdemque in decem, ad summum, congregationibus audiendos. In hoc Ordine sanciendo, vt esset publici iuris, nata controuersia de modo inscriptionis. Nam cum nonnulli putarent inscribi debere, Modum ab Theologis seruandum, alijs videbantur Patres ita posse incurrere in reprehensionem *Spartani* ad *Athenienses*, *Consultare quidem prudentes, sed ignorantes definire*. vnde ad incommodum illud euitandum placuit sic inscribere, Modus in posterum seruandus in materijs ab Theologis minoribus excutiendis; scilicet sic innuentes Præsules esse Theologos maiores.

Quæ inscriptio huic ordini tribuenda sit, ambigitur.

Articuli propositi erant numero XIII.

*Super Missa articuli XIII. excutiendi.

I. An Missæ sacrificium sit nuda commemoratio sacrificij in cruce peracti, & non verum ac proprium sacrificium?

II. An Missæ sacrificium deroget sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto?

III. An Christus ordinauerit, vt Apostoli offerrent corpus & sanguinem suum in Missæ sacrificio illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem?

IV. An sacrificium Missæ prosit soli sumenti, neque debeat offerri pro alijs, tam viuis, quàm defunctis, neque pro peccatis, satisfactionibus, alijsque eorum necessitatibus?

V. An Missæ priuatæ, in quibus solus Sacerdos sine alijs communicat, sint illicitæ; ideoque abrogandæ?

VI. An sit contra Christi institutionem aquam vino miscere in Missa?

VII. An

VII. An Canon Missæ errores contineat, eóque sit abrogandus?

VIII. An Romanæ Ecclesiæ ritus, quo verba consecrationis secretò & submissa voce proferuntur, sit damnandus? *Ferdinandus Philippus 2.*

IX. An Missa lingua vulgari, quæ ab omnibus intelligatur, celebrari debeat?

X. An impostura sit peculiares Missas in peculiarium Sanctorum honorem celebrare?

XI. An ceremoniæ, vestes, aliaque signa externa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia vtitur, reijcienda sint?

XII. An idem sit dicere, Christum pro nobis mysticè fuisse sacrificatum, atque dicere, Christum nobis ad manducandum dari?

XIII. An Missa sit sacrificium tantùm laudis, & gratiarum actionis, an verò etiam propitiatorium pro viuis & defunctis? Articulis his illud porro subijciebatur, vt Theologi sententiam suam in medium afferrent, vtrum articuli hi erronei essent, falsi, aut hæretici, & an à Synodo damnandi. Item, vt Articulos sic inter se diuiderent, vti XVII. primi è Theologis, super septem prioribus articulis disserant, cæteri super sex reliquis.

Oratores *Galli* videbantur sibi ab initio nec ea in Concilio authoritate valere, nec dignatione esse, quà cæteri: sed postquam Decretum prædictum emanauit, æmulatio ea in maius auxit. De Theologis enim mentio erat facienda, qui cuiusque Principis essent, quod in Præsulibus non attendebatur, cùm tamen pro *Gallia* nemo vnus esset adfuturus. Metuebant etiam, ne inde Regni priuilegijs aliquod creari posset præiudicium. Ideo tum derepente, & deinceps ex occasionibus in *Galliam* dant literas, quibus significant disputandi partes solis *Italis*, *Hispanis* ac *Lusitanis* tributas, *Gallorum* verò fore nullas, nisi quanta potest festinatione Rex Præsulem aliquem, aut Doctorem curet eò mittendum. Id eò diligentius curandum, quo maioris sunt momenti res articulis propositis comprehensæ. Aliquid etiam additurum ad Regis ipsius negotia siue procuranda, siue impedienda, prout Regiæ voluntati, mandatisque suis consentaneum repererint. Nullum ab se hucusque articulum reformationis propositũ, quòd videant nullam propositorum rationem habitum iri, nisi suffragia in promptu sint ijs sustentandis. Decretissimũ esse Synodo nihil audire, quod cõpendio, vel authoritati Curiæ Romanæ possit officere: Pontifice iam tum in propositis, tum in decisionibus dominatum obtinente. In illis, quod ab principio cautum sit, & exinde sedulò seruatũ, nihil vt in Synodo afferatur in medium, nisi *Legatis proponentibus*. In his, quod tot numero sunt Præsules Pensionarij, alijque clientes, capita illi deuotissima. Decreuisse pariter Synodum, Curiæ Romanæ reformationem omnino non attingere, sed eam omnem intactam Pontifici reseruare. *Hispanos*, qui initio zelo reformationis flagrare videbantur, nunc frigefactos, imo Regis sui monitione prope stupefactos. Nihil spei reliquum, hoc rerum statu posse quidquam obtineri, nisi ex *Beatissimi Patris* beneplacito. Nullas Principum aut Oratorum omnium, qui *Tridenti* sunt, preces, exorare potuisse, vt de solida disciplinæ Ecclesiasticæ reformatione saltem ageretur, exhibitis licet, Pontificijs Legatis, articulis, non ad vsum modò Primitiuæ Ecclesiæ, sed ad ipsa quoque Pontificum Decreta accommodatis. Huius loco dogmata fidei controuersa in præsens tractari, vtcumque ostensum sit tractationem eam per absentiam Protestantum esse superuacaneam. Sin vero quidquam, quod mores spectat, proponatur, id aut leue esse, aut eiusmodi, quod nullum fructum sit allaturum.

Oratores dant literas in Galliam quibus Præsulum & Doctorum aduentum solicitant. vt aliquæ Gallorũ in dogmatis excutiendis partes sint, & suffragatores non desint.

Formam procedendi in Concilio vti Papæ nimis addictam insectatur, abiecto reformationis omni studio.

Pontifex, qui nunciorum *Tridento* cottidie allatorum varietate variè afficiebatur, atque in primis hærebat animi, an die Confessui destinata Decretum aliquod esset proditurum, vbi rem fœliciter confectam intellexit, magno sibi pectus gaudio sensit pertentari. Cui cumulus accessit, audita & Legatorum reconciliatione, & Regis Hispaniarum litteris ad suos scriptis. Neque tacito in sinu gaudia cohibere contentus, Cardinalium Consistorium in partem aduocat, tum Oratoribus impertit, ac denique Cardinali *Tarraconensi Marchionis Piscarij* fratri gratias agit, ab *Marchione* id, quicquid erat officij profectum agnoscens. Inde ad Synodi exitum accelerandum cogitationibus conuersis, attentoque, nihil esse quod eam in longum

Pontificis gaudium de Decreto Tridenti perruptis difficultatibus confecto.

Pius 4.
Elizabeth.
Carolus 9.

gum extrahat, præter residentiæ declarationem, & Calicis communionem, ad Legatos suos scribit, se in Curiæ suæ reformatione omni studio defixum: id tam Oratoribus, quàm Patribus testatum cupere: ipsorum esse, id verbo profiteri, & in negotijs expediendis sedulam operam ponere. Ita tribus ad summum Sessionibus omnia conficienda. Eorum in tempore præfixo circumscribendo studium laudat, & ad eandem curam continuandam hortatur. Et quia non nesciat quàm difficile sit in re residentiæ solidi quidpiam in Concilio statuere, vbi ad existimationem Præsulum multorum intersit opinionem eam, quàm honesto consilio susceperint, tueri, ipsis omni studio procurandum, vt ea res sibi permittatur. Tum vt communione Calicis pariter ad se reiecta, Synodum assiduis Principum super eo capite rogatibus liberent. Adhæc, si in rerum tractandarum aliquâ nodus suboriatur explicatu difficilis, proponant in Synodo, id ad suam cognitionem referendum. Sibi enim fore procliue res in Cardinalium Senatu determinare, accersitis ad se, vbi erit opus, quot videbitur Doctoribus: cùm *Tridenti* varij hominum ad sua commoda aspectus efficiant, vt aut res omnino definiri nequeant, aut certe longissimè protrahantur.

Quas siue de residentia, siue de communione Calicis, siue alius generis, ad suam cognitionem, viâ compendiariâ, referri iubet.

Prima Theologorum Congregatio habita fuit die postero à meridie, in qua *Salmeronis* Iesuitæ in præscripto dimidiatæ horæ ad dicendum spatio seruando tam anxia cura fuit, vt ille solus totum tempus pomeridianum proteruè admodum consumpserit; affirmans, se, quem Pontifex eò mandarit, quique de rebus tantis, tamque necessarijs dicere debeat, præfixis temporum angustijs haud includendum. Verùm dum VII. articulos disserendo percurrit, nihil ex eo auditum nisi vulgare, & protritum, ac particulari mentione indignum. Postridie horis matutinis sequutus eum *Torrensis* collega, quas ille quoque omnes dissertationi suæ sibi sumpsit, pridie dicta recolligens potius, quàm noua de suo adtexens. Hoc sane pessimè, quod sub finem locum *B. Ioannis*, *Nisi comederitis*, &c. non nisi de communione Sacramentali accipiendum putarit. Aiebat in primo capite doctrinæ superiori Sessione publicato id videri ambiguè propositum, eóque necessarium esse, vti sequenti Sessione declaretur, eo loco de Sacramento solummodo tractari. Quod si quis aliter sentiat, se ad Synodum prouocare. Legatos isthæc hominis oratio vehementer commouit: tum quòd cum Synodi Decreto pugnaret; tum quòd necessitatem participandi Calicis adstrueret. Sed maximè, quòd hi Iesuitæ primas in disserendo partes consequuti; Legibus generalibus, quibus omnes alligabantur, sese adeo petulanter eximi vellent. Motum ab ijs vltima Sessione excitatum meminerant: & Torensem nominatim notatum *Simoneta* in tabulas suas coniecerat, quia in fauorem residentiæ, eam contendens esse iuris Diuini, contra Catarinum summâ (vti Cardinalis ille dicebat) verborum insolentiâ scripserat. Itaque Congregatione finita apud Collegas professus est reprimendam hominis audaciam, exemplumque alijs in eo statuendum. idque prima occasione faciendum esse omnibus placuit.

Iesuitæ quoad tempus Theologorum cuique ad dicendum præscriptum exleges esse volunt.

Quâ proteruiâ Legatis sunt odiosi.

In dissertationibus Theologorum maxima fuit omnium consensio in Protestantium opinionibus super articulis propositis hæreseos damnandis. Cumque alios breuiter perstrinxissent, vberior fusiorque fuit oratio singulorum in articuli huius probatione, *Missam esse sacrificium*, quo sub speciebus sacramentalibus *Christus* offertur. In his verò rationibus præcipuum erat momentum. *Christum* esse Sacerdotem secundum ordinem *Melchisedech*; Melchisedech autem panem obtulisse & vinum: Sacerdotio itaque *Christi* conuenire, vt sit ibi panis & vini sacrificium. Deinde, Paschalem agnum fuisse verum sacrificium: hunc autem typum esse Eucharistiæ: vnde Eucharistiam pariter verum esse sacrificium. Præterea idem confirmabant verbis *Malachiæ* Prophetæ, cuius ore Deus repudiat sacrificium Iudæorum, affirmans, *nomen suum esse Diuinum, magnum inter gentes, & in omnibus locis offerri nomini suo oblationem mundam*; iam illud de alio non posse intelligi, quod offeratur Deo in omni loco, & ab omnibus populis. Ad hæc citabant multas alias similitudines & figuras veteris testamenti, quarum vni hic, alius alteri inædificabat. E Testamento nouo adferebant locum *B. Ioannis* vbi Christus mulierem *Samaritanam* docuit *venisse horam, quâ Pater in spiritu & veritate erat adorandus*. Iam adorare in sacra scriptura sumendum pro sacrificare, vti ex multis locis apparet: & Samaritanam de

In articulis discutiendis prima cura est, vt probetur, *Missam* esse sacrificiũ.

Mal. 1. 11.

de sacrificio sciscitatam, quod ab Iudæis offerri non poterat, nisi Hierosolymis, & à Samaritanis offerebatur in *Garizim*, vbi tum erat Christus. Inde sequi necessariò locum illum de adoratione externa, publica & solemni accipiendum, quæ ab Eucharistia alia esse non poterat. E verbis etiam ipsius Christi idem adstruebant. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*; *quod pro vobis frangitur*. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*. In Eucharistia igitur esse fracturam corporis, & effusionem sanguinis, quæ actiones sunt sacrificij. Sed præcipuum firmamentum erat in verbis *B. Pauli*, qui Eucharistiam in eodem genere collocat cum sacrificijs Iudæorum ac Gentilium, asserens per illud participes fieri corporis & sanguinis *Christi*, sicuti inter Iudæos, qui comedit hostiam particeps est altaris: Neque posse eundem bibere calicem Domini, & participem fieri mensæ Dominicæ, & bibere calicem dæmoniorum, & eorum mensam participare. Porrò Apostolos à Christo institutos fuisse Sacerdotes, id euincebant ex ipsis Christi verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Addunt insuper multas authoritates è Patribus, qui omnes Eucharistiam vocant sacrificium, aut certè verbis generalioribus testantur offerri in Ecclesia sacrificium. Nonnulli contendebant Missam esse sacrificium, quoniam *Christus* in cœna semetipsum obtulit. quam quidem rationem cum primariam ducerent, eius fundamentum prius in hunc modum firmabant; quod, cum Scriptura disertè testetur *Melchisedec* obtulisse panem & vinum, *Christus* non esset futurus Sacerdos secundùm eum ordinem, nisi ipse quoque ea obtulisset. Tum quia *Christus* dixit sanguinem suum in Eucharistia esse confirmatiuum noui Testamenti. at sanguis confirmatiuus veteris Testamenti in illius institutione fuit oblatus. vnde necessariò consequitur, *Christum* ipsum etiam suum obtulisse sanguinem. Præterea sic argumentantur. Cum *Christus* dixit, Hoc facite in meam commemorationem, nisi ille obtulisset, nos certè offerre non valuissemus. Et *Lutheranos* dicebant non alio argumento probare Missam non esse sacrificium, quàm quòd Christus non obtulit: itaque periculosam esse illam opinionem, tanquam hæreticæ doctrinæ adstipulatricem. Neque parum efficax probatio illa visa, quòd Ecclesia in officio corporis Christi sic cantare soleat; *Christus* Sacerdos æternus iuxta ordinem *Melchisedec* panem & vinum obtulit. Et in Canone Missalis *Ambrosiani* dicitur, *Christum* instituentem formam perpetui sacrificij, primùm semetipsum hostiam obtulisse, & primùm docuisse quomodò offerenda esset. Ad idem denique comprobandum varias adferebant Patrum auctoritates.

Ferdinandus. Philippus 2.

In eam rem asseritur Christum in Cœna obtulisse semetipsum.

Diuersa parte pari asseueratione dicebatur *Christum* in cœna præcepisse, vt post mortem suam perpetua in Ecclesia oblatio fieret; sed seipsum nequaquam obtulisse; quòd natura sacrificij id non permitteret. Atque huic assertioni confirmandæ aiebant, superuacaneam alioqui futuram oblationem in cruce peractam, quandoquidem ea oblatione, quæ in cœna præcessisset, vniuersum genus humanum fuisset redemptum. Deinde, sacrificium altaris à *Christo* institutum in commemorationem eius, quod in cruce obtulit: nihil autem commemorari posse, nisi quod est peractum. ideo Eucharistiam sacrificium esse non potuisse, ante *Christi* in cruce oblationem. Item, neque Scripturam, neque Canonem Missæ, neque Concilium vllum vnquam meminisse, *Christum* in cœna obtulisse semetipsum. quæ autem è Patribus adferuntur, ea omnia de oblatione facta in cruce haud dubiè accipienda. Concludunt itaque, cum Synodus statuendum habeat Missam esse sacrificium, sicuti re vera est, id satis adstrui posse bonis efficacibusque argumentis è Scriptura, & Patribus, sic vt nihil opus sit probationes inualidas, & ἀσύστατα adiungere. Hæc controuersia non, vt solet, multos à paucis, sed tam Theologos, quàm Patres in partes prope æquales dissecuit, atque à contentione prope abfuit. Priores enim quippe præfidentiores alteram opinionem incusabant vti erroneam, Anathema requirentes, quo silentium eis imperaretur, hæreseos damnatis omnibus, qui dicerent *Christum* non obtulisse semetipsum in cœna sub speciebus sacramentalibus. Alteri contrà affirmant, non esse eam temporum conditionem, vt dogmatis fidei firmamenta quærenda sint à rebus incertis nouisque opinionibus, ab Ecclesia veteri nec auditis vnquam, nec cogitatis: sed id tenendum, quod ex sacra Scriptura & Patribus liquidum certumque, *Christum* videlicet oblationem præcepisse.

Alij cótra differunt Christum oblationem imperasse, non seipsum obtulisse.

Men-

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Mensis Iulius ab ſeptemdecim Theologis, qui ſuper primis articulis diſſeruerant, totus eſt conſumptus. De vltimis res intra paucos dies confecta, Proteſtantibus mole potius iniuriarum, quàm momentis rationum oneratis. Neque verò hîc operæ erit peculiares omnes euentus commemorare, ſed è multis pauculos aliquot inſigniores.

Ataides Luſitanus Miſſam eſſe ſacrificium agnoſcit ex Apoſtolica traditione: ſed argumenta ad id euincendum antea adducta, vti aërea & inualida confutat.

In Congregatione die XXIV. Iulij à prandio habita *Georgius Ataides* Regis *Luſitaniæ* Theologus, ad euertenda aliorum Theologorum firmamenta omnia, quibus è Scriptura *ſacrificium Miſſæ* adſtruebant, ſeſe comparat, præfatus id in controuerſiam non vocandum, an Miſſa ſit ſacrificium. Patres enim omnes id apertis verbis expreſſiſſe, & vbique ex occaſionibus iteraſſe. Vnde à Latinis & Græcis veteris Martyrum Eccleſiæ initio facto, ad noſtra tempora degreſſus, affirmat nullum eſſe ſcriptorem Chriſtianum, qui Euchariſtiam non nuncuparit ſacrificium. Idcirco illud pro certo concludendum, doctrinam eam Apoſtolicam eſſe traditionem: cuius vis copioſa ſatis ac potens eſt ad condendos fidei articulos, ſicuti Synodus hæc à principio docuit. Verum autem hoc ſolidùmque argumentum debilitari ab his, qui aërea ſibi ſtruunt, è ſacra Scriptura id elicere fruſtrà conantibus, quod nuſquam ibi reperitur, atque aduerſarijs veritatis calumniâ violandæ anſam præbentibus, dum vident eos arenæ laxæ ac inſtabili inædificare. His præmiſſis, ad loca è veteri ac nouo Teſtamento à Theologis adducta ſingillatim examinanda pergens, è nullo horum expreſſum ſacrificij ſenſum depromi poſſe oſtendit.

Reſpondet ad I. argumentum de Melchiſedecho.

Ac primum ad locum de *Melchiſedecho* reſpondet *Chriſtum* eſſe Sacerdotem ex eo Ordine, quatenus vnicus eſſet, & æternus, abſque deceſſore, ſine patre, ſine matre, ſine Genealogia. Id ex Epiſtola ad *Hebræos* luce clarius euadere, vbi *D. Paulus* eam rem vbertim tractans, Sacerdotij æternitatem, & ſingularitatem exponit, panis autem & vini nullam facit mentionem. Porrò doctrinam eſſe *Auguſtini*, vbi proprius & accommodus eſt ad aliquid dicendum locus, neque tamen quidquam eius dicitur, tum argumentum inde peti poſſe ab authoritate negatiuum.

Ad II. de Agno Paſchali.

De Agno Paſchali dixit, id pro manifeſto ac confeſſo non præſupponendum, agnum eum fuiſſe ſacrificium; immo ſi contrariam quis aſſertionem ſuſciperet probandam, victoriam cauſæ ei forſitan concedendam. nimis duram eſſe *Tralationem* agnum typum Euchariſtiæ conſtituere, ac non potius victimæ in cruce oblatæ.

Ad III. à loco Malachiæ, & IV. de muliere Samaritana.

Laudat Theologos illos, qui ad locum *Malachiæ* ab ipſis citatum, alterum è *B. Ioanne* addiderant de adoratione in ſpiritu & veritate; quòd vterque locus re vera de vna eademque re loquatur, mutuóque declarent in verbo *Adorare* nihil ineſſe difficultatis, quod ſine dubio complectitur etiam ſacrificium. Et quidem mulier *Samaritana* id verbi in vniuerſali ſuo accepit ſignificato. ſed cùm *Chriſtus* ſubiunxit Deum eſſe Spiritum, & in ſpiritu adorandum, nemo niſi qui omnia impropriè enunciare velit, vnquam dixerit, ſacramentum, quod conſtat viſibili & inuiſibili, eſſe merè ſpirituale, ſed ex ſpirituali & ſigno elementari compoſitum. Quare, ſi quis vtrumque locum de interna adoratione interpretetur, hunc putabat non facilè conuincendum erroris, cui nimirum veri ſimilitudo ſuffragetur, propter claram planamque applicationem: quòd hoc genus adorationis omni in loco, & ab omnibus nationibus offeratur, ſitque merè ſpirituale, ſicut Deus ipſe purus eſt Spiritus.

Ad V.

Similiter dicebat verba ea, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, & ſanguis, qui pro vobis effunditur*, longè planiorem habere ſenſum, ſi referantur ad corpus & ſanguinem in eſſe naturali, quàm in eſſe ſacramentali. ſicuti cùm dicitur *Chriſtus* eſſe vera vitis, quæ profert vinum, non intelligitur vitis ſignificatiua, ſed realis producere vinum: ita in his verbis, Hic eſt meus ſanguis qui effunditur, non dicitur effundi ſanguis ſacramentalis & ſignificans, ſed naturalis & ſignificatus.

Ad VI.

Item quod *B. Paulus* dicit de participando ſacrificio *Iudæorum*, & de menſa dæmoniorum, ſi accipiantur ritus à Deo per *Moyſem* inſtituti, & qui ab Ethnicis inter ſacrificandum adhibiti, non inde effici Euchariſtiam eſſe ſacrificium. Notum eſſe apud *Moyſem*, in ſacrificijs votiuis totam victimam fuiſſe exhibitam Deo; atque vnam partem eius igni abſumptam, quæ erat ſacrificium. ex eo quod erat reliquum, partem fuiſſe Sacerdotis, & cæteram partem offerentis. vtrumque partem ſuam comediſſe, quì cum ipſi collibitum eſſet: neque id vocatum ſacrificare, ſed ſacrificatum participare.

Id

Id ipſum Ethnicos imitatos. Etiam partem eam quæ in altari non abſumebatur, à nonnullis vendi ſolitam: atque hanc eſſe menſam, quæ non eſt altare. Perſpicuum ergo *B. Pauli* ſenſum hunc eſſe; ſicuti *Hebræi* partem eam manducantes, quæ ad offerentem ſpectabat, nempe ſacrificij reliquias, participes fiunt altaris; & Ethnici ad eundem modum: ita nos comedentes Euchariſtiam, participare ſacrificium crucis. atque id eſſe quod dixit *Chriſtus*, Hoc facite in meam commemorationem, & illud *D. Pauli*; Quoties comederitis hunc panem, & biberitis hunc calicem, Chriſtum mortuum pro vobis annuntiabitis. Illud verò quod dicitur, Apoſtolos inſtitutos Sacerdotes ad offerendum ſacrificium, verbis illis *Chriſti, Hoc facite*, ea verba procul dubio intelligenda de eo, quod ab ipſo factum viderant. opus itaque eſſe, vti primùm conſtet quid ille obtulerit. Sed cum id in comperto non ſit, variæque ſint Theologorum opiniones, & vnuſquiſque fateatur vtramque eſſe Catholicam, certè eos qui negant *Chriſtum* obtuliſſe, ex ijs verbis non poſſe concludere, oblationem ſui præcepiſſe. Poſt hæc argumenta Proteſtantum attulit, quibus illi contendunt Euchariſtiam non eſſe inſtitutam in ſacrificium, ſed in ſacramentam, concludens, aſſertionem illam, Miſſam eſſe ſacrificium, non alio fundamento niti, quam traditionis; ſuadenſque vt in ea conquieſcant, neu veritatem certam nimio probationum conquirendarũ ſtudio ambiguam incertamque reddant. Sed in diluendis Proteſtantium argumentis, quæ proxima illi cura fuit, audientium animis haud ſatisfecit, quòd argumentis validis ac ſpecioſis adductis reſponſiones debiles & inualidas ſubiecißet, quæque ſcrupulum maiorem relinquerent. quod à quibuſdam temporis quod ſupererat breuitati tribuebatur, nocte ſuperueniente: ab alijs, quòd animi mentem non poſſet exprimere: à prudentioribus, quòd eæ ſolutiones ſibi ipſi minus ſatisfacerent. Ad eam rem Patribus obmurmurantibus, *Iacobus Payua*, Theologus alter *Luſitanus* proxima Congregatione rationes omnes ab *Ataide* allatas repetit, & cum magno audientium applauſu refellit, collegam, qui eadem ſecum mente eſſet, excuſans. Officijs etiam ab Oratoribus ac Præſulibus Luſitanis deinceps factis, probitate ac doctrinæ ſynceritate Theologi huius teſtimonijs ſuis confirmata, Legatorum animi illi reconciliati. Cis paucos tamen dies *Tridento* abijt. neque in catalogo Theologorum nomen eius extat, niſi forte in ijs, qui ante eum diem *Brixiæ* & *Ripæ* excuſi.

Ferdinandus. Philippus 2.

Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes illis verbis *Hoc facite.*

Argumenta Proteſtantum frigidè diluit.

Quæ ab eius collega Payua acutè & accuratè mox refelluntur.

Die XXVIII. Iulij *Ioannes Cauillonius* ex ſocietate Ieſuitarum Theologus *Ducis Bauariæ* ſuper articulis magna cum perſpicuitate diſſeruit, tamquam nulla difficultate implicatis, oratione omni non in formam examinis, aut diſcuſſionis, ſed mouendis ad pietatem affectibus comparata. Multa miracula recenſet diuerſis temporibus patrata. ab Apoſtolorum ætate ad *Lutherum* vſque neminem de his mouiſſe controuerſiam affirmat: Liturgias *D. Iacobi, D. Marci, Baſilij* & *Chryſoſtomi* citat. Proteſtantum obiectiones ait ſatis ſuperque refutatas: ſed ad earum vanitatem coarguendam hoc vnum ſufficere, quòd ab hominibus proficiſcantur ab Eccleſiæ communione ſegregatis. Legatos tandem hortatur, ne in quacumque materia patiantur hæreticorum argumenta in medium proponi, niſi ſimul maniſeſtiſſima eorundem confutatio ſubijciatur. ſi quis id præſtare non poteſt, idem argumentorum relatione abſtineat; vera id pietate flagitante, vt rationes cum Eccleſiæ doctrina pugnantes non proferantur, niſi præparatis antè auditorum animis, idq; expoſita peruerſitate ac ignorantia authorũ, quorum rationibus nemo ferè aures præbet, niſi qui cerebro laborat. Tunc argumenta eorum quàm poteſt ſuccinctiſſimè recitanda, probationibus intermedijs omiſſis. Dein reſponſionem planam, nec ſine amplificatione ſubijciendam. quòd ſi ad accuratam reſponſionem aliquid deſideretur, tum diſputationem in aliam materiam transferendam, ne in animis audientium ſcrupulus aliquis naſcatur, maximè Præſulum & Eccleſiæ Paſtorum. Hæc oratio à maiori parte Præſulum benignis fuit auribus accepta, & laudata tanquam pia & Catholica, adeo vt plerique cenſerent interponendum Synodi Decretum, quo cunctis Prædicatoribus, lectoribus, ac ſcriptoribus id præciperetur. At Oratori ſui Principis parum grata fuit, qui finita congregatione, cum Oratores *Cæſaris* Theologum pro concione habita benignè com-

Cauillonij Ieſuitæ monitum ad Legatos de circumſpectione adhibenda in proponendis Lutheranorum argumẽtis.

A Patribus benignius acceptum, quàm ab Oratore ſui Principis.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

compellarent, coram ipsis dixit eum egregiam certe laudem meruisse, qui docuerit Synodi Patres in doctrinæ Christianæ simplicitate, Sophisticâ ad fucum faciendum apposité vti.

Ecclesiæ Romanæ ritum in Missæ celebratione temporibus variasse, neque eundem nunc, qui fuit olim.

Inter postremos è Theologis, quibus dicendi locus, fuit *F. Antoninus de Valtelina* Dominicanus, qui super sex vltimis articulis de ritibus differens, dixit ex historijs clarum esse, singulas Ecclesias antiquitus habuisse peculiarem suum de Missa ritualem, consuetudine magis de die in diem, quàm iudicio, aut constitutione introductum: minores autem Ecclesias, sese ad Metropolitanas, aut vicinas Maiores conformasse. Ecclesiæ Romanæ ritum in multis Prouincijs, vt Romano Pontifici gratificarentur, receptum: permultas tamen superesse Ecclesias, quorum ritus ab Romano longissimè discedant. In *Mozarabo* interuenire equos & digladiationes Numidarum in morem, quibus grandes & mysterio pleni sunt significatus. tantam vero esse huius à *Romano* discrepantiam, vt si conspiceretur in *Italia*, quiduis potius quàm Missa crederetur. Etiam adhuc permanere in *Italia* ritum *Mediolanensem* præcipuis sui partibus ab *Romano* discrepantem. Atque hunc ipsum Romanum insignes passum mutationes cuiuis obuias, antiquum librum legenti, qui inscribitur, Ordo Romanus. Neque priscis modò temporibus, sed paucis retro sæculis, certè ante annos trecentos, verum ritum Romanum non eundem fuisse cum eo, quem in ciuitate Romana Sacerdotes nunc seruant, sed quem ordo Dominicanorum fratrum retinet. Cæterùm vestes, vasa, aliaque tam ministrorum, quàm altarium ornamenta, quibus nunc vtuntur, sic innouata ac transformata (quod cùm ex librorum lectione, tum ex sculpturarum & picturarum inspectione facile est obseruatu) vt si vetera in orbem reportarentur, ea nemo agniturus esset. Concludit igitur, Patres, si his se constringant angustijs, vt Ecclesiæ Romanæ ritus tantum velint approbare, reprehensione vix carituros, quasi damnata præiudicio antiquitate, & aliarum Ecclesiarum ritibus; ac magis sinistris hominum interpretationibus sese exposituros. Satius multo esse, ad ea quæ Missæ essentiam respiciunt, animum intendere, horum mentione omissa. In commemoranda autem notabili inter ritum, qui *Romæ* tunc obtinebat, & qui describitur in libro, cui nomen Ordo Romanus, differentia, inter alia id vrgebat, quod hic Laicis Communio sub vtraque specie permitteretur, id ipsum hac tempestate vt concederent hortatus. Cumque hæc oratio astantes offendisset, Episcopus *Quinqueccleſiensis* suscepto illius patrocinio affirmat fratrem neque falsi quicquam protulisse, neque offensionis aut scandali causam dedisse, qui non ad populum, aut apud idiotas verba fecerit, sed in corona eruditorum, apud quos veritas odium conciliare non potest. Quare, qui fratrem vti scandalosum ac temerarium damnatum eat, huic semetipsum tanquam veritatis minus capacem prius damnandum.

Etiam Mediolanensē à Romano discrepare.

Ex Ordine Romano cōmunio Calicis probatur.

Quod qui inuitus audit, veritatis parum capacem eum esse asserit Quinqueccleſiensis.

Quæ inter Theologos fuit controuersia, eadem quoque transijt ad Præsules doctrinæ & Anathematis conficiendis deputatos, quæ in Congregatione postmodum proponerentur. Cùm enim doctrinæ capitibus inserendæ essent probationes, explicationesque cur Missa sit sacrificium, vt quisque variè afficiebatur, hic vnam, ille aliam aut probabat, aut repudiabat. *Martinus Perezius* Episcopus *Segouiensis*, qui actionibus Concilij super eodem argumento sub finem anni M.D.L I. interfuerat, censuit, eandem doctrinam, & Canones tum compositos, vt Anni sequentis M.D L I I. mense Ianuario promulgarentur, sumendos, vt, si opus sit emendatione, recenseantur. Id Cardinalis *Seripandus* non probat, quòd vtcumque illic singularis pietas, & Christiani nominis zelus incomparabilis eluceret, aduersariorum tamen calumnijs ille valde esset obnoxius. Hic verò non tam Patribus spectandum, vt Catholici rite instituantur (quem finem Patres illi habebant propositum) quàm vt hæretici confundantur. Ea propter passim restrictiùs & circumspectiùs esse loquendum. Iustum non videri alieno operi manum admouere, tamquam Patres essent eorum, quæ tum ordinata, correctores. præstabilius esse noua Synodi scita contexere, neque dare occasionem dicendi, alienam sementem ab ipsis demessam. *Granatensis* diffidens ab omnibus, neque sinebat

Inter Præsules in dogmatis conficiendis, perinde atque inter Theologos in articulis excutiendis sententiarum reperitur diuersitas.

Episcopi Segouiensis sententia.

Et Card. Seripandi.

Item Granatensis.

sinebat id dici, *Christum* obtulisse in cœna, neque sacrificium instituisse ijs verbis, Hoc facite in meam commemorationem. *Seripandus* alterum ducebat minimè necessarium, eóque omittendum; cùm sufficiat *Christum* oblationem instituisse: sed necesse esse exprimere quibus verbis institutio fiat, neque præter iam dicta alia reperiri. At *Ioannes Antonius Pantusa* Episcopus *Litteranensis* affectibus suis indulgens, rationes omnes decreto inseri postulabat, tam de *Melchisedecho*, & ex *Malachia* Propheta; quàm de adoratione mulieris *Samaritanæ*, & mensis *D. Pauli*, & oblatione *Christi* in cœna, aliasque supra allegatas. Post multam tandem multorum dierum disceptationem inter eos conuenit omnia inserere, vt in Congregationibus Præsules sententiam suam promerent, & si quid maiori eorum parti minus arrideret, id tollerent. Facta item collectio abusuum in celebratione Missæ cottidie occurrentium, qui numero pauci præ illis Anno M.D.LI. annotatis.

Ferdinandus Philippus 2.

Pantusa rationes omnes Decreto inseri postulat.

Die III. Augusti habita Congregatio generalis ad procuratores Episcoporum *Ratisbonæ* & *Basileæ* admittendos, & imprimis ad honorem posteriori huic deferendum cum ignominia ciuitatis *Basileensis*, quæ cum ipso de titulo contendebat, neque Basileensem, sed *Bontrutensem* dici volebat. Cum proposita esset formula Decreti, Archiepiscopus *Lancianensis* censuit Anathemata solùm publicanda, capita vero doctrinæ prorsus omittenda. Atque in eam rem exemplum citat aliorum Conciliorum, in quibus rarissimè aliter esset factitatum: etiam ipsum Concilium *Tridentinum*, in quo cum de peccato originali, sacramentis, & Baptismo ageretur, doctrina fuit omissa. Asserebat Doctorum esse, opiniones suas rationibus firmare: Iudicum vero, sententias absolutas pronuntiare. Episcopos autem in Concilio esse Iudices. Si Decreto ratio apponatur, non Decretum modò, sed & rationem posse impugnari. Sin ratio nulla inseratur, tum vnumquemque crediturum, Synodum potentissimis rationibus adductam; aut certé ijs, quæ apud animum cuiusque plurimum ponderis habere videbuntur. Quod si rationes essent plus quàm euidentissimæ, eas tamen adhiberi parum tutum esse: quia hæretici eas nullo in pretio habentes, facile sint ipsas adorituri: certumque esse, quo plura dicuntur, eo maiorem contradicendi materiam suppeditari. Addebat insuper, temporum occasiones celerem Concilij exitum requirere; verbis, quæ ab Legatis, Pontificiæque caussæ fautoribus satis intelligebantur, subindicans, hanc esse viam, qua Pontifex euadere possit voti compos. At *Octauianus Preconius* Archiepiscopus *Panormitanus* dicendi ordine proximus contra disseruit, in Concilijs Patres consuesse semper proprium condere symbolum, cui doctrina respondet: dein Anathemata subnectere. Quando in Synodo *Iulio* Pontifice, & in hac ipsa Synodo Sessione vltima id obtinuerit, aduersarios dicturos consuetudinem eam, quòd rationes deficiant, minimè continuatam. Imo extremæ esse ignauiæ disceptandi cum hæreticis aleam detrectare, quorum oppositio doctrinæ Concilij lucem sit allatura; de cuius fœlici, quam festinato exitu Patres decet esse solicitiores. Horum duorum Præsulum prolixis dissertationibus Congregatio in vesperam producta tunc finem habuit, nonnullis dicentibus, mirum non esse, si *Genuensis Dominicanus* (*Lancianensem* designabant) *Franciscano Siculo* repugnaret.

Archiep. Lancianensis sola Anathemata censet publicanda, omissis doctrinæ capitibus.

Archiep. Panormitanus in contrariā disserit sententiā.

Super hoc capite diebus proximis varia fuere Patrum studia, ijs, quorum intererat, has aliasq; rationes adhibentibus, prout aut ad finiendum, aut ad extrahendum Concilium variè erant affecti. Verùm re in Congregatione iterum in deliberationem adducta, maior pars suffragijs euicit, vti ab ordine inchoato non abscederetur. Facere diuersa hæc hominum studia vt in aciem denuo prodiret certamen de residentia, ijsdem, qui Concilij finem festinatum volebant etiam cupientissimis, vt de residentia omnino non ageretur. Inde Cardinalibus *Mantuano* ac *Seripando* occasio data re effectisque testificandi Pontifici, quanta essent animorum promptitudine, ad voluntati ipsius in omnibus obsecundandum, iuxta arcanum, quod à *Lancianensis* ore acceperant, mandatum. Itaque quò tectiùs meliúsque res geri posset, Archiepiscopum *Tarentinum*, & Episcopos *Mutinensem*, *Nolanum*, ac *Brixiensem* officijs faciendis admouent, qui non apertè Pontificij erant, sed in eius partes dudū pellecti. Hi permultos ex Italis conciliant, non ad sententiam mutandam, aut ad contradicendum

Controuersiā de Residentiæ declaratione denuo subnascente, Legati ad artes ac prensationes confugiunt, quo Papæ negotium agant.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

At Hispani Præsules in sententia non solum fortiter perstant, sed ad Regẽ, quò æquiorem ipsum habeant, communes dant literas, quibus Concilio non constare libertatem subindicant.

tradicendum sibijpsis, sed ad rem residentiæ non vltra promouendam persuasos: ab alijs hoc impetrant, modò *Hispani* desinant, se quoque quieturos. Cúmque officijs suis multum profecisse sibi viderentur, omnium nomina in schedulam referunt. Apud *Hispanos* verò nihil agi potuit, quo magis premebantur, hoc sese arctiùs vnientes. Illi vnas literas communi omnium nomine ad Regem dant, quibus, Maiestatis suæ ad *Marchionem Piscarium* literis respondentes, de Pontifice primum grauiter queruntur, quod non patiatur de residentia statui, cui tamen tamquam fundamento totum reformationis Ecclesiæ ædificium sit superstruendum. Tum eleganti & modesta verborum circuitione suam Concilio non constare libertatem contendunt; Italis numero superioribus, atque ex his, alijs pensionibus, alijs promissis; qui minus corrupti, metu ad Pontificis nutum adductis. De Legatis etiam querimoniam habent, quòd passi non essent, caput illud, sicuti æquum erat, suo tempore determinari, antequam literæ Româ aduenissent. Tunc enim negotium maxima cum concordia potuisse confici in Diuini Nominis gloriam. E Præsulibus duas sanè partes quæstionis definitionem flagitasse; Legatos omnes id ipsum solicitasse: Se, qui veritatis fautores, absque animo protestandi amanter & modestè processisse. Nunc Maiestatem suam supplices orare, vt in consilium super hoc articulo viros probos piosque aduocet, quippe, qui haud dubia sint fiducia, ipsum, post maturam considerationem sententiam Catholicam, piam, & ad salutarem Ecclesiæ reformationem ita necessariam, calculo suo approbaturum.

Vnde Legatorum studium, tam Regiam existimationẽ de factionis eius ducibus minuere; quàm ne Galli aduenientes ipsis se consocient, omni arte præcauere.

Ea res Legatos eorumque fautores docuit fieri vix posse, vt diuersæ partis conatus reprimantur. Cùm enim Hispani neque literis Regijs, neque officijs peractis acquieuerint, sed sua in Hispaniam scriptione nouam declarationem petierint, firmiter tenendum putabant, esse eos insuperabiles. Vnde à Pontificijs consultatione habita decretum mittere in *Galliam* ad Cardinalem *Ferrariensem* exemplar literarum ab Rege Catholico, ad *Piscarium* scriptarum, vt plane similes ab eo Rege ad Oratores Gallos procuret, tam ad cohibenda quotidiana officia in contrarium ab ipsis apud Præsules interposita, quàm ad impediendum, ne Episcopi è *Gallia* aduenientes cum *Hispanis* sese coniungant, quod isti vnum & sperabant, & expectabant. Atque ad existimationem *Hispanorum* apud Regem suum minuendam hoc statuunt, nunciare in Hispaniam, *Granatensem* & *Segouiensem*, cæterorum, qui adeo religiosi, duces, suffragia sua Episcopo *Quinqueecclesiensi* in materia de communione Calicis pollicitos, cum Maiestatis Regiæ iniuria, quæ tantopere eam auersatur.

Pontifex rebus suis firmãdis conscribit militem, & Principum Italorum amicitias sibi adiungere studet

At Pontifex per id tempus consideratis periculis, quæ auctoritati suæ cùm ex rerum Tridentinarum perturbatione, tum ex tumultibus Gallicis impendebant, tum denique ex appropinquantibus *Germaniæ* Comitijs, in quibus Imperator vtilitatum suarum intuitu Protestantum voluntati necessariò obtemperaturus videbatur; de rebus suis in omnem euentum firmandis consilia capit. Ante mensem Centurionibus decem pecunias dederat ad cogendas copias. Et nunc in Flaminia & Piceno miles conscribebatur. Cum ministris & Cardinalibus Principum Italorum intimis arctam amicitiam colebat: quæ in Hispanorum Gallorumque animis suspiciones excitauêre. Eum Orator certè Gallus ab armatis hominibus contrahendis dehortatur, ne Patrum in Concilio rationes conturbet. Sed Respondet Papa, quando Protestantes in *Anglia* & *Germania* declarauerint, constitutum esse sibi Hugonotos in *Gallia* copijs auxiliaribus subleuare, non esse æquum vt à milite ipse sit imparatus. Orbem refertum esse hæreticis, adeoque esse necessarium, vt idoneè sit instructus, ad Concilium non auctoritatis solo vmbone, sed armorum quoque præsidio protegendum. At Orator Hispanus aliam ingressus viam, confirmat eum in hac opinione, Protestantum actiones meritò illi esse suspectas, ab Rege suo opem & fauorem pollicetur; hac certè fini, vt confœderationem in *Italia* impediat, quam *Hispanis* sciebat nullo tempore placituram. Grata admodum Pontifici accidit hæc *Hispaniarum* Regis professio & pollicitatio: ad quam accedente Legatorum suorum, de qua inaudiuerat, in Synodo vnione, egregiáque, quam animis & opere monstrabant, propensione, cœpit sustinere se, bonoque esse animo. His igitur rescribit, vt in reprimendo omni

Id Regnũ Galliæ Hispaniæque Oratores disparibus viis amoliri conantur.

omni de residentia sermone sedulam operam nauare pergant. Si id non possint, tum inuentum suum adhibeant; Sed ante omnia Synodi exitum maturent, vt saltem ante Præsulum Gallorum aduentum, & conuocationem Ordinum Imperij in *Germania* habeat finem, ne *Cæsar* nimio filium suum in *Regem Romanorum* eligendi studio, à Protestantibus sibi persuaderi patiatur, aliquid vt proponat in Concilio, quod rebus Pontificijs magis, quàm quicquam hactenus tentatum, officere possit.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Interim Synodi exitum ab Legatis festinari iubet.

Cum Oratores Galli sæpius modestè petijssent, vt Præsules eius nationis expectarentur, decimo tandem Augusti, petitionem scripto exhibent, hoc tenore. Regem Christianissimum, cui constitutum sit obseruare & reuereri decreta Conciliorum, quibus Ecclesia vniuersalis repræsentatur, valde cupere, vt Concilij huius decreta, ab aduersarijs Ecclesiæ Romanæ lubenti animo accipiantur. His enim qui ab Ecclesia non secesserunt, determinationibus Synodi opus non esse. Credere decreta conficienda multo gratiora futura, si Sessionis dies vsque eò protrahatur, quousque ad copiosam Præsulum Italorum & Hispanorum multitudinem Episcoporum *Galliæ* suffragia consocientur, quorum in priscis Ecclesiæ Concilijs summa semper habita est ratio. Causam absentiæ, quæ ab ipsis Legatis audita, iusta visa est ac necessaria, breui, vti sperant, cessaturam. Sin minus cessauerit, ipsos certè ante finem Septembris adfuturos ex restricto Regis ipsius mandato. Futurum inde, vt Protestantes, quorum in gratiam Concilium est indictum, & qui cottidie iactitant se ad veniendum eò paratos, minus caussæ habeant ad querendum moram ac maturitatem in re tanta non adhiberi, sed omnia magis, quam par sit, præcipitari. Atque vt nemo existimet Regem interea velle Præsules otiosos, aut cogitare Synodi dissolutionem, rogare, vt dum aduentus suorum expectatur, quæ ad mores ac disciplinam spectant, solummodo tractentur, aut certè duo, quæ adhuc restant capita in materia Calicis. Quod de industria ab ipsis adiectum ad demerendos Cæsareos, qui de obtinenda in eo Consessu horum capitum declaratione spem aliquam ceperant. Legati, re deliberata, scripto quoque respondent, se ante Concilium incœptum Præsules Gallos sex totos menses expectasse. Cum esset Gallorum præcipuè causa inchoatum, rerum grauium tractationem alteros sex menses distulisse. Nunc ex quo cœperint operi manum admouere, non posse se, sine maximo Synodi dedecore, ac multis magnisque tot Patrum incommodis, manum subducere, pedemue referre. Neque verò in potestate Legatorum esse, diem Sessioni præfinitum procrastinare Patribus inconsultis. eòque nullum ab se responsum distinctius expectandum.

Oratores Galli postulatum iterant, idque scripto; de Sessione proxima in aduentum vsque Præsulũ suæ Nationis proroganda.

Ab Legatis respondetur.

Re pensitata *Galli* iterum petunt, vt saltem liceat ipsis, quæ dicenda haberent, in Congregatione coràm proponere. Verùm Legati respondent, iampridem dictum ipsis, alijsque Oratoribus, nullam ad negotia in Synodo tractanda patere viam nisi per Legatos. In hac ipsa Synodo iam ante deliberatum, decretumque, ne liceat Oratoribus in Congregatione publicè verba facere, nisi eo die, quo ad Concilium admittuntur, & mandatum eorum recitatur. Id *Gallis* causam dedit apud Episcopos, *Hispanos* maximè quiritandi, absurdissimum esse, Legationes ad Synodum mandari, Oratorum mandata Synodo inspicienda offerri, neque tamen cum Synodo tractationem permitti, sed cum solis Legatis; quasi missis ad ipsos Legationibus. Constare tamen, Legatos non aliam sustinere personam quatenus Papa, à quo mittuntur Princeps est, quàm Oratorum. quatenus autem est Episcopus & Episcoporum primus, quàm Procuratorum Papæ absentis. quo loco in priscis illis Concilijs habiti sunt & accepti. Id exemplis *Niceni*, *Ephesini*, *Chalcedonensis*, eius quod in *Trullo*, & *Niceni II.* comprobari; neque aliam fuisse scissuræ inter Concilium *Basileense* & Pontificem causam, quàm quòd Legati Romani Pontificis antiquum illud & laudabile institutum immutatum vellent. Durissimam hanc esse seruitutem, qua Patres in Concilio premuntur, vt ipsis ne audire quidem concedatur; & summam Principum iniuriam, quibus non datur agere cum ijs, quorum in manibus est maximorum principatus sui negotiorum tractatio. Decretum, quod factum asserant, nusquam conspici: videndum tamen, & vnde profectum sit, inquirendum. Nam si à Legatis, tum authoritatem eos suam extra fines præscriptos mirum in modum protendisse. Si ab Synodo,

Iisdem petentibus, vt liceat in Synodo proponere, quæ dicenda essent ipsis, id quoq; negatur.

Grauis inde Oratorũ querimonia, de dura Patrum Synodi seruitute & maxima Principum iniuria.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

nodo, tum necessariò examinandum, qualiter & quando factum sit. Neque enim tolerabilem esse iniuriam, quæ principio vltimæ huius conuocationis facta; vt Legati cum paucis Præsulibus Italis *Româ* solùm venientibus Decretum condiderint, & seueriter executi sint; Ne videlicet, quidquam in Synodo nisi Legatorum ore proponatur: exclusis sic Principibus, ac Præsulibus omnibus à salutari reformatione proponenda ad Diuini nominis honorem: ac loco huius, ad homines sine fructu detinendos propositis fidei dogmatis controuersis cum Protestantibus, idque per eorum absentiam; nullo Catholicorum beneficio, qui de ijs non dubitant, alienatisque Protestantibus, in quos absentes damnationis sententiam ferunt. Geminatæ porro Gallorum querimoniæ, vbi nunciatum ipsis *Insulanum* Regis sui apud Papam *Romæ* Oratorem mandato Regio idipsum postulasse, vt toto mense Septembri Præsules Gallos expectarent; Papam vero responsione sua rem ad Legatos reiecisse. *Lansacus* dicebat perpetua memoria dignum, quòd Pontifex rem referret ad Legatos, Legati nihil possent absque Synodo, Synodus nihil posset audire nisi per Legatos, Rege, alijsque sic lactatis & deridiculo habitis.

Augusti die II. Episcopi cœperunt ferre suffragia de Decretis in materia Sacrificij: ac plerisque omnibus rem leuiter, sed concorditer perstringentibus, nonnulli tamen existimabant, oblationem Christi in cœna Decreto minimè inserendam: alij contra, vt per multos dies partium suffragia prope ad æqualitatem redigerentur. Nec prætermittendum, quod est memoratu dignum, XIV. Augusti *Iacobum Lainez* Præpositum Iesuitarum tum primum aduenientem quæstioni de honoratiore loco occcasionem dedisse. Cum enim societas illa Concilio nunquam antea interfuisset, nec ille postremo inter Generales Regularium loco esset contentus, res controuersiam habuit, tribus ex ea Societate caussam eius pro virili promouentibus. Factumque inde, vt catalogo eorum, qui Synodo interfuerunt, eius nomen non reperiatur inscriptum.

Generalis Iesuitarum non contentus postremo inter Ordinũ Præpositos loco, ea de caussa in catalogo non memoratur.

Per id tempus Præsules Hispani Legatis exhibent petitionem omnium chirographis subscriptam, qua multis incommodis commemoratis, quæ nascuntur ex immensis gratijs ac priuilegijs concessis *Conclauistis*, reuocationem, aut saltem moderationem eorum postulabant. Solens est Cardinalibus cùm ingrediuntur Conclaue, in quod includendi sunt ad electionem futuri Pontificis, vt singuli duos habeant ministros, vnum tamquam sacellanum, alterum veluti cubicularium. Hos plurimùm eligunt non tam vt personis Dominorum, quàm vt negotiationibus inseruiant, adeoque vsuuenire solet, vt optimi censeantur in vrbe Roma aulici, non minorem in negotiando, ac suffragijs emendicandis, quam ipsi Domini partem obtinentes. Vnde consuetudo inueterauit, vt egressi Conclaue in noui Pontificis familiam adsciscantur, horumque singuli priuilegijs loco ac conditioni cuiusque conuenientibus, prout Sacerdotes sunt aut seculares, ornentur. Iam inter priuilegia quæ dari solebant Sacerdotibus hæc erant, vt, quæ possidebant beneficia in manus cuiuscumque Ecclesiastici ad libitum resignare possent, qui ea conferret in illum, quem ipsi nominabant. Item, vt Sacerdotia sua cum quocumque altero beneficium tenente possent permutare, & ad voluntatem deligere eum, qui in vtrumque beneficium conferret. Ab hac facultate adeo immani & extraordinaria nata est aperta beneficiorum nundinatio: adeo vt Episcopis, quorum in Dioecesi talis aliquis *Conclauista* erat, necesse esset, Canonicatus, beneficia parochialia, aliaque magno Ecclesiæ scandalo ad ipsorum arbitrium permutanda permittere. De his Hispanorum erat querimonia, propter recentia, quæ in Catalonia inde acciderant incommoda. Sed Legati respondent, harum ac similium corruptelarum moderationem ad Papam solum spectare, cuius de familia iam agatur; cumque sæpius antea decretum sit, Papæ emendationem aulæ relinquere, æquitati magis consentaneum, suam ei familiam emendandam permittere. De eius tamen abusus reformatione (vti receperant) ad Pontificem scripserunt. Ille verò *Conclauistarum* præcipuos *Romæ* & apud Cardinales commorari ratus, cæteros verò qui emendandi essent, & paucos esse, nec magni nominis, qui ab aulico strepitu ad sua se subduxerant: tum per rebus suis commodum aliqua parte Præsulibus Concilij, ac Hispanis potissimùm satisfacere arbitratus, in hoc decreuit ijs gratificari,

Præsules Hispani emendationem petunt abusuum ex priuilegiis Cõclauistarum.

Horum priuilegia cuiusmodi.

Legati corruptelæ eius reformationẽ Pontifici commendant: vnde priuilegiorum paulo post reuocatio facta.

facta

facta mense sequenti multorum priuilegiorum illis prius concessorum reuocatione, quam successores tamen eius sequuti non sunt.

Ferdinandus. *Philippus 2.*

Faber tertius ex oratoribus Gallicis *Tridento* discedens, vt in Galliam rediret, suspicionum materiam reliquit, Pontificijs coniectantibus iter ab eo susceptum ad statum Concilij significandum, & aduentum Episcoporum è Gallia solicitandum; ijsdemque persuasis, eum boni nihil in ipsorum gratiam operaturum, cuius & ingenium satis perspectum habebant ex literis ab eo ad Cancellarium scriptis, quas interceperant, & vnà cum collegis offensum sciebant, ob non impetratam Sessionis prorogationem. Quæ cùm ad *Lansacum* quidam ex Cardinalis *Simoneta* intimis retulissent, ille respondit, *Fabrum* certe ob negotia sua priuata in *Galliam* profectum: sed mirum sibi haud videri, si illi, qui manifestos Synodi defectus probe nossent, animum inducerent, eos reticeri non debere.

Fabri Oratoris in Galliam reditus suspectus ijs, qui Pontifici studebant.

Verùm circa Missæ sacrificium, in Congregationibus habitis vsque ad diem XVIII. suffragia omnium spectabant ad contentionem super oblatione *Christi* in cœna fouendam. Et quidem *Salmeron* Iesuita ducem se præbere ijs, qui ab affirmatiua starent: ad aliter sentientium, maxime si suffragia nondum pronuntiassent, domos itare, ijsque persuadere, vt vel tacerent, vel agerent remissius. ad eam rem nomen auctoritatemque Cardinalis *Warmiensis* interponere, & *Seripandi* interdum adiungere, cæteros Legatos non tam nominare, quàm tacitè designare. Quibus ille artibus ita singulos fatigauerat, vt Episcopi *Clodiensis* & *Vegliensis* in Congregatione habita XVIII. Augusti de ista iniuria apud Patres expostulauerint: hoc etiam ad iniuriam exaggerandam multis bonisque rationibus pro quæstionis negatiua disserente. Asserebat enim, oblato sacrificio propitiatorio, si ad expianda hominum delicta illud sufficiat, alterius oblatione nihil opus esse, nisi forte ad gratiarum actionem. Tum, qui in cœna sacrificium propitiatorium adstruit, huic necessariò fatendum, hoc nos sacrificio redemptos, minime autem crucis; cui tamen & scriptura sacra, & doctrina Christiana nostram tribuit redemptionem. Quod si quis dicat, vtrumq; sacrificium vnum idemque esse, sed inchoatum in cœna, & perfectum in cruce, eundem in alia absurda nihilo minora incidere. Hæc enim quodammodo contradicere, principium sacrificij esse sacrificium. quia, si quis post initium factum desisteret, neque vltra pergeret, nemo esset dicturus illum sacrificasse. Præterea, si *Christus* Patri non fuisset obediens ad mortem vsque crucis, sed in cœna tantum obtulisset, neminem dicturum nos fuisse redemptos. quare eiusmodi oblationem, quia principium sit sacrificij, non sacrificium ideo nuncupandum. fatebatur quidem Episcopus sibi haudquaquam propositum rationes istas tanquam ineluctabiles obstinatè tueri; sed negabat alia parte ab Concilio ligandas hominum mentes, qui opinionem induerunt, tot tamque bonis rationibus firmatam. fatebatur item se absque omni scrupulo vocare *Missam* sacrificium propitiatorium: sed negabat hîc sibi satisfieri, vt *Christus* quouis modo dicatur obtulisse, sed oblationem tantum præcepisse. Nam si Synodus affirmet *Christum* obtulisse, tum sacrificium illud vel fuisse propitiatorium, atque ita incurrere in absurda superius memorata, vel non fuisse propitiatorium, atque ita non posse inde concludi Missam esse propitiatorium; sed contra tenendum, si oblatio *Christi* in cœna propitiatoria non fuerit, Sacerdotis in sacrificio Missæ oblationem esse multò minùs propitiatoriam. Concludit ergo multo tutius esse asserere, *Christum* solummodò imperasse Apostolis, vt offerrent in Missa propitiatorium sacrificium. Sed obliquè tandem perstrinxit Salmeronem, tolerabiles esse dicens prensationes & captandi artes in materia reformationis, quæ circa res humanas versaretur; sed in rebus fidei ad scopum destinatum factionum viâ tendere, id pessimi esse exempli. Hæc Episcopi dissertatio tantum apud omnes valuit, vt communiter censerent, de sacrificio *Christi* propitiatorio in cœna ne verbum faciendum. de cætero opinionem eius, sicuti ante factum erat, pars solùm aliqua amplexi.

Cõtentiones Patrum super oblatione Christi in Cœna recrudescunt, Salmerone multum solicito ac satagente.

Cuius assertionem de Christo à semetipso in Cœna oblato impugnat Episcopus Vegliensis.

Notatur ambitus Salmeron suffragia captans ambiensque etiã in re fidei.

Eodem die Archiepiscopus *Pragensis* ab Imperatore *Ferdinando* ante paucos dies reuersus, literas *Cæsareas* Legatis exhibuit: eodemque tempore allatæ Nuncij *Delfini* apud eam Maiestatem residentis literæ: quibus vtrisque *Cæsar* postulabat, vt ante

Cæsaris ab Synodo per literas postulata super capitibus tractandis.

Ordinum

Pius 4.
Elizabeth.
Carolus 9.

Ordinum *Germaniæ* conuentum de sacrificio Missæ minimè ageretur: tum vt in prima Sessione articulus de Calicis communione quamprimùm expediretur: ac denique prolata ab Archiepiscopo *Ferdinandi* nomine reformationis formula. Verùm Pontificis mandatum de accelerando Synodi exitu Patres ita premebat, vt primo *Cæsaris* postulato concedendo loci nihil esset relictum: tantùm eos exstimulabat ad satisfaciendum *Cæsari* parte aliqua in materia Calicis expedienda. Et Pontifex certè ab *Cæsare* in eundem finem solicitatus, id ipsum scripserat *Tridentum*. Itaque proxima Congregatione *Mantuanus* proposuit, peracta doctrina de sacrificio, de communione Calicis proximè agendum. Sed dum Præsulum suffragia pronunciantur, non defuere, qui suggererent, controuersiam, An *Christus sese obtulisset*, non propositam Theologis vt excuteretur, vtcumque illi casu eam disceptarint. Satius igitur esse, vti nunc proponatur de industria exagitanda, aut verò planè omittatur.

Legati in Decreto oblationis vocem inseri permittunt, propitiatorij haudquaquam.

In disserendo vltimus fuit Iesuitarum Præpositus, qui in argumentum de *oblatione Christi* longiùs prouectus, huic Congregationem integram solus impendit, licet in alijs Præsules, à septem vsque ad decem loquerentur. Cumque omnes suffragia sua explicassent, neque inter eos, qui huic, aut illi opinioni adhærebant, magnum esset in numero discrimen, Legati certè serijs *Warmiensis* precibus victi constituunt vocabulum *oblationis* Decreto inserere, sed *propitiatorij* voce omnino non vti. In fine Congregationis Episcopus *Quinque Ecclesiarum* propositionem Cardinalis *Mantuani* sequutus, habuit orationem. in qua, memoratis officijs ac laboribus ab *Cæsare* bono reipub. Christianæ, & religionis Catholicæ puritati restituendæ exantlatis, non solùm postquam assumptus esset ad Imperium, sed spirante etiam *Carolo* fratre, professus est *Ferdinandum* experientia edoctũ animaduertisse grauissimas populorũ contentiones ac querimonias ab interdicto Calicis vsu profectas. de hoc itaque capite postulare, vt Concilium statuat. Se verò cum cæteris Oratoribus, *Cæsareæ* Maiestatis mandatu Patribus hoc primum considerandum offerre, An Christianæ Charitatis sit, ad retinendam nimis strictam ac seueram vnius ritus obseruationem, tam multa sacrilegia & cædes in nobilissimis prouincijs non prohibere, neque tam multas animas ad Ecclesiæ Catholicæ gremium reducere. Infinitum esse numerum eorum, qui fide orthodoxa nondum abdicata, conscientijs tamen vacillant; quibus aliter quàm isthac Calicis permissione ægrè succurri potest. *Cæsari* continuum à Turcis imminere bellum, quod nisi communibus *Germaniæ* sumptibus sustineri nequit: *Germanos* verò, vbi ad belli impensas contribuere iubentur, statim de religione mentionem inijcere, & calicis vsum in primis postulare. qui quidem, nisi conceditur, vt hac ratione controuersiæ atque dissidia tollantur, iure metuendum, ne non *Hungaria* sola, sed *Germania* Barbarorum præda fiat: quod etiam periculum prouincias omnes conterminas manet. Ecclesiam sæculis omnibus consueuisse, ritus eos amplexari, qui recens natis hæresibus maximè aduersantur. Hunc itaque non negligendum, qui veram de sanctissima Eucharistia fidem contra Sacramentarios apertissimè prodit. Neque opus esse, quod nonnulli requirunt, procuratorem consultò mandari nomine eorum, qui istud postulant, sicuti Concilio *Basileensi* factum. Tum enim vno solum regno eam sibi gratiam fieri postulante, procuratorem facilè mandari potuisse. nunc verò, non vnum aliquem populum, aut integram vllam nationem; sed homines immenso numero in varias regiones dispersos id deposcere. Neque mirandum, si petitio hæc Pontifici primum exhibita, nec impetrata. Papam enim prudenter rem ad Synodum reiecisse, tum ad os hæreticis obturandum, qui Sedis Romanæ gratias respuunt; tum ne auctoritati Concilij *Constantiensis* temerè aliquid derogare videretur: quando æquum sit, calicis vsum ab vna Synodo generali sublatum, non nisi alterius decreto permitti: tum denique ad augendam Synodi dignationem, ad quam censeat referendam huius capitis decisionem, quo omnes Ecclesiæ controuersiæ sopiantur. Sibi vero constare literis *Româ* scriptis, Papam postulatum hoc iustum ducere ac necessarium: boniqueconsulere, quòd ad Synodum tanquam Iudicem referatur. His dictis articulum de calice exhibuit eâ formâ, qua tractatum volebat: nimirum, vt ijs, qui sub Imperatoris ditione sunt, per *Germaniam* vniuersam & *Hungariam* calicis vsus concedatur. Quo lecto strepitus statim à Præsulibus in Congregatione

Dudithij Episc. Quinqueecclesiensis pro permissione calicis in cœna oratio.

gatione excitatus; proditumque claris indicijs in plerisque contradicendi studium. Sed ijdem mox sedati per Legatos, relictum cuique sententiæ dicendæ locum, vbi ad suffragia ventum erit, asserentes.

Ferdinandus. Philippus 2.

Oratores Galli die III. Septembris apud Legatos petitionem iterant, vt ad auctoritatem maiorem Synodo conciliandam, eiusque decreta in regno Galliæ facilius accipienda, Sessionem in mensem vnum, aut quinque hebdomadas extrahant: alijs interim capitibus exagitatis, quæ Sessione subsequenti vnà cum ijs, quæ hactenus discussa ac determinata, euulgari possint. Ita neque tempus perditum, neque Synodum prolatatum iri: Regem verò totumque regnum summam inde satisfactionem percepturum. ac præter hæc, cum è *Polonia* Præsules breui expectentur, magnũ ad rem Christianam per vniuersum orbem promouendam momentum habiturum, si Synodus duo regna adeo prælustria sese respicere demonstret. Hac petitione pridie proposita, quàm Legati Cardinalis *Ferrariensis* literas accepissent, quibus significabat Cardinalem *Lotharingum* & Præsules Gallos viginti Doctoribus Theologis *Parisiensis* Academiæ comitatos omnino venturos: alijsque literis ad diuersos Synodi Patres ab amicis scriptis, id ipsum testantibus, ac illud insuper, esse ipsis animum agitandi controuersiam de Concilij supra Papam potestate, hoc magis necessarium iudicarunt capita ante discussa expedire. Alioqui sibi cum nouis difficultatibus confligandum: atque ad eos, qui *Tridenti* malè animati essent, aggregatis alijs deterioribus atque audentioribus, futurum vt Synodus difficultatum mole fatiscens in infinitum protrahatur, aut certè aliquid statuere cogatur, quod caussæ publicæ fraudi detrimentoque fiet. Verùm Legati rationibus his in pectoris penetrali reseruatis, verbis honorificis respondent Gallis sicut antea. Synodum *Gallorum* caussâ potissimùm conuocatam; Præsules *Gallos* toties & tamdiu appellatos; tot numero Patres diutiùs inani expectatione detinere, indignum & indecorum Concilio. nisi quæ sunt discussa euulgentur, cunctos credituros id fieri, vel quòd ipsi inter se diffideant, vel quod argumenta Protestantum validiora sunt, quàm vt refelli queant. At *Lansacus* nulla responsione contentus, & temporis moram sibi magis magisque vrgendam ratus, multa queritur: Concilium Gallorum caussa indictum, neque tamen eosdem expectari. se nullum vnquam postulatum suum ab Legatis adhuc impetrare potuisse; omnia à se proposita spreta, contemptaque. in quibus morâ gratificandum esset Regi, hic multo maximè præcipitari. Neque Legatis imputare, quos sciat nihil facere, nisi quod *Româ* imperatum: sed in errore magno versari, quicumque suspectum habent Præsulum Gallorum aduentum. quandoquidem quod iustum, & non petenti etiam vltro largiendum, toties tentatum non successerit, de alijs dehinc remedijs cogitandum. Quo sermone Patribus iniecta suspicione extraordinarium quid designari, illi continuo coniectant voceque produnt Concilij solutionem; bonáque eorum pars hac opinione mirificè sibi placebant; alijs liberationem incommodorum, quæ sustinebant, sibi spondentibus; alijs Dei cultum nihil aut parum morâ operâue sua promoueri agnoscentibus: Pontificijs etiam nouorum conaminum metu liberari cupidissimis. Palam verò iactabatur Cardinalem *Lotharenum* vtique ostendisse animum propensum ad conuellendam Sedis Apostolicæ authoritatem: neque voluntatem ei afuisse pascendi Gallos spe obtinendi Pontificatus, quem in potestate esse Collegij Cardinalium, maximam partem Italorum, vix æquo animo ferebat. Galliam sibi semper potestatem arrogasse auctoritatis Pontificiæ cöercendæ, atque eiusdem Canonum decretis Concilijsque subijciendæ. Huic opinioni Hispanos sine dubio accessuros, qui sermone licet parciores, re tamen se idem ex animo cupere declararint. neque defuturos ex Italis plerosque, quorum partim, quòd curiæ Romanæ emolumentis ipsi excludantur, ea potientibus inuident; partim rerũ nouarum cupidi sunt, etsi absque probabili caussa, ijque eo numero, vt multis aspectibus negligendi haudquaquam videantur.

Galli oratores petitione sua sæpius iterata pluriesque reiecta non absistũt, de Sessione in aduentum suorum extrahenda.

Nuncius de Card. Lotharingi & Gallorum aduentu Legatos ad decreta magis præcipitanda quam protollenda inuitat.

Legatorum responsum.

De quo Lansacus acerbè queritur, id non tam Legatis, quàm Pontifici imputans.

Per id tempus dissertatio *Tridenti* euulgata in hominum manus peruenit, atque adeo *Romam* ipsam à Legatis missa. Eius scopus docere, fieri non posse, vt Concilium breui desinat, Principibus cunctis ad illud protelandum comparatis. De *Gallis* &

Scriptũ Tridenti circumfertur, quo demonstratur Synodi exitum maturari non posse.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

& *Cæsareis* ambigendum non esse, qui seduli obnixique in poscenda dilatione. *Hispaniarum* Regem re id comprobare, *Comite Lunensi* Oratore ad Concilium designato, post finitum scilicet *Francofurtensem* Ordinum Imperij conuentum, quo primum ablegatus. Præsules quoque ipsos suffragiorum prolixitate omnia in longum protendere. Dicebatur præterea fieri non posse, vt multo tempore *Tridenti* Synodus continuetur propter summam in præsens penuriam frumenti, non vltra Septembrem suffecturi, & exiguam in posterum spem, annonâ vbique terrarum adeo carâ; tum *Cæsare*, *Bauariaque* Principe cunctatione sua ad respondendum Synodi super annona postulatis, facile prodentibus deesse sibi subueniendi copiam. Adhæc, Protestantes omni ope laboraturos, vt Synodi Patres in laqueos induant suscepti alicuius parum honorifici: certè nouitatibus suscitatis subinde coacturos Principes res Synodo detrimentosas deposcere ac promouere. Episcopos ad libertatem aspirare, neque tempore procedente intra limites tam angustos posse coarctari. Synodum non tam liberam, quàm licentiosam euasuram. Tum apposita imagine Concilij progressum corpori humano assimilabat, quod ex delectatione leuem, ac principio despicabilem luem Gallicam contrahit, quæ postmodum aucta, per totum sanguinem, omnesque facultates corporis grassatur. Hortatur denique Pontificem, vt in id cogitatione totus incumbat, vt neque translationem Synodi, neque suspensionem permittat, ne in Principum omnium offensionem & contradictionem incurrat, sed remedijs, quæ Deus illi obijcit, scienter ac prouidè vtatur.

III. Patrum sententiæ super concessione Calicis.

Inter hos motus Legati festinant Decretorum conclusionem in Sessionem proximam. Illud de sacrificio Missæ rite procedebat: vnde de Concessione Calicis tum sermo institutus. De ea tres erant opiniones. vna extrema & negatiua, calicem nullatenus concedendum. alia affirmatiua, concedendum quidem in Concilio, sed ijs Legibus ac cautionibus, quæ Synodo idoneæ videbuntur. atque hanc L. è prudentioribus tenebant. è quibus nonnulli volebant Legatos in eas regiones mitti, quæ concessionem vrgebant, vt an populis temporibusque conueniret, quibusque conditionibus stabilienda esset, edíscerent. Tertia opinio erat media, vt negotium ad Pontificem remitteretur: eaque in varios ramos tributa. Alij enim sic absolutè remittendum censebant, vt non declararent, vtrum ab ipso concedi, an negari vellent. Alij declarabant, illi pro sua prudentia concedendum. Alij volebant concessionem ad particulares regiones restringere; alij liberam ipsi facultatem relinquere.

Præsules Hispani instigante Varga Calicis concessini auersiores.

Hispani omnes simpliciter concessionem repudiabant, ab Oratore *Varga* per literas *Româ* moniti, id bono religionis, & compendio Regis expedire, præsentaneo inde detrimento Belgis & Insubribus impendente. qui vbi viderint populos finitimos eo gaudere priuilegio, finem postulandi nunquam sint facturi. adeo, vt siue concedatur, siue denegetur, ad hæresin intromittendam portam patefieri sit necesse.

Item Veneti.

Præsules quoque Veneti Oratore suo instigante, eandem opinionem eadem de caussa tenuere.

Card. Madrucij sententia.

Atque harum opinionem præcipuos tantùm auctores mihi cōsilium est perstringere, & quæ ab ipsis eximiè dicta. Cardinalis *Madrucius* sententiam principe loco rogatus, absque omni exceptione Calicem permittendum censuit. At Patriarchæ tres contrà, absolutè negandum. Hos sequuti V. Archiepiscopi, rem ad Pontificem referendam.

Et Archiep. Granatensis.

Granatensis, qui se ministris Cæsareis hic accessurum receperat, vt illos in re residentiæ, qua supra modum afficiebatur, fautores sibi experiretur, dixit, se nec affirmare, nec negare, imo credere quæstionem ea Sessione terminari non posse, sed ad alteram necessariò differendam. Remittendam ad Pontificem non censuit, quòd grauem seriamque requireret deliberationem. Nec ad Scripturarum traditionumue regulam, sed ad humanæ prudentiæ amussim exigendam: magnaque cum circumspectione hic procedendum, ne circumstantijs facti decipiantur, quæ speculatione aut ratiocinandi solertia deprehendi nequeunt. Se quidem non vt alios plerosque ab effusionis periculo metuere, qui edoctus sit experientia vinum in abluendo non effundi. Quod si hæc concessio vnionem Ecclesiæ sit allatura, abhorrendum ritum non esse, qui pro fidelium bono variè mutari possit. Sibi tamen assensum sustinendum videri, metu ne calicis concessione facta, alia mox inaudita & insolita petantur.

petantur. Quamobrem, vt non erretur, ad Deum precibus, supplicationibus, missis, eleemosynis ac ieiunijs recurrendum: tum ne quid humanæ diligentiæ desideretur, cum Præsules è *Germania* Concilio non intersint, scribendum ad eos, vt Metropolitani in vnum congregati rem diligenter examinent, & secundum conscientiam Synodum commonefaciant. Verùm quando perdifficile sit tam multa breui spatio exequi, in præsentia supersedendum censere, & deliberationem in aliud tempus reijciendam. *Ioannes Baptista Castaneus* Archiepiscopus *Rossanensis*, non contentus concessionem Calicis absolutè damnare, etiam inuectus est contra eos, qui Calicem postulabant, quique postulato huic fauebant, tamquam parum firmos Catholicos, certus, si tales essent, nihil indebitum magno aliorum scandalo petituros: palamq; professus, petitionem eam hæreseos introductionem sapere. Quibus verbis *Maximilianum Bohemiæ* Regem denotari facilè omnes colligebant. *Ferdinandus Philippus 2.* *Item Archiep. Rossanensis.*

Tum Archiepiscopus *Braccarensis* infit, se inaudiuisse quatuor in *Germania* esse genera hominū, verè Catholicos, peruicaces hæreticos, hæreticos dissimulatores, & infirmos in fide. Primos Calicem non poscere, imo reluctari concessioni. Secundos, de eo non curare. Tertios, petere quidem, sed vt hoc mantelo hæresin suam operiant: cum in alijs omnibus fingere didicerint, hoc verò solo prodantur. Itaque omnino his non permittendum, nisi errorum fomenta ijs suppeditare malint. Postremos autem, in fide debiles non alio nomine esse, nisi quia sinistram de Ecclesiastica potestate, atque in primis de summo Pontifice opinionem imbiberint. Neque calicem pietatis affectu deposcere, quod est piorum hominum & vitæ inculpatæ, cum ipsi contrà vanitatum voluptatumque humanarum cœno immersi, ad confessionem sacramque synaxin non nisi semel quotannis, idque grauatè accedant. Vnde liquido euincitur, non flagrare eos hoc deuotionis ardore, vt communionem sub vtraque specie pietatis aspectu flagitare debeant. Imitandam igitur Patrum *Basileensium* industriam, deligendosque è corpore Concilij quatuor aut sex Præsules, qui à Synodo delegati, Theologisque ad concionandum idoneis comitati, prouincias à *Cæsare* nominatas perlustrent, quique, vbi homines verè pœnitentes, & Calicem pietatis zelo sitientes, eiue ritui assuefactos deprehenderint, modò ad Ecclesiæ gremium redire non recusent, his reconciliatis Calicem concedant. *Et Archiep. Braccarensis.*

Episcopus *Philadelphiensis* titularis, quamquam *Germanus*, dixit, *Cæsare* hanc gratiam Protestantibus orante, non esse tutum eam denegare; sed eandem concedere perniciosam. Constitutum sibi, hominibus potius displicere; quàm contra conscientiam quidquam effari. Sua quidem opinione fieri non posse, vt peruulgatus sit Calicis vsus, propter periculum effusionis, dum per loca longe dissita & aspera defertur, etiam nocte sæpius intempesta, cœlo pluuio, aut niuoso, soloque glacie indurato. Hæreticos sine dubio insolenter gloriaturos, & apud suos crepaturos, Papistas iam tandem oculos aperire ad aspiciendam veritatem. Certum esse, eos, qui tam instanter Calicem petunt, existimare, præcepto *Christi* non aliter posse satisfieri, quàm Eucharistiâ sub vtraque specie sumptâ. Quod vt comprobaret, Catechismum linguâ Germanicâ scriptum proferens, ac Latinè interpretatus, opinionem ipsorum patefecit. Subdit, dolituros valde ea concessione Catholicos, metumque esse, ne, dum speratur paucos aliquot posse lucrifieri, à vera fide plurimi deficiant, à qua parte stet veritas incerti, vbi Catholicos in Protestantum ritus concedere conspicantur. Ea concessione *Germaniæ* facta, alias mox prouincias, *Galliam* maxime, idipsum petituras. Decretumque hæreticis, in hoc vno capite Ecclesiæ Catholicæ constantiam periclitari in alijs omnibus fidei suæ dogmatis tuendis. Concludit, differendam concessionem ad finem vsque conuentus Ordinum, vt Præsules Germani possint mittere ad Concilium; simul approbata *Granatensis* opinione de differendo, & *Braccarensis*, hos qui calicem adeo sitiunt, omnes hæresin sapere: atque hoc addito, Oratores Cæsareos caussam hanc tanto cum affectu, tamque instanter egisse, & quantum sua intersit, adeo substrictis negotiationibus declarasse, vt æquum non sit ipsos interesse Congregationi, quo liberiora sint Patrum suffragia. *F. Thomas Casellus* Episcopus *Cauensis*, præfatus *Quinqueeclesiensem* hoc argumento multos sibi conciliasse, quòd nisi Calix concedatur, tot mala impendeant, vt præstabilius foret, Synodum nunquam *Episcopi Philadelphiensis.* *Episcopi Cauensis.*

quam

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

quam fuisse conuocatam; instabat tamen vt non concederetur, etsi multarum animarum iactura inde sequutura esset, propterea quòd multo maior animarum numerus eo concesso esset interiturus.

Præsules quidam petunt Oratores Cæsaris excludi è Congregatione dum de Calicis concessione consultatur.

Idem vrget *Captembergensis* in *Stiria* Episcopus, vt Oratores Cæsarei recedere iubeantur; contra verba *Quinqueeclesiensis* ab *Cauensi* recitata acerbissimè inuectus. Multi pariter Præsules *Hispani* contendunt à Legatis, ne Cæsarei dum hæc consultatio est præ manibus, Patrum conuentibus adesse permittantur, quibus sufficere debeat, quòd Synodi mentem tandem sint audituri. Sed his alij objiciebant, eos quorum res agitur, præ cæteris debere interuenire, atque à Synodi moribus alienissimum semper fuisse, excludere eos quorum ferrum in igni est. Legati itaque secum reputantes, quod iampridem multis adesse occœperint, neq; sine motuum tumultuumque periculo commodè excludi possint, nihil sibi in eo negotio innouandum constituunt.

Episcopus Conimbricensis in concedendo Calice requirit V. conditiones.

Episcopi *Conimbricensis* opinio fuit, gratiæ huius concessionem ad Pontificem appositis V. conditionibus referendam. Nimirum, vt qui eius participes esse velint, hæresibus omnibus eieratis, singillatim conceptis verbis iurent se credere, tantum sub vna specie, quàm sub vtraque contineri; ac similiter tantum gratiæ recipi. Vt concionatores hæreticos procul ab se abigant. Vt in illorum locum Catholicos admittant. Vt Calicem non reseruent nec deferant ad ægrotos. Atque huiusce rei curam ab Pontifice non committendam Ordinarijs, sed Legatos consultò mittendos. Neque de ea re determinandum in Concilio. Tum quia euulgata, hæreticorum fastum auctura esset, & plurimis Catholicis offendiculo futura. Tum etiam, quia vtut hæc gratiæ dispensatio concedenda videri posset, certè omnium oculis exponenda non esset. Episcopus *Mutinensis* tenuit, gratiam hanc non posse negari. Cum enim Ecclesia post Concilium *Constantiense* dispensandæ huius gratiæ facultatem sibi perpetuò reseruarit, hoc ipso satis ostendisse, par esse, vti aliquando concedatur. Etiam *Paulum III*. Nuncios olim misisse, qui laxarent eam, postquam conspicatus esset prohibitionem tot annis nihil profecisse, neque Bohemos ad officium reduci potuisse. quinetiam Calicis vsum & Christi Saluatoris institutioni consentaneum, & ab Ecclesia aliàs seruatum.

At Mutinensis iure non posse negari censet.

Honesta probaque viri probi sententia.

Gaspar de Casal Episcopus *Leiriensis*, vir & vitæ exemplaris, & præstantis doctrinæ, eandem tutatus opinionem affirmauit, se quidem non mirari tantam in Patribus opinionum diuersitatem, his, qui negant communionem Calicis, recentiorum sæculorum exemplo suffultis; illis verò qui concedendam putant, & antiquitatis, & Concilij *Basileensis*, & *Pauli III*. auctoritate adductis. In hac sententiarum discrepantia se affirmatiuam tuentibus accedere: quod res sui ipsius naturâ bona sit, additisque conditionibus propositis vtilis & conueniens. Cumque adhiberi possit, vt medium necessarium hominibus in rectam viam reducendis, qui finem assequi velit, huic necessariò medium expetendum. Medij porro necessitatem non vocandam in dubium, quando *Imperator* id astruat, cui ille credat Deum nunquam immissurum Spiritum deceptionis in re adeo graui: maximè, cum idem fuerit *Caroli Cæsaris* iudicium, idemque comprobarit, cùm Ducis *Bauariæ*, tum *Gallorum* postulatum. Et si quis dubitet, an Principes sæculares caussam hanc vtpote Ecclesiasticam probè pernorint, non esse cur fidem derogare debeat Episcopo *Quinqueeclesiensi*, alijsque duobus Episcopis *Hungariæ*, qui in Synodo adsint. Ac quoniam erat qui diceret, imitandum Patris exemplum, qui filium suum prodigum receperat, sed non ante quàm egisset pœnitentiam, sibi videri, imitandum potius Pastorem Euangelicum, qui per loca squalida & aspera maxima cum solicitudine ouem, quæ deerrauerat, quæsiuit; repertamque, atque in humeros sublatam ad ouile reportauit. Hæc oratio Præsulis probitate atque eruditione excellentis, & qui, quòd natione *Lusitanus* esset, ritus receptos acerrime propugnaturus putabatur, non solum eos, qui in eadem sententia erant, firmauit; sed plerosque aduersæ factionis vacillare fecit.

Sententiæ Episcoporum, Auximani, Rheatini.

Episcopus *Auximanus* hunc excipiens dixit subtimere se, ne Calix iste omnino sit bibendus: orare itaque Deum, vt eius successum velit fortunare. At *Ioannes Baptista Osius* Episcopus *Rheatinus* tenuit vsum Calicis minimè concedendum, quòd Ecclesia

Ecclesia nunquam consueuerit vel minimum quid hæreticis indulgere,sed quod cum eorum positionibus ex diametro pugnaret,id statuere. Id exemplo *Bohemorum* testatum esse,qui magis magisque semper rebellarint: neque de conuersione hæreticorum quidquam sibi promittendum, aliamue fiduciam habendam,quàm vt ab ijs sine dubio decipiantur. quare *Cæsari* perpetuò inculcandum, commonstrandumque petitionem hanc rebus ditionibusque ipsius non conducere. Rogauit idem Legatos,ne horum suffragia respicerent,qui à principio rem ad Pontificem referendam censuissent, quòd confusè sententiam dixissent: suffragiorum potius delectum habendum,sicuti alijs vicibus factum esset, curandumque vti disertè singuli ita,vel non respondeant, subdolis artificiosisque rationibus omissis, quibus nonnulli ad complacendum offensionemque vitandam coguntur vti. *F. Ioannes de Munuatones* Episcopus *Segobricensis* hunc sequutus, fatetur se principio existimasse gratiam eam non negandam, sed ex quo audierit Episcopum *Rheatinum*,ad exonerandam cõscientiam de priori sententia decedere, & pro negatiua stare coactum. Concilium in hac caussa Iudicem esse, cui sedulò dispiciendum sit, ne dum *Cæsareæ* Maiestatis desiderijs parum prouidè auscultat, alijs Principibus creet præiudicium. *F. Marcus Laureus* Episcopus *Campaniensis* putabat *Cæsarem* concessionem istam non ex animo postulare, sed in speciem & Dicis caussa, ad populum conciliandum. Difficultates igitur quæ occurrunt illi significandas,quo apud suos sit excusatior.

Ferdinandus. Philippus 2.

Segobricensis.

Et Campaniensis.

Petrus Danesius Vuariensis Episcopus nihil definiebat, vtrum Calix concedendus esset necne: sed totus erat in oppugnanda opinione, quæ rem ad Papam reijciebat. Verisimile enim asserebat, Pontificem inde offensionem capturum. Nam cùm postulatum hoc ad illum primitus delatum esset,atque ille, siue quod nesciret,siue quod nollet de eo statuere, id ad Synodum reiecisset; manifesto documento esse, displiciturum ei,si in easdem ambiguitatum angustias denuo conijciatur.Synodo autem,quæ tam multis constat, longè esse facilius tædium molestiamque deuorare quiritantium de iniuria,& importunis precibus remedia flagitantium, quàm soli Pontifici, cui dignitatis conseruandæ caussa multa respicienda sunt. Ad hæc ansam dari calumniatoribus criminandi, homines hac via ludum fieri, quos Pontifex ad Synodum remittat,Synodus ad Pontificem. Tandem caussæ nodum premens dilemmate sic arguit, rem remitti ad Pontificem, aut tanquam ad superiorem, aut ad inferiorem. Nam cùm Patribus Synodi animi satis non sit ad statuendum propter multiplices, quæ incurrunt, difficultates, tum ad maiorem potestatem remitti: vel vt difficultatibus hisce ac molestijs se extricent, ad inferiorem. sed neutrum commodè posse confieri, nisi quæ potestas superior sit, prius definiatur. Inde enim singulos ad opinionis suæ defensionem argumenta sumpturos, disputationibusque ac factionibus occasiones ministratum iri. Itaque asseueranter concludit,nullum Præsulem qui sapit,remissioni assensurum, nisi prius intelligat, vtro modo remitti debeat: imo nulla forma posse fieri,quin verba hanc aut illam præferant. Atque huius Præsulis oratio ab Pontificijs impatienter fuit audita.

Episcopus Vuariensis controuersiam hanc ad Pontificem remitti non patitur.

Sed opportunè Quinqueccleſiensis in illis etiam congregationibus vices loquendi sibi tanquam Præsuli debitas seruans, noua dissertatione superiorum memoriam obscurauit, longa primùm digressione calicis vsũ concedendũ persuadens,tũ ad omnia, quæ in contrariũ obiecta fuere singulatim appositeq; respondens. Ac primo præfatur opus non esse, vt respondeat illis, qui Congregationibus ipsum volebant exclusum, cùm rationes ipsorum contra *Cæsarem* ipsum,si Concilio adesset,æquè militarent: neque item periculis effusionis, quoniam nisi idoneis remedijs his subueniri posset, nunquam *Constantiense* Concilium facultatem dispensandi reseruasset. Horum verò rationes,qui negatiuam persuadere conantur,visas sibi graues,& efficaces,atque idoneas ad se in eam sententiam pertrahendum,nisi in eo negotio multum versatus esset, quod experimentalem cognitionem magis, quàm scientiam & rationes speculatiuas requirit. His igitur,qui dicebant ex istiusmodi concessione nullum anteactis temporibus fructum apparuisse, respondet, planè contra euenisse. Post tractationem enim *Basileensem* multos Catholicos in *Bohemia* permansisse, pacificè cum *Calistinis* degentes,& nuper nouum ibi receptum Archiepiscopum Pragensem, à quo omnes ipsorum

Episcopus Quinqueccleſiensis pro Calicis vsu differens, argumenta omnia in contrarium allata refellit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

rum Sacerdotes ordinentur. Tum ijs qui metuebant, ne hoc exemplo aliæ nationes ad rerum nouarum cogitationes animarentur, respondet, ab eiusmodi exemplo nihil esse periculi; quod ij populi nulla hæreticorum cõmixtione infecti, suæq; in religione puritatis conseruandæ cupidi, Calicem, si quis offerret, vltro essent repudiaturi. Germanos, quo pertinaciùs negatur, hoc instantiùs petere: at si concederetur, intra breue tempus, huius consuetudinis desituros. Metum, ne hac gratiâ impetratâ alia postulata ingeminent, videri nimis suspiciosum: ac si ita esset, certè quantumuis importunas petitiones posse negari. Nouitatem non appellandam, quæ ab Synodo *Basileensi* concessa, & *Paulo* III. Pontifice. cuius ministris si plus animi fuisset, neque subita consternatione ex ineptis fratrum aliquot concionibus icti ab ea dispensatione resilijssent, multo meliùs rebus ipsorum actum fore. Rationem à quodam allatam, nempe, sicuti nemo in Ecclesiam recipiendus sit hac lege, vt licitum sit ei fornicari, ita nec istos populos admittendos, qui non aliter reconciliari volunt, nisi pacti vsum Calicis, absurdam esse & offensionis plenissimam, cum prior conditio natura sua improba sit & illicita; hæc vero mali nihil habeat, nisi in quantum prohibita. Episcopo *Segobricensi* respondit, nullam esse *Cæsari* cum alio Principe litem, neque alijs præiudicatum velle: tantùm suis Calicem ex gratia, non ex iustitia poscere. Sarcasmate autem paulo asperiùs illudebat his, qui censebant huius rei curam Ordinarijs non conferendam, sed ab Sede Apostolica Delegatos mittendos, quasi rem Adiaphorã ijs credere nollent, quibus curã animarum, & vniuersum regimen Spirituale credidissent. aut fortè putarent hanc curã, cum excedat administrationem Episcopalem, in Pontificem minimè conijciendam, quem nouis perpetuisque molestijs fatigare non conueniat. *Philadelphiensi* Episcopo responsum, Catholicis haud turbarum, sed consolationis fore materiam, vitæ societate vnitis cum ijs, à quibus nunc mala incommodaque plurima perpetiuntur. Huic item qui consultò procuratores mitti volebat, dictum, mirum non esse, si nemo veniat gratiam istam petiturus. *Cæsarem* enim ipsorum nomine supplicantis partes sibi sumere: penes quem sit innumerabiles eo adducere, si Patribus ita videatur. Sed quemadmodum Concilium in conficiendo liberi commeatus diplomate id respexit, ne nimis amplum esset, neue tam multos conuocaret Protestantes, vt ab illis iusta metus caussa esse debeat: idem hic multo magis esse cauendum, quandoquidem ad istam concessionem impetrandam multo plures essent venturi. Hortatur igitur vti velint Ecclesias ipsorum miserari, & tanti Principis postulata non negligere, qui vniendæ Ecclesiæ anhelans, vix vnquam sine lachrymis negotium hoc memoret. Queritur sic affectu præpeditos multorum Præsulum animos, vt præ vano metu mutationis in ijs, in quibus ipsi degunt prouincijs, alienarum interitum siccis oculis aspicere sustineant. singillatim verò Episcopum *Rheatinum* insimulauit, quòd *Cæsarem* artis regnandi imperitum duceret, neque adeo scientem, quid suis ditionibus expediat, nisi Reuerendissimus Episcopus, in ministrando mensis Cardinalium Romæ versatus ipsum edoceret. Concludit denique multa superesse, quibus respondere possit, eo consilio dicta, quasi continuò ad monomachiam esset veniendum: sed videri satius ea tolerare ac patienter prætermire. Et quoniam vitio ei datum fuerat dixisse prius, nisi vsus Calicis concedatur, futurum fuisse præstabilius, vt Concilium nunquam coijsset, eadem verba repetita explanauit in hunc modum: Multos populos obsequium suum Romano Pontifici continuasse hac spe, quòd esset futurum, vt istam aliquando gratiam impetrarent: ea nunc spe delusos, fore à Pontifice alienissimos.

Episcopi Legionensis sententia.

Andreas de Cuesta Legionensis in *Hispania* Episcopus dixit, de syncera mente *Cæsaris*, *Ducisue Bauariæ* ambigendum haud esse, neque disputandum, an Ecclesia possit id permittere: sed id solum considerandum, an expediat. Sua quidem opinione priscos Patres imitandos, & perpetuam Ecclesiæ praxim, in nihil indulgendo desiderijs hæreticorũ. *Concilij Niceni* experimento cõprobatum, Patres eos, etiamsi omnia sursũ deorsum ferrentur, hæreticis ne vnum quidẽ apicẽ concedere voluisse, etiã à verbis, quæ illi vsurpabant, licet cõmoda interpretatione molliendis, ex cõposito abstinuisse. Præterea, nũquã isthac concessione acquieturos; & Catholicos certè in præiudiciũ suũ id accepturos. ob incertã spẽ recuperandorũ paucorũ aliquot hæreticorũ innumeros

Catholicos

Catholicos perditum iri. magno esse eius rei indicio, quòd Episcopi *Germaniæ* Synodo in hac caussa minimè supplicent; quòd nec in postulato vllum deuotionis, aut in petentibus aliquod spiritualitatis argumentum. Se satis assequi non posse, quomodo pœnitentes sint, aut reditum ad Ecclesiam cogitent, aut eam Sancti Spiritus dictamine dirigi credant, cum tamen absque isthac gratia omnino redire obstinatè recusent. Ex ea peruicacia abunde liquere, caussam fidei formalem ipsis deesse. Si Concilium *Basileense* Bohemis id aliàs concesserit, id eo factum, quòd illi se Ecclesiæ arbitratui omnino permiserint: quæ benignitatem suam hoc opere exercuit. Neque verum remedium illud nuncupandum, quod non ex rei natura, sed ex malitia hominum necessarium est: quam Synodum alere ac fomentare non decet. Exemplum *Christi* in oue deperdita quærenda satis imitari, qui accersunt,& inuitant,& obtestantur. Quod si id gratiæ sit indulgendum, potius esse, eius concessionem Papæ relinquere, penes quem facile sit eam reuocare conditionibus non seruatis. Nam si ab Concilio concedatur,& forte Papa concessionem irritam velit, id negaturos in illius potestate situm, qui auctoritate non sit supra Concilium. Denique hæreticos per fallacias ac fraudes omnia peragere. *Ferdinandus. Philippus. 2.*

Antonius Gorroinero Episcopus *Almeriensis* aiebat se in opinione negatiua confirmari propter rationes allatas ab ijs, qui tuentur affirmatiuam. Deum enim, vtcumque impœnitentibus multa offerat subsidia, conciones, miracula, bonos instinctus siue inspirationes; Sacramenta tamen nunquam dispensare nisi pœnitentibus solis. Homines verò, qui charitatis amorem obtendunt, de Catholicis conseruandis maiorem solicitudinem ostentare debere, quàm de hæreticis in viam reducendis. *Constantiensis* Synodi exemplum imitandum: cuius Patres ad dilectos Ecclesiæ filios in officio retinendos Calicis communionem ab *Ioanne Hus* introductam exterminarunt; hodieque perinde cum *Lutheranis* agendum. Hanc concessionem ad malorum myriada ianuam aperturam. Continuò enim petituros connubia Sacerdotum, abolitionem imaginum, ieiuniorum, aliorumque piè institutorum; quæ illi postulant, sola & necessaria esse media iactantes ad stabilem cum Ecclesia vnionem. Minimam quamque in legibus mutationem, præsertim verò in fauorem hæreticorum, grauissima damna parturire. Ne Pontificem quidem se auctore vmquam id concessurum; etsi ex Pontificia concessione minus mali crederet redundaturum, populo longe maiorem ex Synodali concessione offensionem capere prompto. Synodi enim decreta videri apud populum maiori esse dignatione, vtcumque fatendum alioqui sit summam in Pontifice auctoritatem residere. Quod si concessio ea aliquando facienda sit, certe Episcopis omnino non committendam: quoniam, quantumuis ad tempus aliquod boni esse cognoscantur, vt est ingenium hominum mutabile, proprijs emolumentis adducti possunt,& à recto in prauum mutari, & à fide syncera deficere. *Et Almeriensis.*

Franciscus del Gado Lucensis in *Hispania* Episcopus longa oratione Patres hortatur, ne ad vitandam molestiam, aut Principes populosue demerendos Conciliorum Oecumenicorum dignitati derogatum irent: quorum auctoritati quandoquidem is honos semper habitus esset (vti omnes sciunt) vt in ea potissimum esset fidei munimentum, nullis nunc priuatis aspectibus aut vtilitatibus eam flocci faciendam. Itaque pluribus è *D. Augustino* de Synodorum generalium auctoritate locis citatis, ijsque, quæ superioribus gesta essent, commemoratis; dignationem Conciliorum mirificis extulit laudibus. Et quamuis cum auctoritate Pontificia nullam eius instituerit comparationem, nemo tamen non perspiciebat digniores partes Synodali attributas. Et *Hieronymus Guerinus* Episcopus *Imolensis* non absimili conceptuum verborumque compage Nationalium Conciliorum auctoritatem magnificabat, ad opinionis suæ de Calice non concedendo fidem faciendam, horum auctoritatem pro obligatoria eousque habendam dictitans, vsque quo ab Concilio generali aliter statutum fuerit, & in eam sententiam *D. Augustinum* citans. Atque æstu orationis abreptus prorupit in hæc verba, Concilium generale neminem habere superiorem. Verùm cæteros Pontificios (ex hoc enim ipse numero erat) verbis illis irritatos conspicatus, vt ea attemperaret, ijsdem quæ ante dixerat repetitis, exceptionem auctoritatis Poncificiæ subijcit. *Et Lucensis.* *Et Imolensis.*

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

ſubijcit. Qua quidem limitatione neque his, neque illis ſatisfactum. Maior tamen ſuorum pars hominem excuſauit, vti imprudentia ac temeritate eò ſermonis prouectum, cùm congregationibus ante habitis per varias occaſiones eos, qui *Baſileenſe* Concilium allegabant, increpuiſſet. Cardinalis verò *Simoneta*, etſi ad iſtiuſmodi oppoſitiones antea hominis operam vſus fuerat, hoc in ſequiorem partem interpretatus, imputabat ei, quaſi affectus tranſuerſum abripuiſſet, ob diploma Epiſcopatus non gratuitò impetratum, vti expectabat.

Eandem ſententiam tuetur Abbas Preualenſis, ſed parum auſpicatò

Congregatio poſtrema ſuper hoc articulo habita fuit V. Septembris, in qua inter alios, qui diſſeruerant, *Ricardus de Vercelli Abbas Preualenſis Genuæ* Canonicus Regularis negatiuam partem propugnans dixit, argumentum illud in Concilio *Baſileenſi* diuerſis diebus exagitatum, atque diſceptationem eam ab fratre *Ioanne de Raguſi* Dominicanorum procuratore diligenter collectam: ex eaque apparere ſic definitam, vt *Bohemis* planè negaretur calix. Neque hac tempeſtate ad aliam veniri poſſe deliberationem, niſi hoc ſimul omnibus prodito, erraſſe tunc in Concilio generali Eccleſiam. Epiſcopus *Imolenſis*, vt temeritatem ſuperiorem emendaret, hunc redarguit, auctoritatem Concilio ſchiſmatico tribuentem; & inſignis audaciæ inſimulat, quòd, cùm toties increpiti eſſent, qui *Baſileenſem* Synodum tantùm allegarent, ille non citauerit ſolùm, ſed generalis Concilij auctoritate etiam decorarit. Reſpondit Abbas ſe hactenus ſemper miratum, nunc verò maximè, quemquam eſſe, qui de eo Concilio tam irreuerenter loquatur, cum Seſſione proximè ſuperiori quatuor capita, eaque grauia, ſuper materia Calicis decreta, ab eo Concilio fuerint deſumpta. Non videre ſe, qua via decretum melius approbari poſſit, quàm eodem, non ſenſu ſolum, ſed verbis quoque renouato. Caloreque dicendi longiùs prouectus, non erubuit affirmare; quandoquidem ea Synodo ita decretum ſit, petitionem Calicis hæreſin redolere, & peccatum mortale. Quibus ex verbis rumore ſuſcitato, cum ille porro pergeret, Cardinali *Mantuano* ſilentium imperante ſubſtitit, tum pauculis ad veniam deprecandam additis, finem dicendi fecit.

Quod Baſileenſis Synodi auctoritatem adſtrueret, ab Imolenſi increpatur.

Tanquam Pontifici parum propitius in mendoſorum tabulas refertur.

Atque vt ego quoque de eodem Patre plura dicere deſinam, hoc tantùm adtexere libet, nomini eius notam appoſitam, quod viſus eſſet die XVI. Auguſti multo mane Oratorum Galliæ domum petere, percunctatum an Epiſcopi è *Gallia* aduenieſſent, hortatumque, vt aduentum eorum maturarent. Item, quòd in Congregationibus ſuper Miſſæ ſacrificio habitis vocaſſet in dubium, An Pontificis ſupra Concilium auctoritas eſſet, nec abſtinuiſſet profiteri, vbi ad eam quæſtionem diſceptandam ventum fuerit, ſe quid ſentiat liberè expoſiturum. Quæ cum Legati in vnum comportata ſedulò penſitaſſent, viſum ijs hominem ita affectum ad aduentum vſque Gallorum apud ſe non detinere, ſed Generalis ſui mandato ſimulatione negotiorum Conuentus amandandum curare, honeſtoque eo obtentu *Tridento* euocare. Sed his artibus opus non erat, miſero Præſule ex animi ægritudine intra paucos dies morbum contrahente: ex quo XXVI. Nouembris vitam cum morte commutauit. In ea Congregatione *F. Ioannes Baptiſta Aſtenſis* Generalis *Seruorum*, qui ipſe quoque à negatiua ſtabat, ad euertenda aduerſariorum fundamenta Concilij Conſtantienſis auctoritatem multis dilaudabat; quòd de ea re primùm decreuerat, illud ſupra alia Concilia generalia etiam hoc nomine efferens, quòd tres Pontifices exauctoraſſet, quod dictum, licet multorum auribus ingratum, ne vno eodemque tempore tam multa colliderentur, ſilentio tranſmiſſum.

De eo honeſto colore extra Concilium amandando ab Legatis conſultatur.

Ex animi ægritudine moritur.

Intempeſtiuus Concilii Conſtantienſis laudator temporis beneficio euadit.

Quod Præſulum pars maior Calicis conceſſionem negaret, Legati, qui Cæſari ſatisfactū cupiebant, rem ad Pontificem remittendam ſuadent.

Peractis ſuffragijs cum Legati Imperatori ſatisfactum vellent, neque rationem vllam perſpicerent, qua id in Synodo effici poſſet, ijs qui negatiuam tuebantur numero longè potioribus, ſtatuunt omni ope contendere, vt res ad Papam remitteretur, bona ſpe freti magnam partem eorum, qui pro negatiua ſtabant, in hanc ſententiam tamquam mediam deſcenſuros. Tradita itaque prouincia *Iacobo Lomelino* Epiſcopo *Mazarienſi*, & *Ventimiglienſi*, vt quanta poſſent dexteritate, cautioneque in id incumberent. neque ceſſatum ab ipſis Legatis. quin eorum operâ tribus primò Patriarchis perſuaſum, dein omnibus ditionis Venetæ Prælatis, qui ſatis magno numero, vt ad eam partem accederent, quæ rem ad Pontificem remittendam cenſebat. Legati tot ſibi conciliatis, quot ad rem conficiendam ſufficere videbantur, difficultatibus

tibus omnibus se defunctos putant: eoque literas ad Pontificem formâ ordinariâ cum suffragiorum omnium indice conscribi iubent. Verùm dum de forma illi consultant, Episcopus *Quinqueeclesiensis* re comperta negat posse sibi satisfieri, nisi in Sessione Decretum aliquod stabiliatur; affirmans, quando Sessione præcedenti duo articuli essent reseruati, atque hi iam discussi sint ac determinati, esse necessarium, vt in actis Sessionis, quid decretum sit appareat. Cardinalis *Warmiensis* monet eum quantæ sit & difficultatis & periculi proponere decretum, suadetque, quò scopum sibi propositum assequatur, vt literis ad Pontificem velit esse contentus. Sed cum ille neutiquam acquiesceret, Legati statuunt tandem Decretum conficere in Sessione legendum. Huic ille volebat inseri, Synodum, quòd expedire intelligat vsum Calicis concedi, ad Papam referre, cui, & quibus legibus sit concedendus. At Legati ostendunt permultos contentos remittere, quoniam liquidò ijs non constet vtrum expediat, necne. Hos omnes Decretum oppugnaturos: neque fieri posse, vt difficultatem superent declarandi expedire vti concedatur. quòd si ei sic stet sententia, par esse, vt hebdomadæ vnius interpositione æstum hunc sinant deferuescere. *Quinqueeclesiensi* tandem acquiescente propositum differre articulum de vsu Calicis, & interea incumbere stabiliendo decreto de sacrificio Missæ, vt hoc sit instar insinuationis ad communionem Calicis introducendam. Sed obstat hic *Warmiensis*, qui ab Iesuitis *Lainezio*, *Salmerone* & *Torrensi* persuasus, aliam formam proponit Decreti de sacrificio in materia oblationis *Christi* in cœna, vnde non nisi grauatè admodum potuit diuelli. Ad extremum cùm prope desperarent singula rite digeri posse ad Sessionem tempore præstituto habendam, in Congregatione diei VII. firmatum de sacrificio Decretum, quippe à maiori parte approbatum, *Granatensi* licet ad remoras & procrastinationes inijciendas omnem lapidem mouente.

Ferdinandus. Philippus 2.

Quinqueecclesiensis tamen decretum vrget, & verba inseri petit, quibus Synodus declaret, expedire Calicis vsum concedi: vnde mora interponitur.

Interea decretum de sacrificio Missæ ab maiori parte probatur.

Posthæc exhibiti X. articuli ad abusus, qui in Missa eueniunt, reformandos: tum alij X. de diuersis reformationum capitibus, omnes ex composito delecti circa res faciles, contradictioni minimè obnoxias, & auctoritati Episcoporum fauorabiles: ne cuiusquam oppositione remora inijceretur. Idque tam Oratores, quàm Præsules & perspiciebant, & iniquè ferebant. De his die IX. Septembris agi cœptum, paucisque peractum, in singulis Congregationibus fere XL. Prælatis sententias suas proferentibus. Neque vero hic notabilis vlla dimicatio accidit. Hoc tantum *Philadelphiensis* suggessit, *Germaniam* ab Synodo expectare rerum magnarum & grauium tractationem, cuiusmodi varias ille nominauit, & in his Cardinalium creationem, & pluralitatem beneficiorum. *Ioannes Xuares* Episcopus *Conimbricensis* dixit, se non probare, vt minima quæque negligantur, sed se quidem arbitro, Synodi dignitatem postulare, vt peculiarem quendam ordinem sequantur, caussaque idonea non desit, cur hoc potius, quàm illud proponatur. Reformationem à capite inchoandam, inde ad Cardinales transeundum, ab his ad Episcopos, atque ad alios ordines deinceps. Id nisi fiat, vereri, vt reformatione, sicuti iam cœpit, procedente, Catholicis indignationem, Protestantibus ludibrium debituri sunt. *Parisiensis* dicebat, à centum & quinquaginta annis omnes emendationem capitis & membrorum requirere: eam hactenus frustra fuisse. Curandum, vt appareat, deinceps rem seriò & syncerè, non dicis caussa, & simulatè tractari. Etiam *Gallos* propter turbulentum illius regni statum audiendos: in quo facta non ita pridem reformatio multò conducibilior, quàm quæ iam proposita in Concilio. Episcopus *Segouiensis* aiebat Synodum facere, quod imperiti medici solent, morbis læthalibus applicare medicamenta anodyna, & oleo inungere, quæ ferro pungenda. Episcopus *Auriensis* censebat tot facultates Cruciatæ quam vocant, & fabricæ *D. Petri* ab Pontifice non concedendas, quarum virtute quisque in *Hispania* domi suæ Missas audire vult: nisi moderatio his adhibeatur, quicquid prouideat Synodus irritum fore. Esse necessariò declarandum, *Concilij generalis Decretis Caput ipsum obligari.* Ad quæ verba orto susurro, silentium manu indicens subijcit, quoad virtutem directiuam, non coactiuam. Tum pergit dicere, viam quoque necessariò excogitandam ad lites omnes in caussis beneficialibus auferendas; saltem ne tot, tamque diuturnæ sint. Inde enim & magnum litigantibus dispendium, & in diuino cultu defectus multiplices per absentiam, & apud populum scandalum creari.

Varia reformationum capita Patribus exhibentur.

Grauis & frequens Patrum querela, reformatione, quæ capiti ac partibus vitalibus applicanda erat, leuibus detrimentis reparandis impendi.

Pius. 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

Quinqueccleſienſis ſuper capite de Epiſcopatibus conferendis loquutus, verba à ſe prius dicta, quòd homines viles atque indigni promouerentur, ſic interpretatus eſt, quaſi abuſus ille manaret à Ptincipibus, qui homines inidoneos & obnixè & importunè Pontifici commendant; præſtabiliuſque facturum, ſi equorum ſuorum curatores his præponeret: verba interim ſua in deteriorem ſenſum accipi queſtus.

In re reformationis excipiuntur ab Epiſcoporum viſitatione loca ſub immediata protectione Regum.

Is qui per Oratoris abſentiam Regis *Hiſpaniarum* negotia in Synodo procurabat, moleſtè tulit tantam Epiſcopis capite VIII. auctoritatem concedi in Xenodochia, Eleemoſynas, quas vocant, Montis pietatis, & eiuſmodi loca pia, ac nominatim in Regno *Siciliæ*, contra priuilegium exemptionis, quo illud regnum propter Monarchiã antiquitus fuit munitum. Idcirco vt ei ſatisfieret addita ab Legatis clauſula, quâ excipiuntur ea loca, quæ ſub immediata Regum protectione ſunt. His peractis, cum adhuc multa ſupereſſent ante Seſſionem definienda, & in his eximium illud, quod à ſingulis ſumma ſtudiorum atque affectuum contentione tractabatur, de communione Calicis; cumque tres tantùm dies ad hunc, qui Seſſioni dicatus, reſtarent, Legatis de temporis anguſtijs valde ſolicitis, quiddam accidit, quod prope eſt factum, vt Seſſionis tempus prolatauerit. Id eiuſmodi fuit. Orator *Galliæ* Regis ſui nomine Romæ ſedulò egerat cum Pontifice, vt Seſſionem ad aduentum vſque Præſulum Gallorum differendam curaret. Pontifex verò, etſi Concilij prolatationem inuitiſſimus audiret, ſiue proprio inſtinctu, ſiue vt publico Cardinalium totiuſque Curiæ ſuæ voto ſatisfaceret, qui eiuſdem finem Decembri proximo & expectabant, & impensè deſiderabant: tamen ne timorem ſuum proderet, reſpondit, ſua non valde intereſſe, quid eius fiat; id omne a libertate Patrum Synodi pendere, quos mirum non ſit procraſtinationem auerſari, propter diuturnam & incommodam, quam ibi fecerint, moram; æquum iuſtumque eſſe, vt horum ipſe moleſtias reſpiciat: iniquum verò, vt vel ad id, quod nolint, ipſos adigat, vel contra morem receptum leges ijs imponat. Significaturum quidem per literas Legatis quid ab ipſo poſtuletur: etiam hoc amplius declaraturum, ſe contentum, vti Seſſio differatur. Id debere Regi *Gallorum* ſatisfacere, neque quidquam præterea à ſe petendum. Hoc tenore dedit literas ad Legatos, monitos, vti ea porro permiſſione vterentur, prout Patribus rationi maximè conſentaneum videretur. Quæ literæ, vnà cum alijs à *Delphino* Nuncio apud Imperatorem Apoſtolico ſcriptis; & obnixæ Cæſareorum preces, ne Decretum de Miſſa euulgaretur, præſertim Decretis nondum ſatis rite concinnatis, fecere, vt Legatorum potior pars ad Seſſionem protrahendam propenderent. *Simoneta* nihilominus, non tam quid Papa literis expreſſerat, quàm quid in pectore conſilij habebat, attendens, adeo immobilis in ſententia permanſit, vt contrarium tandem ſtatutum fuerit. Neque dubitauit *Romam* ſcribere, quàm periculoſum eſſet ſuperiora mandata, eaque abſoluta, quibus iubebantur Synodi finem accelerare, in dubium vocare, miſſis poſtea alijs conditionalibus; quibus, licet ad verba tantùm danda comparatis, hominibus tamen malè affectis animi addebantur ad ea interpellanda, quæ optimè eſſent definita, & ad ipſos tanta inuidia onerandos, vt exiſtimatione amiſſa, iam inutiles prope reddantur ad Beatitudinis ſuæ iuſſa exequenda. Nec defuit auſis *Simonetæ* euentus. Quippe, cum nihil magnum aut validum opponeretur, caput continens abuſus Miſſæ, cum II. reformationis capitibus ſancita fuere: & Decretum ipſum de Communione Calicis, multo minus, quàm ſperabatur, repperit difficultatis. Cum primò proponeretur, aſſenſum non habuit; quòd diceret, Papæ permitti, etiam ſuffragante approbanteque Concilio, id facere, quod expedire videbitur. Illud verò tam ijs, qui negatiuam tuebantur, quàm alteris, qui pro remiſſiua opinione ſtabant, ex æquo diſplicuit. Vnde Legati rem omnino relinquendam cenſent, eaque apud adminiſtros *Cæſaris* excuſatione vtuntur, quòd neque Pontifex, neque ipſi impedimentum obiecissent. Hic Oratores inſtant, vt ſublatâ clauſulâ de ſuffragatione approbationeque Synodi articulus proponatur. Verùm Legati pro certo tenentes propoſitionem eam Conſeſſum in longius tempus extracturam, difficiles admodum ſe præbent ad aſſentiendum. Quamobrem Oratores ilico proteſtantur, quandoquidem videant auctoritatem *Cæſaris* apud eos vileſcere, ſe neque Congregationi, neque Seſſioni prius interfuturos, quàm re omni ad eum delata, ipſi viciſſim ab eo, quid

Orator Gallus Romæ Pontificem interpellat de Seſsione ad aduentum Gallorum differenda.

Qui ſe cõtentũ reſpondet, ſed id Patribus Tridentinis relinquere.

Vnde Simoneta Papæ mentem, non verba ſequutus, Seſsionem protrahere recuſat.

Decretum de petitione Cõceſsionis Calicis ad Pontificem remittenda ſuas quoque habet difficultates, ſed pauciores quàm habiturum putabatur

dignationi *Cæsareæ* conuenire putet, resciscant. fecit ea attestatio, vt Legati non acceperint modò conditionem articuli denuò, demptâ ea clausulâ, proponendi; sed se etiam omni opera & officio in id incubituros receperint. vnde die sequenti, qui Sessioni proximus, articulus emendatus apud maiorem Synodi partem obtinuit, multùm reclamantibus ijs omnibus, qui negatiuam propugnauerant, sed Pontificijs, ac Legatis applaudentibus, tum hoc nomine, quòd nulla Sessioni facta esset mora, quod illi inprimis verebantur: tùm quia ad dignitatem Papæ facere videbatur, gratiam Calicis concessi ab auctoritate sua omnino pendere.

Ferdinandus. Philippus 2.

Articulus maioris partis Synodi assensum non obtinet nisi emendatus.

Verùm vtut *Cæsareis* hac parte factum satis videretur, illi tamen conspicati omnia ad Sessionem comparata, neque posse impediri publicationem eorum, quæ circa Missæ sacrificium, quod ipsi tamen nomine *Cæsaris* vehementer solicitauerant, conspiratione cum *Gallis* facta, hoc irritatioribus, quòd officium per Oratorem Regium *Romæ* factum irritum euasisset, eodem die à meridie Oratores omnes in *Cæsareanorum* domum conuocant, consultationem, vti dicebant, de ijs, quæ Principes in vniuersum tangerent, habituri. *Veneti* & *Florentinus* inuitati excusant, non posse se sine expresso Principum suorum mandato interesse. In eo conuentu *Quinqueeclesiensis* prolixa oratione narrat, hactenus in Concilio nihil actum magno operæpretio dignum. dogmata aliquot fidei exagitata, sed incassim; ex quibus neque ad hæreticos vtilitas manaret, qui obfirmassent animos non mutare: neque ad Catholicos, quibus ijs nihil opus. de reformatione non nisi leuissima quæque proposita de Notarijs, Quæstoribus, alijsque minutijs. Liquidò apparere Sessionem dein subsequentem, & post hanc alias eodem stylo habendas, tempore in disputationibus ac doctrinis, aut in canonibus de Ordine, deque matrimonio, & huiusmodi leuibus consumpto, ad euitandam pro more rerum materialium reformationem. Atque his alijsque rationibus amplificatis, persuasit Oratoribus, vt vnanimes Legatos adire vellent, ab ijsque contendere, ne ea Sessione de Sacramentis agatur, aut dogmatis, aut canonibus: tempus esse deinceps in seriam reformationem incumbere, tot abusus profligare, emendare malos mores, & omnino id agere, ne Concilium porro sit infructuosum. Ab Secretario *Hispaniæ* hic assensum non est. Cum enim Regi suo propositum esset, saltem in fine Synodi, continuati Concilij declarationem procurare, metuebat ne proposito huic præiudicium fieret, mutato ordine procedendi antehac vsitato, in doctrina & reformatione simul explicandis: quando ex ea mutatione argumentum huiusmodi colligi posset, nouum modum procedendi, nouum arguere Concilium. Orator *Lusitanus* longis verborum nihil concludentium ambagibus testatus se reformationem quidem cupere, sed eam bonis placidisque rationibus impetratam velle, è cœtu se subduxit. Etiam *Heluetiorum* orator, quid duo illi fecissent conspicatus, simulque reputans, *Venetos* huic cœtui noluisse interuenire, ne ipse forte in errorem incideret, cæteris auctor fuit, vt nouam de ea re consultationem prius inirent, quàm quidquam statuatur. at illis certum Legatos è vestigio adire.

Oratorum consultatio generalis de Legatis adeundis, atque obsecrandis, vt Sessione ea dogmatis omissis de reformatione ageretur.

Veneti & Florentinus inuitati non veniunt.

Secretarius Hispaniæ non assentitur.

Orator Lusitanus è cœtu se subducit.

Et Heluetius nouam consultationem habendam suadet.

Oratorum omnium nomine, vti conuenerat, *Lansacus* verba faciens, dicit, se à Principibus suis missos, vt Concilio adsint, faueant, videantque, vt debito omnia ordine procedant: non ad instituendas disceptationes de doctrina, quæ apud ipsos, cum omnes sint Catholici, est indubitata, & alioqui per absentiam eorum, qui eam oppugnant, est superuacanea: sed ad bonam, sanctam, atque vniuersam morum emendationem procurandam. Cum autem perspiciant, propositum esse Legatis, tot suis petitionibus insuper habitis, in præcipuis doctrinæ controuersæ capitibus definiendis porro pergere, neque reformationem nisi leuiter attingere, rogare se, vt proxima Sessio reformationi soli tribuatur; atque vt articuli grauiores, magisque necessarij, quam ij, de quibus hactenus actum, proferantur. Legati eadem qua iam sæpe aliàs formâ respondent: Nihil Papæ, sibique magis esse in votis, quàm Dei cultum, Ecclesiæque bonum primo loco promouere: dein Principibus omnibus gratum facere. Sed par non esse in ipsorum gratiam, ordinem in Synodo hactenus seruatum, de doctrina & reformatione simul tractandis interrumpere. ijs quæ hactenus decreta se propensæ ad bene faciendum voluntatis specimen modò dedisse:

Lansacus Oratorum nomine postulatum proponit.

Cui Legati respondent.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

non deesse sibi melius agendi animum, si quis aliquid rectius istis adferat. immo si Oratores ipsi Articulos vllos impertiant, libentissimis animis accepturos: mirumque sibi videri, è Gallia nondum missos ad Papam articulos *Poßiaci* determinatos, quos ille citra omnem controuersiam esset approbaturus. Replicat hic *Lansacus*, Siquidem Pontifex omnia de religione retulerit ad Synodum, Præsules vbi è *Gallia* aduenerint, hæc aliaque multa proposituros. Legati respondent, se eos, quando venient & benignè excepturos, & lubenter audituros. Sed non ideo differendam Sessionem iam præstitutam, in qua nihil tractandum, quod propositionibus ipsorum præiudicare possit. Patribus, qui magno sunt numero, esse decretissimum Sessionem habere; hos offendere esse periculi plenum. imo, quandoquidem non sine maximis incommodis *Tridenti* præstolantur eos, qui iter promissum molliter expediunt, iustum non esse, ad istam offensionem adiungere aliam maiorem, vt etiam otiosi hic commorentur. Hoc officio satis dextrè sic functis Legatis, cum Oratores non adeo fortiter sese opponerent, ad vltimam Congregationem habendam itum est, & ad decreta conficienda. Quibus firmatis, cum de tempore & materia sequentis Sessionis statuendum foret, suadebat *Granatensis* tempus esse protrahendum, vt *Gallis* ac *Polonis* opportunitas detur, non modò ad iter faciendum, sed ad singula post aduentum pernoscenda. Tum vt non precisè particularia commemorentur, de quibus erat agendum, sed sicuti aliàs factum meminerant, generalioribus tantum essent contenti; atque è re nata caperent consilium. Tot enim recèns aduenientibus, credibile non esse, quin nouas materias adferant, propter quas ad nouas itidem deliberationes necessariò sit veniendum. Atque huic opinioni *Hispani* alijque permulti accedebant, & sinè dubio vniuersalem applausum habuisset, nisi statim disseminata vox, absolutum ab Pontifice mandatum venisse, ne Synodus vltra duos menses protolleretur, atque vt de Sacramentis Ordinis & Matrimonij simul ageretur, Pontificios impulisset ad vrgendum, ne tempus protraherent: atque vt de vtroque Sacramento tractarent. Et Legati quidem monstrabant hoc se mandato cogi ad decretum Pontificis voluntati confirmandum. Verùm *actionis* huius duæ aliæ erant veræ caussæ: vna, vt Synodi finis acceleraretur, quam vnica hac Sessione, id si obtineret, expediri posse putabant. Altera, vt *Hispanis* alijsque reformationis fautoribus in dogmatis fidei examinandis multum occupatis, tempus non suppeteret ad magnum quidpiam super reformatione tractandum: ac singillatim, vt hoc quasi obice obiecto à capite residentiæ promouendo arcerentur. Ea re stabilita, cùm decreta omnia simul legerentur, tot nouæ contradictiones ad contentiones pristinas excitantur, vt Legati eas ægrè verbis blandis ac mollibus lenire possent. Certè Congregatio duabus noctis horis continuata absque partium satisfactione, & cum summa bonorum omnium offensione. Decreta tamen denique facta ex maioris partis assensu, licet non multo pauciores essent, qui contradicebant.

In Congregatione vltima quæ Sessionem hanc proximè præcedebat, de tempore ac materia sequẽtis Sessionis deliberatur.

Sed Pontificis mandatum finem Synodi accelerari inuentis regulam præscribit.

Sessio XXII. Sub Pio IV. Sexta.

Die XVII. Septembris, qui Sessioni destinatus, Legatis & Oratoribus cum CLXXX. Præsulibus templum solita ceremoniarum celebritate petentibus, peractisque precibus in Missæ celebratione vsitatis, Episcopus *Ventimigliensis* concionem habuit. In ea familiari corporum ciuilium ad naturalia comparatione vsus, grauitate Senatoria, & Episcopali ostendit, quàm monstri simile corpus futurum esset Concilium Episcoporum, capite defectum. capitis officium in virtute omnibus membris infundenda narrat: & horum rursus debitum in agnoscendo capite, eiusque conseruatione maiori solicitudine, quàm sui ipsius procuranda, & vita pro eiusdem tuitione periculis exponenda. præcipum hæretici defectum iuxta *D. Paulum* esse, quòd nullum caput agnoscat, vnde pendeat totius corporis coagmentatio. Tum quatuor ferè verbis subijcit *Christum* esse Ecclesiæ caput inuisibile; sed Papam esse visibile multis contendit. Laudatâ dein eximiâ Pontificis diligentiâ in consulendo Synodi commodis, vnicuique debitum suum in capitis vicissim dignitate conseruanda commendat. Pietatem tandem ac modestiam Patrum dilaudat, diuinam Maiestatem precatus, vt fœlicem progressum & finem gloriosum huic Concilio largiatur, vt vltima primis respondeant.

Litera Card. Amulij ad Legatos Concilij super professione fidei Patriarchæ Assyriorum Orientalium.

Missa peracta, lectæ *Cardinalis Amulij* literæ, qui Ecclesiarum Orientalium

Christianam fidem profitentium protector, Synodo significabat profectum *Romam Abdissum Patriarcham Muzalis* in *Assyria* vltra *Euphratem*, Ecclesias *Romæ* visitasse, Papæ obedientiam debitam præstitisse, atque ab eo confirmatum, Pallium accepisse. Populos ei subiectos ab Apostolis *Thoma* ac *Thadæo*, horumque discipulo *Marco* fidem recepisse eandem cum Romana, cum eisdem Sacramentis & ritibus, deque ijs extare libros ab ipsis Apostolorum temporibus conscriptos. Narrabat amplitudinem regionum Præsulis eius curæ subditarum, quæ ad *Indiam* vsque interiorem protenduntur, quarum partim *Turcico* imperio, partim *Sophiano Persiæ*, partim denique *Lusitaniæ* Regi parent. His literis lectis, Orator *Lusitanus* protestatur Antistites Orientales Regi suo parentes neminem Patriarcham superiorem agnoscere, atque vti Patriarchæ huius admissione neque ipsis, neque Regi suo vllum creetur præiudicium. Exin recitata fidei professio per eundem Patriarcham *Romæ* die septimo Martij facta, qua iureiurando confirmabat se Ecclesiæ Romanæ fidem tenere, quicquid illa probat damnatue se approbaturum & condemnaturum pollicitus, simulque Metropolitanos & Episcopos Diœcesanos sibi subiectos id ipsum se edocturum. Lectæ itidem eiusdem Patriarchæ ad Synodum literæ, quibus & excusabat se, quòd propter itineris longinquitatem eò non proficisceretur, & rogabat eius decreta Concilio finito ad se mandari, quæ vt singula obseruentur se curaturum promisit. Atque eadem hæc prima Congregatione lecta prius fuerant; verum ijs tunc non immoratum. Lusitani protestatio hominum animos excitauit ad varia absurda in ea narratione excutienda: vnde orto rumore Præsules Lusitani se ad loquendum comparant. Sed Promotor Legatorum mandatu monuit, de ea re in Congregatione dicendi locum fore.

Ferdinandus. Philippus 2.

Protestatio Oratoris Lusitani.

Eiusdem Patriarchæ fidei professio.

Et ad Synodum literæ.

Posthæc itum est ad acta Synodi recitanda, Episcopo, qui rem diuinam peregerat, doctrinã de *Sacrificio Missæ* in nouem capita tributam legente, in hanc fere summam.

IX. capita doctrinæ de Sacrificio Missæ.

I. Propter Leuitici Sacerdotij imbecillitatem, Sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech *fuisse necessarium. Hunc fuisse Christum Dominum nostrum, qui, etsi semel seipsum in ara crucis Deo Patri obtulit, vt tamen Ecclesiæ Sacrificium visibile relinqueret, quo cruentum illud Crucis repræsentaretur, & salutaris illius virtus in remissionem peccatorum applicaretur, se Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & Apostolis, vt sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit. Et hanc quidem esse mundam illam oblationem per Malachiam à Deo prædictam, quam* B. Paulus *vocat mensam Domini, per varias sacrificiorum similitudines, naturæ & legis tempore figuratam.*

II. Et quoniam idem ille Christus *in hoc Missæ Sacrificio incruentè immolatur, qui in ara crucis cruentè sese obtulit, Sacrificium hoc verè propitiatorium esse, Deumque huius oblatione placatum pœnitentiæ donum concedere, peccataque omnia dimittere; vna eademque existente hostia, eo qui nunc Sacerdotum ministerio offert, & qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Itaque per hanc Missæ incruentam, cruentæ illi crucis oblationi nullo modo derogari: imo per hanc illius fructus vberimè percipi, cum tam pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, & alijs necessitatibus, quàm pro defunctis in Christo, nondum plenè purgatis, offertur.*

III. Et quamuis in honorem & memoriam Sanctorum Missas nonnullas celebrari in Ecclesia receptum sit, non tamen illis, sed Deo soli Sacrificium offerri.

IV. Atque vt Sacrificium hoc dignè reuerenterque offerretur, Ecclesiam Catholicam multis antè sæculis sacrum Canonem instituisse ab omni errore purum, ex ipsis Domini verbis, Apostolorum traditionibus, & Pontificum institutionibus conflatum.

V. Etiam ad fidelium ædificationem Ecclesiam ritus quosdam, vt scilicet

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituisse. Mysticas item benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque ex Apostolica traditione adhibuisse.

VI. Synodum Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, vti priuatas & illicitas non damnare, sed probare & commendare tamquam verè communes; tum quòd in eis populus spiritualiter communicet; tum quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus celebrentur.

VII. Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent, tam quòd Christum ita fecisse credatur, quàm quia è latere eius aqua cum sanguine simul exierit. Nec malè hac mixtione ipsius populi fidelis, qui per aquas significatur, vnionem cum Christo capite repræsentari.

VIII. Etsi Missa contineat magnam populi eruditionem, Patribus tamen visum non expedire, vt vulgari passim lingua celebraretur. Quomobrem retento Ecclesiæ Romanæ ritu, ne oues Christi esuriant, mandare Pastoribus, vt inter Missarum celebrationẽ aliquid ex ijs, quæ in Missa leguntur, exponant: præsertim festis diebus.

IX. Synodum ad damnandos errores aduersus hanc doctrinam disseminatos, IX. canones subijcere.

De sacrificio Missæ Canones IX.

I. Anathemate fulminari, si quis dixerit, In Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium.

II. Qui dixerit, illis verbis, Hoc facite in mei commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi corpus & sanguinem suam offerrent.

III. Qui dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque offerri debere pro viuis & mortuis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus.

IV. Qui dixerit, per Missæ Sacrificium derogari Sacrificio Christi in cruce peracto.

V. Qui dixerit imposturam esse, celebrare Missas in honorem Sanctorum.

VI. Qui dixerit Canonem Missæ errores continere.

VII. Qui dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa in Missarum celebratione vsitata, irritabula magis impietatis esse, quàm officia pietatis.

VIII. Qui dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse.

IX. Qui dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo pars Canonis, & verba Consecrationis submissa voce proferuntur, damnandum esse: aut Missam lingua tantùm vulgari celebrandam: aut aquam vino in Calice offerendo non miscendam.

Decreto sic recitato assensum est à Patribus, nisi qua parte *Christus* seipsum offerre dicitur: cui ab Episcopis tribus & viginti est reclamatum. Erant qui dicerent, vtcumque id verum esse crederent, huiusce tamen nec loci esse, nec temporis id determinare. vnde suffragia non absque aliqua confusione pronunciata, multis eodẽ tempore loqui adnitentibus. Ab Archiepiscopo *Granatensi* factum dissentiendi initium: qui cum in Congregationibus assensum non commodasset, ne in Sessione idem factitaret, constituit omnino cætui non interesse. Verùm Legati comperto eum à Missa abesse, semel atque iterum accersendum curant: quoque magis Sessionem adire cogunt, hoc ipso contradicendi in eo studium exacuunt. Post continuò ab eodem Episcopo, qui sacro operatus, legitur aliud decretum ad informandos Episcopos de corruptelis in Missarum celebratione corrigendis. Cuius hæc summa.

Episcopis

Episcopis videndum, vt ea omnia prohibeantur, atque è medio tollantur, quæ auaritia, vel irreuerentia, vel superstitio induxit. Tum defectus ex auaritia manantes nominatim perstringuntur, pacta mercedum cuiuscumque generis; quicquid pro Missis nouis celebrandis datur, importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones. Deinde ad irreuerentiam vitandam Episcopis edicitur, ne in suis dioecesibus cuiquam vago aut ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat: neque cuiuis publicè & notoriè criminoso. Ne priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesias & Oratoria diuino cultui dicata sacrificium Missæ peragi permittant. Vt qui sacro intersunt, corporis habitum decenter componant. Vt ab Ecclesijs Musicas, quibus cantus aut sonus aliquis lasciuior admiscetur; item sæculares omnes actiones, colloquia profana, strepitus & clamores arceant. Denique ne superstitioni locus detur, Episcopi cauere iubentur, ne Sacerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent; neue alijs ceremonijs & precibus in Missarum celebratione vtantur, quàm ab Ecclesia probatis, & laudabili vsu receptis. Atque vt Missarum & candelarum certum numerum ab Ecclesia remoueant: Populumque moneant, vt parochias suas frequenter adeant, saltem diebus Dominicis & maioribus festis. Porro hæc omnia iam enumerata locorum Ordinarijs ita proponi, vt ipsi pro data sibi potestate à Synodo, ac etiam vt Delegati Sedis Apostolicæ, non solùm ea ipsa, sed quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, prohibeant & corrigant.

Ferdinandus. Philippus 2.

Decretum de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ.

Decretum reformationis vndecim capitibus constabat.

Decreti de reformatione capita XI.

I. Vt quæ à summis Pontificibus, sacrisque Concilijs sancita fuerunt de Clericorum vita & honestate, eadem in posterum obseruentur, ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis. Et si qua in desuetudinem abierunt, ea in vsum quàm primùm reuocentur.

II. Vt ad Episcopatum nemo assumatur, nisi qui, præterquam quòd ijs plenè præditus sit, quæ à sacris Canonibus requiruntur, sit etiam in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus. Quarum rerum si notitia nulla in Curia fuerit, vt à Nuncijs prouinciarum, aut eius Ordinario, aut ab alijs vicinioribus Ordinarijs sumatur. Vt sit in vniuersitate studiorum Magister, Doctor, aut licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico: aut certè publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Regulares verò à superioribus suæ religionis similem fidem habeant. Huiusmodi autem instructiones siue testificationes gratis præstare teneantur.

III. Vt Episcopi tertiam partem ex fructibus & prouentibus omnium dignitatum in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis existentium, in distributiones quotidianas possint conuertere: quas tamen, dignitates eæ non amittant, quæ cum Iurisdictio vel officium ijs non competat, extra ciuitatē in Curata aliqua Ecclesia vnita resederint.

IV. Vt in Capitulo in huiusmodi Ecclesijs suffragij potestatem nemo habeat, nisi qui in subdiaconatus saltem ordine constitutus. Ij vero, qui dignitates, aut beneficia quælibet, quibus onera varia sunt annexa, in posterum obtinebunt, infra annum Ordines requisitos suscipere teneantur, vt muneribus suis vacare queant.

V. Vt dispensationes extra Curiam Romanam committendæ, Ordinarijs illorum, qui eas impetrauerint, committantur. Ea vero, quæ gratiosè conceduntur, effectum suum non prius sortiantur, quàm ab eisdem Ordinarijs, tamquam delegatis Apostolicis cognoscatur, rite & debitè impetrata fuisse.

VI. Vt

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

VI. Vt commutationes vltimarum voluntatum executioni non demandentur, priusquam Episcopi tamquam delegati cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate narratum.

VII. Vt Iudices superiores tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus formam & tenorem Constitutionis Innocentij IV. quæ incipit, Romana *seruare teneantur.*

VIII. Vt Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, omnium piarum dispositionum tam in vltima voluntate, quam inter viuos sint executores: hospitalia, collegia, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, aut quocumque alio nomine vocant, visitandi ius habeant: ijs solummodo exceptis, quæ sub Regum immediata protectione sunt. Etiam eleemosynas Montis pietatis, piaque loca, quorum cura ad laicos etiam pertinet, visitent: atque ex officio suo omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, aut pauperes sustentandos instituta sunt, cognoscant & exequantur.

IX. Vt administratores fabricæ cuiusuis Ecclesiæ, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ Montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, administrationis suæ rationem singulis annis Ordinario reddere teneantur. quod si alijs ad id deputatis ratio necessariò reddenda sit, tunc ijs quoque Episcopus addatur: alioqui rationes eas non valituras.

X. Vt Episcopi Notarios examinare possint, & quandocumque in officio deliquerint, eius in negotijs & caussis Ecclesiasticis ac spiritualibus exercendi vsum prohibere.

XI. Vt quisquis bona, census, emolumenta seu obuentiones Ecclesiarum, beneficiorum, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum occupauerit, quicumque is sit, Clericus aut laicus, quacunque dignitate præfulgeat, Imperiali aut Regali, is anathemati tamdiu subiaceat, quoad omnia integrè restituerit, & à Papa absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit, ius patronatus amittat. Clericus vero in eam fraudem consentiens, eisdem pœnis subiaceat, beneficijs quibuscumque priuetur, & ad alia beneficia tenenda inhabilis efficiatur.

Decretum super petitione concessionis Calicis.

Lectum postremo Decretum super Sessione Calicis hoc tenore. *Cum Synodus superiori Sessione duos articulos super communione Calicis in aliud tempus sibi examinandos atque definiendos reseruauerit: nunc decernere integrum negotium ad summum Pontificem esse referendum, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipub. Christianæ, & salutare petentibus vsum Calicis fore iudicauerit.* Quod quidem Decretum vti in Congregationibus maioris tantum partis applausum habuit, ita in Sessione eadem ratione obtinuit. Vbi præter eos, qui ideo contradicebant, quòd crederent Calicem nullo aspectu concedendum, non deerant complures, qui petebant rem extrahi, & alio tempore examinari. Quibus cum responsum esset à Promotore Legatorum nomine, de ea re deliberandum, Sessio proximè futura in diem Nouembris duodecimum fuit indicta; in qua de Sacramento Ordinis, & Matrimonij statueretur. Sic dimissis solito more Patribus, sermones tamen super materia Calicis non desiere. De quo si forte curiosior quispiam scire desideret, ob quam caussam decretum modò recitatum, alterum illud de Missæ sacrificio non immediatè sequatur, cui propter rei subiectæ naturam coniunctum est, sed eo loco positum sit, quo nullam habet cum articulis præcedentibus aut affinitatem aut connexionem; hoc ex me audiat, licet. In eo Concilio peruulgatum fuisse Axioma, ad Decretum de Reformatione stabiliendum maiorem partem suffragiorum sufficere. Decretum verò de fide confici non posse, si notabilis aliqua pars contradixerit. Legatos itaque, qui certò sciebant decreto de Calice non temerè supra mediam Patrum partem suffragaturam,

Indictio futuræ Sessionis, qua de Sacramentis Ordinis ac Matrimonij statuendum.

Qui factum vt decretum de petitione Calicis, inter capita reformationis relatum fuerit, non autem appositum decreto de sacrificio Missæ.

turam, illud ad capita reformationis relegandum censuisse, vltimoque inter ea loco collocandum, vt agmen claudens eo magis in hac decuria esse cerneretur. fuere quoque tunc temporis, & aliquammultis post diebus varij sermones de capite tum deciso, quòd *Christus* seipsum in cœna obtulit; nonnullis dicentibus, cùm opponentes numero essent XXIII. non legitimè definitum: & alijs vicissim respondentibus, octauam Patrum partem nō mereri, vti dicatur pars notabilis. Alij dicebant axioma illud locum solummodo habere in Anathematis & substantia doctrinæ, non in qualibet clausula ad rem fortè clariùs exprimendam apposita, quo in genere est hæc, cuius nulla facta inter canones mentio.

Ferdinandus. Philippus 2.

Oratores *Cæsareos* Decretum de Calice exhilarauerat, quòd haberent persuasum *Cæsarem* multo faciliùs & æquioribus conditionibus impetraturum id à Pontifice, quàm in Concilio; vbi propter opinionum & aspectuum varietatem tot in eandem sententiam quantumuis probam & necessariam ægerrimè possint adduci. maiorem enim partem vt plurimum vincere meliorem. tum, meliori esse conditione eum, qui opponit, quàm qui proponit. atque in eam spem tanto proniores erant, quo Papa illorum petitionem Patribus commendando, caussæ fauorabiliorem sese præstitisset. Verùm *Cæsari* longè alia mens, qui non omnino id spectabat, vt Calicis communionem suis impetraret, sed vt cùm suæ ditionis, tum *Germaniæ* populos tranquillaret; qui propter anteacta auctoritati Pontificiæ infestissimi, præiudicioque deuincti, nihil benigna manu accepturi erant, quòd à Pontifice proficiscebatur. cùm è contrario, si concessionem eam ab Concilio obtinuisset, sperabat Protestantes, & ea concessione lætos, & aliarum iustarum petitionum obtinendarum fiducia plenos, motus, quos conciuerant, composituros; dimissisque ministris suis prauarum opinionum tabe infectis, ad Ecclesiæ Catholicæ communionem redituros. Et quidem experientia didicerat *Pauli* III. concessionem parum benignè acceptam plus damni quàm commodi attulisse. quare neque actionem eam apud Pontificem vltra prosequutus est, & quid sibi animi esset, palàm declarauit. Nuncio enim de Synodi decreto ad ipsum allato, ad Præsules aliquot, qui adstabant, conuersus, Ego inquit, quicquid mearum erat partiū pro populi mei salute præstiti: vobis nunc, ad quos potissimùm spectat, in eam curam incumbendum est.

Cæsaris Oratores de negotio Calicis bene sperant, re iam ad Pōtificem plane remissa.

At Cæsari compertum Protestantibus nihil fore acceptū, quod à Pontifice ad ipsos sit venturum.

Verùm ijs nationibus, quæ gratiam hanc, aut (vt ipsi loquebantur) iuris sibi debiti restitutionem flagitabant & expectabant, indignationem mouit, quod petitio adeo iusta, tot tamque potentum Principum commendatione subnixa, primùm totos sex menses agitata; dein ad accuratiorem disquisitionem duos iterum menses dilata, tantáque contentione denuo discussa ac disceptata, tandem ad Pontificem remitteretur: cum sine tanti temporis iactura, absque tot officijs ac laboribus in ipso statim principio ad eum remitti potuerit. Conditionem Christianorum esse iuxta prophetiam *Esaiæ*, *Manda, remanda, exspecta, reexpecta*; quando Papa principio rogatus rem remiserit ad Synodum, quam ad illum iterum Synodus referat: vtrisque scilicet Principes ac populos ludum facientibus. Alij disserebant solidiùs, Synodum duos articulos definiendos reseruasse: An caussæ, quibus adducta fuit Ecclesia, vt Calicem tolleret, ita sint retinendæ. vt in ea prohibitione perseuerandum sit. Item, si non sunt retinendæ, quibus conditionibus concedendus sit vsus Calicis. horum priorem non esse facti, sed fidei: adeoque inde necessariò sequi, Patres, concessione ea ad Papam relata, cogi vt fateantur, se caussas eas non satis idoneas comperisse, sed ob considerationes humanas id declarandum non censuisse. nam si caussas eas iustas & idoneas iudicassent, tum in prohibitione perseuerandum fuisse. si dubiam rem reperissent, in examine pergendum: quando remittendi ratio nulla esse queat, nisi quòd caussas non satis iustas esse deprehenderint. Quod si facta fuisset à Patribus declaratio negatiua, nempe caussas tales non esse, propter quas prohibitio continuanda sit, tum, quod præterea restabat de facto obeundum, id si ad Papam habita disquisitione retulissent, certè excusationem aliquā rem habiturā. Neq; verò hìc dici posse, hoc ipso quòd remittitur ad Pontificem, declarationem præsupponi: quoniam repetitis in decreto huius Sessionis duobus articulis, decernitur, integrum negotium ad Papam esse referendum. ergo sine vlla præsuppositione.

De Decretis varia variorum iudicia.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Decretum de sacrificio Missæ obscurum, & hyperbatis implicitum.

Quæ habentur in Decreto de prohibitione linguæ vulgaris, Protestantibus non satis cohærere videntur.

In commentarijs memorialibus non reperio decretum de sacrificio Missæ magnam sermonibus præbuisse materiam: cuius rei hæc forte fuerit caussa, quòd ex verborum lectione sensus non ita facilè deprehendatur, orationis structura tam frequentibus hyperbatis referta, vt nisi illa attentè à proprijs orationis partibus separentur, animus legentis in diuersas distractus cogitationes, cùm ad finem peruenerit, quid perlegerit, vix intelligat. Tantùm de prohibitione linguæ vulgaris in Missa, à Protestantibus aliquid dictum. Ista enim videbantur illis implicare contradictionem, dicere Missam continere multam populi fidelis eruditionem; & laudare, vt pars eius aliqua submissa voce dicatur. Item, omnino prohibere linguam vulgarem, & dein edicere Pastoribus, vt aliquid eius ad populum explicent. Quibus illi respondebant, in Missa quædam esse recondita, populo horum incapaci nunquam detegenda: vnde & submissa voce dicuntur, & lingua ignota. alia ad ædificandum & erudiendum comparata, quæ populo declarare iubentur. Sed aduersus hanc responsionem duo opponuntur. vnum, genus hoc secundum saltem populari lingua efferendum. Alterum, distinguendum quæ sint huius, & quæ illius generis. Cum enim Pastoribus sit imperatum, vt sæpenumero aliquid explicent populo eius quod legitur; neque tamen distinctè expressum, quid illud sit, esse periculum, ne pastorum aliquis, quid facere debeat, nescius, illud declaret, quod in arcano seruandum est, & vicissim illud omittat, quod declarari debebat. Certè, qui rerum veterum studiosi, istiusmodi dissertationes irridebant; quippe quibus notissimum esset, omnes linguas literatas, nunc in artem redactas, fuisse suo tempore, & in sua quamque regione, vulgares. Et latinam linguam, cùm *Romæ*, per *Italiam* omnem, & in colonijs Romanis per diuersas prouincias in Ecclesiam fuit introducta, multis etiam post sæculis in ijs locis popularem fuisse. Et manere adhuc in Pontificali Romano formam ordinandi lectores in Ecclesia, vbi præcipitur, vt studeant distinctè & articulatè legere, vt à populo intelligantur. Qua porro lingua res sacræ sint tractandæ, id multam disceptationem non requirere, dummodo quis legere dignetur caput XIV. Epistolæ *B. Pauli* ad Corinthios, quo quiuis, quantumlibet in contrarium mente præoccupata, animo suo abunde satisfecerit. Qui verò scire desiderat Ecclesiæ Romanæ sensum olim; tum quando, & quam ob caussam Curia sententiam mutarit, meminisse poterit *Ioannem VIII. Papam*, postquã *Morauos* seuerissimè increpuisset propter Missam lingua Slauonica celebratam, eaque abstinendum edixisset; meliùs tamen informatum anno D.CCCLXXX. dedisse ad *Sfentor Pulchrum* ipsorum Principem aut Comitem prolixas literas, quibus non viâ concessionis, sed declarationis affirmat, fidei sanæque doctrinæ non esse contrarium, dicere Missam aliasue preces lingua Slauonica; quoniam qui linguam Hebraicam Græcam & latinam fecit, idem alias quoque fecerit ad nominis sui gloriam: citatis in eam rem varijs è scriptura locis, ac nominatim *D. Pauli* ad Corinthios admonitione. Hoc tantùm Papa ille præceperat, vt ad maius Ecclesiæ decorum, per eam vniuersam Euangelium latinè prius, dein Sclauonicè legeretur; quod apud nonnullos iam obtinuerat, facta tamen Comiti gratia, suisque Iudicibus, vt latinè Missam audiret, si ea magis adlubesceret. Quibus diligenter consideratis illud quoque addendum, quod ad *Vratislaum Bohemiæ Principẽ* ducentis post annis ad rem apposite scripsit *Gregorius* VII. Se celebrationem diuinorum officiorum lingua Slauonica ei permittere non posse. Neque idoneam esse excusationem, affirmare id anteactis temporibus non prohibitum, quia primitiua Ecclesia dissimulauerit multa, quæ vtcumque diu tolerata, post Christianam religionem stabilitam, diligenti, subtilique examine emendata fuere. vnde Principi huic mandatum, vt totis viribus voluntati populi sese opponeret. Hæc studiosè obseruanti liquidò apparebit, cuiusmodi fuerint incorrupta veteris Ecclesiæ instituta: & quemadmodum his etiam vigentibus aditus corruptelis propter humanas considerationes sit patefactus: ac pariter quibus aspectibus, bonis moribus debilitatis abusus pedem fixit, rerum ordinem inuertit, & cœlum terræ miscuit, optimè instituta pro corruptelis vulgo iactentur, tamquam ab antiquis Patribus tantùm tolerata; abusus contra postmodum introducti, tanquam perfectæ emendationes cœlo inserantur.

Linguæ omnes literatæ olim, & apud suos, vulgares.

Missa in Morauia aliquando lingua Slauonica celebrata.

Decretum reformationis adempta laicis piorum operum administratione, horum curam ijs cõmittit, qui antea sibi ea vendicarunt.

Sed vt ad acta Synodi reuertamur, illud de reformatione multis bilem commouit reputan-

reputantibus, bonorum Ecclesiasticorum dominium sæculis anterioribus fuisse totius Ecclesiæ, id est omnium Christianorum, qui ad vnam conuocationem conueniebant. Horum administrationem Diaconis, Subdiaconis, alijsq; Oeconomis commissam inspectoribus Episcopis & Sacerdotibus, ad ea in victum ministrorum, viduarum, infirmorum, pauperum; in educationem puerorum & adolescentum, in hospitalitatem, redemptionem captiuorum, aliaque opera pia distribuenda. Clerum nihilominus cœpisse primum (præter officium certè, tolerabiliter tamen) velle partem suam internoscere, & ab alijs separare, eáque ad libitum vti. Sed crescente post abusu, populum non modò bonorum dominio omnino exclusum, & Clericos pro administratoribus dominos factos; verùm etiam id omne, quod pauperibus, hospitalitati, scholis, alijsque pijs operibus fuerat destinatum, ab ijs in proprios vsus conuersum. Qua de re cùm multis sæculis homines questi essent, & remedium frustra postulassent, Laicos solo pietatis studio in quibusdam locis alia Xenodochia, alias scholas, aliosque charitatis montes, qui pijs operibus sufficerent, erexisse, laicis scilicet administratoribus. Nunc verò hoc sæculo, quo omnia personant postulatis eorum, qui remedia poscunt, atque vt Xenodochia & scholæ iniuria ab Sacerdotibus occupatæ iustis dominis restituantur, Synodum, quæ iustis indolentium precibus, vti expectabatur, auscultare debuit; & collegijs, scholis, Xenodochijs, alijsque locis pijs restituere ablata, capite VIII. & IX. portam aperuisse inuadendis etiam ijs, quæ postea fuerant instituta, inspectione Episcopis demandata. Qua quidem via quando bona olim eisdem pijs operibus dedicata, fuisse occupata constat, & ad alios vsus minimè pios translata, ecquis dubitabit quin intra breue tempus ab eodem medio idem effectus sit emanaturus? A Curijs Parlamenti, quæ vocantur, in Gallia id animaduersum, à quibus apertè dictum, Synodum auctoritatis suæ fines excessisse, manu in alienam messem, nempe, bona sæcularium immissa, cum tamen indubitatum sit titulum pij operis Sacerdoti nullum ius acquirere. Christiano cuique esse liberum bona sua pro arbitrio cuiuis pio operi applicare, nulla habita ratione legis cuiusquam, quam Ecclesiasticus ei possit imponere. alioqui intolerandam fore Laicorum seruitutem, si illis non liceat pro suo ingenio, sed ad nutum Sacerdotis cuiquam benignè facere.

Ferdinandus Philippus 2.

Clerici olim bonorum Ecclesiasticorum curatores tantùm & administratores, nô Domini.

Decretũ hac parte Curiis Parlamenti in Gallia displicet.

Hoc ipso intuitu damnabant quidam caput illud reformationis, quo obliquè Clero tribuitur vltimarum voluntatum commutatio, cum potestate præscribendi quomodo & quando possint commutari, abusum illum intolerabilem autumantes, quod in comperto sit testamentorum vim omnem à iure ciuili pendere, horumque mutationem ei deberi. Quod si quis dicat vigorem suum à lege naturali habere, eo minus Sacerdotibus quidquam in ea competere putabant auctoritatis. Huius enim legis, quà dispensabilis est, neminem nisi, qui supremum in Repub. tenet imperium, illiusque administros, posse esse dispensatorem. *Christi* autem ministris illud in mentem reuocandum, à *D. Paulo* datam ijs tantummodo ministeriorum Dei administrationem. Et si Respub. aliqua testamentorum curam detulerit Præsulibus, eam, quà iudices temporales, non quà spirituales, ijs demandatam: neque eius administrandæ leges à Concilijs sumendas, sed à Maiestate, quæ Reipub. præest; quando eam non exercent tamquam *Christi* ministri, sed veluti membra ac brachia Reipub. sæcularis, prout diuersis nominibus appellantur, dum administrationis publicæ sint participes.

Alterum decreti caput dãnatur, quo vltimarum voluntatum cômutationes conceduntur Episcopis.

Nihilo magis reprehensionem effugit quintum caput in materia dispensationum. Constat enim priscis temporibus dispẽsationes omnes à Pastoribus in proprijs Ecclesijs administratas; temporis verò progressu Pontifices Romanos reseruasse sibi nonnullos casus principales. Et quamuis id iure merito factũ dixerit aliquis, ne quæ magni essent momenti ab hominibus parum idoneis tractarentur, prædualida tamen in contrarium est ratio ab Episcopo *Quinqueecclesiensi* supra memorata. Verùm cùm Concilium decernat dispensationes eas Ordinarijs committendas, quibus, si cessarent reseruationes, iure debentur, ecquid, quæso, iuuat restringere facultatem alicuius, vt eidem denuo concedatur? Illud certè satis liquet, *Romæ* reseruationibus dispensationum non aliud peti, quàm Bullarum Pontificiarum auctionem, quibus diuenditis satius existimant,

Et aliud de dispensationibus, quæ Ordinariis committũtur, cum eisdem iure debeantur.

Pius. 4. Elizabetha, Carolus. 9.

stimant, vt ille opus exequatur, qui id exequi potuisset, nisi ei interdictum esset, quàm alius quiuis. Præter hæc, alia quoque obijciebantur ab ijs, qui ad iudicium de aliorum actionibus ferendum eò promptiùs accedunt, quo eminentiori loco sunt, qui eas patrarunt: sed tanti apud me non sunt, vt digna putem quæ historiæ inserantur.

Pontificis solicitudinem in maturando Concilij exitu duo interturbant, aduentus Lothareni.

Pontifex accepto de Sessione habita nuncio, & rerum inibi successu, magnam animo cepit voluptatem, quippe molestia insigni liber, quã afferebat ei metus, ne in contentione super vsu Calicis auctoritas ipsius in disceptationẽ traheretur. Et quoniam sic patefacta erat via discordijs omnibus sopiendis, re scilicet controuersa ad se relata, sperare cœpit idem posse obtineri in articulo de residentia, & in alio quouis contentioso, adeoque Synodum ad finem subitò posse perduci. Sed præuidebat destinationi huic suæ à duplici caussa turbamentum. Quarũ vna erat aduentus Cardinalis *Lothareni* cum Præsulibus Gallicis, quo non leuiter commouebatur propter ingentes Cardinalis illius spiritus, & studia Pontificatus commodis planè pugnantia: eaque adeo penitus insita & innata, vt celari aut dissimulari non queant. Neq; verò huic malo remedium aliud reperiebat, nisi vt Præsules *Itali Transmontanos* multis superent partibus, eóq; in ferendis suffragijs horum vix ratio habeatur. Hac propter Episcopos omnes continuis hortatibus solicitat, vt *Tridentum* contendant, etiam *Titulares*, atq; eos, qui dignitati renunciassent; & sumptus ad iter suppeditans, & promissis onerans. Statuerat item Abbates magno numero mittere, sicut alias in Synodo quadam factum. Verùm re deliberata, rebus suis conducibilius iudicauit, affectum tam vehementem non prodere, neq; alios ad idem faciendum exemplo suo inuitare. Turbamentum alterum erat à consilijs Principum, quæ omnia in hoc intenta animaduerterat, vt Synodus absque aliquo operæpretio procederet. *Cæsarem* hac ratione *Germanis* suis gratificari velle, eorumq; fauorem in filio suo in *Regem Romanorum* deligendo demereri. Regem vero *Galliæ* non *Germanis* modò, sed & *Hugonotis* suis satisfactum cupere. Multum animo voluebat nuperam illam Oratorum conuocationem, quam dicebat videri sibi Concilium Secularium in medio Synodi Ecclesiasticæ. Et reputabat quàm periculosæ essent Præsulum ipsorum Congregationes, nisi eos in officio retineret Legatorũ Præsidentium interuentus. Oratores sic in vnum coeuntes posse inter se ea agitare, quæ rebus suis admodum sint damnosa: & quando sint inter eos Ecclesiastici, metuendum esse inprimis, ne Præsulem aliquem in partes suas trahant, & licentiam libertatis nomine obuelent. In hac curarum anxietate bona nihilominus spe reficiebatur, quòd vidisset maiorem Oratorum partem ijs, quæ in præiudicium suum proposita essent, refragari; neq; alios ex his inter se vnitos, nisi *Cæsareos* cum *Gallis*, qui quòd Episcopis proprijs destituerentur, nil magnum operaturi putabantur. Necessarium tamen esse, finem Concilij vrgere, & eam, quæ inter Oratores conspiciebatur, opinionum discrepantiam fouere. Scripsit itaq; confestim ad Legatos, vt incumberent Congregationibus solicitandis ad nouas materias digerendas & ordinandas. Et quoniã gratiarũ actio ad beneficij continuationẽ homines obligare solet, mandauit Legatis, vt verbis suis quam maximas agerent gratias *Lusitano Heluetioque* Oratoribus, & *Marchionis Piscarij Secretario*, collaudata ipsorũ prudentia, qui ineptæ propositioni non auscultassent. *Veneto* quoque & *Florentino* tum gratias agi iussit pro affectu erga se, quòd Oratorum cœtui interesse recusassent; tum monendos curauit, vt si in posterum quid eiusmodi ab ijs peteretur, eò ire non detrectarent: quod persuasissimum haberet eorum præsentiam rebus Sedis Apostolicæ semper profuturam, & aliorum male cogitata remoraturam. Neque certe cogitatio ea Pontificem fefellit. Ab omnibus enim, qui caussæ suæ sic inseruierant, confessionem elicuit, se agnoscere eiusmodi esse tempora, quibus ad Dei cultum expediat auctoritatem Pontificiam ampliari; adeoque obligationem, qua deuincti teneantur, propter benignam istam à Beatitudine sua gratiarum actionem, maiorem esse, quàm requirat officium vllum à se ex debito præstitum.

Et studia Principum, vt Cõcilium absque operæ pretio desinat.

Eundem solicitum habet nupera Oratorum conuocatio: in qua ipsa tamen non deest solatij materia.

Curat agendas Oratoribus gratias, qui cœtum adire recusassent, aut propositis non auscultassent.

HISTO-

Ferdinandus. Philippus 2.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER SEPTIMVS.



Vod in more positum est ijs, qui historiam conscribunt, ipso statim initio instituti operis formam proponere; id ego in hunc vsque locum differre optimum factu existimaui, vt esset vnà hìc & narrationis antecedentis effigies, & exemplar subsequentis. Cum autem statuissem memorijs à me collectis formam aliquam dare, quæ neque facultatem meam superaret, & materiæ esset accommodatissima, isthæc mentem meam subijt cogitatio, inter ea omnia negotia, quæ hoc seculo in Christiano orbe acciderunt, aut fortasse etiam post æuo euentura sunt, facilè huic principem locum deberi. Dein, rerum ad opinionem illustrium minutias quasque intelligere, gratum plerisque hominum acceptumque euenire. vnde formam Diarij operi aptissimam iudicabam. At enim huic meæ sententiæ duæ obstabant difficultates. Vna, quòd hæc forma nec satis conueniret commemorandis euentibus XXIX. annorum in Concilio hoc præparando procreandoque exactorum: neque item aliorum XIII. quibus bis in soporem datum, viueretne, an expirasset planè erat incertum. Altera, quod nec mihi ad manum esset, neque verò suppetere poterat adeo benigna materies, quæ ad perpetuam sufficeret Ephemeridem. Itaque ad exemplum Naturæ, quæ formam accommodat materiæ, non, quod scholæ profitentur, materiam formæ, haud absurdè me facturum putaui, si tempora præparatoria pariter ac Interconciliaria Annalium in morem exsequerer: de ijs verò, quæ in ipsam Concilij celebrationem inciderunt, saltem quantum ego quidem comperti habere potui, Commentarios diurnos conficerem. Nam quæ propterea omissa sunt, quia in eorũ cognitionem perueniri nequitum, spero apud lectorem, si quis erit, paratũ mihi patrocinium. Etenim si sæpenumero fit, vt earum etiã rerum, quarum integram memoriam ij, quorum interest, omni ope conseruare student, bona pars breui intercidat, quanto magis id hìc accidere necesse fuit, vbi homines sagacissimi, magno numero, omni studio ac diligentia in id incubuerunt, vt quicquid huius esset, supprimeretur? Ac meritò sanè res magnæ tanquam mysteria sileri postulant, quando id fieri publicè expedit. Sed cùm vnum idemque ignorari alijs insigniter damno, alijs emolumento est, quid mirum, si ad fines contrarios itinere longè diuerso contenditur? Et habet quidem hic locum peruulgata & celebris sententia, Aequiorem esse caussam eius, qui damnum vitat, quàm qui lucrum captat. Agnosco equidem scriptum

Vniuersi operis forma, quã libris superioribus sequutus, etiam deinceps prosequi statuit, huius libri initio proponitur.

Nempe, vt actiones ex quæ Concilium peperere, & inter triplicem eius conuocationẽ interuenere, in Annales: quæ vero in ipsa celebratione gesta, in Ephemerides digererentur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

tum hoc meum, propter eas, quas modò memoraui caussas, alicui scriptionis inæqualitati obnoxium; nec minorem fortasse in illustri aliquo scriptore erit deprehendere: verùm ista vti defensione non lubet, sed magis illa, in eam reprehensionem non incurrisse, quòd Historiam Concilij Tridentini, aut aliam ei non absimilem haudquaquam susceperint conscribendam.

Vnde scriptionis inæqualitas, dum forma materiæ adeo dispari accõmodatur, debet esse excusatior.

Oratorũ Regis Galliæ postulata.

Exeuntibus è Sessione Oratoribus *Gallicis*, literæ adferuntur à Rege suo, quibus imperatum, solicitare Sessionis dilationem. Cuius rei conficiundæ cùm tempus præterijsset, coram Legatis tamen comparentes, exponunt ab Rege se recèns in mandatis habere, vt tractationem de reformatione, & suorum Præsulum aduentus expectationem sedulo ipsis commendarent. Addunt insuper, si, quæ de Ordine & matrimonio erant proposita, continuò à Theologis disputarentur, & à Prælatis tractarentur, nullam partem doctrinæ reliquam fore, & frustra *Gallos* venturos. Proinde ad finem vsque Octobris ea differri paterentur; interea reformationi vacandum, aut alternis diebus, vno super doctrina, alio super reformatione disserendum: non vt antea, reformatione omni vsque ad dies vltimos, & Sessioni proximos reiecta, adeo vt ne ad inspiciendos quidem articulos satis temporis restaret, nedum vt super ijs accuratè deliberari posset. Responsum tulere, digna quidem ista quæ proposuerant, pensitatione; seque rationem inituros, vt ipsis quantum fieri possit, satisfiat. sed quo melius consiliũ caperent, mandatorum Regiorum sibi copiam fieri petebant. Oratores scriptum quoddam exhibuerunt, cuius hæc erat sententia. Vidisse Regem Decreta XVI. Iulij de communione sub vtraque specie, deq; duobus articulis eiusdem materiæ differendis, vnàque articulos in congregationibus propositos super Missæ sacrificio. Quicquid eius rei factum esset laudare, neque tamen sibi tacendum putare, quod ab omnibus dicitur, nempe, aut omitti, aut leuiter tractari quicquid ad mores & disciplinam pertinet; dogmata religionis controuersa nimis præcipitanter decerni, in quibus Patres omnes conueniunt. Quæ tametsi falsa reputet, postulare tamen, vt quæ à Legatis proponuntur, in eam partem accipiantur, vti necessaria, quibus & Reipub. totius Christianæ, & calamitatibus regni sui succurratur. Sibi, cùm experimento didicisset, neque seueritatem, neque moderationem suppliciorum profuisse, ad eos, qui ab Ecclesia discesserant, in viam reducendos, Optimum factu visum, ad Concilium generale decurrere. Quo ab summo Pontifice impetrato, displicere sibi, propter *Galliæ* tumultus Prælatos suos citius eò mandari non potuisse. Illud se videre, vt ad pacem & vnitatem Ecclesiæ perueniatur, hanc constantiam & obstinationem permanendi in formula à Legatis & Episcopis cæpta, non conducere. Itaque cupere se, vt in Concilij principio nihil fiat alienandis aduersariorum animis; sed & inuitentur, & cum venerint, tanquam filij obuijs vlnis excipiantur, quia spes sit futurum, vt humaniter excepti, edoceri se patiantur, & ad Ecclesiæ gremium reduci. Et quoniam ij omnes, qui *Tridenti* sint congregati eandem religionem profitentur, neque de eius vlla parte dubitare aut possunt, aut volunt; videri sibi eam disputationem & censuram de rebus religionis, non modò superfluam, sed Catholicis inutilem, & aduersarios magis abalienaturam. Quod si quis credat accepturos eius Concilij decreta, cui non interfuerunt, ipsos non satis pernosse, & longè falli, qui hac via aliud agi putet, quàm argumenta scribendis libris præparari. Quocirca Regem existimare, omittendam potius istam de religione disputationem, donec id omne statutũ fuerit, quod spectat ad emendationem disciplinæ. Hunc esse scopum, quem intueri omnes oportet, vt Concilium iam frequens, & aduentu *Gallorum* frequentius etiam futurum, fructu non careat. Petere insuper Regem, vt propter absentiam Episcoporum suorum, proxima Sessio ad finem Octobris prorogetur, siue dilata decretorum publicatione, siue expectatis nouis à Pontifice, ad quem ipse scripserat, mandatis: atque interea reformationi cura impendatur. Et quoniam intelligit immutatam esse antiquam Conciliorum libertatem, in quibus semper licitum est Regibus & Principibus, eorumque Legatis regnorum suorum necessitates exponere; postulare Regem, vt hæc Regum ac Principum autoritas salua maneat, & quod contrà factum est, reuocetur.

Legatorum responsum.

Scriptum quo mandatorum Regis summa continebatur, ab Oratoribus exhibitum Legatis.

Oratorũ Cæsaris postulata.

Eodem die Oratores *Cæsarei* Legatos adeuntes postulant, vt articuli ab Imperatore mandati, atque ab ipsis antea exhibiti proponantur: instantque, vt dogmatum

tractatio vſque ad *Gallorum* aduentum differatur. Atque vt tractatio de reformatione non modò communi totius Eccleſiæ bono, ſed etiam cuiuſque regni commodo cederet; pro ſingulis nationibus deputarentur duo, qui ſuggererent, ſi quid dignum eſſet, quod in Concilio proponeretur diſcutiendum. Hiſce Legati, quemadmodum & *Gallis*, ad eandem ſententiam reſpondent. Non poſſe Synodum ſine grauiſſimo præiudicio ordinem inſtitutum de dogmatis ſimul cum reformatione tractandis immutare; quòd ſi id maximè vellet, alios principes reclamaturos. tamen in eorum gratiam conſtitutum iri, vt Theologi & Prælati tantummodò materiam Ordinis examinent: & ſimul capita nonnulla reformationis tractent, ſeruato vtique ordine conſueto. Poſſe quemlibet cuiuſcunque conditionis referre ad ipſos Legatos quicquid neceſſarium, vtile, aut conueniens videbitur: quæ quidem actio maiorem arguit libertatem, quàm ſi duo pro quaque natione deſignentur. Poſtea de matrimonio agendum. Hanc reſponſionem cum Oratores haud æquis animis acciperent, Legati ad Pontificem ipſorum omnia poſtulata tranſmiſere.

Ferdinandus. Philippus 2.

Quibus Legati reſpondent, poſtulatis mox Romam miſſis.

Neque verò *Galli* ſic alienati dolorem ſuum tenebant, ſed apud omnes tantam duritiem incuſabant, illud etiam queſti, quòd Pontifex alijs Prælatis imperaſſet dudum, vt ad Concilium ſe conferrent. quod manifeſtè apparebat eo fieri, vt eſſet numero ſuperior. Quæ res ne Pontificijs quidem ipſis probabatur, adeò palam facta, & eo tempore, cum de aduentu *Gallorum* rumores ſpargerentur. quibus etſi numerum ſuorum augeri ſecuritatis cauſſa ſatis placebat, id tamen ita dextrè curatum volebant, ne de induſtria factum dici poſſit. At Pontifex haud per imprudentiam ita palam iſta actitabat, ſed deditâ operâ, vt intelligeret Cardinalis *Lotharingius* non ſucceſſura quæ moliebatur, & profectionis conſilium abijceret; aut verò *Galli* diſſoluendi Concilij aliquam occaſionem arriperent. Nec Papæ tantùm is animus erat, verùm & totius Curiæ aliquid ſiniſtri metuentis ab inceptis illius Cardinalis, quæ tametſi vana futura eſſent (quod erat vel ad ſperandum difficile) eius tamen aduentum magnum Concilio impedimentum, moram, difficultatem præuidebant allaturum. Satis conſtat Cardinalem *Ferrarienſem* per ſpeciem affinitatis admonuiſſe *Lotharingium* profectionem ſuam inutilem, nec ſatis è dignitate futuram; ſiquidem venturum poſt confectum negotium & omnia iam deciſa. Et *Bianchetus*, Cardinalis *Armeniaci* familiariſſimus, cuius apud *Lotharingium* quoque ſatis ſpectata fides, hoc idem ad vtrumque perſcripſit. Et à *Seripandi* Secretario per amicitiæ ſpeciem, quæ ipſi cum Præſide *Ferrerio* fuit, itidem cum illo actum eſt. quæ admonitiones quorſum tenderent ita palam perſpectum eſt, vt nemini obſcurum eſſet, eas, ſi non iuſſu Pontificis, certè non inuito Pontifice factas.

Papa actiones ſuas non per imprudentiam, ſed conſultò propalat, ad deterrendum à profectione Lotharingium.

Neque tamen intermiſſa de Synodicis actionibus ſolicitudo. Traditi enim continuò articuli ſuper Sacramento Ordinis Theologis excutiendi; delectique, qui de illo argumento verba facerent, & in IV. claſſes diſtributi, quarum vnaquæque Duos tantùm articulos diſcuteret. Erant articuli VIII.

Articuli de ſacramento Ordinis ab Theologis diſceptandi.

I. An Ordo ſit verè & propriè Sacramentum à Chriſto inſtitutum, an figmentum tantum humanum; an verò ritus eligendi Miniſtros verbi Diuini & Sacramentorum.

II. An Ordo ſit vnum tantùm Sacramentum, ita vt cæteri omnes ordines tanquam media & gradus ad Sacerdotium tendant.

III. An ſit in Eccleſia Catholica Hierarchia, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & alijs ordinibus; & an omnes Chriſtiani ſint Sacerdotes; & an ſit neceſſaria vocatio & conſenſus plebis, aut ſecularis poteſtatis; & an is, qui ſemel Sacerdos eſt, fieri poſſit Laicus.

IV. An ſit in Teſtamento nouo Sacerdotium viſibile & externum, & poteſtas offerendi & conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, & remittendi peccata; an verò nudum ſolummodo miniſterium prædicandi Euangelium, adeo, vt qui non prædicant, non ſint Sacerdotes.

V. An Spiritus Sanctus detur & accipiatur in ordinatione, & character imprimatur.

VI. An vnctio & cæteræ cæremoniæ in conferendo ordine ſint neceſſariæ, an vero ſuperfluæ, aut etiam pernicioſæ.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

VII. An Episcopi sint Presbyteris superiores, & potestatem habeant propriam confirmandi & ordinandi; & an ij, qui sine Ordinatione Canonicâ quocumque modo sunt introducti, sunt veri Ministri verbi & Sacramentorum.

VIII. An Episcopi vocati & ordinati autoritate Pontificis Romani sint legitimi; & an veri Episcopi sint illi, qui aliunde veniunt sine institutione Canonica.

Die XXIII. mensis initium factũ est Theologorum Congregationibus habendis, & bis in dies singulos. II. Octobris disputationibus impositus est finis. Atque hic certum est mihi sequi institutum meum, neque sententias memorare, nisi aut nouitate, aut discrepantia inter se insignes.

I. Articulus excutitur.

In prima Congregatione orationem habuerunt IV. Theologi Pontificij, qui de Iᵒ. Articulo magno consensu confirmabant Ordinem esse Sacramentum ex testimonijs S. Scripturæ, illo præcipuè D. *Pauli*; *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*; Tum autem traditione Apostolica, dictis Patrum, vniformi consensu Theologorum; & super omnia ex Concilio *Florentino*; adiuncta etiam ratione, Ecclesiam alioqui confusam Anarchiam fore, quando non sit qui regat, & qui obtemperent. Sed in II. Articulo *Petrus Soto* multis conatus est ostendere VII. esse Ordines, eorumque quemlibet propriè Sacramentum, omnes à *Christo* institutos. Differebat necessariam esse eius rei declarationem, propterea quòd nonnulli Canonistæ extra terminos suæ professionis egressi, duos alios adiunxissent, *Primam tonsuram* & *Episcopatum*; quorum opinio multos alios errores capitaliores posset inducere. Nec minùs longa oratione vsus est, vt ostenderet *Christum*, dum inter mortales ageret, hos ordines gradatim ad Sacerdotium, qui vltimus est, exercuisse. Atque vt tota *Christi* vita ad vltimum illud sacrificium tendebat, ita sine dubio omnes ordines reliquos, nihil aliud, quàm gradus esse quosdam, quibus ad culmen Sacerdotij ascendatur.

Articulus II.

Christum non modo VII. Ordines instituisse, sed & exercuisse asseritur.

Hieronymi Brauo super II. Articulo velitatio.

At *F. Hieronymus Brauo*, qui ipse Dominicanus, principio testatus sibi firmum fixumque Ordines esse VII. & quemlibet veri nominis Sacramentum; vsumque Ecclesiæ seruandum, quæ per inferiores Ordines intermedios, ad superiores, ipsumque adeo Sacerdotium contendere solet; Non videri sibi ad has declarationis minutias descendendum, in tanta præsertim varietate opinionum, quæ est inter Theologos, è quibus vix inuenias duos, quibus inter se conueniat. Quod perspicientem *Caietanum* iam senem hoc scriptum reliquisse: *Si collecta fuerint, quæ Pontificales codices, quæue ratio auctoritasque doctrina tradidit, incerta valde apparebit Presbyteratu excepto reliquorum natura ordinum. Magistrum* certè tenere minores ordines & Subdiaconatum constitutos ab Ecclesia. Diaconatum in scriptura institutum, *Mensarum* ministerium videri, non vt nostrum, *altaris*. Iam varietatem, quæ circa minores Ordines in vetustis Pontificalibus conspicitur, in vno hoc, in altero omnia alia, satis indicare, *Sacramentalia* hæc esse, non *Sacramenta*. Immo huc ipsam rationem nos ducere: dum quæ facit ordinatus, eadem ipsa potest & non ordinatus facere; nec minùs validè, eodemque effectu & perfectione. Ipsum *S. Bonauenturam* vtcumque omnes VII. pro Sacramentis habeat, duas tamen alias opiniones probabiles æstimasse. Vnam, solum Sacerdotium esse Sacramentum: at minores & alios etiam duos, cum circa res corporales versentur, cuiusmodi sunt aperire portas, lectiones legere, lumina accendere; non satis cerni quomodo nos Deo conformes reddant. itaque solummodo dispositiones esse ad Sacerdotium. Alteram, tres sacros esse Sacramenta. Nam quod ad illud peruulgatum attinet, quòd ordines inferiores, gradus sint ad superiores; affirmare *S. Thomam* in Ecclesia Primitiua multos immediatè ordinatos Presbyteros, per inferiores ordines conscensione nunquam facta: Ecclesiamque transitum hunc per omnes ordines ad Sacerdotium non alia fini constituisse, nisi ad homines humiliandos. Satis constare ex Actis Apostol. *Matthiam* immediatè ordinatum fuisse Apostolum; neque per ordines minores & subdiaconatum VII. Diaconos transisse. De se narrare *S. Paulinum*, cum apud animum suum constituisset sese cultui diuino in Clero mancipare, & humilitatis affectu per omnes gradus Ecclesiasticos ire, principio ab Ostiario facto; dum Laicus adhuc tempus opportunum captaret, de repente *Barcinone* à populo raptum, & tractum ad Episcopum, Presbyterum per saltum ordinatum; quod minimè contigisset, nisi id temporis fuisset vsitatum

tatum. Quæ cum ita essent, haud rectè facturam Synodum censuit *Brano*, si vltra ea, quæ cunctis Catholicis placita, progrederetur; addens in hac materia de Sacramento Ordinis, optimè à Sacerdotio incipiendum, eoque pacto huic Sessioni aptissimam fore cum præcedente connexionem, in qua de Sacrificio actum erat. tum à Sacerdotio ad Ordinem in vniuersum progrediendum, nec vltrà ad particularia descendendum.

Ferdinandus. Philippus 2.

Finita Congregatione, & discedentibus qui aderant Prælatis, remansit *Quinquecclesiensis* cum suis *Hungaris*, quibusdam *Polonis*, & nonnullis *Hispanis*. Quos ille omnes his verbis allocutus. Imperatorem omni cura belli solutum, propter inducias cum *Turco* factas, nihil impensius desiderare, quàm Ecclesiæ reformationem: eamque ad exitum perduci posse, dummodo in Concilio Prælatorum aliqua pars adnitatur. Quapropter & hortari, & orare, vt Deum reueriti, pro ea charitate, quà Christianus quisque Ecclesiam complecti debet, caussam adeo honestam, iustam, & vtilem non deserant. Adeoque vt mandent scriptis, quod cuique videbitur constitui posse ad Dei honorem, seposita omni cuiuscunque respectus humani cogitatione: neque sibi ob oculos ponant partis alicuius emendationem; sed vniuersum Ecclesiæ corpus in Capite & membris reformandum. Huius orationi subseruiens *Granatensis* reformationis & necessitatem, & oportunitatem ostendit; tum *Quinquecclesiensi* de hac admonitione gratias agens, sæpius inter sese de his locuturos promittit. Iamque in hunc finem coitiones fiebant *Hispanorum*, qui postquam inter se de reformationis necessitate disseruissent, dein bonam sibi spem, aliquem inde fructum percipiendi affirmassent; tum *Cæsare* eo propendente, à quo Rex ipsorum sua sponte pietatis retinentissimus non erat dissensurus, tum Prælatis *Gallicis*, qui breui expectabantur, omni affectu & diligentia negotium adiutare ac promouere promptissimis; inde ad varios abusus enumerandos porro pergunt. Horum omnium originem ad Curiam *Romanam* referebant, quæ non solùm in se corrupta esset, sed corruptelæ ac deformitatis in omnibus Ecclesijs caussa. Cumque vsurpatam reseruationibus authoritatem Episcopalem fremerent, quà nisi ademptâ Curiæ, & Episcopis restitutâ, nunquam abusus auferri queant; admonuit *Granatensis*, quoniam ad tam egregiam fabricam excitandam, iactis primùm fundamentis opus esset, campum iam apertum esse, cum de Sacramento Ordinis agitur. Decernant modò autoritatem Episcopalem à *Christo* institutam esse, ex eo mox consecuturum, nec diminui posse. ita restitutum iri Episcopis, quod ijs à Christo donatum, aliena ambitione & auaritia vsurpatum, aut per propriam socordiam amissum est. Adiunxit *Bracarensis* tanto magis esse necessariam hanc cogitationem, quòd Episcopalis autoritas ad nihilum reducta esset, introducto ordine Cardinalium Episcopis superiore, Ecclesiæ antiquitus ignorato. Qui primis temporibus reliquorum Presbyterorum & Diaconorum numero habiti, non ante X. seculum supra debitum conditioni suæ gradum sese extulere: nec tum quidem in tantum, vt se Episcopis adæquare sustinerent, quibus impares habiti ad annum vsque CIƆCC. Ex eo tempore non modò pari cum Episcopis iure vixere, sed etiam tam longè superiores, vt eos iam in ædibus suis pro seruis habeant. De reformatione Ecclesiæ nihil spei esse reliquum, donec Episcopi & Cardinales ad sibi quisque debitum redierint locum.

Quinquecclesiensis Patribus aliquot seorsim congregatis reformandæ Ecclesiæ studium in capite & membris vnicè commendat.

Quod Granatensi probatur.

Et Hispanis plerisque ad Curiam Romanã corruptam, vel fontem impurum omnium corruptelarum caussam referentibus.

Per quam Episcoporum dignitas vilescit, quæ in integrum restituenda Cardinalibus in suum locum ablegatis.

Hæc audita cum applausu, & optime consulta iudicabantur. Visum itaque sex eligere ex suo numero, qui scripto comprehenderent quicquid necessarium & opportunum tam reformationi in vniuersum, quàm huic propriè capiti de Institutione Episcopali; à quo placuit facere initium. Designati *Granatensis* ipse, *Gaspar Ceruantes* Archiepiscopus *Messanensis*, *Martinus Perezius Segouiensis* Episcopus, & *Martinus de Corduba* Episcopus *Dertusensis*, qui in caussa fuit ne vltrà procederetur. Ille enim secreta cum Pontificijs consilia communicans, excusabat se ab hoc munere suscipiendo; primùm quòd impar esset negotio, nec sibi tempus ipsum satis opportunum videretur. Dein quòd crederet *Quinquecclesiensem* religionis studio non permoueri, nec alium finem habere sibi propositum, quàm vt ipsorum opera abutatur, quò Papam hac adhibita Reformationis machina ad vsum calicis concedendum adigat; cui sententiæ ipsi contrauenissent. Cumque iam inclinatos animos & attentiores vidisset,

Præsules reformationis cupidi ab capite de institutione Episcoporum eius initium capiendum censent.

Quos Dertusensis remoratur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Cæteri cæptum vrgent & institutionem Episcoporum esse de iure diuino declarari petunt. Legati quo iure instituti sint Episcopi, id attingere omnino abnuunt.

vidisset, tantum valuit dicendo, persuadendoque, vt dilatione interposita negotium non processerit. Neque tamen res diu prolata. Nam postridie eius diei *Granatensis, Bracarensis, Messanensis* & *Segouiensis*, petita à Legatis audientia, obnixè rogant tractari articulos olim ab Cardinale *Crescentio* in hoc ipso Concilio propositos, immo conclusos, etiamsi non publicatos; nempe, quòd Episcopi sint à Christo instituti; & iure diuino Presbyteris superiores. Legati consilia miscentes respondent; *Lutheranis* asserentibus eundem esse Episcopum cum Presbytero, iustam non deesse causam declarandi Episcopum esse superiorem. Verùm quo iure, aut à quo Episcopus sit institutus, eo declarato non esse opus; quòd super ea re nulla sit controuersia. Regerebat *Granatensis*, esse quidem in hoc controuersiam, & si res Theologis disputanda permittatur, cognituros, quàm sit necessaria huius capitis decisio. Sed Legatis omnino dissentientibus, post rem vtrimque verbis exasperatam, discessum est ab *Hispanis* nulla re prorsus impetrata. Quibus tamen manebat hoc fixum, & agere cum Theologis quibusdam, vt in disceptationibus hanc subinde rem vellent meminisse, & cum ipsis tempus aduenisset sententias in Congregatione dicendi, eiusdem mentionem non omittere. Quod cum ad aures Pontificiorū peruenisset, inter Theologos voces spargendas curarunt, vetitum esse à Legatis super ea quæstione vltra disserere.

Secunda Classis è Theologis & Canonistis de III. & IV. articulis disserit.

Sed vt ad Congregationes reuertar, cum secunda classis verba faceret, quæ erat è Theologis & Canonistis mixta, *Thomas Passius* Canonicus *Valentinus* dixit, antiquitatis ignoratione crassa, enatam esse de *Hierarchia Ecclesiastica* dubitationem, cum res sit notissima, in Ecclesia populum semper regi consueuisse à Clero, & in ipso Clero inferiores à superioribus, dum omnes hi gradus ad vnum tandem *Pastorem vniuersalem*, qui est *Episcopus Romanus*, reducantur. Qua propositione multis verbis confirmata, subiecit, existimare se, id vnum opus esse, vt contrarijs erroribus sublatis hæc veritas manifesta sit. Hos à Scholasticis introductos (qui nimio subtilitatis studio interdum res claras obscurant) dum Canonistis se opponunt, *primam Tonsuram* & *Episcopatum* inter Ordines referentibus. Atque de Episcopatu mirum sibi videri, negare velle ipsum esse ordinem; cùm fateantur eius esse propriam confirmationem, Ordinationem, totque alias Consecrationes, quas si quis alius tentarit, nihil esset acturus; cum tamen *Ostiarij* munus Ordinem faciant, obserandis scilicet portis, quas non minus commodè quiuis laicus possit occludere. Et quod ad *Primam Tonsuram*, ita se audisse semper à Theologis; *Sacramentum esse signum externum gratiam spiritualem significans*; esse in *prima Tonsura* signum; & rem significatam, deputationem ad res diuinas; itaque satis se mirari non posse, cur ei Sacramenti essentiam auferre postulent, præsertim cùm per eam in Clerum introitus sit, & participatio exemptionum Ecclesiasticarum. Quod si illa à *Christo* instituta non esset, neque Clericatum, neque eius exemptionem posse affirmari iuris esse diuini. Illud esse manifestum, *Hierarchiam* in Ordinibus Ecclesiasticis consistere, neque aliam vim vocis, quàm *Ordinem sacrum superiorum & inferiorum*: illum verò nunquam rectè constare posse, nisi quis inter Ordines numeret (quòd à Canonistis cum ratione factum) infimum, id est *Tonsuram*; & summum, qui est *Episcopatus*. Eo pacto *Hierarchiam* omnem probè constitutam; cùm primo & vltimo dato, intermedij necessariò consequantur, qui sine his positis nullo modo consistere possint.

Scholastici negant Primā Tonsuram & Episcopatum esse Ordines.

Altera pars III. articuli excutitur, an in Ordinatione Episcoporum & cæterorum Ordinum populi assensus requiratur.

De altera articuli parte disseruit, ex sacrorum Canonum lectione manifestò constare in Episcoporum electione, & Presbyterorum ac Diaconorum deputatione, summos & infimos è populo fuisse præsentes, & suffragium tulisse, aut saltem prebuisse assensum; hoc tamen de Papæ concessione tacita vel expressa. neque enim cuiquam Laico in rebus Ecclesiasticis vllam authoritatem competere, nisi priuilegio Pontificio. Idque tum fuisse concessum, quia populus & Primores pietati addicti, rerum Spiritualium studio atque amore detinebantur, adeoque hoc ipso plus obsequij & reuerentiæ præstabant Clero, promptioresque ad ipsum oblationibus & donationibus cumulandum reddebantur: vnde S. Ecclesiam ad eum, in quo nunc est, statum peruenisse. At postquam deuotio refrixit, seculares Ecclesiæ inhiare, & omni ope niti, vt ij in sacris ordinibus constituantur, qui ipsorum voluntati morem gerere velint.

velint. Itaque meritò ademptum ipsis priuilegium quo fruebantur, & ipsos ab ordinationibus & electionibus prorsus exclusos. Namque Diabolicum esse recentium hæreticorum commentum, id tribuere debito, quod ex gratia fuerat concessum: hancque esse vnam ex omnibus, quotquot vnquam natæ sunt, hæresibus pestilentissimam; vtpote, quæ Ecclesiam destruit, sine qua fides ipsa consistere nequit. Multas deinde rationes à congruenti attulit, cur ordinatio in sola ordinatoris potestate esse debeat; quas ex Pontificum Decretalibus confirmauit, concludens se non modò censere eum articulum pro hæretico condemnandum, verùm etiam cùm iustis & necessarijs de causis, sublatum esset suffragium, & consensus plebis in Ordinationibus; corrigendum esse Pontificale, expungendosque eos locos, qui eiusce rei mentionem faciant, quibus non obliteratis hæretici semper in rem suam abusuri sint, vt probent necessarium esse populi interuentum. Atque vno è multis citato, in Presbyterorum Ordinatione Episcopus Ordinator ait. *Non frustra à Patribus institutum, vt de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & populus: quia necesse est, vt facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando.* Quod si hic & similes ritus maneant, hæreticos semper Ecclesiæ Catholicæ obtrectantes, dicturos, Ordinationes hodie nihil aliud quàm laruam & speciem (vt impiè *Lutherus*) retinere.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Corrigendum Pontificale, quòd rationē reddit, cur cōsulendus sit populus in electione Cleri.

F. Franciscus Foriero Dominicanus *Lusitanus* dixit, Non posse in dubium reuocari *Hierarchiam* Ecclesiæ Catholicæ, quæ & traditione Apostolica, & omnis Antiquitatis testimonio, & perpetua Ecclesiæ consuetudine confirmetur. Et licet vocabulum non sit ab omnibus vsurpatum, rem tamen significatam in vsu semper fuisse. *Dionysium Areopagitam* eius argumenti proprium tractatum confecisse; eam Concilium *Nicenum* approbasse, & consuetudinem antiquam nominasse. Iam quòd à Patribus sub principium quarti seculi antiquum dicitur, neminem posse negare, quin Apostolorum seculo eius ortus debeatur. Hoc tantùm sibi videri, non de ea tractandi locum vnà cum Sacramento Ordinis, tametsi à multis è Scholasticis id fiat, qui *Hierarchiam* in Ordinibus superioribus & inferioribus ponunt. Quam sententiam consistere non posse, cum certum sit Pontificem esse summum *Hierarcham*, sequi Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos; & post hos Archipresbyteros, Archidiaconos, aliosq; Prælatos subordinatos sub vno Capite Papa. Atq; ea disputatione omissa, an Episcopatus sit Ordo; certum esse Archiepiscopatum, Patriarchatum & Papatum non esse Ordines; & super Episcopatum nihil aliud, quàm Iurisdictionem & superioritatē denotare. Igitur in Iurisdictione consistere *Hierarchiam*, & in illà à Concilio *Niceno* positam, cum de Pontifice *Romano*, Alexandrino, & Antiocheno verba facit; adeoque cum de Ordine tractatur, non esse opportunum agere de *Hierarchia*, ne forte aduersarijs calumniandi ansa præbeatur.

Foriero Hierarchiam adstruit, sed cùm ea in Iurisdictione cōsistat, non in Ordine, incommodè de ea, vbi de Ordine agitur, tractari.

In his Articulis discutiendis magna fuit sententiarum discrepantia, redeuntibus istis de secunda Classe ad priores, & contendentibus nonnullis Episcopatum esse Ordinem; alijs nihil aliud Presbyteratui superaddere, quàm Iurisdictionem: quibusdam *Thomam* & *Bonauenturam* citantibus, alijs denique mediam opinionem sectantibus, nempe esse dignitatem quandam eminentem, aut officium in ordine. Quin etiam adductus celebris *D. Hieronymi* locus, & *S. Augustini* authoritas in huius rei confirmationem; qui Patres agnoscunt quidem Episcopatum esse antiquissimum, sed tamen Ecclesiasticam institutionem. His obijciebat *Michael* de *Medina* Ecclesiam Catholicam (vt *S. Epiphanius* testatur) *Aërium* vt hæreticum condemnasse, quòd dixisset Episcopatum non esse maiorem Presbyteratu; nec esse mirandum, si *Hieronymus*, *Augustinus*, & si quis alius è Patribus in eam hæresin incurrisset, re non satis vsquequaque clarà. Commouit haud parum auditores eius dicti audacia, quòd *Hieronymus* & *Augustinus* hæreticè sensissent. Verum Doctor ille opinionis suæ hoc ipso retinentior, pro virili eam sustentabat.

De Episcopatu opinionum varietates, dū quæritur sitne Ordo, an Iurisdictio, an dignitas & Officium.

Hieronymus & Augustinus ab Theologo damnantur, quasi hæreticè sentientes.

Iam de *Hierarchia* Doctores pari numero in duas sententias scinduntur, alijs constituentibus eam in solis Ordinibus, idque *Dionysio* auctore laudato, qui in Hierarchis nominandis non nisi Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum meminit. alijs *Forierum* sequentibus, quibus videbatur in Iurisdictione collocanda. Enata est tandem

Variæ de Hierarchia opiniones, aliis eam in Ordine, aliis in Iurisdictione, aliis in vtriusq; commixtione collocantibus.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

dem tertia opinio, in vtriusque commixtione consistere, quæ quidem post communiter approbata. Nam in ordine eam constituendo, non constabat ratio quomodo includerentur Archiepiscopi, Patriarchæ, &, quod caput est, Papa; cum omnes consentiant hosce gradus non esse Ordines Episcopatu superiores; tametsi nonnulli communem sententiam in contrarium afferebant, Ordinem Episcopalem esse quadripartitum, in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis & Papa. In Iurisdictione rursus eam collocando, omnes Ordines sacri excludebantur.

De forma Hierarchiæ dissertatio, sitne ea charitas, an fides, an vnitas.

Magna erat inter eos disceptatio quænam esset *Hierarchiæ* forma, alijs *charitatem* statuentibus, alijs *fidem informem*, alijs *vnitatem* ex sententia Cardinalis *Turrecrematæ*. Sed huic opponitur vnitatem esse passionem genericam in eo omni, quod est vnum; & esse effectum formæ eam producentis. Qui charitatem afferebant, innumerabiles locos citant è Patribus, qui vnitatem Ecclesiæ ei attribuunt. Verùm objiciunt alij hanc esse hæresin *Wiclefi*. quod si ita esset, Prælatus amissa charitate esset extra *Hierarchiam*, & amitteret authoritatem. Nec tamen ponendo fidem informem hanc euitabant difficultatẽ, cum Prælatus in animi abdito infidelis, fidem extrinsecus possit simulare; quòd si is ad *Hierarchiam* non pertineat, populum Christianum fore incertum, cui obediendum habeat, cum de omnibus dubitari possit, nec interdum sine caussa. Atque vt solent Theologi, maximè Fratres, in exemplis allegandis esse liberi; adducebant etiam in medium Pontificem *Romanum*, asserentes si ipsum incredulum esse contingeret, eius defectu totam *Hierarchiam* perituram. Ita si quis formam statuat fidem, non minus esse periculi; quàm si charitatem. Vnde hi Baptismum ponebant. sed ab eiusdem incertitudine eædem difficultates oriebantur; quandoquidem ad eius essentiam ex Concilij determinatione requiritur intentio Ministri, non minùs, aut etiam magis occulta, quàm illæ aliæ duæ; adeo vt vix possit de aliquo certò affirmari, quod sit Baptizatus.

Articulorum quorundam tractatio non argumentis confutando, sed conuitiis insectando Lutheranos.

Iam articulos illos an sit Sacerdotium visibile? an omnes Christiani sint Sacerdotes? an Sacerdos possit fieri Laicus? an eius officium sit prædicatio? non tam curæ fuit argumentando, quam contra *Lutheranos* declamitando excutere: vt, qui priuant Ecclesiam commercio cum Deo, modoque ipsum placandi; qui eam confusione Anarchica inuolutam exspoliant omni sua pulchritudine, & decore. Ex ista Classe F. *Adamantius Florentinus* Theologus Cardinalis *Madrucij*, submonet audisse se à plerisque eorum, qui ante disseruissent, rationes tantummodò probabiles, & à congruenti; quæ in eiusmodi negotio vbi de articulis fidei tractatur, non solum aduersarios non constringunt, verùm in sententia magis obfirmant: idque euicit testimonio *Augustini* admodum expresso. Aliam esse rationem in Concilijs dicendi, ab ea, quæ in Scholis vsurpatur. In his quanto magis singula minutatim secantur, quantoque accuratiùs examinantur, tanto meliùs tractari. At in Concilijs non esse è dignitate alia excutere, quàm quæ elucidari, & quasi in conspicuo collocari possunt. Tot iam quæstiones ventilatas, quarum cognitionem in hac vita, vbi Deus non vult omnia cognosci, assequi non datur. Satis esse super hoc articulo nosse, quòd Ecclesia *Hierarchiam* habeat, quòd *Hierarchia* hæc constet ex Prælatis & ministris, quòd hi ab Episcopis ordinentur, quòd Ordo sit Sacramentum, quòd eius nulla pars pertineat ad seculares. *F. Petrus Ramirius Franciscanus* secutus doctrinam *Ioannis Scoti* monuit non dicendum Ordinem esse Sacramentum, quia res est inuisibilis & permanens, cum Sacramenta omnia visibilia sint, & præter Eucharistiam in actione consistant. Quare vt omnes difficultates vitentur, dicendum non Ordinem, sed Ordinationem esse Sacramentum. Huic sententiæ vehementer reclamatum est, quòd omnes Theologi dicant Ordinem esse Sacramentum, & in quo non minus momenti est, Concilium etiam *Florentinum*; magnæque audaciæ futurum, improprietatis taxare omnes Doctores, generale Concilium, & vniuersam, quæ ita vulgò loquitur, Ecclesiã.

Etiam Ramirius, reclamãtibus licet Theologis, tenet, non Ordinem, sed Ordinationem esse Sacramentum.

V. articulus excutitur, de Sp. S. per sacram Ordinationem dato acceptoque.

Nec minus à tertia Classe de V. articulo variatum. Et licèt inter omnes conueniebat Spiritum S. & dari & accipi in ordinatione; alij tamen dicebant, in propria persona dari; alij in dono gratiæ; qua de re multa fuit disceptatio. Sed inter eos, qui gratiam asserebant, acrior erat contentio vtrum daretur gratia iustificationis, an verò donum officij exercendi. Illi sententiæ suæ fundamentum in eo ponebant, quòd omnia

omnia Sacramenta conferant gratiam iustificationis; Isti è contrario differebant, eam ab impœnitente recipi non posse, qui tamen accipit ordinem. Iam quoad Characterem, vt omnes concordes censuere eum in Sacerdotio imprimi; ita cæteroqui erant opiniones variæ, alijs in sacris tantum, alijs in omnibus septem id fieri asserentibus; quæ vtraque sententia S. *Bonauentura* visa est probabilis. Alijs placebat distinctio hæc *Durandi*; si per Characterem intelligatur potestas producendi aliquod effectum spirituale, ita solius esse Sacerdotij (solus enim Sacerdos potest effectus spirituales producere consecrandi & remittendi peccata) aliorum ordinum non item; quorum operationes corporales sunt, nec minus rectè fiunt à Laicis, quam ab ordinatis, etiam sine minimo peccato veniali. Quod si per characterem intelligatur deputatio ad officium speciale, ita cuilibet ordini characterem esse proprium. His opponebatur, in primo contineri opinionem Lutheranã, itaque necessarium esse affirmare in omnibus esse characterem proprium & indelebilem. Non deerant qui eum in prima etiam tonsurâ reperire vellent, hoc argumento nixi, quod non reiteretur, ne in ijs quidem qui de gradu deijciuntur; quod fieri oporteret in ijs, quæ characterem non relinquunt impressum. Tum, quòd per hanc in Clerum quis ascribatur, & particeps fiat exemptionum, & immunitatum Ecclesiasticarum. neque vllo modo sustineri posset Clericatum & immunitatem esse de iure diuino, nisi hoc quoque dicatur, primam tonsuram Institutionem esse diuinam. De Episcopatu maior erat controuersia. Vnde renouata illa quæstio, an sit vnus ex ordinibus; nam cum duas habeat proprias operationes, adeo insignes, confirmandi & ordinandi, necessaria videbatur potestas spiritualis, quæ est character, sine qua ordinatio aut confirmatio irrita esset. Prælati hæc audiebant nauseabundi tot vbique obiectis difficultatibus, ijsque libenter aures admouebant, qui ista relinquenda dicerent, verbisque vniuersalibus vtendum: non sine Fratrum obmurmuratione indignantium tantam in Patribus ad articulos definiendos & Anathemata pronuncianda promptitudinem; ipsis neque rerum, quæ tractantur, satis intelligentibus, & ab alijs edoceri fastidientibus.

Ferdinandus, Philippus 2.

Item de Charactere qui per eam imprimitur.

An character etiam imprimatur in prima tonsura.

De Episcopatu controuersia redintegratur.

In sexto Articulo omnes vna voce Lutheranos damnabant, quòd Sacris vnctionibus, & ceremonijs in ordinibus conferendis detraxissent. Volebant nonnulli, vt diuideretur hæc sententia, distinctisque necessarijs quæ ad substantiam Sacramenti pertinent, sicut à *Concilio Florentino* factum est; hæreticus decerneretur, qui sine istis ordinem asseueret aut dari, aut recipi posse. Et quod ad reliqua attinet, verbis generalibus damnaretur, quisquis eas perniciosas appellaret. Ea de re multa altercatio oriebatur, quænam essent necessariæ, quæque maioris ornatus aut deuotionis causa additæ. Visus est admodum ad rem appositè locutus *Melchior Cornelius Lusitanus* id dignum consideratione censens, quod est certissimum, Apostolos in ordinationibus vsos esse manuum impositione, adeo vt nulla vnquam in diuina Scriptura ordinatio sine hac ceremonia facta legatur: etiam succedentibus temporibus adeo essentialem habitam, vt eo nomine Ordinatio ipsa nuncuparetur. Quanquam, *Gregorius* IX. ritum dicit introductum ab Apostolicis, & multi Theologi eam non habent pro necessaria, quicquid alij aliter sentiant. De vnctione itidem constare ex Decretali *Innocentij* III. super hac re, in omnibus Ecclesijs non fuisse vsurpatam. etiam celebres Canonistas *Hostiensem, Ioan: Andream, Abbatem*, & alios affirmare, Papam verbo solo Presbyterum ordinare posse, dicendo, Esto Sacerdos; quodque pluris est, *Innocentium* omnium Canonistarum Parentem, vniuersè asserere, nisi formulæ illæ recens adinuentæ obstarent, abunde futurum, si ita diceret Ordinator, Esto Sacerdos, aut verbis tantundem valentibus vteretur; nam formulas, quæ obseruantur, ab Ecclesia post constitutas. Ob has rationes censebat *Cornelius*, tacendum de Ceremonijs necessarijs; eos tantum damnandos, qui pro superfluis eas habent, aut perniciosis.

VI. artic. excutitur, de necessitate vnctionis, & aliorum rituum in ordinibus cōferendis.

Manuum impositio ritus essentialis.

Vnctionem adeo non necessariam, vt Pōtifex Presbyterum ordinare possit verbo.

Tametsi Theologorum Congregationes tempus pene totũ absumerent, Præsules nihilominus ad reformationem magis animos intenderant de ea siue promouenda, siue declinanda inter se colloquuti, quàm ad ea quæ tractabantur à theologis.

Quod reformationem boni omnes expeterent, &

de ea passim sermones spargerentur, Legati eius necessitatem tandem cogitant.

Vnde frequentes ea de re & publici sermones *Tridenti* auditi ac peruulgati, quibus fomenta subministrabant Oratores *Cæsarei*, *Gallicique*, Legatos induxerant, vt necessarium putarent, ostendere se ab ea non alienos: præsertim quòd Oratoribus promisissent, se, postquam de ordine tractatum esset, de ea proximo loco propposituros. Ad hoc, intellexerant magno applausu acceptũ fuisse sermonem Oratoris *Lansaci*, quem in conuentu quodam coram multis Oratoribus & Prælatis habuit, cuius hæc clausula: Quòd si reformatio proposita & ab *Imperatore* postulata tantum timoris & molestiæ inijceret, saltē rationem ineundã esse, qua nullis nouis Constitutionibus editis, antiquorum Conciliorum Decreta in obseruationem reuocentur, sublatis ijs, quibus corruptelæ fouentur, impedimentis. Quamobrem Legati collectis ijs, quæ à *Cæsareis* proposita fuerant, omnibusque petitionibus ad eum vsque diem in Reformationis negotio exhibitis; & responsis à se datis; vnâ cum Breuiculo eorum, quæ in Conuentu *Galliæ* statuta, & Postulatis Prælatorum *Hispanorum*; hæc omnia miserant ad Pontificem: hoc adiecto, sua quidem opinione fieri non posse, vt homines pasci diutiùs se verbis patiantur. iam aliquo effectu demonstrandum, animum sibi esse de hoc negotio tractandi, statuendumque Principum Oratoribus aliqua ex parte satisfacere, in ijs præsertim, quæ pro vtilitate suæ cuiusque regionis postulant; habita tamen consideratione rerum ipsarum, ne Pontificia potestas, aut prærogatiua Ecclesiæ Romanæ quidquam inde detrimenti capiat.

Et scripta omnia ac postulata super reformatione sibi in Synodo exhibita ad Papam mittunt.

Pontifex visis Regis *Galliæ* mandatis, ægerrimè ferebat prorogandi Concilij mentionem; qui iam spem conceperat, sequenti Sessione ad XII. Nouembris, quicquid tractandum restabat, posse definiri. quod si etiam tum quicquam reliqui foret, ad summum Concilij finiendi, suspendendi, aut dissoluendi in fine eius anni non defuturam oportunitatem. Igitur Oratori apud se residenti, qui instabat, vt dogmatum tractatio vsque ad Prælatorum suorum aduentum differretur, & interea de reformatione ageretur, respondit: quod ad Prælatorum expectationem attineret, intelligere se, Cardinalem *Lotharingium* *Auarici Biturigum* expugnationem præstolari, tum Regem *Aureliam* comitaturum; quæ res satis indicarent, tardum fore eius è *Galliâ* discessum; fortasse etiam omnino non venturum. haud æquum esse, tam longinqui consilij spe, tot Prælatos diutiùs *Tridenti* distinere. Hasce rerum protrahendarum petitiones, verba tantùm esse, quibus & ipse & Prælati ad impensam continuandam adiguntur, non quod *Gallis* voluntas sit ad Concilium veniendi. Quod si his dilationibus deinceps etiam nummos effundere cogatur, denunciabat non posse se porro Regi, sic vt hactenus, subsidium ferre. Repetitâ etiam longiùs præteriti temporis memoriâ, narrat, se totos octodecim menses expectantem aduentum Gallorum *Tridentum*, varijs & friuolis excusationibus lactatum. Deflet quoque hac parte conditionem suam. Nam si Concilium respiciat ipsum, & quæ ab eo requiruntur, (quod tamen perquam rarum est) tum conqueri quotquot adsunt Oratores, Concilium non esse liberum: ipsos tamen ab eo nunc flagitare, vt rebus in Concilio tractandis moram ac dilationem velit imperare; qua re sciat nihil esse iniustius, aut Patribus ipsis grauius & odiosius. Ad summum, quando certum quid habeat, aut etiam verisimile de ipsorum aduentu, daturum operam vt exspectentur. Imperatum enim à se, vt per cursorem peculiarem certior fiat, quam primum dat se in iter Cardinalis; tum curaturum, vt exspectetur; Interea sibi non videri æquum factũ, vt Patres segne otium ducant. Et quod reformationem attinet, magis esse necessarium exspectari Cardinalem eam ob causam, quam ad dogmatum tractationem. Hæc eum non attingere, qui sit bonus Catholicus, neque ab alijs rectè sentientibus dissentire possit; sed cum de reformatione tractatur, par esse eum audire, cuius res agitur. Esse illum alterum Papam, multis onustum beneficijs, & trecenta millia coronatorum annua de bonis Ecclesiæ obtinere, cum ipse Pontifex vnum tantum beneficium haberet, quo contentus erat. Tamen & seipsum, & Curiæ suæ membra omnia redegisse in ordinem, non sine damno, & iacturâ multorum officialium; plus etiam in re emendationis facturum, nisi manifestè cerneret, se, dum prouentus suos minuit, aduersariorum negotium

Pontificis ad Oratorem Gallum dogmatum tractationem protrahi, & de emendatione interim agi postulantem, responsio.

Papa Card. Lotharingiũ falsè perstringit.

tium agere; nec non virium suarum, statusque sui neruos incidentem, cum vnà cum Catholicis omnibus, qui in suà protectione sunt, iniurijs inimicorum exponere. *Ferdinandus Philippo 2.*

Nam in alijs regionibus, quæ sibi in temporalibus subiectæ non sunt, corruptelam disciplinæ ab ipsis nasci, & à Regibus ac Principibus, dum importunis solicitationibus sibi vim facientes, prouisiones & dispensationes extraordinarias à se extorquent. Miseram esse certe conditionem suam. Si quid neget ab ipso indebitò postulantibus, continuò quemque dolorem præ se ferre, & offensam, & iniuriam acceptam; sin concedat, sibi vni malum illud omne adscribi, cui ipsi dant caussam: & reformationem posci, nempe, vt ab Oratoribus Regum *Tridenti* factum, verbis generalibus, absque eo vt intelligi possit, quid sibi velint. Veniant (inquiebat) tandem aliquando ad indiuiduum, & dicant quid velint in Regno quisque suo reformari; sentient quatriduo sibi satisfactum. Multa à Prælatis in conuentu *Posiaceno* correcta; se, si rogetur, eos ordines confirmaturum; at in vniuersalibus consistere velle, & quicquid fiat reprehendere, cum nihil ipsi proponant; non esse sinceri & benè affecti animi indicium.

Corruptelarũ caussam Regibus ac Principibus ascribit atque à se amolitur.

Restabat quarta Classis Theologorum, quibus Episcoporum superioritas respectu Presbyterorum tractanda fuit. Primi doctrinam Sancti *Thomæ* & *Bonauenturæ* secuti sunt, dicentium duas esse in Presbytero potestates, vnam consecrandi corpus & sanguinem Christi, alteram remittendi peccata. In prima esse Sacerdotem Episcopo parem, neque maiorem esse Episcopi authoritatem, quam simplicis Presbyteri. At ad secundam, cum non solum potestas Ordinis requiratur, sed etiam iurisdictionis, hoc respectu superiorem esse Episcopum. Alij deinde addunt, excellentius esse consecrandi authoritatem dare, quam consecrare; ita hoc quoque nomine superiorem esse Episcopum, quòd non solum ipse hoc facere potest, sed & Presbyteros ordinare, & ijs authoritatem conferre. Sed cum esset hac de re satis disputatum, eaq; occasione reuoluerentur ad articulos de *Hierarchia*, vt quæ idem prorsus esset cum ista superioritate, atque itidem disputaretur, vtrum consistat in ordine, an in iurisdictione, an vtroque; *F. Antonius de Monte Ilcino* Franciscanus dixit, Non esse intelligendum Articulum de superioritate imaginarià, quæ in præeminentia quadam aut actionis perfectione consisteret, sed de superioritate regiminis, de potestate leges & præcepta condendi, causasque iudicandi, vt in foro exteriore, ita etiam in foro conscientiæ. Hanc superioritatem à *Lutheranis* negari; deque hac agendum. In Ecclesia vniuersali aiebat eiusmodi aliquam authoritatem necessariò requiri ad eam regendam; alioqui fieri non posse, vt in vnitate conseruetur. Quod comprobatum exemplis petitis ab apibus, gruibúsque. Itidem in vnaquaque Ecclesia particulari necessariam esse ad eius regimen authoritatem specialem; hanc esse in Episcopis, qui in partem sollicitudinis vocantur, cuius totalitas est in Ecclesiæ Capite. Hanc, cum sit potestas iudicandi, lites intendendi, & leges faciendi, esse potestatem iurisdictionis. Nam quod ad ordinem; Episcopum esse quidem sublimiori gradu quàm Presbyterum, quippe omni eius potestate instructum, & duabus insuper alijs; verùm non ideo dici superiorem, quemadmodum *Subdiaconus* quatuor gradibus sublimior est *Ostiario*, neque tamen superior. Hanc sententiam suam confirmauit ab vsu communi totius Ecclesiæ, & omnium gentium Christianarum, varijs ad eam corroborandam adductis Patrum authoritatibus: tandemque ad Scripturam Diuinam se recipiens, citatis multis locis Prophetarum demonstrat hoc genus authoritatis dici Pastorale. Ac illam vniuersalem datam *Petro*, dicente *Christo*, *Pasce agnos meos*; particularem verò datam Episcopis à *Petro*, cum dixit ijs, *Pascite qui in vobis est gregem*. Hæc sententia magno omnium applausu excepta.

IV. Classis differit de auctoritate Episcoporum præ Presbyteris.

Non superioritate ministerij, sed Iurisdictionis, Episcopos Presbyteris antestare.

In quo posita ea Iurisdictio.

Sed antequam dicendi finem facerent, qui quartæ Classis erant; Præsules *Hispani*, quibus fixum id tractari, quòd Episcopi sint à Christo instituti, communicato inter se consilio, statuunt optimum factu, in Theologorum Congregationibus primam eius rei mentionem inijcere, vt materià iam præparatà, ipsi in Congregationibus Patrum honestiori specie repetitis ijs, quæ dicta fuerant, & super ea re disserere,

Episcoporum institutionem esse à Christo Præsules Hispani per Theologos suos tentant.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Michaëlis Oroncuspi disceptatio, Episcopos Presbyteris superiores.

& alios ad dicendum adigere possint. Quocirca in ea Congregatione quæ habita est primo Octobris, *Michael Oroncuspus* Theologus Episcopi *Pompeiopolitani* ad VII. articulum sic disseruit. Quoties de propositione aliqua aut limitanda, aut condemnanda disputatur, quæ multos sensus recipit, necessarium esse eos distinguere, & separatim deinde considerare. Et tale sibi videri, quod illo articulo proponitur, An Episcopi sint Presbyteris superiores. Nam distinguendum; sintne superiores de facto, an de Iure. De facto non posse dubitari, cùm & in præsenti videamus, & in historijs multorum seculorum legamus, Episcopos superioritatem exercuisse, Presbyteros dicto fuisse audientes. Hoc igitur sensu non posse hunc articulum venire in controuersiam. Reliquum esse, vt quæratur de iure. Sed hic etiam aliam ambiguitatem incidere, quo iure? cum intelligi possit vel Iure Pontificio, vel Iure Diuino. Quòd si primo modò accipiatur, citra controuersiam esse superiores: quia tot Decretalibus id reperitur disertè expressum. Atqui tametsi hoc verum sit, & certum, tamen hac de caussa *Lutheranos* vt hæreticos non damnandos, cùm non possit pro articulo fidei haberi, quod non alio firmamento, quàm Lege humana nititur. At meritò condemnandos, qui negent Episcoporum superioritatem in Presbyteros, si modò ea sit de Iure diuino. Se quidem id pro comperto habere, & posse euidenter probare, immò quicquid in contrarium affertur, diluere: sed non esse vltrà progrediendum, cùm prohibitum sit ea de re verba facere. Inde aggressus ostendere administrationem Confirmationis & Ordinationis propriam esse Episcoporum, superque octauo capite ijs, quæ à cæteris dicta essent, congruentia locutus, finem dicendi fecit.

Et Ioannis Fonsecæ.

Proximè hunc locutus *Ioannes Fonseca* Theologus Archiepiscopi *Granatensis*, qui in hanc materiam strenuè ingressus, dixit, de eâ disserere nec esse prohibitum, nec prohiberi posse. Nam cùm articulus sit propositus ad discutiendum vtrùm esset hæreticus necne, necessariam esse disquisitionem, an sit contra fidem; nec contra eam intelligi posse, quando non repugnet iuri diuino. Nescire se vnde emanauerit is sermo, nefas esse ea de re disserere, quando vel hoc ipso quòd Articulus proponitur, discuti iubetur. Longiùs inde prouectus, non solùm de superioritate, sed etiam de institutione disseruit, asserens Episcopos à *Christo* institutos, & ordinatione sua diuina Presbyteris superiores. Quod si Pontifex à *Christo* sit institutus, quia *Petro* dixit *Tibi dabo claues regni*; & *Pasce oues meas*, itidem & Episcopos ab ipso institutos, quòd omnibus Apostolis dixerit, *Quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata & in cælo, &, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et postea, *Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium*; quodq; est omnium maximum, *sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Tum si Pontifex *D. Petri* successor, & Episcopos esse successores Apostolorum; citatis magno numero testimonijs Patrum dicentium, Episcopos Apostolorum esse successores. Recitauitq; singillatim longum *S. Bernardi* sermonem in hac materia libro II. ad *Eugenium Papam*. Locum etiam illum ex Actis Apostolorum citauit, vbi *S. Paulus* dixit Ephesijs; *ipsos à Spiritu Sancto positos esse Episcopos regere Ecclesiam* Dei. Neque verò rectè consequi, à *Christo* institutos non esse, nec ab ipso authoritatem habere, propterea quod confirmantur aut creantur à Papa. Siquidem & Papam à Cardinalibus creari, & tamen authoritatem habere à *Christo*. Et Presbyteros creari ab Episcopo ordinatore, verùm authoritatem recipere à Deo. Similiter Episcopos à Papa accipere Dioecesin, authoritatem verò à *Christo*. Iam quod superiores sint Presbyteris iure diuino, id probauit authoritatibus multorum Patrum, qui dicunt Episcopos Apostolis succedere, Presbyteros LXXII. discipulis. De cæteris Articuli particulis eadem ferè tenuit quæ cæteri. Impatienter hæc audiebat Cardinalis *Simoneta*, identidem coniectis in Collegas oculis; vixque sibi temperabat, ne dicentis orationem interpellaret, sed cum adeo probabilem haberet ad dicendum occasionem, tantâque cum attentione Prælatorum qui aderant audiretur, non sustinuit id facere.

Qui disceptationem à superioritate Episcoporum ad institutionem eorum deducit.

Quod Card. Simonetam male habet.

* Anton. de Grosseto strenuè contendit functionem Episcopalem à Christo esse & Spiritu S. non ab hominibus, ne à Papa.

*Hunc secutus *F. Antonius de Grosseto Dominicanus*; qui cum cæteros Articulos leuiter attigisset, hic immoratus, vrgebat illa Sancti *Pauli* verba, quibus vsus est ad Ephesios Mileti, hortatus *vt attenderent gregi, cuius regimini à Sancto Spiritu præpositi essent.* Atque multa hic obseruabat. Imprimis aiebat necessariò

cessariò declarandum esse, Episcopos officij sui functionem ab hominibus non habere. Nam si ita esset, mercenarios fore, quorum oues non sunt propriæ; tum, vbi ei, à quo hæc cura demandata, satisfactum fuerit, nihil ipsis vltra cogitandum. Atqui *D. Paulum* demonstrare obligationem regendi populum Christianum esse diuinam, & à Spiritu Sancto impositam; vt constare possit eos inde vi nullius humanæ dispensationis excusari posse. Celebrem illum *Cypriani* locum attulit, *quemlibet Episcopum ad rationem soli Christo reddendam teneri.* Adiunxit deinde, Episcopos *Ephesinos* non fuisse è numero eorum, qui instituti erant à *Christo* Domino nostro, dum esset in carne, sed aut ab ipso *Sancto Paulo*, aut alio aliquo Apostolo siue discipulo. Et tamen nullam fieri mentionem Ordinatoris, sed totum Spiritui Sancto attribui, qui non solùm auctoritatem dederit regendi, verum etiam partem gregis diuiserit, ipsisque pascendam attribuerit. Tum inuectus est in eos, qui superioribus diebus dixerant, *Papam gregem distribuere*; inculcando, id minus rectè dictum; atque hoc modo redire illud, quod *S. Paulus* tanto opere abominatus: *Ego sum Pauli & ego Appollo.* Esse Papam Caput Ecclesiæ ministeriale, quo mediante *Christus* principale caput operatur, & cui opus ascribendum; dicendumque cum *S. Paulo*, Spiritum Sanctum *gregi pascendo præponere.* Nunquam opus ascribi instrumento, aut ministro, sed semper agenti principali. Ab antiquis hanc formulam semper adhibitam, Deum & Christum Ecclesiæ de Præpositis prouidere; quæ à *Sancto Paulo* accepta est, qui ad hos eosdem *Ephesios* scripsit, *Christum postquam ascendisset in cœlum, dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores*; demonstrans euidenter *Christum* post ascensum in cœlum Pastores dare; nec aliter *Christo* soli ascribendam institutionem Pastorum & Doctorum (qui sunt Episcopi) quam ipsorum Apostolorum, & Euangelistarum. Animaduertit hic Theologus, se à Legatis, & alijs etiam, non libenter audiri, metuensque, ne quid grauius accideret, sicuti aliàs euenisset, subiunxit; Se haud præmeditato in eum sermonem delapsum, abreptum verborum consequentia, & ipso feruore disserendi; neque memorem, de illo capite vetitum dicere. Igitur repetito examine officiorum Episcopis propriorum; quæ *Lutherani* oppugnant, & pro superfluis habent; ostensoque ab antiquissimis temporibus in Ecclesia vsurpata, & à traditione profecta, perorauit. Perspexerant quidem hic Legati artificium *Granatensis*, & aliorum Antistitum *Hispanorum*, in campo Prælatis ministrando, in quo super hac materia possent exspatiari. Itaque adhibita opera vt contrariam sententiam defenderent aliqui ex quatuor, quibus solis ex omni numero dicendi partes reliquæ erant in diem sequentem. Nec minus Præsules Pontificij, quibus id solens, comparauerant se ad contradicendum Episcopis *Hispanis*, si in Congregationibus hanc materiam attrectassent.

Ferdinandus Philippus 2.

Item gregis distributione.

Excusat tandem obseruatâ Legatorum abalienatione disserendi feruorem.

Proximo die qui erat I I. Octobris, duo Theologi contendebant Episcoporum authoritatem certam quidem; sed si quæratur quo iure, id verò & difficile ad decidendum; & si quando determinabitur, nullo vsui futurum, adeoque relinquendum. Alij duo tenebant iuris esse Pontificij. *F. Simon Florentinus* Theologus *Seripandi* disseruit secundum opinionem *Caietani*, & *Catharini*, ad hanc formulam. Episcopatum esse de iure diuino institutum à *Christo*, ad regimen Ecclesiæ. Ab ipso omnes Apostolos institutos Episcopos, cum dixit illis, *sicut misit me Pater & ego vos*: Sed illam institutionem fuisse personalem, & cum eorum quolibet interituram. Vnum ex ijs constitutum, qui in perpetuum duraturus esset in Ecclesia, qui fuit Petrus; cùm non ipsi tantum, sed toti eius successioni dixit, *Pasce oues meas.* Ita intellexisse S. *Augustinum* cum dixit, *Petrum representasse totam Ecclesiam*, quod de nullo alio ex Apostolis vnquam dictum est. Quin etiam S. *Cyprianum* dixisse, S *Petrum* non solum esse typum & figuram vnitatis, sed vnitatem ab ipso originem ducere. In hac potestate solo *Petro* & successoribus data, contineri curam totius Ecclesiæ regendæ, & alios rectores Pastores ordinandi; neque tamen veluti delegatos, sed vt ordinarios, diuisis particularibus Pouincijs, Ciuitatibus, Ecclesijs. Proinde cum quæritur an aliquis sit Episcopus iure diuino? respondendum quod sic; nempe vnicus successor ille *Petri*. de cætero, Episcopatum quidem esse de iure diuino, ita vt ne in ipsius Papæ

In contrarium disserit Florentinus, institutionem aliorum Apostolorum in Episcopos fuisse personalem, & cum iis interiisse: Petri vero duraturam in perpetuum. In solo Petro & successoribus esse curā regendæ totius Ecclesiæ. Pontif. Romanum successorem Petri institui Episcopum iure diuino: singulos quosque Episcopos iure Pontificio.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

poteſtate ſit efficere, vt non ſint Epiſcopi in Eccleſia: at ſingulos quoſque Epiſcopos, eſſe de iure Pontificio. vnde fit, vt ipſe eos poſſit creare, transferre, ipſorumque Dioeceſes reſtringere, aut extendere, maiorem aut minorem ipſis authoritatem conferre, ſuſpendere etiam aut depriuare: quam poteſtatem in eo, quod eſt de iure diuino, non habet. Siquidem non poteſt à Sacerdote auferre authoritatem conſecrandi, propterea quòd eam habet à Christo; at ab Epiſcopo omnem iuriſdictionem poteſt auferre, haud aliam ob cauſſam, quam quia eam ab ipſo habet. Hoc modo intelligendum eſſe illud celebre dictum *Cypriani*, *Epiſcopatus vnus eſt*, *cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*. Si quis aliter dixerit, non poſſe defendi Eccleſiæ regimen eſſe perfectiſſimum, id eſt Monarchicum; & neceſſario dari regimen oligarchicum imperfectiſſimum, & ab ijs omnibus, qui de Politicis ſcribunt, damnatum. Concludit, quo iure Epiſcopi ſunt inſtituti, eodem eſſe Presbyteris ſuperiores, atque ita declarandum, quoties ad eius rei declarationem deſcendendum ſit. Citat S. *Thomam*, qui multis locis aſſerit, omnem poteſtatem ſpiritualem pendere ab ea, quæ in Papa eſt; & vnumquemque Epiſcopum dicere debere, ſe de plenitudine illa accepiſſe. Neq; reſpiciendos alios Scholaſticos veteres, quorũ nemo hanc materiã tractauit, ſed recentiores, qui poſt natam *Waldenſium* hæreſin, Sacram Scripturam & Patres ſedulò voluentes, veritatem hanc ſtabiliuerunt. Poſtremus è Theologis in eo deſudauit, vt huic contradiceret, quà aſſerebat, Apoſtolos à Chriſto ordinatos Epiſcopos, affirmans, *Chriſtum*, cùm Apoſtolos ita mitteret, ſicut ipſe miſſus eſt à Patre, ipſos ad prædicandum & Baptizandum miſiſſe, quod non eſt Epiſcopi, ſed Presbyteri. Solum enim *Petrum* à *Chriſto* ordinatum Epiſcopum. Illum verò poſt aſcenſionem alios Apoſtolos ordinaſſe Epiſcopos: & laudauit teſtes Cardinalem *Turrecrematam*, cum multis alijs. De reliquis eius articuli partibus & de ſequenti aſſenſere omnes, vt damnarentur; Ita Theologorum Congregationes finem habuerunt.

Vnumquemq; Epiſcopũ poſſe dicere, ſe accepiſſe de plenitudine Pontificia.

Alius aſſerit ſolum Petrũ à Chriſto ordinatum Epiſcopum, reliquos à Petro poſt Chriſti aſcenſionem.

Poſthæc Legati ſentientes ſe obligatos vt diſputationibus finitis, de Reformatione referrent ad Patres, & reputantes ſecum quænam eſſent potiſſimùm proponenda, illis nec incommoda, nec ingrata, non temerè ſeſe expediebant; quando quicquid gratum foret Oratoribus, id videbant aut Curiæ damnoſum, aut moleſtum Epiſcopis futurum; nec manum aliquò admouere poterant, vt gratificarentur Epiſcopis, quin aut *Romæ*, aut Principibus incommodarent. Decreuère tandem curſorem quamprimum ad Papam mittere, & reſponſum exſpectare, atque interea rem producere, Prælatorum ſententijs in materia Ordinis exquirendis. Atque ante omnia Sanctiſſimo Patri ſignificant aleam certaminis quod præuidebant de ſuperioritate Epiſcoporum; ex petitione Præſulum Hiſpanorum, & aditu in rem facto ab ipſorum Theologis coniecturâ capta. Et licèt proſpicere non poſſent, quò vellent denique pertingere, non potuiſſe tamen non commoueri animo, reputantes, & petitionis vehementiam, & Hiſpanorum è longinquo ad ſcopum ſibi propoſitum collineationem. Reuocabant ei in memoriam, adueniſſe tempus, quo promiſſum fuerat de reſidentiâ verba habere: iam ea de re ſe motum aliquem ſenſiſſe; quæſiſſe Archiepiſcopum *Meſſanenſem* à *Cyprio* & *Zarenſi*, quid animi habituri eſſent, ſi proponeretur; multas ſubolere machinationes, vtcunque omnia penitus perſpecta non ſint. Se *Hydruntino* & *Vintimiglienſi* dediſſe in mandatis, vt dexterè explorarent, quâ futuri eſſent Præſules ſententia, ſi in deliberationem illud veniret, vt res integra ad Sanctitatem ſuam remitteretur; cum accuratè inueſtigaſſent, inueniſſe ad LX. rigidè refragaturos; exiguâ ſpe, vllo officiorum interuentu, poſſe eorum aliquem de ſententia dimoueri. Et tametſi ſuo rogatu Secretarius *Marchionis* ſeriò cum Hiſpanis egerit, nihil aliud retuliſſe, quam ſe acriter non repugnaturos, placidè tantùm quietéque ſententiam dicturos. Hoc non neſcire ſe, maiorem partem à *Roma* pendentem eſſe in contrariâ opinione: ſed ſibi deonerandam certè conſcientiam ſuam, qui ſatis ſciant hoc Sanctitatis ſuæ ſententiæ non aduerſari, de cuius optimâ & Sanctiſſimâ mente perſuaſiſſimum ſibi eſſet, ſed Epiſcoporũ quorundã, qui apud eum commorantur. Adiunxerunt etiam, ipſos Hiſpanos cum præſenſiſſent id agi, vt Sanctitati ſuæ Reſidentia remitteretur, dixiſſe, idem factum de vſu Calicis. Cæterùm vanum

Legati referunt ad Pontificẽ de difficultatibus expediẽdis, quæ proximis congregationibus obiectæ.

De ſuperiorioritate & inſtitutione Epiſcoporum.

De reſidentia, & Præſulum obſtinatione, in ea ad Pontificem non remittenda.

vanum esse conuocare Concilium ad id tractandum, quod non magni interest; cui verò maximè prouisione sit opus, id alterius iudicio remittere: Significabant etiam promissionem Oratoribus factam, de Reformatione proponenda, neque fieri posse vt res longiùs protrahatur; cumque de aduentu *Lotharingij* & *Gallorum* allatum sit, & illud iuxta intelligatur, plenos spei studijque rebus nouandis venturos; pro certo habendum adiuncturos se ijs, quos *Tridenti* turbulentos inuenerint. In tanta igitur consiliorum ambiguitate cum nescirent quod sibi potissimum sit capiendum, statuisse se Sanctitatis suæ mandata exspectare.

Ferdinandus. Philippus 2.

De reformatione proponenda, & Gallis aduenientibus nouitatum cupidissimis.

Pontifex eodem tempore *Lotharingij* cogitata aliunde perceperat, & inter cetera illud, quòd *Electionem Rom. Pontificis* reformatam vellet, vt eius aliqua pars Vltramontanos etiam contingeret. Ea res comperta certis authoribus altius ei in animum descendit. itaque certus plagam haud expectare, sed anteuertere; cunctis Principibus *Italiæ* hoc indicandum curauit; ostendens quanta dignitatis diminutio ad vniuersam Nationem inde peruentura esset. Suam caussam non agere; neque enim suâ valde referre; sed caussam publicam, amore accensum communis patriæ. Ac cognito *Regi Hispaniæ* nunquam fore gratum *Papam Hispanum*, propterea quod Clero illius Nationis penitus infixa sit cogitatio liberandi sui ab exactionibus Regijs: & *Gallum* multo minus pro assiduis inter eas gentes inimicitijs; at in *Italia* maximas & firmissimas intimorum suorum partes esse: scripsit ad Nuncium suum, vt ei *Gallorum* destinata communicaret, eò spectantia, vt Papam eiusmodi consequerentur, cuius ope *Neapolim* & *Mediolanum*, quæ tanquam sui iuris vendicant, occupare possint. Atque vt pro sua virili non deesset, vtque aliqua ex parte subruerentur illa fundamenta, quibus inædificare posset Cardinalis, nempe abusus temporibus proximis inualescentes, super hac materiâ: *Bullam* edidit, quæ tametsi nihil aliud contineret, quàm Prouisiones antea à diuersis Pontificibus factas, quæ sine fructu inueterauerant, attamen dici volebat in ea parte non opus esse alia Reformatione. Nam *Bullam* illam omnibus incommodis præteritis remedium adhibere, saltem ita vim morbi elidere, vt pretendi non posset, eos abusus adhuc esse in vigore. Quod si quis etiam veluti prognosticâ facultate, præsagire velit, hanc *Bullam*, nihilo magis quàm præcedentes, non iri obseruatum; huic id responderi posse quod dicitur, *Malam mentem, malum animum*: & esse charitatis Christianæ officium, bene de quouis sperare. Data fuit hæc *Bulla* IX. die Octobris M.D.LXII. Posthæc ad ipsum perfertur, in *Hispania* multos conuentus habitos super Reformatione vniuersali, vt Oratori, qui *Tridentum* mittendus erat, mandata darentur, quò Prælati Hispani coniuncti inter se, ad eundem scopum omnes suas operas conferrent. Non fuit Pontifici gratus hic nuncius; minus etiam placuit Legatis, Regem alium Oratorem mittere. Nam *Marchio Piscariensis* prorsus ad voluntatem Papæ actiones suas accommodauerat, *Tridenti* ministris vsus *Mediolanensibus*; optimè animatis erga personam Sanctitatis suæ, suosque consanguineos, & erga Card. *Simonetam*, ipsorum operam in rem Pontificis quoties occasio ferebat, vtique adhibentem. At *Comes Lunensis*, qui ad id munus iam designabatur, cum Imperatore, & Rege Romanorum versatus, ipsisque gratus inprimis & acceptus, illorum Principum sententias quasi impressas animo tenebat; tantoque magis, quod esset fama (& erat sanè ita constitutum, vtcumque non sit effectum) venturum Oratorem, nomine quidem Imperatoris, ad euitandam controuersiam cum *Gallis* super præcedentia, at reipsa Regium. Pontifici quoque suspecta erat illorum Principum coniunctio, multis de causis, præcipue verò propter *Bohemiæ* Regem, qui multis in rebus sese ab ipso alienum ostenderat. Neque verò minus suspectam habebat *Comitis Lunensis* designationem, qui Concilio interesse non poterat, nisi post finitum Francofurtensem Ordinum Conuentum; qui, quoniam vt minimum vsque ad finem illius anni duraturus esset, coniecturam dabat, Regi animum esse Concilium in longum extrahendi. Acceptis verò vltimis Legatorum literis perculsus est vehementius, cum Prælatos cerneret, etiam suarum partium, quasi coniuratos ad id protrahendum intempestiuis officijs, cuius finem festinari ipsorum maximè intererat. His literis in Congregatione Cardinalium propositis, hortatus est eos animum potius adijcere vellent, ad præuortendum infinitis quæ imminebant

Papa Legatorum literis, alijsq; aliúde nuncijs percellitur, maximè circa electionem Pontificis Rom.

Scribit ad Nuncium vt destinata Gallorum Hispaniarum Regi impartiat.

Et præuortendæ reformationis petitioni Bullam emittit.

Comes Lunensis in Marchionis Piscariensis locum succedens, Pontifici & Legatis non adeo acceptus.

Postremas Legatorum literas ad Cõcilium protrahendum tendentes Congregationi Cardinalium tradit expendendas.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

bant difficultatibus, quam ad se præsenti molestia leuandum. nam quanto longiùs procederet Concilium, tanto esse ad moderandum difficilius; neque Româ propter longinquitatem vlla mandata expediri posse, quæ cum *Tridentum* peruenerint, non sint intempestiua: quod si processerit, magnò alicui malo causam daturum. Queritur Vltramontanos conspirasse ad eius prorogationem sui quemque commodi causa. *Cæsarem* cupere *Germanis* gratificari, de filio in Regem Romanorum eligendo solicitum; *Galliam* opportunè Concilio vti velle, si forte interueniat cum Hugonotis pacificatio. Hispaniam id rebus suis conducere putare, non omnem *Belgis* spem protinus eripere. Recenset denique omnes difficultates, ab Prælatis res suas in Concilio agentibus profectas; consilia Hispanorum hactenus detecta; & Gallorum qui exspectabantur, quantum quidem intelligi poterat, destinata.

Regis Gallorum ad Pontificem per Abbatem Mantensem legatio.

Per hos eosdem dies misit *Romam* Rex *Galliæ* *Abbatem Mantensem* ob eam propriè causam, vt Pontifici significaret, sibi statutum, decreta Concilij accepta habere, deque aduentu Cardinalis *Lotharingij* ad Concilium, vnâ cum magno Comitatu Episcoporum, ad proponendum rationes Religionis in suo Regno redintegrandæ. Siquidem & Regem & Consiliarios Regios ita iudicasse, neminem ad id munus habiliorem vel propter doctrinam, vel etiam rerum experientiam. At Papa multis verbis ostendit sibi gratum esse id consilium, tam mittendi Cardinalem, quàm Concilij Decreta integrè & examussim exequendi. Legatorum & Patrum nomine spondet, illos, Præsules Gallicos honorificè ac benigne excepturos; à quibus auxilium expectant in rebus religionis, cui consulere adeo ipsorum intersit, Cardinalis maximè, qui à Summo Pontificè Ecclesiasticorum omnium, nec longo interuallo secundus. fatetur Episcopos prudenter de Reformatione tractasse in Colloquio Possiaceno; offertque se effecturum, vt à Concilio maximam partem approbentur. Cogi certe se finem eius quantum maximè potest accelerare, propter impensæ, quam faciebat magnitudinem: quæ si duratura esset, tum non posse se, vti hactenus fecerit, Regi ad bellum subsidia ferre. sperare itaque, Regem ad finem ei imponendum adiutorem fore. Sermonis extremum id erat, sibi in Concilio non aliam authoritatem esse, nisi eius Decreta aut approbandi, aut reprobandi, absque quo forent inualida; decretum sibi finito Concilio *Bononiam* proficisci, eóq; omnes Patres congregare, vt eos notos habeat; gratias ipsis agat; & eorum acta approbet. Reddidit etiam Pontifici internuncius is qui è Gallia, literas Cardinalis *Lotharingij* eodem tenore scriptas, cum adiecta clausula, qua ipsi omnem operam & officium ad conseruandam authoritatem Sanctæ Sedis offerebat. Hîc percunctatur Pontifex, quid potissimum Cardinalis proponere constituisset? atque illo vniuersè tantum respondente, remedia scil. Regno *Galliæ* necessaria; vt Cardinalem admonitiuncula circumspectiorem redderet, monet maturè consultandum quicquid eius esset, cùm in Concilio omnia iuxta potiorem suffragiorum numerum decidantur.

Papæ responsum.

Cardinalis Lotharingij ad Pontificé per eundem literæ.

Cardinalium Romæ congregatorum sententia, quid Pontifici ad literas legatorum, & singula earũ capita sit respondendum, tam de Residentia; quàm de Institutione Episcoporum; ac de Reformationis.

In Congregatione Cardinalium placuit rescribere Legatis, darent omnem operam vt de Articulo Residentiæ decideretur, ante Gallorum aduentum: atque si fieri posset, res ad Pontificem remitteretur sine vllo Decreto; id si non posset, at cum Decreto. Si ne hoc quidem posset obtineri, declaratio fieret adiectis præmijs & pœnis; sed ita, vt omnino illud non attingatur, sed integrum seruetur, sitne *de iure diuino*, an secus. Arduum videri Articulum de Institutione Episcoporum, & magni momenti. itaque hoc etiam curarent, vt ille similiter remitteretur. quod si non posset, saltem inuiolabiliter obseruarent, vt decerni non paterentur eorum institutionem *esse de iure diuino*. Quod ad Reformationem attinet, Sanctitati suæ id certissimum, nolle quemquam se immiscere ijs, quæ ad Pontificatum & Curiam pertinent. Tot à se reformationes institutas (quod erat omnibus per orbem notum) vt, si quid esset mali moris, id ad regulam iam reuocatum sit; quod si quid etiam restaret, adiecturũ insuper. De cætero dicerent palam omnibus Sanctitatē suam liberè Reformationem Concilio permittere; ipsique proponerent ex ijs, quæ à *Cæsareis* postulata, aut à *Gallis Possiaci* decreta, quæcunque magis expedire videbuntur: ita tamen, vt ante significent, quam ad decernendum veniatur.

Item de fine Concilij festinando.

Quod de finiendo Concilio propositum, maioris momenti Congregationi vide-

videbatur, non quod id fieri planè necessarium non existimarent, sed quoniam modum quo fieret vix perspiciebant. Cum enim tot Capita rerum tractanda restarent, neque Præsules ad breuitatem & concordiam in tractando (quæ duo ad expeditam celeritatem sunt necessaria) adduci possent, nulla poterat de Synodo claudẽda, nisi post multum temporis, suscipi cogitatio. Nam eam suspendere sine Principum consensu, periculosum videbatur, & offensionem habiturum: præsertim cùm ante aliquot dies significatum esset à Legatis, Oratores *Ferrerium* & *Quinqueccleſienſem* dixisse, si suspenderetur Concilium, se *Tridento* non prius discessuros, neque permissuros vt discederent, qui sibi adherebant Prælati, quàm mandata à suis Principibus accepissent. Ad ea postulanda multo tempore opus esse. velle siquidem sine dubio vtrumque antequam respondeat, alterius mentem perspectam habere; adeoque in hoc negotio nihil aliud poterant præscribere, quam vt Legati ad res expediendas incitarentur. Magis sollicitos habebat eos aduentus *Lotharingij*, quem ex varijs locis afferebatur (vltra negotium de Electione Papæ) eo animo venire, vt de Collationibus Episcopatuum multa noua proponeret, deque pluralitate Beneficiorum, &, in quibus maius erat momentum, de communicando calice; de Matrimonio Presbyterorum, deque Missa in lingua vulgari. Et quoniam ita animis præceperant, eum è Gallia non ante profecturum, quàm Abbatis *Manensis*; qui à Rege & ipso missus erat, responsum accepisset, suadent, reuocato Cardinale *Ferrarienſi*, *Lotharingio* offerri Regni Gallici Legationem: quæ res sperabatur eum retentura; vtpote adeo cupidum obtinendi in eius Regni Clerum imperij, vt iam olim continere se non potuerit, quin de se Patriarcha in *Gallia* constituendo consilia agitarit. At si venerit *Tridentum*, eò quoque mittendos alios Præsules, & aliquot Cardinales, qui ipsi opponantur. Ac nominatim designabantur Cardinalis *Aburdiſiterius*, & *Nauagerus*. Sed huic rei decernendæ mora interposita, ne forte *Lotharingium* irritaret, & animum offensum ad consilia nocentiora concitaret. neque adeo certum erat, an istis ea esset vis animi, quæ ad tantam oppositionem sufficeret; simul eorum qui Tridenti erant sententias exquirere æquum videbatur, ne quid offensionis inde caperent. Sed & sumptus ratio habebatur, qui nisi magnæ vtilitatis intuitu neutiquam augendus. Idcirco Legatis scribendum censent, ne vllatenus admittant vel minimum de electione ad Pontificatum sermonem: si obsistere nequeant, ne quidem præsentiam actioni præstent, sed potius Romam reuertantur quàm Collegio Cardinalium, & *Italiæ* quidquam præiudicij creent.

Ferdinandus. Philippus 2.

Ac denique de aduentu Cardinalis Lotharingij, & ab eius cogitatis periculorum metu.

Cæterùm qui *Tridenti* formandis anathematis & doctrinæ deputati, consideratis Theologorum sententijs formulam conceperant, cui insertum, Episcopos esse superiores *iure diuino*; quippe *Archiepiſcopo Zarenſi*, & Episcopo *Conimbricenſi* inter Deputatos præcipuis eius sententiæ fautoribus. Verùm Legati id non permittunt, haud æquum dicentes Decreto aliquid inseri; quod in articulis non contineretur. at si Patres deinceps in Congregationibus id postulauerint, tum se cogitaturos. Vnde *Hiſpani* protinus id postulare constituunt. quod cùm suboluisset Legatis, ij consilio inter se inito censent, admonendos esse Prælatos, quos ad contradicendum in numerato habebant, vt, si hæc materia adduceretur in medium, tacerent, neque eam in disputationem mitterent, ne occasio daretur *Hiſpanis* contradicendi, atque adeo Congregationes in longum extrahendi; vnde ea suscitarentur incommoda, quæ in proposito de Residentia euenere. Quod si à *Granatenſi* aut ab alijs id peteretur, eos interrumperet Cardinalis *Varmienſis*, respondens, non esse id Caput in Concilio tractandum, quod cum Protestantibus non habet controuersiam.

Legatorum artes in præcauendo, ne Decreto inseratur, Episcopos esse iure Diuino Presbyteris superiores.

Ad XIII. Octobris M.D.LXII. cùm post Congregationes Theologorũ, tũ primũ Congregatio Prælatorum haberetur, postquam paucis verbis Patriarchæ & aliquot Archiepiscopi priores, Anathematismos sicut erant formati, approbassent; Archiepiscopus *Granatenſis* & ipse sententiam suam circa sex primos Canones; paucis complexus, in septimo instabat, vt diceretur, *Epiſcopos iure diuino inſtitutos eſſe Presbyteris ſuperiores*. Hoc se & posse, & debere cum ratione postulare, propterea quod ea forma propositus fuisset in Concilio à Cardinale *Creſcentio* tempore

M.D.LXII. Archiep. Granatensis dissertatio, qua contendit, & Episcopos esse institutos iure diuino, & eodem iure Presbyteris superiores.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

tempore *Julij III.* & tunc à Synodo approbatus. Cuius rei testes citabat Episcopũ *Segouiensem*, qui ei Concilio interfuerat vt Prælatus ; & *F. Octauianum Præconium Messanensem*, Archiepiscopũ *Panormitanum*, qui nondũ Præsul, tunc aderat vt Theologus. Non committendum aiebat, vt non vtrumque declaretur, nempe, & *Episcopos esse institutos iure diuino*, &, *esse iure diuino superiores Presbyteris*, propterea quod vtrumque negetur ab hæreticis : in eóque multus fuit, vt argumentis ; rationibus, & authoritatibus sententiam suam comprobaret. Citauit *Dionysium* afferentem, Ordinem Diaconorum referri in eum qui est Presbyterorum, eum qui est Presbyterorum, in eum qui est Episcoporum, & eum qui est Episcoporum in *Christum* Episcopum Episcoporum. Dein *Eleutherium Pontificem Romanum*, qui in Epistola ad Episcopos *Galliæ* scripsit, *Christum* ipsis commisisse Ecclesiam vniuersalem. Tum *Ambrosium*, qui in primam Epistolam ad Corinthios dixit, *Episcopum personam habere Christi, & esse Vicarium Domini*. Adiunxit etiam Epistolam *Cypriani* ad *Rogatianum*, vbi sæpius repetit tum *Diaconos ab Episcopis fieri*, *tum Episcopos à Deo*. Et ejusdem viri Sancti celebrem illum locum, *Unum esse Episcopatum, cuius à singulis in solidum pars tenetur*. Papam dixit Episcopum esse vt alios ; ipsum atque illos fratres inter se, filios vnius Patris, nempe Dei, vnius matris Ecclesiæ : vnde à Pontifice fratres etiam vocantur : Adeoque si Papa institutus est à *Christo*, ab eodem pariter institutos Episcopos. Nec dici posse Papam eos vocare fratres per speciem humanitatis aut humilitatis. Nam & incorruptis seculis Episcopos ipsum fratrem appellasse : Extare Epistolas *Cypriani* ad *Fabianum*, *Cornelium*, *Lucium*, & *Stephanum*, in quibus ipsos compellat titulo fratrum. Extare Epistolas apud *Augustinum*, & suo nomine & aliorum Africæ Episcoporum, vbi itidem *Innocentius* & *Bonifacius* Pontifices, appellantur fratres. Sed quod est longè clarissimum, non solùm in Epistolis istorum Sanctorum, sed multorum etiam aliorum Pontificem appellari Collegam. Esse contra Collegij naturam, vt constet è diuersi generis personis. Quod si tanta differentia foret, vt Papa institueretur à Christo, Episcopi à Papa, eiusdem Collegij esse non possent. Id sanè naturam Collegij admittere, vt in eo Caput sit, atque ita de Episcopali euenire, cuius Papa Caput est : nempe ad ædificationem duntaxat, & quod dici solet, *in beneficientem caussam*. Nempe quo modo S. *Gregorius* in Epistola ad *Iohannem Siracusanum* ait, *quoties in culpa est aliquis Episcopus, eum subiectum esse Sedi Apostolicæ ; de cætero cum culpa non est, omnes humilitatis ratione esse æquales*, & hanc esse humilitatem Christianã nunquam à veritate separatam. Citauit *Hieronymum* ad *Euagrium*: *Vbicunque fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotij*. Item, *omnes Apostolorũ successores sunt*. Inuectus est in eos Theologos, qui dixerant *Petrum* cæteros Apostolos ordinasse Episcopos. Admonuit vt Sacræ Scripturæ studerent, & obseruarent omnibus ex æquo datam potestatem docendi per vniuersum mundum, Sacramenta ministrandi, remittendi peccata, ligandi, soluendi, Ecclesiam gubernandi ; in summa ita missos in mundum, sicut Pater misit Filium. Adeoque quemadmodum Apostoli authoritatem habuerunt non à Petro, sed à Christo ; ita successores Apostolorum non habere potestatem à successore Petri, sed ab ipso Christo. Adduxit in eam rem arboris exemplum, in quâ multi sunt rami, truncus vnus. Tum Theologos illos irridens, qui dixerant omnes Apostolos à Christo fuisse institutos, & pares authoritate, sed hanc in ipsis fuisse personalem, & quæ ad successores non commearet, præterquam in Petro solo ; percunctatur eos, tanquam præsentes, quo fundamento, quâ authoritate, quâ ratione in assertionem adeo audacem prorupissent, quæ à quinquaginta duntaxat annis inuenta, expressim cum sacra Scriptura pugnaret ? In qua Christo omnibus Apostolis promittente, se cum ipsis futurum vsque ad consummationem seculi, cum id de proprijs ipsorum personis non intelligatur, de successione omnium necessariò accipiendũ ; atque ita intellectum ab omnibus Patribus, & ab omnibus Scholasticis, quibus hæc noua opinio ex diametro repugnat. Sed & illo argumento vsus est ; si Sacramenta à Christo instituta sunt, esse consequens, Ministros Sacramentorum ab eodem institutos. Et qui dicere velit Hierachiam esse iuris diuini, & summum Hierarcham à D. O. M. institutum, ei dicendum cæteros etiam Hierarchas eandem habere institutionem. Ecclesiæ

Episcopos & esse, & dici Pontificis fratres.

Imo collegas.

Eiusdem meriti & Sacerdotij.

Ab eodem trunco eiusdem arboris ramos.

Ab eodem institutos ministros Sacramentorum, à quo ipsa Sacramenta.

Ecclesiæ Catholicæ hanc esse constantem doctrinam, ordines dari per manum Ministrorum, at potestatem conferri à Deo. Quæ omnia cum vera sint certaque, ab hæreticis tamen negata plurimis locis, quos in vnum collegerat Episcopus *Segouiensis*, necessarium esse, his à Synodo declaratis, & definitis, contrarios errores damnari.

Ferdinandus Philippus 2.

Dicentem adhuc, captata hinc occasione interrupit Cardinalis *Warmiensis*; affirmans ex compacto, Non esse hac de re controuersiam vllam cum hæreticis: quin & eos in *Augustana Confessione* id ipsum tenere. Itaque superfluum esse & inutile id in dubium reuocare, neque Patribus veniendum in disputationem de re, qua de Catholicis simul & hæreticis conueniret. Vnde *Granatensis* exsurgens respondit, Confessionem *Augustanam* hoc non confirmare, imo contradicere, neque vllam distinctionem ponere inter Episcopum & Presbyterum nisi ex constitutione humana: asserere superioritatem Episcoporum cœpisse primum ex consuetudine, postea continuatam Constitutione Ecclesiastica. Iterumq; postulauit vt in Synodo hoc decerneretur, aut responderetur rationibus & authoritatibus à se adductis. Cardinalis iterum: Non negare hæreticos ista quæ dicerentur; sed tantum contumelias & maledicta congerere, & inuectiuis vti contra ritus his temporibus receptos. Cumque inter eos verbis esset alijs velitatum, *Granatensis* totus iracundia & indignatione inflammatus, permittere se dixit rem Nationibus.

Dissertatione Granatensis ex condicto Warmiensis interrumpit. Respondet Granatensis, & cœptum vrget.

Tumultus inde nonnihil; quo sedato, verba ab alijs facta, qui propositis, vti rogabantur, assensi sunt sine vllo additamento: nonnullis *Warmiensis* dictis fidem adhibentibus, alijs solum Papam iure diuino institutum censentibus; donec ad Archiepiscopum *Zarensem* peruentum est. Eius hæc fuit sententia, Adiungenda necessariò illa verba *de iure diuino*, ad damnandum quod ab hæreticis dicitur in contrarium in Confessione *Augustanâ*. Cum rursus *Warmiensis* negaret in ea Confessione aliquid esse, in quo hac de re hæretici dissentirent, ac contra *Zarensis* locum & verba recitaret; eousque processit altercatio, vt per eam Congregationi illius diei finis impositus sit.

Patrum alij Decreto assentiuntur simpliciter, alij additamentum petunt, de iure diuino.

In sequentibus Congregationibus variæ itidem erant opiniones. Sngulare illud fuit, quod Archiepiscopus *Bracarensis* pro eodem additamento instabat, dicens omitti non posse, multusque in eo erat, vt probaret institutionem Episcoporum de iure diuino; adductis ijsdem pene rationibus, & argumentis, cum Granatensi. Addidit insuper, Papam Episcopos priuare non posse authoritate data ipsis in eorum consecratione. Eam in se complecti non solum potestatem Ordinis, sed etiam iurisdictionis: quòd in ea plebs ipsi assignata sit pascenda, & regenda; sine qua inualida est ordinatio. Cuius rei id manifesto indicio esse, quod etiam Episcopis Titularibus & personatis assignetur tamen aliqua Ciuitas: quod non esset necessarium, si ordinatio Episcopalis posset consistere sine iurisdictione. Prætere, cum traditur baculus Pastoralis eam dicendi formulam adhiberi, quæ signum est potestatis acceptæ ad vitia corrigenda. Et quod caput est, annulum ipsi dari, quasi Symbolum desponsatæ Ecclesiæ: cumq; ei traditur liber Euangeliorũ, quo imprimitur character Episcopalis, ita dici; Vade, prædica populo tibi commisso. Et in fine Consecrationis recitari illam Orationem, *Deus omnium fidelium Pastor & Rector*, &c. (quæ in Missalibus postea propria facta est Pontificis Romani) versoque ad Deum sermone dici, ipsum voluisse vt Episcopus ille Ecclesiæ præesset. Accedere, quod *Innocentius* tertius dixit spirituale matrimonium Episcopi cum sua Ecclesia, esse vinculum a Deo institutum, & indissolubile humanæ potestati: quodque Pontifex Romanus Episcopum transferre non posset, nisi specialem authoritatem haberet a Deo id faciendi: quæ omnia perquam absurda essent, nisi Episcoporum institutio esset *de iure diuino*. Archiepiscopus *Cypri* dixit; declarandum, Episcopos esse superiores Presbyteris *iure diuino*, reseruata tamen authoritate Papæ. At Episcopus *Segouiensis* conclusionibus & rationibus *Granatensis* vsquequaque adhærens longo sermone recensuit locos hæreticorum, vbi negant Episcoporum superioritatem & institutionem esse de iure diuino. Sicut Papa successor est *Petri*, ita Episcopos esse successores Apostolorum. Ex historiæ Ecclesiasticæ lectione liquidò apparere, & ex Epistolis Patrum,

Bracarensis additamentũ vrget, eiusque necessitatem confirmat.

Archiepiscopi Cyprensis sententia. Et Segouiensis, Granatensi accedentis.

Episcopos

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

Epistola Encyclica ab Patriarchis inuicem missa.

Episcopos omnes reddidisse sibi mutuo rationem eorum, quæ in Ecclesijs suis euenerant, & approbationem ab alijs expectasse; idem fecisse Pontificem siquid *Romæ* occurrebat. Patriarchas principales, cùm crearentur, mandasse sibi mutuo Epistolam, quæ *Encyclica* quasi circularis dicta, in quâ de sua ordinatione fideque significabant. Id constare non minus à Pontificibus Ro. cum alijs vsurpari, quàm ab alijs cum ipsis. Quod si potestas Episcoporum infringatur, infringi etiam potestatem Papæ. Potestatem & ordinis & iurisdictionis datam esse Episcopis à Deo; à Pontifice nihil aliud quàm Dioeceseon diuisionem & personæ applicationem. Episcopatum non esse Episcopatum sine iurisdictione. Citauit testem *Anacletum*, quod authoritas Episcopalis detur in ordinatione cum sacri Chrismatis vnctione. Episcopatum non minus esse ordinem à *Christo* institutum, quàm Presbyteratum. Omnes vsque ad *Siluestrum* Pontifices, aut ex professo, aut obiter tenuisse, Episcopatum esse ordinem à Deo immediatè venientem. Verba illa Apostolis dicta, *Quæcunque alligaueritis super terram*; iurisdictionem dare, quæ necessariò confertur successoribus. Christum instituisse Apostolos cum iurisdictione, & ab Apostolis huc vsque Ecclesiam, ipsos perpetuò cum iurisdictione instituisse: igitur hoc pro traditione Apostolica habendum. Et cum definitum sit haberi dogmata fidei per scripturam, & per traditiones; negari non posse hoc de institutione Episcopali esse dogma fidei. Tantoque magis, quod *Epiphanius* & *Augustinus Aërium* inter hæreticos numerent, quia asseruit Presbyteros æquales esse Episcopis: quod fieri non posset, si non essent de iure diuino.

Numerus Patrum declarationi de iure Diuino fauentium.

Circiter LIX. è Patribus in hac fuerunt sententia: & fortassis maior fuisset numerus, nisi multi eo tempore laborassent infirma valetudine, catarrhis ob grauem cœli influxum passim & populariter regnantibus; & nisi aliquot alij idem impedimentum caussati essent, ne in illa turba interuenirent, aut certè ne quem in re tanto studio agitata offenderent: præsertim qui, quod de Residentia liberè quid sentirent prolocuti essent, animaduerterant se patronorum suorum indignationem incurrisse. Tum ni Cardinalis *Simoneta*, cum res nimis procedere videbatur, multa prensatione vsus esset, adhibitis eò *Ioanne Antonio Fachinetto* Episcopo *Neocastrensi*, & *Sebastiano Vantio Oriuetensi* Episcopo; qui perquam dexterè persuadebant, quod ab Hispanis tentabatur, eâ gratia fieri, quò se ab Papæ obedientia subtraherent. Et hanc Apostasiam à Sede Apostolica magno cum dedecore & damno Italiæ futurum, cuius illud proprium decus apud Nationes Transmontanas, quod à Pontificatu recipit. *Quinqueecclesiensis* dixit; Aæquum esse vti de omnibus ordinibus & gradibus Ecclesiæ declaretur, quo iure sint instituti, & à quo authoritatem receperint: cui adhærebant aliquot alij, atque inter cæteros *Pompeius Picolomineus* Episcopus *Tropaensis*: qui id ipsum vrgens, adiecit: Si de omnibus gradibus Ecclesiæ à summo ad imum tractatio institueretur, & declararetur quo iure essent, se quoq; etiam in materia Episcopatus suam dicturum sententiam; modò vt sibi licentia à Legatis concederetur. Ex hoc numero aliquamulti paucis significant se, in sententiam aliquam eorum, qui ante dixerant, concedere. Alij late exspatiantur, amplificatis, aut in varias formas immutatis ijsdem fere rationibus: vt longum sit omnium suffragia commemorare, quæ mihi in manus venerunt.

Simonetæ in alteram partem prensationes.

Quinqueecclesiensis æquum censet de omnibus Ecclesiæ ordinibus declarationẽ fieri, quo iure sint instituti. Cui accedit Tropæensis.

Cæterum memoriâ omnino digna est sententia *F. Georgij Sincout* Franciscani, Episcopi *Segniensis* qui in *Granatensis* sententiam concedens, affirmauit, nunquam se crediturum fore, vt aliquando sentiret in dubium vocari, an Episcopi sint instituti, & an authoritatem habeant à *Christo*. Nam si à D. O. M. eam non habent, ne Concilium quidem, quod ex Episcopis consistit. Necessarium esse, vt cœtus omnis quamuis numerosissimus, ab eodem authoritatem habeat, vnde singuli, è quibus constat. Quod si Episcopi non sunt à *Christo*, sed ab hominibus, authoritatem profectò omnium in vnum Congregatorum esse quoque humanam: & cuius aures hoc personat, Episcopos non esse à *Christo* institutos, abesse non posse, quin existimet hanc Synodum esse Congregationem hominum prophanorum, cui non præsideat *Christus*, verùm potestas quædam precaria ab hominibus accepta; totque Patres frustra tantos sumptus facere, & tot incommoda *Tridenti* perferre, quando maiori

Segniensis declarationis fautor arguit, nisi institutio Episcoporum sit à Christo, & non humana; nec Concilij, quod ex Episcopis cõstat, auctoritatem esse diuinam, sed humanam.

maiori cum authoritate eadem tractari possint ab eo, qui Episcopos & Concilium ad eorum tractationem potestate muniuit. adeóque toti in vniuersum populo Christiano illusum, cum non modò vt optimum, verùm vti vnicum & necessarium medium propositum fuit, ad huiusce temporis controuersias determinandas. Se quinque ipsos menses hæsisse *Tridenti*; cum hac persuasione, neminem vnquam dubitaturum, an Concilium authoritatem à Deo habeat, & an possit dicere, quod à primo *Concilio Hierosolymitano* dictum; Visum est Spiritui Sancto & nobis. Nunquam se ad Concilium fuisse venturum, nisi credidisset *Christum* in medio eius futurum; nec vbi *Christus* præsens sit, à quoquam dici posse authoritatem ab ipso non esse. Quod si quis Episcopus contra putauerit, & authoritatem suam humanam existimauerit, perquam audacter in controuersijs iam ante definitis ab eo pronunciatum *Anathema*, ac non potius totum ei cuius authoritas maior esset permissum. Atqui si authoritas Concilij fuisset incerta, æquū erat ante omnia, cum anno M.D.XLV. hoc Concilium congregari cœptum est, hanc materiam ventilari, decernique quænam esset authoritas Concilij: sicuti in foro & tribunalibus vsuuenire solet, vbi in ipso aditu caussæ disputatur & decernitur, an iudex sit competens, ne ad extremum potestatis defectu nullitas sententiæ opponatur. Protestantibus omnem occasionem arripientibus, detrahendi & maledicendi huic Sanctæ Synodo, nullam magis appositam contingere potuisse, quàm hanc, quod suæ etiam propriæ authoritatis certa non sit. Quamobrem, videndum etiam atque etiam Patribus quid statuant super eo capite, quod ex vero decisum, omnia Concilij acta firmat atque constituit; si contrà, subuertit. Desierant omnes Patres ad XIX. Octobris super hoc argumento dicere excepto Patre *Lainez* Generale Iesuitarum; qui vltimo loco dicturus, de industria eo die interesse Congregationi noluit, vt commodùm vnam integram solus occuparet. Cuius rei causam explicaturo, necesse est regredi paulùm, & illa priora commemorare. Nam cum primùm proposita fuisset, & quasi in disceptationis campum emissa hæc quæstio, existimabant Legati id solum agi, vt authoritas Episcoporum additamento maioris existimationis amplificaretur: at vix dum finita erat secunda Congregatio, cùm ex sententijs pronuntiatis, & rationibus adhibitis facilè, licèt sero animaduertunt, quanti momenti res esset, quidque ex ea consequeretur. Inde enim colligebant, claues non fuisse soli *Petro* datas; &, Concilium esse supra Papam; fiebantque Episcopi æquales Pontifici, cui nihil relinquebatur, nisi quædam præ alijs prærogatiua. Dignitatem Cardinalitiam Episcopis superiorem tolli necesse erat, & relinquebantur puri Presbyteri, aut Diaconi. Tum autem ex ea determinatione necessariò consequebatur ad Residentiam obligatio: iam actum erat de Curiâ; Præuentionibus & reseruationibus vale dicebatur; Beneficiorum quoque Collatio trahebatur ad Episcopos. Illud etiam obseruatum, paucis ante diebus recusasse Episcopum *Segouiensem* admittere ad beneficium suæ diœcesis quendam, qui prouisionem Româ impetrauerat. quæ omnia tanto clarius cernebantur, quòd indies & suffragiorum nouorum, & nouarum rationum ad eam caussam fiebat accessio. Ob has igitur caussas Legati ea prensatione quam supra commemoraui vsi sunt, ne ex Prælatis *Italicis* maior pars *Hispanis* sese adiungeret. ac multis licet artibus adhibitis, tantum tamen effici non potuit, vt non eorum quasi dimidia pars in eam opinionem concederet.

Ferdinandus. Philippus 2.

Item, Anathemata ab Concilio temerè decreta, nisi auctoritate Episcoporum decernentium antè stabilitâ.

Quantum in hoc capite de Episcoporum Institutione fuerit momenti explicatur, vt appareat, non iniuriâ tanta animorum contentione vtrinque fuisse certatum.

Neque verò hîc Legati reprehensionem effugiebant aliorum Pontificiorum ipsos incusantium, quòd quæ poterant accidere, non ante prospexissent, quàm grauibus incommodis premerentur; quòd fortunæ arbitrio res suas permitterent; nec admitterent consilia & admonita prudentum, inde à principio auditâ *Granatensis* sententiâ suggerentium, omnibus officijs artificijsque strenuè in rem Pontificis elaborandum. quod quidem ab ijs sanè postea tentatum, sed parum tempori, rebus tanti momenti, eorum socordiâ (nisi potius in aliquibus malitia fuerit) iam ad tractandum propositis, vt nihil maius, grauiusque in Concilio posset occurrere. Accedebat ad hæc, *Lansacū* Oratorē (quod ex eius quamplurimis cum multis Præsulibus colloquijs deprehensum) huius sententiæ nonmodò fautorē, verū etiam instinctorē esse; vnde quantā accessionē Gallorū, qui expectabantur, aduentus esset allaturus, coniectabant.

Legatorum socordia, quod incommodis non præuortissent, reprehenditur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

Hæc ita iactabantur, vt quædam voculæ ad ipsorum etiam Legatorum aures peruenerint. Qui id periculum conspicati quod non præuiderant, vltra officia ante præstita, suadent, quoniam res in tantum processerit, totque se palam fautores ostenderint, non esse amplius cogitandum de hac quæstione declinanda, sed potius aliquod temperamentum inueniendum, quo Hispanis aliquâ satisfiat. Reque multùm consultata venêre in opinionem, Canonem his verbis formandi; Episcopos *potestatem ordinis* habere à Deo, & in ea superiores esse Presbyteris; *Iurisdictionis* verò mentionem omittendi, ne quam suspicionem darent. nam ex hac verborum formula colligi, Iurisdictionem integram Pontifici manere; neque illud dici tamen.

Legati per idoneos ministros, Præsules Hispanos siue sententijs nutantes, siue incautos, in suas partes trahere adnituntur.

Cum hac verborum formula missus *Soto* ad tractandum cum Præsulibus *Hispanis*, non tam quòd sperarent Legati horum aliquem de sententia dimoueri posse, quàm vt perspicerent, quousque se perduci paterentur. Is à *Granatensi* auditus, nihil responsi tulit. Et quamquam egit etiam diligenter cum alijs, non aliud tamen est consecutus, quàm opinionem solertis assecla Curiæ Rom. cùm antea bonus Monachus haberetur. Destinarant etiam animis Pontificij, aliquos Patrum, qui sententijs vacillabant, sibi conciliare; & cum ijs agere, qui incautè in eam sententiam transijssent, cæteroqui Pontifici deuoti, vt comperta rei difficultate dicerent, se rem permittere Pontifici, aut certè restrictiùs loquerentur atq;. vt id effectum darent, duobus supra nominatis additi Archiepiscopus *Rossanensis*, & Episcopus *Ventimigliensis*. Atque vt ijs, qui in sententia nutabant, color non deesset errorem retractandi, & cũ dignitate se recipiendi, imperatum *Lainezio* argumentum illud accurata prælectione pertractare: cuius cùm essent vltimæ in disserendo vices, haud tamen placuit, vt in finè Congregationis post alios verba faceret, verum quò attentiùs audiretur, & in audientium animos altius penetraret, vnam sibi integrã, sicut ante dictum est, haberet: suffragio scilicet suo de cõmuni consilio omniũ quatuor Iesuitarũ, sed præ cæteris curâ Cauillonij, elaborato. et, nequa diuersionis opportunitas amitteretur, quæ posset negotio conducere, *Prælatis* in alia materia occupatis. Ergo vt reuertamur ad ea, quæ in illa Congregatione acciderunt, postquam ex Prælatis postremus sententiam dixisset Generalis Seruorum, seq; *Hispanis* re & sensibus conformasset, *Cardinalis Mantuanus* admonuit Patres ad Indicem conficiendum deputatos, quanti momenti esset negotium quod in manibus habebant; quando omnes & mentium subuersiones, & hæresium disseminationes per libros fierent: hortatur, vt diligentiam adhibeant, & quamprimum finem operis Synodo videndam exhibeant. Scire se, rem esse multi laboris & temporis, sed illud etiam cogitare, omnes Patres operas collaturos ad eorum subsidium, quibus id negotij impositum. Insumi Congregationes tractandis quæstionibus prorsus inutilibus; interea extrahi & procrastinari opus adeo necessarium. Quapropter rogare ad extremum, vti operam dent, quò proxima Sessione hoc potissimum Indicis negotium definiri posset.

Lainezio Iesuitarum Generali integra Congregatio destinatur ad accuratiorem dissertationem contra Institutionis Episcoporum de iure diuino fautores.

Card. Mantuanus Patres ad Indicem conficiendum deputatos de opere maturando solicitat.

Lainezij Iesuitæ dissertatio, omnem in Ecclesia I. dictionis potestatem Rom Pontifici tributam asserentis.

Mane facto supra duas horas verba fecit *Lainezius* perquam appositè, magna cum vehementia & authoritate. Cuius oratio duabus constabat partibus. prima in eo consumpta, vt probaret potestatem iurisdictionis totam integramque; Pontifici *Romano* datam, nec eius vllam scintillam quenquam alium in Ecclesia habere, nisi ab ipso. In secunda argumenta omnia, in præcedentibus Congregationibus adducta in contrarium, diluere aggressus. Summa hæc erat; Magnam esse disparitatem imo discrepantiam inter Ecclesiam *Christi*, & cõmunitates ciuiles. Nam has primùm existere, dein formam regiminis sibi præstituere, & ea de causa liberas esse, & in ipsis tanquam in origine & fonte omnẽ Iurisdictionem residere, quã ita comunicant Magistratibus, vt eã se ipsas non abdicent. At Ecclesiam neque se ipsam fecisse, nec suum regimen sibi formasse, verùm *Christum* Principẽ & Monarcham primũ leges condidisse quibus regeretur, postea ipsam congregasse, atq; vt S. Scriptura loquitur, ædificasse: Ideoq; seruam natam, absque vllo genere libertatis, potestatis, aut iurisdictionis, in omnibus & per omnia subiectam. Ad huius rei confirmationem locos citauit Scripturæ, in quibus Ecclesiæ collectio agro seminato, reti jaculo, ædificio cõparatur. quibus accedit, quòd *Christus* dicitur venisse in mũdũ, vt fideles suos colligeret in vnũ, vt oues suos cõgregaret, vt eas tum doctrina, tum exemplo institueret. Primũ & principale fundamentũ

super

super quod *Christus* Ecclesiam suam ædificau.t, fuisse *Petrum*, & eius successionem, secundum quod ipsi dixit; *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quam Petram licet aliqui ex Patribus *Christum* ipsum intellexerint, alij fidem in ipsum, aut fidei confessionem; esse tamen magis Catholicam expositionem vt intelligatur ipse *Petrus*, qui Hebræo aut Syriaco sermone dictus est *Kipha* id est Petra. Tum continuato sermone dixit, *Christum* dum in hac vita mortali esset, Ecclesiam rexisse absolutè & Monarchico regimine; relicto verò hoc sæculo eandem formam reliquisse, constituto sibi vicario *S. Petro*, & successoribus eius, ad eam eadem regiminis via administrandam, datâ ei plena & integra potestate ac iurisdictione; Ecclesiaq; ei subiectâ ad eum modum, quo subiecta est sibi. Quod de *Petro* probauit, cui soli datæ sunt claues Regni cœlorum; & per consequens introducendi & excludendi potestas, quæ est iurisdictio. Tum ei soli dictum, *Pasce*, id est rege oues meas: quod animal nec partem, nec arbitrium vllum habet in sui regimine. Cum autem ista, esse clauigerum, & Pastorem, sint officia perpetua, in perpetuam personã necessariò fuisse collata, hoc est non solùm in primum, verum etiam in totam successionem. Adeoque Romanum Pontificem inde à *D. Petro* initio facto, vsque ad finem seculi, esse verum & absolutum Monarcham, cum plena & omnimoda potestate ac iurisdictione; & Ecclesiam nunc ipsi, perinde sicut aliquando subiectam *Christo*. Et sicut illo regente, dici non poterat, quenquam fidelium vel minimam potestatem aut iurisdidictionem habuisse, sed meram, puram & integram subiectionem; id ipsum dicendum in omnem temporis æternitatem. Atque hoc modo intelligendum, quòd Ecclesia sit Ouile, quòd Regnum; & quòd ait *Cyprianus*, *Episcopatum esse vnum, cuius ab vnoquoque Episcopo pars teneatur*; nempe, quòd in vno Pastore collocata sit tota potestas indiuisa, qui eam comministris suis, prout res postulat, impertit & communicat. Et huc respexisse *S. Cyprianum*, cum Sedem Apostolicam similem fecit radici, capiti, fonti, soli: quibus comparationibus demonstratum in eâ solâ essentialiter esse Iurisdictionem, in alijs per deriuationem & participationem. Hunc esse sensum eorum verborum quæ antiquitati vsitatissima sunt, *Petrum & Pontificem habere plenitudinem potestatis, alios venire in partem sollicitudinis.* Quin hunc esse solum & vnicum Pastorem euidenter probari ex verbis *Christi* dicentis, *alias se habere oues, quas adducet*, &, *fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Pastorem de quo eo in loco verba facit, non posse esse ipsum *Christum*; non enim fuisse dicturum tempore futuro, *fiet vnus Pastor*, cùm ipse iam Pastor esset. Itaque intelligendum de alio vnico Pastore, qui post se constituendus erat: nec eum posse alium esse, quàm *Petrum* cum suâ successione. Atque hic notauit præceptum de grege pascendo, bis tantum in Scriptura reperiri, semel in singulari, cùm à *Christo* dictum *Petro*, Pasce oues meas. Iterum in Plurali; cùm à *Petro* alijs, *Pascite gregem vobis assignatum.* Quod si Episcopi à *Christo* aliquam iurisdictionem acceperint, eam in omnibus æqualem fore, sublatũq; iri differentiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporũ; nec in eam authoritatem Papam posse inijcere manum, ad eam aut imminuendam aut auferendam, sicut nec in potestatem ordinis, quæ est à Deo. Quare videant, ne, dum Episcoporum institutionem iuris diuini facere volunt, *Hierarchiam* tollant, & Oligarchiam, aut potius Anarchiam introducant. Adiunxit etiam, quò *Petrus* Ecclesiam ritè regeret, ita vt portæ inferorum contra eam non preualerent, *Christum* morti vicinum efficaciter orasse, vt *fides eius non deficeret*, ipsique in mandatis dedisse, *vt fratres confirmaret*, hoc est, ei dedisse priuilegium infallibilitais in iudicio fidei & morum, totiusque religionis, Ecclesiam totam obligando, vt ipsum audiret, & in eo confirmata persisteret quod ab ipso fuisset determinatum. Concludit, hoc esse fundamentum doctrinæ Christianæ, & Petram, super quam Ecclesia erat ædificata. Progressusque longius, censura dignos pronunciauit, qui tenent aliquam esse in Episcopis potestatem à *Christo* acceptam. Sic enim Ecclesiæ Romanæ auferre priuilegium illud; quod Pontifex Caput sit Ecclesiæ, & *Christi* Vicarius. Et satis notum esse, quid antiquo illo Canone, *Omnes siue Patriarchij* statutum sit, nempe, *quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit,*

Ferdinandus Philippus 2.

Can. 5. dist. 22

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

trahit, iniustitiam facit : qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegia auferre conatur, in hæresin labitur. Addit meram esse contradictionem, velle, Pontificem esse Caput Ecclesiæ, velle regimen esse Monarchicum ; & tamen affirmare, esse aliquam potestatem aut iurisdictionem, non deriuatam ab ipso, sed aliunde acceptam.

Rationibus in contrarium allatis singillatim respondet.

In soluendis rationibus contrarijs, disseruit; secundum ordinem à *Christo* institutum, Apostolos debuisse ordinari Episcopos, non à *Christo*, sed à *Petro*, iurisdictionem ab ipso solo accipientes ; idque ita factum multos etiam Doctores Catholicos tenere. quam opinionem valde probabilem esse. Alios tamen dicere, Apostolos ordinatos fuisse Episcopos à *Christo*, verùm adiungere, Dominum hoc facto præuenisse officium *Petri*, & pro ea vice fecisse, quod ad ipsum pertinebat, eam potestatem Apostolis conferendo, quàm à *Petro* accipere debebant; in eundem prorsus modum, sicuti Deus de spiritu *Mosis* accepit & septuaginta Iudicibus impertitus est. Itaque perinde fuisse, ac si à *Petro* essent ordinati, & ab ipso totam authoritatem accepissent, adeoque *Petro* subditos fuisse, quoad locum modumque eius exercendæ. Quod si non legatur Petrum eos correxisse, id non accidisse defectu potestatis, sed quoniam rectè munere suo perfuncti. Quique legerit celebratum illum nobilemque Canonem, *Ita Dominus* non dubitaturum, quin ita tenere debeat quisque Catholicus. atque ita Episcopos, qui sunt Apostolorum successores, eam omnem accipere à successore *Petri*. Idque monitos volebat, Episcopos non dici Apostolorum successores, nisi quia ipsorum loco sunt, quemadmodum Episcopus suis antecessoribus succedit; non quod ab ipsis fuerint ordinati. Respondit deinde ijs, qui colligebant hac sententia admissâ, posse Papam ab Episcopis creandis ita abstinere, vt ipse solus Episcopus esse velit ; esse quidem ordinationem diuinam, vt in Ecclesia sit Episcoporum multitudo Pontificis coadiutorum, adeóque obligari Pontificem ad eorum conseruationem; sed multùm interesse vtrum res aliqua dicatur *de iure diuino*, an vero ordinata à Deo. Res *iure diuino* institutas, esse perpetuas, à Deo solo pendentes, tam in vniuersali quàm in particulari, & omni tempore. Ita Baptismum esse *de iure diuino*, & omnia alia Sacramenta in quibus Deus singulariter in quolibet particulari operatur; ita esse à Deo Romanum Pontificem. Adeóque cum vnus moritur, claues penes Ecclesiam non esse, quoniam ei datæ non sunt ; & cum nouus creatur, Deum ipsi immediatè eas dare. Aliter verò euenire in ijs rebus, quæ sunt ordinationis diuinæ, vbi ab ipso solo venit vniuersale, particularia homines exsequuntur. Ita dicere D. *Paulum*, Principes & potestates temporales à Deo ordinatas, nempe ab ipso solo venire præceptum vniuersale, vt Principes sint; at singulos quosque legibus ciuilibus fieri. Eodem modo Episcopos esse ex ordinatione Diuina, & *S. Paulum* dixisse, positos esse à Spiritu S. ad Ecclesiæ regimen, non tamen *de iure diuino*. Atque ideo Papam tollere non posse ordinem vniuersalem Episcopos in Ecclesia constituendi, quoniam à Deo est: quemlibet tamen particularem, cum sit de iure Canonico, authoritate Pontificia tolli posse.

Can. 7. dist. 19

Aliud esse, rē institui *iure diuino*, aliud à Deo ordinatū esse, figmentū est societatis.

Item, Episcoporum Iurisdictionem esse deriuatam, nō fundamentalem, sed rursū ordinariam, non delegatā.

Quod opponebatur, Episcopos hoc pacto delegatos, non ordinarios futuros; respondit, distinguendam esse iurisdictionem in fundamentalem & deriuatam ; & deriuatam, in delegatam, & ordinariam. in Politijs fundamentalem esse in Principe, deriuatam in omnibus Magistratibus. Neque differre ordinarios à delegatis, quòd authoritatem ab diuersis accipiant. quin immo omnes ab eadem suprema potestate æquè deriuare; verùm in eo differentiam consistere, quòd ordinarij lege perpetuâ sint, & cum successione; delegati verò authoritatem habeant singularem, vel respectu personæ, vel causæ. Itaque Episcopos ordinarios esse, quoniam instituti sunt lege Pontificia, ad dignitatem perpetuæ successionis in Ecclesia. Subiunxit, eos locos in quibus videtur authoritas à *Christo* data Ecclesiæ, veluti cum dicitur *columna & basis veritatis*; & alibi, *Qui non audierit Ecclesiam, sit tanquam Ethnicus & Publicanus*, omnes intelligendos respectu Capitis sui, qui est Papa, adeóque propterea Ecclesiam falli non posse, quia Caput eius falli non potest : itidemque separatum ab Ecclesia, qui separatur à Papa eius Capite. Quod ad illud vbi dicebatur, ne Concilium quidem authoritatem à *Christo* habiturum, si nullus Episcoporum

Ecclesia Iesuitis est basis veritatis respectu capitis, nēpe Papæ, qui falli nō potest.

rum habeat, Respondit, id non esse inconueniens. Immo consequentiam esse perquam manifestam, & necessariam. Quod si quilibet Episcopus in Concilio falli potest, negari non posse, quin simul omnes falli possint; & si authoritas Concilij ab authoritate Episcoporum veniret, nunquam Concilium aliquod appellari posse Generale, vbi numerus præsentium sine Controuersia minor est quàm absentium. Reuocabat in memoriam, in eo ipso Concilio sub *Paulo III.* definitos fuisse Articulos longè maximi momenti, de libris Canonicis, de interpretationum authoritate, de pari dignitate traditionum cum Scriptura, ab Episcopis numero quinquaginta aut etiam paucioribus. Quod si multitudo authoritatem daret, omnia pessum itura. Sed, quemadmodum numerus Prælatorum à Pontifice congregatorũ ad Generale Concilium celebrandum quamlibet exiguus, non aliunde nomen habet & efficaciam vt sit Generale, quàm quia Papa id ei dat; ita nec aliunde habere authoritatem. Adeoque si statuta condit, aut sub anathemate aliquid prohibet, nihil hæc efficere nisi vi futuræ confirmationis à Pontifice; neque posse Concilium suis Anathematis constringere, nisi in quantum à Confirmatione robur accipiunt. Et quando Synodus dicitur congregata à Spiritu Sancto, nihil aliud intelligi, quàm Patres congregatos secundum Pontificis intimationem, vt id tractent, quod Pontifice approbante, erit à Spiritu S. decretum. Alioqui quomodo dici posse, decretum aliquod factum à Spiritu S. & tamen authoritate Pontificis rescindi, aut opus habere maiori confirmatione. Itaque in Concilijs quantumlibet frequentibus, quibus Papa interest, ipsum solum decernere, nec Concilium aliquid apponere de suo, nisi quatenus approbat, id est decreta accipit. Eoq; semper id solummodo dictũ, *Sacro approbante Concilio.* Quin etiam in determinationibus maximi omnium momenti, cuiusmodi erat depositio *Imperatoris Frederici II.* in Concilio Generali *Lugdunensi*, *Innocentium IV.* Pontificem sapientissimum Synodi approbationem recusasse, ne cui videretur necessaria, & satis habuisse, vt diceret, *Sacro præsenti Concilio.* Nec ideo tamen Concilium superuacaneum dici oportere. congregari enim & accuratioris disquisitionis, & facilioris persuasionis caussa, immo vt hominibus satisfiat. vbi verò iudicat, id facere virtute authoritatis Pontificiæ à diuina deriuatæ, quam Papa ei tribuit. Atq; ob has rationes, melioris notæ Doctores authoritatem Concilij authoritati Pontificis subiecisse, vt quæ ab hac tota pendeat, sine qua nec præsidium Spiritus S. nec infallibilitatem, nec potestatem obligandi Ecclesiam habeat, nisi in quantum ei ab illo solo concessa est, cui à *Christo* dictum est *Pasce oues meas.*

Ferdinandus Philippus 2.

Et Conciliorũ decreta nullã aut efficacia, aut auctoritate, nisi vi futuræ cõfirmationis Pontificiæ.

Haud alia, durante Concilio, habita oratio plus laudis habuit aut reprehensionis, pro diuersis audientium affectibus. à Pontificijs tanquam admodum erudita, fortis, firmissimisque subnixa fundamentis celebrabatur; ab alijs taxabatur vt adulatoria, à quibusdam etiam vt hæretica; multique propter censoriam quâ vsus erat, asperitatem, non obscurè offensam præ se ferebant, animumque, si qua per sequentes Congregationes occasio daretur, hominis increpandi, & ignorantiæ ac temeritatis in eo notandæ. Episcopus verò *Parisiensis*, tunc domi valetudinarius, quum eius vices erant sententiæ dicendæ, apud omnes profitebatur, se, quam primum Congregatio fieret, liberè sententiam dicturum contra eam doctrinam prioribus seculis inauditam, ante annos quinquaginta à *Caietano* primum excogitatam, vt pileum Cardinalitium mereret. Eam à Theologis *Sorbonensibus* eo ipso tempore ignominiosè notatam; quæ ex Regno cælesti (sic enim Ecclesiam vocari) faciat non Regnum, verùm tyrannidem temporalem; quæ Ecclesiam spoliet titulo sponsæ *Christi*, & eam veluti seruam vnius hominis libidini prostituat. Vult, scilicet, vnum tantùm Episcopum à *Christo* institutum, cæteris nullam esse potestatem, nisi ab illo pendentem: quod perinde est ac si dicatur vnum solum esse Episcopum, cæteros eius Vicarios, ad placitum amouendos. Decretum sibi excitare Patres vniuersos ad cogitandum, qua ratione authoritas Episcopalis adeo prostrata, ac prope intermortua spiritũ ducere possit, ne funditus intereat: quandoquidem quæque noua Congregatio Regularium, mox vbi enata est, notabilem ei plagam aliquam infligere gestit. Episcopos authoritatem illibatam vsque ad annum M. L. tenuisse; tum operâ Congregationum *Cluniacensis*,

Lainezij oratio pro varijs hominum affectibus laudatur ab his, ab illis culpatur.

In eam Episcopus Parisiensis, qui per inualitudinem aberat, acerbissimè inuehitur.

Post enatas Monarchorũ Regularium Congregatio-

nes, & Fratrũ mendicantiũ, Episcopalis dignitas plurimum imminuta.

censis, & *Cistерciensis*, aliorumque eo seculo prognatorum, grauem plagam sensisse, multis Episcopalis functionis proprijs & essentialibus, per eos Romam traductis. Sed post annum M.C C. exortis Mendicantibus, ablatum esse pene omne exercitium Episcopalis authoritatis ipsisque priuilegio datum. Nunc verò nouam hanc Societatem heri aut nudiustertius exortam, neque ritè secularem, neque regularem (sicuti ante octo annos ab Academia *Parisiensi* rectissimè animaduersum, eam existimante in rebus fidei periculosam, pacis Ecclesiæ perturbatricem, destructiuam Monachatus) quò prioribus palmam eripiat, id conari, vt prorsus auferat iurisdictionem Episcopalem, quam neget à Deo datam, velitque hominibus precariò ferri acceptam. Hæc ab illo Episcopo alijs Patribus passim inculcata, excitauere studia multorum, quibus id antea pensi non erat. At qui historiarũ lectione capiebantur, his sermonis materiam non minorem illa obseruatio *Lainezij* ministrauerat, quod in Concilio *Lugdunensi* scriptum esset, *sacro præsente Concilio.* Id in omnibus codicibus Iuris Canonici repertum, quod à nemine animaduersum esset, erat omnibus nouum. Probabat alius Iesuitæ interpretationem, alius sensu huic prorsus contrario verba accipiebat, quasi Concilium eam sententiam approbare renuisset. Alij alia via aggressi disserebant, cùm eo tempore de re temporali, & contentionibus mundanis ageretur, fieri potuisse, vt hoc aut illo modo processerit. Sed non esse ab hoc trahendam consequentiam, quasi idem faciendum sit, cum materia fidei aut rituum Ecclesiasticorum tractatur, præsertim cum in primo Concilio Apostolorum, quod sequentium norma & exemplar esse debet, obseruari possit, decretum nec à *Petro* factum in Concilij præsentia, nec ab ipso cum eiusdem approbatione; sed Epistolam inscriptam nomine trium generum, & quasi graduum, qui interfuerunt ei Congregationi, Apostolorum, Seniorum, & Fratrum; *Petrumque* in illo primo genere sine vlla prærogatiua inclusum. Quod vnicum exemplum tum propter antiquitatem, tum propter diuinam authoritatem abrogare fidem debeat ijs, quæ à temporibus sequentibus, vel in vnum coniectis duci possunt. Ita per aliquot dies *Tridenti* illa *Iesuitæ* oratio propter iam dicta, & alia quædam capita materiam subministrauit multis sermonibus; neque vulgo fere alia de re serebantur.

Primum Apostolorum Cõcilium subsequentiũ norma esse debet.

Lainezij disceptatio ne Legatis ipsis vsquequaque place.

Displicuit Legatis, quod pharmacum à se in remedium datum, vertisset in contrarium; cum cernerent in caussa futurum, cur sententiæ in Congregationibus in longum extraherentur, nec satis perspicerent, qua ratione huic malo obuiam iretur. Nam duabus horis & supra, ab Patre illo in dicendo consumptis, non videbant quo iure possent interrumpere quemquam, ei contradicere, præsertim in caussæ propriæ defensione, meditantẽ. Hoc autem comperto, eum Orationem suam describere vt ederetur, accitum ad se prohibuerunt eam cuiquam communicare, ne alijs occasionem daret eam contrario scripto oppugnandi: memoria adhuc recenti, quid mali inde euenisset, quòd *Catharinus* sententiam suam de Residentia euulgasset; vnde nata ea incommoda, quibus continuatis tempore duramentum & robur accessere. Sed ille continere se non potuit, quin aliquibus eius copiam faceret; tum quòd existimaret id ad honorem pertinere societatis suæ, cui nascenti Pontificios obligatos volebat; tum vt scripto quædam modestiùs efferret, quæ voce nimis petulanter expresserat. Multi se accinxerant vt scriberent in contrarium; neque hic motus antè sedatus est, quam Gallorum aduentu controuersiâ hac obliuioni traditâ, alijs quibusdam grauioribus, & maioris momenti introductis. Non cessabant interea frequẽtia Pontificiorum consulta contra *Hispanos*, prensabantque Prælatos, quos in partes suas traduci posse existimabant. Et commodùm Legatis oblatus Doctor quidam *Hispanus* cognomento *Zanel*, pollicitus, se Prælatis eius Nationis aliam curam iniecturũ; atque rationẽ, qua ad sui defensionem adigantur, propositurum: adeoq; XIII. Capita Reformationis ijs obtulit, quibus ad viuum Hispani compungerentur. Neque tamen inde percipi potuit is, qui sperabatur fructus, propterea quod illorum abusuum reformatio alios qui ad Curiam pertinebant, itidem, reformari suo iure exigere videbatur: à quibus factum, vt à proposito desisteretur, ne quod prouerbio dici solet, oculum ipsi vtrumque amittant, dum aduersario eruunt vnum. Cæterum adeò hæ machinationes innotuerant, vt cum in conuiuio præsentibus multis Prælatis apud

Eam prohibetur emittere in publicum.

Per aduentũ Gallorũ controuersia hæc de Episcoporũ institutione interquiescit.

Oratores

Oratores Gallicos incidiſſet ſermo de antiquorum Conciliorum conſuetudine in hoc neglecta, qua Præſides Concilij & Principum Oratores ſuffragium ferre ſolebant, *Lanſacus* alta voce reſponderit, Legatos quidem ſententias dicere, ſed in aurem; quod ſatis ab omnibus intellectum ad prenſationes clancularias pertinere.

Præſidum Concilij ſuffragia auricularia.

Per hoſce dies dum Congregationes habebantur, reddidit Legatis *Quinqueccleſienſis* literas ab Imperatore, in quibus ſcriptum, Quod cum ipſi ſuo animo morem geſſiſſent, publicandis Decretis *de Sacrificio Miſſæ*; cohiberent ſe ſaltem, nec vltra procederent ad Sacramenta *Ordinis* & *Matrimonij*, interea de *Reformatione* tractarent; atque hic ipſorum prudentiæ ſe permittere, vt ex ijs, quæ ſuo nomine propoſita, eam partem tractandam deligant, quæ maxime placeret. Ad eandem cum literis ſententiam *Quinqueccleſienſis* orationem habuit, idem poſtulans, inſtanſque, cum tantos progreſſus fecerint in *Ordinis* materia, ſaltem illa de *Matrimonio* differatur, vt interea Imperator in Conuentu Ordinum, *Germanorum* animos inclinare poſſit ad eundum *Tridentum*, & Concilio ſe ſubmittendum. Quod ſi Germanis Galliſque fixum eſſet, Concilium nec adire, nec agnoſcere, fruſtra Patres tanta cum impenſa & tot incommodis tempus traducere: Et *Cæſaream* Maieſtatem vbi viderit ipſis perſuaderi non poſſe; vt Concilium ſuſpendatur, curaturam. Sic enim iudicare, & Deo futurum acceptius, & Eccleſiæ vtilius, res indeciſas eodem quo nunc ſunt ſtatu relinquere, exſpectato tempore magis opportuno ad eorum conuerſionem qui ſeceſſionem fecerant, quàm præcipitata (vti hactenus) rerum controuerſarum deciſione, per eorum abſentiam, à quibus in diſputationem adductæ ſunt, ſine vllo beneficio Catholicorum, Proteſtantibus omnem conciliationis ſpem præcidere. At interea de Reformatione omnino agendum: Nempe, vt bona Eccleſiaſtica benemeritis diſtribuantur, ſua cuique parte attributa. vt prouentus rite adminiſtrentur, pauperum portione ab nemine occupata: & ſi quæ his ſimilia. Quæſiuit ad extremum annon per aduentum *Comitis Lunenſis* cum titulo Oratoris *Cæſare* deſitura eſſet Controuerſia de præcedentia inter *Hiſpaniam* & *Galliam*. Legati ad hoc poſtremum reſpondent, Id ſi fiat, non credere ſe, vllam *Gallis* vel probabilem contentionis cauſam reliquã fore. Ad cætera aiunt; dogmatũ tractationem omitti non poſſe, ſed tamen de reformatione ſimul gnauiter actum iri, prout Patribus eſſet propoſitum. Laudabant *Imperatoris* inſtitutum, id ſedulò agentis, vt Proteſtantes Concilio ſe ſubijciant; ſed illud tamen adijciebant, non eſſe ea ſpe producendum Concilium. Nam & *Carolum* quoque Imperatorem Pontifice *Iulio* III. idem tentaſſe, imo & obtinuiſſe, verùm ab *Germanis* actum mala fide, cum Eccleſiæ & ipſius etiam Imperatoris detrimento. Itaque haud æquum eſſe, vt Concilium ab incepto gradu ſe dimoueri patiatur, niſi prius Imperatori conſtet, quo ſint & Principes & populus *Germaniæ*, tam Catholici quàm Proteſtantes animo: & quod genus obedientiæ in animo habeant præſtare decretis, non ſolùm in hoc Concilio ſtabilitis & ſtabiliendis, verùm etiam in ſuperioribus. Immo niſi Concilij obſeruationem authenticis mandatis Ciuitatum ac Principum ſtipuletur, & illi obligatione interpoſita caueant de executione Decretorum: ne impenſa & opera pereuntibus, deridiculo ſint. neque his abſimilia *Cæſareæ* etiam Maieſtati reſcripſerunt.

Ferdinandus per literas Patres denuò ſolicitat, vt de reformatione agant, ijs quæ de doctrina ſuperſunt, intermiſſis.

Legatorum ad poſtulata reſponſio.

Ad diem XXV. Octobris Congregatio habita introducendo *Valentino Erbuto Premiſtenſi* Epiſcopo, Oratori Regis *Poloniæ*. Is breuiter de Regis pietate, de Regni tumultibus per cauſam religionis, de neceſſitate reformationis ſeriò inſtituendæ, & adhibendæ alicuius lenitatis, concedendo aliquid precibus populorum in ijs quæ iuris poſitiui ſunt, commemorauit. Cui reſponſum eſt à Promotore Synodi nomine, gratiæ actæ & Regi & Oratori, promiſſumque, Synodum quibuſcunque Regni illius commodis nullo loco defuturam. Nec permiſerunt Legati vt in ea Congregatione aliud quicquam tractaretur; ob cauſam quàm mox dicam.

Orator Regis Poloniæ auditur.

Non magis Curiam Romanam & Pontificios *Tridenti* perturbabat moleſtia, quæ ipſis ab Hiſpanis & eorum ſequacibus in Concilio exhibebatur, quàm exſpectatio aduentus *Lotharingij* & Gallorum. Nec is adeo moleſtus Patribus, dum ſpes erat alicuius impedimenti, quo retardaretur; præut poſtquam certò nunciatum eſſet, illum feſtum omnium Sanctorum cum *Duce Sabaudiæ* celebraturum. Et quidem Cardi-

Curiæ Romanæ, & Patrum Pontificiorum Tridenti ob aduentum Gallorum inquietudo.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Cardinalis tum in Aula Gallicâ antequam discederet, tum in itinere plerisq; in locis, siue vanitatis id fuerit, siue factum consilio, significauerat multis, sibi complura esse agitanda ad authoritatis Pontificiæ diminutionem, & Curiæ commodis aduersa: quæ diuersimode *Romam* & *Tridentum* nunciata, vtrobique ea opinione hominum mentes imbuêre, inprimis *Gallis* propositum, Concilium producere, ac pro re nata & consilia sua detegere, & cogitata tentare; quibusdam etiam coniecturis impellentibus ad credendum, id non sine *Imperatoris*, & aliorum Principum ac Procerum Germanorum conscientia geri. Et quanquam pro certo habebatur *Regem Catholicum* cum istis non per omnia sentire; tamen vehementia erant indicia, quæ fidem facerent, illum quoque de Concilio protrahendo cogitare; saltem ne claudatur impedimento fore. Quibus vt obuiam iretur, placuit abusus Regni *Galliæ* proponere, atque efficere, vt ad aures Oratorum permearet, de remedio ijs adhibendo iam nunc consultari. Nam Principes omnes, qui reformationem Ecclesiæ tantopere vrgent, suos abusus vel digito attingi haud æquo animo passuros. itaque vbi senserint magnum aliquid attrectari, vnde ipsis creetur præiudicium, sine dubio & ipsos destituros; & vt sui Præsules ab ijs, quæ Sedi Apostolicæ sunt damnosa, desistant, curaturos. Quamobrem literarum aliquot fasciculis Romam inter & *Tridentum* commeantibus, cum id remedium placuisset, collecti sunt abusus, qui in *Gallia* potissimum, & partim etiam in alijs ditionibus esse dicebantur. Inde enata Reformatio illa Principum, sequentia narranti vberem materiam subministratura.

Consultatio de remedijs, quæ opponéda Lotharingij & Gallorum destinatis: quorum, primum Principum Reformatio.

At *Romæ* insuper visum aliud accommodum fore remedium, vt Legati tantam Prælatorum audaciam retunderent, authoritate vterentur & imperio, vltra quam superiori tempore fecissent. Etiam *Tridenti* pro bono futurum putabatur, si Prælatis caussæ Pontificiæ fautoribus vnitis, confirmatisque omni ratione satisfieret. Nam ita tamesi crescerent suffragia partis aduersæ, attamen se fore semper numero superiores, & rerum decernendarum dominos: adeoque pergendum intrepidè, negotiumque expediendum, Concilio aut finito, aut suspenso, aut translato. Scripserunt etiam ipsi, & à multis Prælatis Pontificijs ad amicos & Patronos suos *Romæ*, scribendum curarunt, non posse melius consuli aut prouideri negotio, quàm si aliquam occasionem offerant, certe facilem inuentu, qua suspensionem Principum aliquis requirat: nec eam, quæ prima cumque sese obtulisset, è manibus amittant. Atque in hunc finem Breuia diuersa Concilio vel transferendo, vel suspendendo, *Româ* sibi mandari petebant: aliaque media; quibus prout occasio se daret, vterentur. Quinetiam Pontifici suadent, vt se *Bononiam* transferat. nam præterquam quod & frequentiores & recentiores nuncios sic accipere posset, & quasi momento temporis, vti res tulissent, & necessarium esset, prouidere; habiturum etiam probabilem ex minima quaque occasione aut transferendi Concilij in eam vrbem, aut verò suspendendi colorem. Monent tamen, quemadmodum ipsi nihil hac de re cum Cardinale *Madrucio* communicassent, ita *Romæ* caueatur, ne quid ea de re ad aures Cardinalis *Tridentini* auunculi sui perueniat, quos multis de causis, & quod eorum tanti intersit, credibile sit omnem operam adhibituros ne Synodus *Tridento* euocetur.

Remedium aliud, audaciam Præsulum aduersæ factionis reprimere: & suos spe ac promissis, alijsque vijs confirmare.

Item Breuia Concilio transferendo, aut suspendédo Tridentum mittere. Pontificem Bononiam migrare.

Atque vt contentionis ardor excitatus in controuersia de Institutione Episcoporum deferuesceret, neue tot iam accinctis ad contradicendum *Lainezio* incrementum caperet, Congregationibus ad multos dies Legati abstinuerunt. Sed otium opiniones fouebat: nec alia re in angulis omnibus hominum sermonibus magis iactata, & Hispanis cum sequacibus suis sæpe conuenientibus vt hac de re tractarent, & quotidie propemodum ex ijs tribus aut quatuor adeuntibus aliquem ex Legatis vt petitionem suam renouarent. Cumque die quodam Episcopus *Gadicensis* cum quatuor alijs post rem propositam addidisset, se, vti non inficiarentur, quin iurisdictio ad Papam pertineret, ita libenter admissuros vt id in Canone adiungeretur, Legati crediderunt Hispanos cognito errore confessuros iurisdictionem omnem esse in Papa, & ab ipso originem trahere. Sed cùm apertiùs id explicatum vellent, Quemadmodum (inquiebat Episcopus ille) Princeps in ciuitate instituit Iudicem primæ instantiæ, & iudicem, ad quem est appellatio, qui tametsi superior sit, non potest tamen alteri authoritatem auferre, nec causas ad ipsum spectantes occupare: ita *Christus* in Ecclesia omnes

Ad æstum contentionis temperandũ Congregationes ad aliquot dies intermittuntur.

Episcopus Gadicensis supremam Ecclesiasticã I.dictionem Papæ concedit, sed Episcopis quoque deberi suã ab eodem fonte profectam.

omnes Episcopos instituit, & Pontificem cunctis superiorem, in quo est suprema iurisdictio Ecclesiastica, non ita tamen, vt cæteri non habeant propriam, à solo Christo dependentem. *Quinqueecclesiensis* dolorem profitebatur apud quosuis, quòd tantum temporis sine vllâ Congregatione perderetur; vtiliter alioqui insumendum, nisi Legati dedita opera pro more sibi solito id amitti vellent; quò Capita reformationis postremo die edantur, nullo, non modò ad consultandum, sed ne ad colloquendum de ijs, spacio relicto. Verùm Legati ipsi otiosi non erant: illud assiduè cogitantes, quemadmodum formam aliquam inuenirent Canoni, quæ vniuersè recipi posset; plusculis subinde vno die mutatis. Atque hæ formulæ cum circumferrentur, & Legatorum hæsitationem proderent, non solùm *Hispanis* animos addebant ad perseuerandum in suâ opinione, sed etiã ad maiorem in loquendo libertatem. Sic vt in Congressu multorum Præsulum *Segouiensis* non veritus sit dicere, vnam voculam ruinæ caussam Ecclesiæ futuram.

Ferdinandus. *Philippus 2.*

Dum Congregationes cessant Legati Canoni formando intenti.

Prætererant iam dies Septem sine vlla Congregatione, cum XXX. Octobris consultantibus Legatis (quod alijs antea diebus fecerant) *Hispani* omnes simul cum alijs nonnullis audientiam postulant, instantque denuo, vt definiatur Institutio, & superioritas Episcoporum *iure diuino*: hoc adiecto, nisi id fieret, deseri officium in re & iusta, & his temporibus necessaria, pro veritatis Catholicæ dilucidatione; seque protestantur amplius nec in Congregatione nec in Sessione interfuturos. Quo audito, multi Præsules Itali, cum in ædibus Cardinalis *Simonetæ*, & in cubiculo *Iulij Simonetæ* Episcopi *Piscariensis*, ita inter se constituissent, postridie mane coram Legatis comparuerunt, tres Patriarchæ, sex Archiepiscopi, vndecim Episcopi; petentes, ne in Canone poneretur, superioritatem *esse iuris diuini*; quod esset ambitiosum, & indecorum, ipsos in propria causa sententiam dicere, & à maiori parte improbaretur. Item, ne Institutio declaretur *iuris diuini*; occasioni scilicet vitandæ, de potestate Pontificis verba faciendi, quam ipsi conseruare & vellent, & deberent. Id cum *Tridenti* percrebuisset, sermonibus materiam præbuit, quasi ipsis Legatis procurantibus factum. Vnde post Vespertinas preces in Sacrario plures conuenêre opinionis *Hispanicæ* fautores; alijque earundem partium in ædibus Episcopi *Mutinensis*. At apud Archiepiscopos *Hydruntinum*, *Tarentinum*, & *Rossanensem*, & Episcopum *Parmensem*, quatuor alij conuentus habiti Pontificiorum. eoque processit tumultus, vt Legati, ne quid offensionis nasceretur subdubitarent, & necessarium iudicarent non modò deponere cogitationem habendæ Sessionis tempore constituto, verùm etiam antequam ad eius articuli decisionem venirent, qui tanti motus causa extiterat, de alijs Capitibus doctrinæ referre, & aliquid de Reformatione proponere; conquerente multum *Simoneta*, à *Mantuano* & *Seripando* parum sibi auxilij esse: qui tametsi aliquid agerent, non poterant tamen interiorem animi sensum prorsus occultare, in aduersam partem inclinatum.

Hispani Præsules cum alijs Legatos confertim adeuntes, declarationem Institutionis & superioritatis Episcoporum iure diuino petunt.

Pontificij cõtrà postridie ab Legatis, vt neutrum horum Canoni inseratur, postulant.

Cæterùm à Marchione *Piscariensi* venerunt literæ ad primores Prælatos Hispanos fiduciariæ; commissumque Secretario, vt cum ipsis strenuè ageret, moneretque, ne quid attingerent, in detrimentum Sanctæ Sedis cessurum. pro certo haberent, id Regi molestum inprimis futurum, magnaque ex eo incommoda suis Regnis euentura. Nec ab eorũ prudentia exspectari posse, vt de re aliqua certò statuant, antequã exploratam habeant Maiestatis suæ voluntatem. Datũ ei insuper in mandatis, vt significaret, si quis è Prælatis hæc monita negligeret, aut ipsis parere detrectaret. nam hanc esse Regis voluntatem, vt coniunctis animis Beatissimi Patris dignitatem tueantur. Si quid opus esset, cursores ad ipsum extraordinarios mitteret. *Granatensis* vnus ex eo numero, respondit, nunquam sibi animum fuisse aliquid contra Pontificem dicendi; & existimasse, quicquid pro Episcoporum authoritate diceretur, id Sanctitati eius pro beneficio fore: quippe qui pro certo habeat, imminuta eorum authotate, obedientiam debitam Sanctæ Sedi imminutum iri: tametsi satis sciret se præ senio tum superstitem non futurum. Suam sententiam Catholicam esse, pro quã mortem oppetere non dubitaturum: Se, cùm tantam oppositionem cerneret, haud libenter consistere *Tridenti*; vt qui exiguum fructum speraret; adeoque discedendi veniam & à Sanctitate eius, & Regia maiestate petijsse, percupidum reuertendi ad suos.

Marchionis Piscariensis ad Præsules Hispanos literæ, quibus suadet nihil in S. Sedis præiudicium ipsis tentandum.

Arch. Granatensis responsum.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

suos. Nec, cùm ex Hispania profectus esset, aliud in mandatis à Rege, aut à suis ministris accepisse, quàm vt Dei gloriam, pacemque, & reformationem Ecclesiæ præ oculis haberet; & hunc sibi scopum semper fuisse propositum. neque vero existimare se contra voluntatem Regiam quidquam commisisse, tametsi eam penitus nosse haud sui iudicij rem esse putet. Illud satis sibi perspectũ, Principes ministrorum suorum rogatu facile de verbis generalibus gratificari. *Segouiensis* etiam respondit, nunquam sibi propositum aliquid dicere, quod Sanctitati eius ingratum esset futurum: sed nec sibi iam integrum quod dixerat reuocare, existimanti se veritatem Catholicam locutũ: immo nec plura dicere posse quã dixerit, ex eo tẽpore in hoc argumento non versatum. Remotis deinde arbitris, vbi conuenissent omnes, ad aulam expediunt Doctorem quendam *Segouiensis* domesticum, cui mandant, vt Maiestatem Regiam edoceat, neque se, neque alios Prælatos merito reprehendendos, si Romanæ Curiæ studijs obsecundare non possint. Nam, quod erat maiestati suæ satis notum, penes se non esse quidquam proponere, sed sententiam solummodo dicere de rebus à Legatis propositis. Nimis id durum, interogare velle, & obligare ad respondendum, contra animi sui conscientiam. certo scire, se & Deum, & suam Maiestatem offensuros, si id vllo modo facerent. Non posse se reprehendi quod intempestiuè sint locuti; neque propositionem fuisse suam, sed responsionem. Quod si quid erroris à se admissum sit, ad eum corrigendum se paratos ex Maiestatis suæ præscripto. Verùm se iuxta doctrinam Catholicam locutos, & verbis adeo claris, vt certo sibi polliceantur rem omnem ipsi probatum iri. Illud se suppliciter petere, vt ipsos audire ante dignetur, quàm condemnet vel tacito existimationis suæ iudicio.

Et Episcopi Segouiensis.

Præsules Hispani æquitatem caussæ suæ Regi commendant.

Haud falso crediderant illi Prælati à Ministris potius Regijs, quàm ab ipso Rege hæc processisse. nam hoc ipso tempore egerat Cardinalis *Simoneta* cum alio quidam Hispano, Comitis *Lunensis* Secretario, docuitque, cum ipse Comes Concilio interesse debeat, necessarium esse, ità animo præparatus institutusque veniret, vt eos Prælatos in officio possit continere; alioqui ex ea re incomodum non modò Ecclesiæ Dei, verum etiam suæ Maiestatis regnis secuturum; illis hoc vnum spectantibus, vt omnem authoritatem sibi arrogent, & liberam in Ecclesijs suis administrationem. Quin & Secretario *Piscariensis* persuasit, *Lunensi* obiuam iret, eiusque animum de Prælatorum ipsorum consilijs & audacia informatum occuparet, doceretque è Regis vtilitate fore vti reprimantur. Et Cardinalis *Warmiensis* longas literas ad *Patrem Canisium* tunc in aula *Cæsarea* commorantem, conscripsit in eandem sententiam, ipsum Comitem eadem arte tractandum significans.

Card. Simonetæ artes ad Prælatos Hispanos reprimendos.

Item Card. Warmiensis.

Doctrinâ eâ, quæ ex sententijs dictis in Congregationibus præcedentibus collecta fuerat, iam publicè propositâ, ad suffragia ventum est, tertio die mensis Nouembris. Hic Cardinalis *Simoneta* suos præmonuit vt verbis parcerent, nec ad voces aculeatas excurrerent, eo tempore multò magis animos lenes & quasi edulcatos desiderante. Sed triduum de ea locuti, cùm propter materiæ connexionem sæpe in rem controuersam reciderent, visum est Legatis, aliquid de Reformatione necessario esse proponendum; præsertim appropinquantibus *Gallis*, & Episcopo *Parisiensi* palam dictitante, tempus esse huic rei principium dare, quò & *Gallis*, & alijs Nationibus tandem satisfiat. Deputandos dicebat ille, è quaque natione Prælatos, qui earum regionum necessitates studiose considerarent, quas Itali nec *Tridenti* nec *Romæ* satis intelligere possunt. Adhuc nullam reformationem factam; &, quod hactenus statutum, nullo loco habendum. Vnde Legati cum de reformatione referendum esset, ad multa incommoda declinanda necessarium iudicarunt, à Residentia capere initium.

Cum ob partium studia tractatio de doctrina non procederet Legati coguntur agere de Reformatione.

Atque in hac incipere à Residentia.

Iam supra narratum quid Pontifex ea de re scripserit. exinde Legatos cum suis perpetua solicitudo distinebat, de decreto formando, quod Pontifici satisfaceret: simul promissionis à Cardinale Mantuano Prælatis factæ ratione habita. Nam ipso statim initio rem Papæ permittendam proponere, ei promissioni contrarium videbatur. & magnam res habebat difficultatem, decretum eiusmodi proponere, cui si quid impedimenti obiectum esset, ad eandem permissionem rem deducere denuo liceret.

Legati prius, quam suffragijs rem Residentiæ permittunt, Patrum animos pertentant, & mul-

liceret. Exploratis eorum animis tum qui, vt remitteretur ad Pontificem adduci se patiebantur, tum qui ab ea mente prorsus alieni, comperiunt Concilium in tres partes prope æquales diuisum; nempe duas hasce, & aliam tertiam, quæ rem decerni volebat in Concilio, sine Sanctitatis suæ offensa. horum maiorem partem ad se traducere spes erat, atque ita aduersarios superare. Partiti inter se negotium egere adeo efficaciter, vt præter alios, septem Hispanos in partes suas attraxerint; in quibus fuere Asturicensis Salmanticensis, Dertusensis, Pacensis, & Elnensis; egregiam in prensando operam nauante Episcopo Maceratensi. tos in partes suas traducunt.

Ab Legatis ad ea quæ destinârant exequenda quatuor omnino rationes propositæ. Vna, vt Decretum conderetur cum præmijs tantum & pœnis. Altera, vt multi Præsules à Legatis contenderent, vti negotium ad Papam remitteretur. Atque hæc petitio legeretur in Congregatione, ea spe, quando haud segniter cum multis actum esset, tot ad eam sententiam accessuros, vt dimidio procul dubio sint futuri superiores. Tertia vt Legati de remissione referrent in Congregatione. Quarta, vt omissis alijs, Pontifex quamprimùm de Residentia seuerè vindicanda statuat: atque id decretum typis mandatum quaquauersùm ante Sessionem publicetur. sic enim aduersariorum conatibus præuorti posse, ipsisque vel ingratijs parendum. Sed primæ opponebatur, eos omnes aduersaturos, qui declarationem *de iure diuino* flagitassent; & existimaturos, hæc præmiorum ac pænarum remedia præ ipsa declaratione parum efficacia: præsertim cùm non desint superiorum Conciliorum & Pontificum Decreta, sed vtique neglecta. Etiam in constituendis pœnis & præmijs non defore controuersiam. Prælatos iniqua postulaturos, veluti collationem beneficiorum, saltem curatorum: tum abolitionem priuilegiorum, quæ Regularibus data, & alia immensa. Hoc quoque Decretum, ex quo fuerat propositum, donec in Sessione sit admissum, semper obnoxium fore mutationi; venientibus potissimùm Gallis, eius retractationem forte postulaturis. Secundæ opponebatur, non posse sine strepitu conuenire Præsules illos, qui apud Legatos instare debebant. Eos enim qui non vocati, indignè laturos se negligi, & in contrariam partem inclinaturos: aduersarios & ipsos facturos coitiones, & concituros tumultus, & de machinationibus interim conquesturos. Contra tertiam opponebatur; dicturos aduersarios, haud sponte assensum, sed ne de Beatudine sua diffidere viderentur; neque sententiæ liberè dicendæ facultatem fuisse. quòd si non sit assensum, nempe reuocari in dubium authoritatem Pontificiam: præterquam quod diceretur hanc remissionem à Sanctitate sua fuisse expetitam. Contra quartam objciebatur, nisi in Concilio recitetur Bulla Pontificis, Patres nihilominus definitionem postulaturos; sin legatur, metum esse, nonnullos vti sibi melius prouideatur petituros. Ita quicquid eius erit, parum è dignitate successurum. Tot obiectis vndique difficultatibus Legati extrahunt negotium, tametsi cum offensione vniuersorum, quibus innotuerat, illud in sermonem venturum. Coacti ad extremum aliquid statuere, sexto die Nouembris amplectuntur primam illam rationem Decretum proponendi cum præmio & pœnis. Postquam igitur de materia, quæ tum erat in manibus aliquot Patres verba fecissent, Cardinalis *Mantuanus* verbis aptis & accommodatis rem proposuit in hunc ferè modum. Esse rem necessariam, ab omnibus Principibus expetitam; ab Imperatore etiam sæpe solicitatam. Illum molestè tulisse hoc caput non continuo fuisse decisum; dumque vanis quæstionibus, & quæ nihil attinent, Patres occupantur, dilatam quæstionem principalem. Non esse materiam quæ disputatione opus habeat, sed ratione magis inuenta ad illud exequendum, quod omnes necessarium iudicant. Reges Catholicum & Christianissimum eadem de re institisse; totumq; populum Christianum esse in magna expectatione ad quem modum huic malo prouidebitur. Temporibus *Pauli III.* de hac materia tractatum, sed parùm appositè, nõnullis ad superfluas quæstiones tunc diuertentibus, quæ tum prudenter silentio sepultæ. Propter easdem rationes constare, nunc quoque non aliud tractandum, quàm quòd in Decreto proponitur. Atque inter alia dixit, se confirmatos in sententia verbis Oratoris *Lansaci*, bonis sanè rationibus sæpius commonstrantis, nihil aliud requirendum nisi vt resideatur, vnde verò ea ad residendum obligatio proueniat, id scire nihil aut parum cuiusquam referre. In Decreto inter cæteros articulos

Legati IV. rationes adferunt, negotiũ Residentiæ expediendi.

Quarum singulis suæ sint annexæ difficultates.

Card. Mantuanus primã rationem cum præmijs Residẽtiũ, & pœnis non Residentium Patribus commendat.

Et superuacaneis quæstionibus omissis, nõ aliud tractari, quam Decreto proponitur.

Capite vno Decreti Residentes eximũtur à soluendis decimis, subsidijs & grauaminibus.

articulos erat & iste, ne Episcopi Residentes tenerentur ad soluendas decimas, subsidia, aut quoduis aliud grauamen quacunque authoritate, etiam Regum & Principum mandato impositum. Caput hoc grauiter Oratores cõmouit. verùm eo dissimulato *Lansacus* apud Cardinalem *Mantuanum* dolorem professus est, quod se non ante monitum nominasset: fassus se ad eam sententiam cum ipso locutum, sed vt amicum priuatum, non vt Oratorem; atque quò grauiorem conquestionis caussam habere videretur, adiungens, doluisse quoque sibi, Regem Catholicum ante Christianissimum nominatum. De Decimis nihil addidit, vt qui speraret partim hoc motu à se facto, partim etiam aliqua oppositione, quam facturi videbantur assertores *iuris diuini*, se illam Decreti formam posse impedire. Neque vlterius progressus *Quinqueccleſiensis* est, quàm vt diceret, non credere se eam esse Imperatoris mentem, quam Cardinalis proposuerat. At Secretarius *Marchionis Piscariensis* apertè postulauit, eiusmodi verborum temperamentum quæri, ne quod præiudicium adferrent gratiæ, ab Pontifice Catholicæ Maiestati in subsidium triremium factæ. Crediderunt Legati hoc modo se animos Prælatorum cepisse; at illi audita exceptione pro Rege Hispaniæ cœperunt inter se dicere, ostentari sibi verbis gratiam, quæ re præstari non posset. Nam & in *Hispania*, & in *Gallia*, & sub quocunque alio Principe, ad soluendum adactos iri; quin & in statu Ecclesiæ vnâ clausulâ; *Non obstantibus*, hanc gratiam sibi irritam fore.

Contra id caput excipit Secretarius Oratoris Hispani.

Proxime Residentiã cum de Ordine ageretur, super institutione Episcoporum oritur quæstio, de Decreto in ea re superiore Cõcilij conuocatione facto, sed non publicato.

Postridie à Residentia ad Ordinem Episcopalem transitum est. Et cum *Segouiensis* iterasset, Episcoporum institutionem *de iure diuino* tractatam & decisam in eodem illo Concilio, tempore *Iulij III.* cunctis approbantibus, seq; ea de re tunc sententiam dixisse: cúmq; diem & horam quando id factũ est, designasset Cardinalis *Mantuanus* acta illius temporis proferri iubens, dedit Secretario legendum id, quod tum definitum fuerat, vt publicaretur: sed ea expositione adiecta, ex qua concludebat, neque decisum, neque examinatum, nec propositum eo modo sicuti à *Segouiensi* dictum. Cui respondente Episcopo, vtcunque verbis in speciem honorificis, tot deinde secutæ sunt replicationes, vt finem Congregationi imponere oportuerit. Et quoniam auebit fortasse aliquis audire vter duorum ex vero locutus sit, non erit, opinor, abs re, hoc loco referre quid tum in Congregationibus decretum: tametsi propter repentinam Concilij dimissionem, quam suo loco narraui, in Sessione minime publicatum. Erant tum composita tria Capita de Doctrina, quorum tertium inscriptum *de Hierarchia & de distinctione Episcoporum ac Presbyterorum*; ibi post multa verba facta de Hierarchia, hæc sequuntur. *Docet prate rea Sancta Synodus, non esse audiendos eos, qui dicunt, Episcopos non esse institutos iure diuino; cùm manifeste constet ex literis Euangelicis, quod ipse Christus Dominus noster Apostolos vocauit, & ad gradum Apostolatus promouit, quorum in locum subrogati sunt Episcopi: nec cogitandum est hunc adeo necessarium & eminentem gradum humana institutione introductum in Ecclesiam, quod esset diuinam prouidentiam calumniari, & vituperare, quasi in rebus nobilissimis deficeret.* Hæc erant verba eius Capitis Doctrinæ. Conditi etiam Canones octo, quorum octauus sic habebat. *Si quis dixerit Episcopos non esse institutos iure diuino, aut non esse Presbyteris superiores, aut non habere ordinandi authoritatem, aut eam etiam Presbyteris competere, anathema sit.* Cuicunque opinione aliqua mens præoccupata est, eam quicquid legit, vbique inuenit; vt mirum non sit, hos duos Præsules, opinionem vtrumque suam ijsdem in verbis reperisse, & quæ Pontificij de sola ordinis potestate dicta intelligebant, *Hispanos* de tota, quæ & ordinem & iurisdictionem complectitur accepisse. quamuis non deessent è Pontificijs, qui crederent, *Mantuanum* simulantem se cum cæteris sentire, dedita opera curasse vetus Decretum legendum, non vt sententiam suæ partis confirmaret, sed *Hispanorum*, cui secretò adstipulabatur.

Decreti verba citantur, vt Mantuanus, an Segouiensis magis verè locutus sit, appareat.

Card. Lotharingio & Gallis Tridentũ appropinquãtibus dies Sessionis prorogatur.

Cum ingressus esset Italiam *Lotharingius*, non poterat Pontifex Gallis denegare, quin efficeret vt exspectaretur. Scripsit itaque *Tridentum* vt Sessio produceretur, ita tamen, ne vltra finem mensis Nouembris ea dilatio exiret. Vnde vbi Legatis nunciatum est Cardinalem venisse ad *Lacum Benacum*, in Congregatione ad nonum Nouembris proposuit Cardinalis *Mantuanus*, vti Sessio differretur vsque ad XXVI. eiusdem mensis. Quod cum ignoraret *Lotharingius*, præmisit *Carolum de Grassis*

Episcopum

Episcopum *Montis Faliscorum* datis ad Legatos literis significans, modò non dedignentur exspectare, se intra paucos dies *Tridenti* fore. at illi quo maiorem apud eum gratiam inirent, vsque in aduentum eius Congregationibus habendis supersedere decreuerant. Retulit Episcopus, Cardinalem illum in omnibus suis sermonibus honesta studia præ se ferre; velle etiam quæ pro sententia dicturus est Sanctitati eius transmittere, vt ea inspicere posset. Prælatos qui ipsum côitantur, erga Dei honorẽ, & aduersus Apostolicam Sedem optimè esse animatos. immo sperare, Gallorum aduentum ad concordiam res in Concilio adducturum; facturumque, vt reformationi cum fructu opera impendatur, citra omnem ad proprias vtilitates respectum: & alia huius generis. Quæ tametsi ab Episcopo testata, & ab Oratore *Ferrerio* confirmata; tamen à Pontificijs officiosè tantum dicta credebantur: non quò quicquam diligentiæ adhibendis remedijs omnibus, & *Romæ*, & *Tridenti* destinatis, ommitteretur.

Ferdinandus. 2. *Philippus.*

Episcopus Montis Falisci de Lotharingio & comitibus bene sperare iubet.

Ingredienti *Tridentum Lotharingio* obuiam processere ad mille passus Cardinalis *Madrucius* cum multis Prælatis; & ad portam vrbis Legati omnes, inde vsque ad ædes hospitij ipsum comitati. Equo vehebatur medius inter Cardinalem *Mantuanum* & *Seripandum*, quem honorem ei habere sibi necessarium putabant, quoniam ita acceptus esset à Cardinalibus *Montano* & *Sanctæ Crucis*, Pontificijs *Boniniæ* Legatis, quo tempore Concilium in ea vrbe habebatur, & ille Romam proficisceretur galerum Cardinalitium accepturus. Ad vesperam visebat ille ad Cardinalem *Mantuanum*, postero die simul cum Oratoribus Lansaco & Ferrerio ad audientiam ab Legatis admissus. Exhibuit Regis literas inscriptas Concilio, & longam super ijs orationem habuit. Ostendit propensionem suam ad obsequium Sedis Apostolicæ, omnia sua consilia cum Pontifice atque ipsis Legatis se communicaturum pollicitus; nec aliquid postulaturum, nisi sponte Sanctitatis suæ; nec in quæstionibus inutilibus fore curiosum. Addit, duas illas controuersias de Institutione Episcoporum, & Residentia, de quibus quaquauersum tantus sermo esset, sicut imminuissent authoritatem Concilij, ita de bona illa existimatione plurimum delibasse, quàm de eo omnes conceperant. De se quidem, in eam sententiam magis inclinare, quæ vtramque iuris diuini affirmat; verùm tametsi illæ opiniones essent certissimæ veritatis, nullam necessitatem videre, ne oportunitatem quidem, cur ad eius rei declarationem veniendum sit. Concilij hunc debere esse finem, vt ad Ecclesiæ vnionem reducantur ij, qui secesserunt; venisse se in Colloquium cum Protestantibus, nec eos reperisse adeo discrepantes, vt reconciliari non possint, modò abusus tollerentur; nec vllum tempus magis oportunum ijs reducendis, cum certò sciatur, nunquam cum Imperatore adeo fuisse coniunctos. Multis ex ijs, ac nominatim *Duci Wirtembergico* voluntatem non deesse adeundi Concilium; sed esse necessarium eorum desiderijs satisfacere Reformationis aliquo principio facto. Quam in rem vti ipsi tota cogitatione incumbant, Dei honorem flagitare.

Lotharingius Tridentum ingreditur.

Ab Legatis admissus habet orationem.

Exposuit deinde Regis desiderium, vt populorum suorum necessitati opportunis remedijs subueniretur. nam vt in præsentia bellum cum Hugonotis geritur, ita nisi corruptelis remedia adhibentur, cum Catholicis plus negotij fore; quorum obedientiam breui amissum iri. Has esse causas, ob quas à Regia Maiestate ad Concilium sit missus. Conquestus est, quod ex tota pecuniæ summa, quam Pontifex Regi mutuam se daturum promiserat, haud amplius quàm viginti quinque millia Coronatorum exigi potuerint, ab Cardinale *Ferrariensi* numerata; idque propter conditiones in mandatis appositas, nempe, ne exigeretur, nisi ea lege, vt ex omnibus Regni Parlamentis Pragmaticæ tollantur; quòd tantæ est difficultatis, vt spes omnis adempta sit vel vnius nummuli colligendi. Ad extremum dixit, se noua mandata Oratoribus attulisse, adeoque quàm primùm Synodum allocutus esset Regis nomine in proxima Congregatione, ex eo tempore nihil aliud quàm liberè sententiam suam vt Archiepiscopum dicturum, negotiorum Regni procuratione seposita, eorumque curâ ipsis relictâ.

Responsum à Legatis absque aliqua inter se consultatione, prout cuique commodum

Legatorum responsum.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

modum visum est. laudant ipsius pietatem & deuotionem versus Sedem Apostolicam; seque paratos ostendunt omnia cum ipso negotia communicare. Narrant, quanta patientia vtendum fuerit in toleranda Prælatorum dicendi libertate, imo licentia; qui excitandis nouis quæstionibus longiùs peruagati essent. Iam verò coniuncta sibi Amplitudine sua Illustrissima non dubitare, quin eius consilio tantam illam licentiam comprimere possint, ipsiusque ope & auxilio lites etiam ex illa licentia enatas componere; atque in posterum tanta cum dignitate procedere, vt omnes tantum ex ea re satisfactionis percepturi sint, quantum hactenus alienationis senserint. Quod ad Protestantes; nimis esse notam eorum perfidiam, qui cum se haud alienos à concordia ostendant, tum verò maximè metuendi, ne nouas maioris discordiæ causas machinentur. Nam illud certum, eos Concilium postulasse, sperantes fore, vti ipsis negaretur; atque eo ipso tempore quo petebatur, perquam sedulò impedimenta obiecisse, & iam nunc quoque eos, qui *Francofurti* conuenerunt, omnem operam dare ne procedat: & id ab Imperatore omni studio contendere, vt ei aliquam moram inferant. Odisse ipsos vel nomen Concilij, non minus quàm Pontificis; nec alium in finem id antehac ostentasse, quàm vt Apostasiam suam à Sede Apostolicâ obtegerent & excusarent. Itaque nullam de ipsorum conuersione commodam spem fouendam, sed tantummodo ad bonos Catholicos in fide conseruandos animum aduertendum. Laudant pietatem & propensionem Regis. commemorant studium Pontificis in Ecclesia emendanda: quantumque in Curiæ suæ reformatione desudarit; etiam imminutione propriorum redituum posthabita: vtque ad Concilium subinde scripserit reformationem vrgens. Ac Legatos quoque ad eam vehementer esse procliues & propensos; sed contentionibus Prælatorũ tempus prope omne absumentibus retardari. Quod si in *Gallia* periculum esset, ne obedientia Catholicorũ Regi decederet; dignã esse eam rem, de qua cũ Sanctitate sua agatur. Quod ad pecuniam creditam, tam eximium esse dicebant paternum Pontificis in Regem & Regnum *Galliæ* amorem, vt pro certo habendũ sit, conditiones commodato adiectas, non nisi necessitatis causa interpositas. Ita postquam inter se varijs officiorum significationibus decertassent; placitũ est, Cardinalẽ die Lunæ in Cõgregationẽ generalem venturum, vt exponat Patribus aduentus sui causam, Regisq; ad ipsos literas recitet.

Legati Card. Lotharingij dicta factaque ad exactioris trutinæ examen appendentes, varias suspicionum caussas deprehendunt.

Legatis magnam solicitudinem iniecêre ea Cardinalis verba, quum dixerat, se negotijs Regni nolle implicari, sed eam curam Oratoribus relinquere. neque enim congruebant cum eo, quod paucis ante diebus *Lansacus* & *Ferrerius* professi sunt, de aduentu Cardinalis sibi gratulati, quasi eos omni onere & munere subleuaturi, quod (vt ipsi dicebant) totum in illius humeros incubiturum esset. Ex quo colligebant attentis oculis in eiusmodi dissimulationes inspiciendum, præsertim, cum certis authoribus Cardinali *Simonetæ*, *Mediolano* nunciatum fuisset, Abbates Gallos cum ad *Sancti Ambrosij* diuertissent, haud veritos dicere, se cum *Hispanis*, *Germanis*, & cæteris Vltramontanis sese consociaturos: necnon ire ad res tractandas parum Curiæ Romanæ placituras. ad hæc, in cunctis *Gallorum* congressionibus hæc fere iactari. Non esse in quæstionibus conterendum tempus illud, quod in Colloquio de Reformatione insumi par esset. Incipiendum à pluralitate Beneficiorum profliganda, & ad ea relinquenda Cardinalem primum fore. Dispensationes gratuitò concedendas; auferendas Annatas, Præuentiones, Paruas datas; & vni beneficio vnica prouisione consulendum. Tum ista verbis amplificant, dari Pontifici occasionem bellissimam, gloriam immortalem sibi consequendi, si hæc decernenda curet; satisfacturum valde populo Christiano, pace ei & concordia data, ac remedio incommodis & corruptelis prouiso: populumque vicissim in remunerationem Sanctitati suæ dimidiam decimam soluturum. Se eò venisse, certos non discedendi prius, quàm experiantur, ecquid his omnibus malis remedij prouideri possit, quantumuis diuturna mora sit trahenda. Quod si certis indicijs perspexerint, omnino prouisum non fore; se sine vllo strepitu reuersuros in Galliam, & sibi domi suæ consulturos. Acceperant etiam Legati penè pro certo, arctissimam esse Cardinali cum *Imperatore* consiliorum communionem, & quod pluris ducebant, cum Rege *Bohemiæ*, quorum vterque manifestè eò propendebat, vt aliqua ex

parte

parte Principibus Germanis satisfieret. Nec erat dubium quin ij Concilium odissent, gratúmque habituri essent, si non procederet, sed dissolueretur; verùm aliqua eiusmodi ratione, quæ & sibi commoda, & Sedi Apostolicæ ipsique Synodo parum esset honorifica. Habebant quoque suspectum Regem Catholicum propter nuncium, qui ad Secretarium *Comitis Lunensis* allatus. Nempe post expedita iam in *Hispania* mandata Legationis; quæ darentur Comiti, ob varios nuncios qui superuenerant, decretum, mittere *Martinum Gazdellonum* Secretarium olim *Imperatoris Caroli V.* vt ei mandata verbo referret, quæ scripto committere non placuit. Hoc cum alio quodam nuncio, quem è Gallia acceperant, reputantes, *Lotharingium* viz. ante discessum è *Gallia* communicasse cum Maiestate sua Catholica postulata, quæ in Concilio tractare decreuerat; cumque certò scirent, illum è Germania etiam rogatum, vt rem reformationis premeret, metuebant valde ne aduentus illius Cardinalis insignes nouitates parturiret. Neque ipsis vllatenus placebat, in prima audientia iniecta mentio aduentus Germanorum ad Concilium; præsertim reputantibus Colloquium, quod cum *Duce Wittembergico* habuisset. In summa cum aliter conijcere non possent, quàm hominem tanta authoritate & prudentia nunquam fuisse profecturum, nisi posito fundamento satis firmo, cui destinata inædificaret, putarunt sine mora Nuncium expeditum ad Pontificem mittendum, per quem hæc omnia ei consideranda repræsentarent. Et quoniam obseruarant, quotiescunque *Tridentum* venirent, aut inde proficiscerentur Nuncij extraordinarij, Prælatos inde mox occasionem captare sermones miscendi, caussam profectionis sciscitandi, obmurmurandi, perstrependi, machinandi etiam (quæ res post Cardinalis aduentum effectus posset producere periculosiores) visum ipsis & secretò mittere, & per literas petere, *Romæ* Cursoribus præciperetur, vt vltima statione & *Tridento* proxima, relicto itineris duce, cæterisque impedimentis omnibus, vrbem silentio, fasciculum tantùm literarum ferentes, subirent.

Ferdinandus Philippus 2.

Quas Pontifici pro sua suorumque Romæ prudentia considerandas proponunt.

Et imperandũ Cursoribus, vt secretò Tridentum ingrediantur.

Cardinalis in Congregationem non venit, prout constitutum erat, sequenti die febricula, tametsi leuiori correptus: ostendit tamen cupere se, vt lentè procedant, quò & ipse ante, quàm quidquam decerneretur, interuenire posset. Et Legati gratiam apud ipsum inituri, Congregationem multò tardius solito conuocant. In qua, interueninebus Episcopis & Cœnobiarchis Gallis, generalis quædam recensio primùm facta, & suus cuique locus assignatus. Repertus ibi Prælatorum numerus, ad CCXVIII. Postero die, quòd de præcedentia natum esset nonnihil difficultatis, recensio de integro facta est, introductis in Congregationem Prælatis singillatim, & vnoquoque ad suum locum perducto. In ijs tamen Congregationibus, Gallorum nemo verba fecit; siue quia Cardinalis aduentum præstolabantur, siue vt quid ab alijs fieret, obseruarent. Ceterum die XIX. Nouembris multis Prælatis ab *Archiepiscopo Hydruntino* ad conuiuium vespertinum inuitatis, is, cui munus vocandi conuiuas erat impositum, orabat singulos, pro honore bonoque Sedis Apostolicæ ne grauarentur venire. Extemplo toto *Tridento* diuulgatum est, Pontificios conuenire, vt de societate contra Gallos constituerent. Quæ res admodum ipsis displicuit, eoque magis, quod finito conuiuio certiores facti, eiusmodi sermones in mensa fuisse: cumque post aduentum suum quotidie propemodum cernerent aliquem Prælatum nouum ad Concilium accedere, videbantur sibi pro infidis & aduersarijs haberi. At Legati honori quem Cardinali deferebant, fiduciæque testandæ, quoties eum singuli per infirmam valetudinem inuisebant, authores fuere, vt adeo pulchram occasionem arriperet, controuersias è quæstionibus natas authoritate sua consopiendi: quod & ipsi facile, & perhonorificum futurum esset, eâ operâ ab alijs frustrà tentatâ. Quam in rem Cardinalis & animum satis propensum prodidit, & operam promisit.

Cardinalem febricula, ne in Congregationẽ die præstituta veniat, remoratur.

Conuiuiũ Archiep. Hydrũtini sapit factionem opinione Gallorũ.

Pontifex per eos dies morbo graui & improuiso in aliquod vitæ discrimen adductus, recuperatâ iam valetudine, ab Legatis, & aliunde, quà Galli transierant, nuncios accepit, plurima de eorum consilijs & inter se congruentia significantes. Quibus accesserat, quòd laborante Pontifice, *D. Insulanus* Gallus egerat cum multis, vt è vita *Pio* decedente, Papa per nationes *Tridenti* crearetur: sede tamen in-

Papa valetudine à morbo confirmata, omnes de Lotharingio & Gallis male suspicandi occasiones animo volutat.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

terea donec reformatio facta esset, vacante. Eo pacto & Concilium fore liberum, & Papam, reformationem ante, quam creatus esset, constabilitam, haud grauatè acceptaturum. Id verò præter cætera Pontificem grauissimè commouit; tum quòd cuiuis, maximè verò Principibus molestum esse solet consilia de rebus à morte ipsorum gerendis agitari: tum quod nulla alia ratione certior reddi poterat de Gallorum Curiam & Pontificatum reformandi instituto. Ad quæ accedentibus controuersijs perpetuis de institutione Episcoporum, & de Residentia, quæ *Tridenti* agitabantur, Congregationes habuit quotidianas. Neque se continebat, quin apud omne genus hominum dictitaret, nullum sibi incumbere negotium Concilio grauius & periculosius. Cumque in Consistorio referret ad Patres purpuratos de controuersijs ob caussam Institutionis, & de Residentia nouiter repetita, non potuit quin exclamaret, *omnes Episcopos à se Beneficiatos sibi esse aduersos, &, se Tridenti exercitum alere inimicorum.* Quin & nonnulli in eam venerant opinionem, interiori animi sensu illum exoptasse, vt *Hugonotorum* rebus in Gallia accessio fieret, aut potiores aliqua ex parte essent Protestantes in Comitijs Germaniæ; quò Concilium, se minimè auctore, dissolueretur. Veruntamen totus intentus ad remedia, constituit primum, vt Episcopi nondum *Româ* digressi continuò ad Concilium proficiscerentur; vtque *Marcus Antonius Boba* Episcopus *Augustæ Prætoriæ* Orator apud se *Ducis Sabaudiæ*, eò se conferret. Contra prohibuit Archiepiscopum *Turritanum* eò proficisci, & Episcopum *Cesenatem*: illum, quòd in Concilio sub *Paulo* in re Residentiæ maiore constantia quàm id tempus ferebat, defendisset eam esse *de iure diuino*; hunc verò, quod ex intimis esset *Cardinalis Neapolitani*. Quem & suspectum habebat propter carnificinam in duos eius auunculos exercitam, ac seueritatem in ipsum; & metuebat, quòd in manibus *Comitis Montebellensis*, qui Pater erat *Cardinalis*, dicebatur esse Syngraphum manu ipsius Papæ conscriptum, quo tempore Cardinalis erat in Conclaui, in quo *Neapolitano* certam pecuniæ summam, vt fautorem eum experiretur, pepigerat. Tametsi verò Gallis cum primis diffideret, tamen dissimulandum ratus, misit in *Galliam* quadraginta millia Coronatorum, reliqua de centum promissis; nec non *Tridentum Sebastianum Gualterum* Episcopum *Viterbiensem* simul cum *Lodouico Antinorio*; quibus, quòd in Gallia fuissent, cum quibusdam ex illis Prælatis aliqua consuetudo intercesserat, & fauor deferebatur ab Cardinale, quem obsequij & honoris specie adibant. Scripsitque ad ipsum & *Lansacum* literas plenas humanitatis & fiduciæ. Verùm ab ipsis ita judicatum est, hosce missos, vt Cardinalis consilia detegerent, & actiones obseruarent; præsertim *Româ* monitis, Episcopum illum erexisse Pontificem, ne tantum rebus suis timeret: inuenturum scilicet Cardinalem difficultates & impedimenta plura opinione: se quoque obtulisse, nouas ei molestias, si opus esset, creaturum.

Et aduersum eas remedia comparat.

Gallis licet diffideret, dissimulandum censet: quod illi tamen subodorantur.

Die XII. Nouembris statuit Cardinalis postridie in Congregationem ire. Conuenerat vt Regis literæ primùm recitarentur, dein *Lotharingius* & ipse Orationem haberet; sed hoc insuper petijt Cardinalis, vt *Ferrerio* Oratori aliam etiam habere liceret. Verùm hic ab Legatis haud assensum est. Et vera eius rei caussa erat, quoniam si id semel esset permissum, tum ipsis, tum cæteris omnibus Oratoribus ad voluntatem dicendum foret, & proponendum, non sine periculo maioris confusionis. Sed hanc caussam reticentes dixerunt, in eo Concilio, nec illo tempore, neque sub *Paulo* & *Iulio* vnquam permissum, vt Oratores in Congregatione verba facerent, præterquam quo die essent admissi. Itaque nisi voluntate Pontificis eiusmodi nouitati se haud assensuros. At *Lotharingius* respondit, quando nouæ sint Regis literæ, & noua mandata, nouam quoque Legationem dici posse, & hunc veluti primum etiam aditum fore. Multis tandem vltro citroque dictis, cùm *Lotharingius* promisisset, non vltra postulaturos vt verba faciant, nisi illa tantum vice; tum vt ei satisfacerent, tum ne occasionem arriperet offensionem profitendi, assensi sunt.

Card. Lotharingius non nisi grauatè impetrat à Legatis, vt Ferrerius in Congregatione orationem habeat.

Igitur postero die conuocata Congregatione, recitatæ sunt Regis literæ, inscriptæ Reuerendissimis Patribus in Sacrosancto *Tridentino* Concilio congregatis.

Literæ Caroli Francorũ Regis ab Card.

In

In ijs dicebat, quòd cùm Dei voluntas fuisset se ad Regnum vocare, placuisse etiam eius infinitæ prudentiæ, plenum id tumultuum & ciuilium bellorum sibi committere: oculos tamen ita ipsi aperuisse, vt, quamuis puer, cognoscat, præcipuam malorũ caussam non aliunde, quàm ex varia & multiplici de religione opinione, qua populus imbutus est, processisse. Itaque Sancto Spiritu ductum, cum primum Regia corona insignitus esset, nihil magis habuisse in votis, quàm maiorum exemplo ad Sacros conuentus, velut ad eius ægritudinis vnicum & præsens remedium confugere; & hanc ipsam, in quam iam conuenerant, Synodum expetere. Illud se grauissimè tulisse, quòd, qui huius adeo pij instituti author fuerit, non tamen efficere potuerit, vt Prælati sui inter primos conuenerint; sed eius dilationis caussam & cæteros omnes, & ipsos necessariam iudicasse. Cumque aduenire iam videant Cardinalem *Lotharingium* alijs Prælatis comitatum, facile existimaturos omnia seriò & ex sancta voluntate gesta. Caussam cur dictum Cardinalem miserit, duplicem esse: Vnam, quòd ille sui muneris non oblitus, sæpius & vehementer illuc eundi facultatem petijt. Alteram quòd à teneris annis ad secretiora Regni consilia euocatus, & in grauissimorum negotiorum administratione educatus, optime nosset fontes & origines tumultuum Gallicorum, & quibus rebus egeant, vt ij sedari possint. Seque ei in mandatis dedisse, ea apud ipsos exponere, & quæ à prudentia ipsorum ac amore paterno remedia rite expectari possent, ab ipsis impetrare: non solùm propter sui Regni tranquillitatem, sed etiam totius Reip. Christianæ salutem. Eam si præ oculis haberent, peruenire posse ad laudatam & expetitam rerum commendationem, quæ Episcoporum iniuria & hominum malitia funditus perierat: ac in honorem & exaltationem Dei nominis, vnitatemque Ecclesiæ, futurum, vt antiqua illa Catholica Ecclesiæ maiestas & integritas resplendeat. Eam rem ipsorum munere dignam, vniuersum orbem ab ipsis requirere: id si fecerint, accessuram ipsis à Deo remunerationem inenarrabilem. Reges item & Respublicas Principesque omnes, se ipsis deuinctos existimaturos, ipsorumq; pietatem magna cum laude posteritati commendaturos. Concludit, quoniam Cardinalis ea plane nosset, quæ ipsos speciatim scire cuperet, obsecrare, vt illum æquo & lubenti animo audiant, eamque illi fidem, quam sibi, si illic esset, adhibeant.

Lotharingio Patribus exhibitæ in Cõgregatione generali perleguntur.

Cardinalis deinde locutus, principio Regni miserias commemorat. Deplorat bella intestina & plusquam ciuilia; nec templis parci, & Religiosos trucidari, Sacramenta conculcari, inflammari ornamenta Ecclesiastica, imagines, libros non tantum Ecclesiarum, sed & Bibliothecarum antiquissimarum, Sanctorumque reliquias. Nec sepulchris Regum, Principum, Episcoporum abstineri. Nomen Dei blasphemari; expulsis Pastoribus fures ac latrones ascendere, apud quos iuge sacrificium cesset. Tum ad res politicas progressus; Contemni dicebat Regis maiestatem: non vectigalia modò, sed & prouentus negari, iura & leges silere, populum ad defectionem excitari. Et horum omnium malorum caussam conferebat in corruptos omnium ordinum mores, ac Ecclesiasticam disciplinam collapsam, hæreses non suppressas, & à Deo instituta remedia tamdiu neglecta. Inde ad Principum Oratores conuersus, hæc illis cogitanda proponit, & quod in *Gallia* nunc otiosis videre licet, sera nimis pœnitentia experturos, si mole sua Gallia ex vicinia ipsos in ruinam trahat. Superesse tamen huic malo remedia, magnæ spei Regem, in quo omnium virtutum igniculi relucent; *Reginæ* viduæ, & *Nauarræ* Regis optima consilia; infractas Procerum vires; nullis opibus parci, copias comparari auxiliares, viam vi fieri. Sed nullum præsentius remedium, quàm quod ab illa Sacrosancta Synodo expetitur; ex eo loco pacem Dei omnem sensum exsuperantem exspectari. Quæ cum *Christianissimus Rex* sibi persuadeat, duo tamen præcipua esse, de quibus ipsos admoneat, pro sua in Synodum obseruantia, ac pro ea quam sentit ex ijs diffidijs in religione summa molestia. Primum, vt noua diffidia vitent, nouas & infructuosas quæstiones relinquant, enitantur vt Principes & Prouinciæ omnes ab armis abstineant; ne Protestantes existiment, magis eo conuentu Principes ad arma excitari, & societates & fœdera iniri ad bellum, quàm de vniuersali omnium animorum reconciliatione decerni, à sollicitis ante omnia seruari vnitatem

Card. Lotharingus capita literarum Regis Oratione habita explicat.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

ratem pacis. Cuius authorem fuisse *Henricum Patrem*, eamque quasi Testamento filio *Francisco* commendasse; *Franciscum* eandem retinere conatum. Pupillo iam & Reginæ matri bella intestina valde timeri, quietem publicam exoptari. Quod etsi infœliciter successerit, infœliciores tamen belli euentus esse pertimescendos, ne cum omnes in eodem periculo versentur, eâdem tempestate acti, nemo adiuuet periclitantes: ita vnum idemque omnes naufragium faciant. Summam propterea rationem haberi Regem desiderare eorum qui lapsi sunt, vt illis, quantum ex Deo possint, condonent; quibus & amicos esse liceat, sed vsque ad aras. Alterum Legationis suæ Caput, esse Regi cum Imperatore & reliquis Regibus & Principibus commune, nempe, vt de reformatione & morum & Ecclesiæ disciplinæ omnino decernatur. De hac iterum iterumque ipsos admonere, ad eam serio amplectendam hortari, & per Dominum nostrum *Iesum Christum*, qui iudicaturus est viuos & mortuos obtestari, si Ecclesiæ auctoritatem integram esse volunt, si inclinatum Galliæ Regnum retineri posse iudicant; nec è suis commodis Gallorum incommoda metiuntur. Quod si vniuersa *Italia*, si *Hispania* omnis sedem & clauum tenet, gratulari se ipsis hanc fœlicitatem, Gallos certè puppi excidisse, & vix supremo digito gubernacula tenere. Subiunxit, si quæratur caussa tantæ tempestatis, auctor tanti mali; non sine pudore & pœnitentia dicendum, *Propter nos hac tempestas orta est: propterea mittite nos in mare*. Quare opus esse viribus & pectore firmo, & attendendum sibi, & vniuerso gregi. Ad extremum ait, finitam sibi Legationem. si quid ipsos scire amplius oporteat, Regis Oratores, quod reliquum est, curaturos. Se, & eos, qui secum vna ex Gallijs aduenerunt Coepiscopos testari, se *Beatissimo Papæ Pio* post Deum subditos esse velle; eius in terris primatum super omnes Ecclesias agnoscere, cuius nunquam imperia sint detrectaturi. Ecclesiæ Catholicæ, ac Sacræ Generalis Synodi Decreta venerari. Legatis fasces submittere, Episcopis dexteras societatis offerre. Quòd Oratores præsentes habituri essent testes sententiarum suarum, gratulari; vt Spiritu Sancto duce in omnibus, per omnia, & semper honorificetur *Deus & Pater Domini Nostri Iesu Christi*.

Lotharingio respondet primùm suis verbis Card. Mantuanus. Dein Synodi nomine Archiep. Iaderensis.

Cum perorasset *Lotharingius*, Cardinalis *Mantuanus* paucis laudauit eum ob laborem ad Dei gloriam susceptum, attestatus Synodum totam eius aduentu recreari. Fecit etiam honorificam de fratribus ipsius mentionem, hanc illis tribuens laudem, quod in sua professione nihilo minorem testarentur promptitudinem in Dei cultu & Regni vtilitatibus promouendis. Cætera reliquit responsioni, quam Synodi nomine facturus erat Archiepiscopus *Iaderensis* ad eam rem deputatus. Is Synodum dicebat incredibili dolore affectam, cum intelligeret seditiones & tumultus bellicos religionis causa concitatos in Gallia, cuius quietem & tranquillitatem semper admodum charam habuerit. Verùm tanto nunc acerbiùs hanc calamitatem ferre, quòd eam Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis non modò commemorauerit, sed rerum Gallicarum veluti expressam imaginem omnium oculis subiecerit. Breui tamen futurum confidere, vt Deo dante Rex pristinam maiorum suorum virtutem imitatus, eorum nefarios conatus reprimere, & audaciam vlcisci queat. Synodum omnem diligentiam adhibituram, quò verus Dei cultus agnoscatur, mores emendentur, pax & tranquillitas Ecclesiæ restituatur: ipso præsertim non impulsore solùm, sed adiutore, & Consiliario. Atque in laudes *Cardinalis* effusus concludit, Synodum de ipsius aduentu Deo Immortali gratias agere, ipsi gratulari, & quicquid suo loco & tempore ab Oratoribus dicetur, libentissimè audituram. neque dubitare, quin illa proponantur, quæ inprimis cum Dei gloria, Ecclesiæ vtilitate, & summa Apostolicæ Sedis dignitate sint coniuncta.

Renaldi Ferrerij Regis Galliarum Oratoris oratio.

Post hunc verba faciens Orator *Ferrerius*. Principio laudat pium Regis animum, nunc aduentu & oratione *Cardinalis* illustriùs perspectum. Inde cerni posse, quantum Galli Ecclesiæ Catholicæ consultum velint; neminem esse qui non intelligat, grauissimas esse causas quibus adductus Rex illum miserit, cuius consilio in rebus magnis agendis semper vsus sit. Posse Regem vel triduo seditiones omnes componere, inque officio *Gallis* innato subditorum omnium animos retinere, si quæ sua sunt tantum quærat, non quæ sunt Catholicæ Ecclesiæ, & Pontificis Romani; cuius digni-

dignitatem & authoritatem vt in *Gallia* retineat, Imperium, vitam, & fortunas magnorum Principum ac Nobilium in periculum adducere. Dilapsus inde ad postulata, subiungit; in ijs non fore morosos & difficiles, nihil aliud petere, quàm quod totus orbis Christianus efflagitat, quod à Concilij *Nicani* Patribus petijt ille magnus *Constantinus*, hoc ipsum requirere Regem Christianissimum: omnia illius postulata contineri aut sacris literis, aut vetustis Ecclesiæ Catholicæ Concilijs, aut antiquis Pontificum & Patrum Constitutionibus, Decretis & Canonibus. Regem Ecclesiæ primogenitum, Ecclesiæ Catholicæ nomine horum restitutionem in integrum apud ipsos petere, quos *Dominus* noster *Iesus Christus* Prætores legitimos creauit. Neque hoc peti ex clausula (vt dicitur) generali, sed ex verbis expressis *Edicti* illius *diuini & perpetui*, aduersus quod nunquam fuit, neque vnquam erit vsucapioni aut præscriptioni locus. Redirent quasi postliminio in Sanctam Dei Ciuitatem, & in lucem hominum, quæ antiquus hostis Sathan vi eripuit, & longo tempore suppressit. Exemplum adduxit *Darij*, qui motus in *Iudæa* sedauit non armis, sed perquisito & executioni mandato antiquo Edicto Regis Cyri, de reditu Iudæorum, & Templi instauratione. *Iosiæ*, qui librum Legis hominum malitiâ longo tempore suppressum, primum legit diligentissime, deinde lectum recitauit populo, tum ex illius præscripto ritus & præcepta diuina *Iudæis* restituit. Inde acri dicto vsus; nisi hæc (inquit) fiant, (Patres Sanctissimi) frustra à vobis rogabimur, num etiam pacata est Gallia? Nos enim vobis respondebimus, quod *Iehu* Regi *Ioram* roganti, num pax, num pax? Et quomodo inquit ille, pax, cum adhuc supersint & vigeant &c. Reticuit sequentia; subiunxit tamen, Nostis cætera. Inde subdidit, Nisi his rebus diligens daretur opera, frustra fore auxilia Regis Hispani, Pontificis, & aliorum Principum, & sanguinem eorum qui peribunt, tametsi id ipsis sua propria iniquitate & peccato euenerit, à manu ipsorum Patrum requirendum. Concludit, priusquam ad ea veniant, quæ suo loco ac tempore dicturi sint, secundumque mandatorum suorum formulam acturi; petere, vt ea de quibus deliberare cœperant, quàm breuissimè fieri possit, absoluant, qua citius possint de multo grauioribus, & magis eo tempore necessarijs sententiam dicere. Non minus displicuit huius Oratoris libera ac pungens oratio, quàm *Pibraci* Collegæ cùm *Tridentum* primò venerunt: veruntamen metus, in quo erant à *Gallis*, monuit, verborum offensiones silentio tegere.

Ferdinandus Philippus 2.

Congregationibus postero die continuatis. prima à *F. Gaspare de Caseal.* Episcopo *Leiriensi* tota consumpta est, qui vt Cardinalem *Lotharingium* de omnibus Hispanorum rationibus breuiter edoceret, collegit summatim, nec sine verborum magnificentia, ea, quæ ab alijs super illo argumento dicta. hoc adiecto, nihil magis esse in rem *Lutheranorum*, quàm institutionem Episcoporum astruere lege humana. sic enim approbari quod innouatum ab illis, prædicatores, aut prædicantes, aut Ministros loco Episcoporum à *Christo* institutorum, Ecclesiæ regimini præficientibus. Ad hæc si quis Epistolas *D. Gregorij* ad *Iohannem Constantinopolitanum*, scriptas legat, & ad alios contra eundem, qui Episcopum se Vniuersalem vocabat, huic aperrè constare, dici non posse, Institutionem Pontificis Romani à *Christo* manare, nisi Episcoporum etiam ab eodem proficiscatur.

Episcopus Leiriensis argumenta ab Hispanis allata super institutione Episcoporum, informando Card. Lotharingio recolligit.

Instituit Cardinalis *Lotharingius* domi suæ Congregationem Præsulum & Theologorum, qui cum ipso è *Gallia* venerant, vt eorum sententiam exquireret, super illo præcipue Capite de iurisdictione Episcoporum: inter quos vnanimi consensu definitum, à Deo eam esse, & iuris diuini. Atque hæc Congregatio singularis post etiam à Cardinale in omnibus alijs occasionibus fuit adhibita, cum magna Pontificiorum offensione, quibus videbatur seorsim Concilium instituere velle; quique metuebant, ne ab hoc exemplo *Hispani* aliam introducere vellent. Has postea in Schisma manifestum erumpere posse; sicut accidit in Concilio *Ephesino* I°. ob Congregationes quas seorsim habebant *Aegyptij*, & *Syri*. Cæterùm inter Hispanos habebant Pontificij *Bartholomæum Sebastiani* Episcopum *Pacensem*, qui tametsi natione Hispanus, quòd Episcopatum in Sicilia teneret, summa cum Romanis consiliorum communione coniunctus, ipsis omnia suorum incœpta, & consilia detegebat. Inter *Gallos* quoque iam inde ab eo tempore, quo Cardinalis *Lotharingius* ad iter se accinxerat,

Congregatio Præsulum Gallorum ab Lotharingio instituta displicet Pontificijs.

Episcopus Pacensis Hispanorum Præsulum consilia Pontificijs prodit.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Et Hugonius Theologus Sorbonista Legatis consulta Gallorum.

erat, Pontificis in *Gallia Nuntius* sibi conciliarat quendam *F. Iacobum Hugonium Franciscanum, Theologum Sorbonistam*, quem Cardinalis *Lotharingius* in suum comitatum asciuerat. Ad eum Nuncio dabat id aditum, quòd esset constitutus Procurator ad Concilium à *Iohanne Vrsino* Episcopo *Trecorensi*; quod & *Romam* perscripsit; ipsumque allegauit cum Epistola *Tridentum* ad *Lactantium Rouerellam* Episcopum *Asculanum*, tanquam earundem partium. At Cardinali *Simonetæ* non placuit tantum ei Episcopo confidere, neq; volebat eum esse conscium secretiorum cùm illo Theologo consiliorum. Itaque *Lotharingio Tridentum* appropinquante, fecit Episcopum *Vintimigliensem* alium Fratrem Franciscanum *Pergolam* nomine, obuiam *Hugonio* mittere, qui diceret suis verbis, significatum sibi ab Nuncio in *Gallia*, de Epistola quam ferebat ad *Asculanum*; sibi ita à Nuncio scriptum, ante Epistolam traditam, vti secum in colloquium veniret. Ab Pergola negotio scitè commodéque confecto, Theologus & promisit se facturum, atque vti constitutum erat, haud ita multis postea diebus, quam *Tridentum* venisset, *Vintimigliensem* conuenit. Cum cognouissent inter se, signaque constituta colloquio dedissent, exposuit illi Frater, quo loco res *Gallorum* essent; atque inter alia, Regni ruinam maxima ex parte Reginæ deberi, quæ hæreticis fauebat; idque sibi certè cognitum, in disputationibus coram illa cum ipsis sæpius habitis. Quod ad Oratores qui *Tridenti* erant, eos etiam dixit esse corruptos. Cardinalem ipsum se habere pro Catholico, sed ad rituum Ecclesiasticorum inutiles reformationes nimis propensum: nempe ad tollendas Imagines; vsum Calicis, linguam vernaculam, & eiusmodi alia introducenda. Hisce de rebus ei à *Duce Guisio* fratre & alijs consanguineis persuasum. Reginam sub discessum de ijsdem serio cum eo egisse, eique dedisse vicies mille Coronatos. Aiebat inter Episcopos tres esse eiusdem factionis; verùm præ cæteris *Valentinum* à Reginæ partibus esse, & ab ipsa peculiariter missum, tanquam præcipuum, cuius consilio Cardinalis confideret. Cumque ad extremum constituissent, qua ratione & congrederentur, & tractarent inter se; *Vintimigliensis* ei quinquaginta Coronatos aureos dedit, prout à Legatis imperatum erat. Quos ille principio renuebat accipere. At *Vintimigliensis* tandem benignis appositisque verbis persuaderi se passus, licet eos ipse accipere nollet, seruulum quendam suum, qui secum erat, accersitum, nomine sui Ordinis accipere jussit.

Eius secretum cum Vintimiliensi colloquium.

Non sum nescius in his quæ hactenus retuli, quæq; deinceps mihi referenda, sæpe minuta quædam repertum iri, quæ multis leuia memoratu videbuntur, iuxta ac mihi quoque visa sunt: Sed cum ea conseruata reperissem, & in eorum memorijs, qui rebus ipsis interfuerunt, annotata, ita animum induxi, aliquid causæ fuisse, tametsi mihi incognitæ, cur ista commemoratione digna iudicarint. vnde illorum ego iudicio magis, quàm meo confisus, hæc commemoranda putaui. Et poterit fortasse acutius aliquod ingenium istis primo aspectu leuibus, penitius inspectis, aliquid notatu dignum, à me non satis penetratum detegere: Et siqui hæc spernent, legendo vel exigui temporis iacturam fecerint.

Leuia quædam & minuta, quia in memorijs annotata, hic non inutiliter inseruntur.

Nouembris XXVI. die Sessioni destinato, Cardinalis *Seripandus* proposuit in Congregatione, vt illa differretur; quod de Decretis, quæ publicanda, nondum esset sufficienter constitutum. Admonuitque Prælatos immanis in dicendo prolixitatis, per quam certus dies Sessioni præfiniri non poterat. inde necessarium esse, eam pro arbitrio indicendam permittere. Adiunxit, à multis inter ipsos abusus redargui; nec animaduertere tamen, abusum esse omnium maximum, tantum temporis disputationibus inaniter sine vllo fructu impendere; hunc tollendum necessariò, si finem Concilij optatum videre cupiant. Idem confirmabat *Lotharingius* Patres hortatus, vt quæstiones inopportunas ommitterent, breues essent in dicendo, ac res iam propositas statim exequerentur, ad grauiora & necessaria deinde admouendi. Ex Prælatis aliquamulti non putarunt assensum commodandum de Sessione ad beneplacitum remittenda; diemque certum præstitui malebant. quibus cum opponeretur, certum diem præfigi non posse, quod nesciretur, quantum temporis res adeo controuersa inter ipsos ad eam determinandam requireret; conclusum est, post dies octo certum diem præstituendum.

Dies Sessioni destinatus prorogatur, sed in diem indefinitum.

Eodem

Eodem die aduenit Senator *Molineus* missus à *Marchione Piscariensi*, vt negotium cum Prælatis Hispanis in Pontificis gratiam susceptum renouaret, instauraretque: quando Secretarij Residentis operâ nihil esset impetratum. Nouas is literas fiduciarias à *Marchione* ad omnes attulerat, omnique cura ac cogitatione in rem incubuerat. Sed id officium planè in contrarium vertit. Præsules enim tantam Senatoris solicitudinem, *Cardinalis Aragonij* fratris *Marchionis* technam interpretantur, sine peculiaribus de hoc negotio ab Aula mandatis. Cùm igitur quantò longiùs procederetur, tantò plures consurgerent difficultates, propter caput de Institutione; Oratores *Gallici* contendunt, inueniendum temperamentum, quo & ab illis superfluis se expediant, & ad negotium Reformationis veniant; cupidi liquidò cognoscendi quid à Concilio sit sperandum. Et Episcopus *Nemausensis* satis vt intelligi posset, cum sententiam diceret, Quod si tanta (aiebat) Patribus curæ esset quæstionem inutilem decidendi, quæ ad extremum verborum tantùm controuersia est, saltem ne alios morentur, sed eâ in aliud tempus dilata, nunc quod magis è re omnium est, aggrediantur. Post hunc *Didacus Conarruuias* Episcopus *Ciuitatis-Roderici*, veluti excusans Patres quod in illa quæstione commorarentur, dixit, cùm à DD. Legatis proposita esset, committere non potuisse Præsules, quin quod cuique videretur id proferrent. Commotus eo Cardinalis *Simoneta*, negauit quæstionem ab ipsis propositam. Et *Seripandus* verbis asperioribus secutus, dicebat; Non satis fuisse ipsis, pro nimia quam sibi sumpserint licentia, de Superioritate Episcoporum, quæ ad excutiendum proposita, disserere, nisi in campum etiam emitterent aliam controuersiam de Institutione, & hisce adiungerent tertiam de iure Diuino; nec contentos æquanimitate & patientia Legatorum in permittendo cuique loqui ad voluntatem, eò iam prorupisse vt culpam etiam conferant in Legatos. Reprehendit acriter nimiam libertatem ad istiusmodi quæstiones digrediendi, & audaciam de potestate Papæ tractandi, prorsus inaniter & ex superuacuò, repetitis ijsdem, de quibus plus quam decies dictum, & ab aliquibus etiam allatis friuolis rationibus, ijsque more inepto, & hoc consessu indigno, propositis. Cumque in progressu sermonis animaduertisset nimiam à se acrimoniam adhibitam, diuertit eò, vt formulam præscriberet, ex quâ Prælatus in Concilio sententiam posset dicere. Tum de quæstionibus propositis ipse verba fecit, ostendens opiniones oppositas ambas esse probabiles. Quod si etiam ea, quæ ius diuinum adstruit, maiorem haberet probabilitatem, non esse tamen rem quæ in Concilio decidenda sit. Sed neque hoc pacto concitatos multorũ animos sedauit, neque per omnia placuit Cardinali *Lotharingio*, nullâ non significatione bonam sibi Patrum existimationem aucupanti. Nam in hoc laborabat, vt homines noscitaret; tum vt ea dignosceret, quæ efficere suæ potestatis esset, ne quod in certamen descenderet, à quo victor non posset discedere. Affectabat etiam laudem controuersiarum dirimendarum, vt in his eo arbitro vterentur. Ad materiam illam expediendam propositum, vt aliquot Prælati per singulas nationes deputarentur, qui de ea quasi ex compromisso decernerent. Sed nihil effici potuit; *Gallis* & *Hispanis* de quâque natione parem numerum deposcentibus; Italis verò prout cæteros numero superabant, ita deputatos ab se numero plures esse debere censentibus. In hac propositione oppugnanda princeps erat Cardinalis *Simoneta*; ne admitteret consuetudinem Concilij *Basileensis*.

Per id tempus noua contentioni materies parabatur. Nam Legatis significauit *Comes Lunensis*, sibi *Tridentum* veniendum, veluti Oratori Regis *Hispaniæ*, non Imperatoris; sed antequam eò veniret, scire velle, quis sibi locus esset assignandus. Legati vocatis Oratoribus Gallicis, reque cum ipsis communicata dicere, permolestas esse sibi has de præcedentia disceptationes; orare vt ipsi aliquam earum componendarum rationem excogitent. Respondent Oratores, ad lites componendas haudquaquam missos; sed vt locum Regi suo debitum, & semper concessum teneant; Neque sibi animum esse, in re quacunque, quæ ad Regem *Hispaniæ* spectat, illi quidquam detrahere, sed ei omnem honorem & obsequium deferre, pro ea affinitate & amicitia, qua Regi suo coniunctus est. Sibi iniunctum, si quando is locus non conceditur, vt testati palam de actorum Concilij nullitate vna cum Prælatis omnibus

Ferdinandus. Philippus 2.

Molinæus agit cum Præsulibus Hispanis Piscariensis nomine vt in Pontificiorum sententiam concedant, sed incassum.

Seripandus Conarruuiam excusantem Prælatos Hispanos obiurgat.

Vt deputati controuersijs dirimendis è singulis nationibus pares numero sint, id Itali tolerandum non censent.

Significatio aduentus Comitis Lunensis controuersiæ de præcedentia inter Gallum & Hispanum renouandæ dat occasionem.

Gallicis

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

Gallicis Tridento discedant. Proponit Cardinalis *Mantuanus* vt *Hispano* Oratori sedes ponatur ab alijs separata, ex aduerso Legatorum; aut infra Oratores Ecclesiasticos; aut saltem infra omnes Oratores seculares. sed *Gallis* nulla ex his conditio placuit, volentibus, vt omnino post ipsos, & non alibi consideat.

In Congregatione primo Decembris, *Melchior Auosmodianus* Episcopus *Guadicensis* de illa parte vltimi canonis verba faciens, vbi decernitur Episcopos à Papa vocatos, esse veros & legitimos; dixit, non sibi placere expressionis modum. Esse enim ex Episcopis, qui neque à Pontifice vocati, neque confirmati; veri tamen sint & legitimi. Adduxit in exemplum quatuor Suffraganeos electos & ordinatos ab Archiepiscopo *Salzburgensi*, qui nullam confirmationem accipiunt à Papa. Non permisit Cardinalis *Simoneta* vt vltra progrederetur, affirmans quicquid Episcopus *Salzburgensis*, alijque Primates facerent, id omne fieri de Pontificis authoritate. Consurrexère eodem temporis articulo *F. Thomas Castellus* Episcopus *Cauensis*, & Patriarcha *Venetus*; dicentes eijciendum esse foras tanquam schismaticum. Et *Aegidius Falceta* Episcopus *Caprulensis* exclamans, Apage inquit, Schismaticum. vnde secutus est strepitus inter Præsules multò maximus; susurri, pedum supplosiones, partim Episcopo sententiam dicenti obstrepentium, partim fauentium: quæ res Prælatis Vltramontanis mali moris visa. Cardinalis *Lotharingius* etsi id molestè ferebat, nullam tamen in præsens significationem dedit. Ab Legatis ægrè tandem tumultus sedatus, cæteris in illa Cõgregatione dicturis, quod cœperant exsequi iussis. Eà finita, Cardinalis *Lotharingius* multis Prælatis Pontificijs præsentibus, haud veritus est dicere, Magnam istam insolentiam fuisse. Episcopum enim *Guadicensem* haud malè locutum: &, si *Gallicæ* nationis fuisset, ad Concilium liberius haud dubiè prouocaturum. immo nisi prouideatur, vt omnes possint liberè sententiam dicere, *Gallos* retineri non posse, quo minus discedentes Concilium Nationale in *Gallia* conuocent. Et sanè tum apparuit Episcopum falsum non dixisse; vbi emendatis Canonis verbis, pro eo quod ante dicebatur, *Episcopos à Pontifice Romano vocatos*; illud positum, *Episcopos qui authoritate Romani Pontificis assumuntur*.

Card. Lotharingius Guadicensem culpæ liberans, maiorem in Concilio libertatem sententiæ dicendæ requirit.

Postero die cùm aduenisset tempus declarandi diem Sessioni destinatum, Cardinalis *Mantuanus* proposuit, vt in decimum septimum Consessus prorogaretur: quod si interea decreta Reformationis ad materiam iam tractatam spectantia concinnari non possent, ea ad sequentem Sessionem differretur. Huic sententiæ assensus est Cardinalis *Lotharingius* quòd ad diem Sessionis, sed ea conditione, ne quid omnino omitteretur intractatum, quod ad eam materiam pertineret; neue aliquid remitteretur in sequentem Sessionem, in quâ necessariò vniuersalis Reformatio inchoanda esset. In eandem sententiam concordes ierunt Archiepiscopus *Pragensis*, *Quinqueecclesiensis*, & Orator *Polonus*. Post multam verò concertationem, quorundam qui ex sententia Episcopi *Nemausensis* quæstiones in aliud tempus reijciendas censebant, & aliorum, vt iam nunc deciderentur, postulantium; Decretum est habendæ Sessioni diem dictum præfigere; præceptumque, vt pro tota materia expedienda duæ in dies singulos haberentur Congregationes. quod si ne tum quidem res omnis foret definita, decreta saltem, quotquot eò tempore constituta, publicarentur; reiectis nondum decisis in aliud tempus: atque omnino vt Sessione proxima de Reformatione tractatio prius instituatur, quàm doctrinæ Articuli attingantur. Reprehendit etiam Cardinalis *Mantuanus* præcedentis diei supplosionem pedum, & verborum asperitatem: affirmans, nisi deinceps ea modestia & reuerentia, inter loquendum vterentur, quæ & dignitati propriæ ac Cardinalium congrueret; tum verò præsentiæ ipsorum Legatorum suam Beatitudinem, ac Oratorum Principes suos repræsentantium conueniret, se Congregatione excessuros, ne tantum ordinis perturbationem paterentur. At *Lotharingius*, laudata *Mantuani* admonitione censuit, sicuti æquum non esset quacunque de caussa Legatos Congregatione facessere, ita id esse æquissimum puniri ordinis perturbatores. Episcopus tamen Cauensis tantum abfuit ab eo quod dixerat, excusando, aut admonitione vt cunque generali silentio accipienda, vt culpâ in alios coniectâ, dixerit, auferendas esse causas; his sublatis effectus protinus cessaturos. Nam si Episcopi *Guadicensis* verba se priuatim læsissent,

De die certo Sessioni præfigendo & ratione ineunda ad totam materiam in eum diem expediendam agitur.

Mantuanus & Lotharingius Patrum irreuerentem immodestiam reprehendunt.

id

id laturum fuisse patienter pro charitate Christiana, quæ sicuti in proprijs iniurijs tolerantiam requirit, ita in ijs quæ *Christo* offeruntur, acrem quendam sensum postulat. Offendi autem diuinam eius Maiestatem, cum Vicarij sui authoritas violatur. Se certè rectè, immo optimè dixisse: quod etsi alijs ad eandem sententiam verbis confirmauit; plerisque tamen ea petulanter dicta videbantur.

Ferdinandus Philippus 2.

Iacobus Gilbertus de Nogueras Episcopus *Alliphiensis* pro sententia dixit; De institutione Episcoporum differenti non posse stabiliori loco fundamentum collocari, quàm in verbis *S. Pauli* ad *Ephesios* bene pensitatis, & intellectis. Siquidem quemadmodum verissimum esset, *Christum* absoluto imperio Ecclesiam rexisse dum in carne viueret, prout ab alijs in Congregatione iudiciosè dictum; ita falsissimum illud, quod adiectum, nempe, post ascensionem in cœlum illud regimen proiecisse. quinimò id nunc vel maximè exercere. Atque hoc illud esse, quod Apostolis dixit sub discessum, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Huc accedere etiam operam Spiritus Sancti: adeo vt à *Christo* tanquam Capite etiamnùm non solùm gratiarum interior influxus veniat, verum etiam exterius quoddam adminiculum, tametsi nobis inuisibile, attamen eiusmodi, quod subministrat occasiones & fidelibus saluandis, & propulsandis mundi tentationibus. Sed præter hæc omnia membra quædam Ecclesiæ in Apostolos, Pastores, &c, distinxisse, ad fideles ab erroribus defendendos, & in vnitatem fidei & cognitionis Dei dirigendos. His dedisse donum pio huic officio exercendo necessarium, potestatem, vt appellant, Iurisdictionis: quæ in omnibus æqualis non est, verùm quanta quanta in quolibet est, ipsi eam *Christus* immediate largitur. Nihil esse *D. Paulo* magis contrarium, quàm si dicatur vni soli data, qui eam alijs communicet ad libitum. Id quidem verum, non esse in omnibus æqualem; sed secundum diuinam distributionem: quæ ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam ordinauit, inquit *Cyprianus*, vt in *Petro* & successoribus suis esset suprema. Non quòd ea sit absoluta, &, vti iactatur prouerbio, voluntas sit pro ratione, sed vt *D. Paulus* ait *in ædificationem Ecclesiæ tantum, & non in destructionem.* Ideo non sese extendere ad abrogandas Leges & Canones ab Ecclesia constitutos, pro administrationis suæ fundamento. Atque hìc cœpit proferre Canones à *Gratiano* citatos, in quibus veteres Romani Pontifices subiectos se fatentur Patrum decretis, & decessorum suorum constitutionibus.

Episcopi Alliphiensis de Episcoporũ institutione sententia.

Potestatem Iurisdictionis omnibus Episcopis, licet non æqualẽ, abChristo immediatè datã.

Sed vlterius progredi festinantem Cardinalis *Warmiensis* interpellauit; monens, ei dicendum de superioritate Episcoporum, atque in eam rem non facere disputationem suam. Cui respondit ille, quando de authoritate Episcoporum agitur, necessariò differendum de illa quæ est Papæ. Et consurgens Archiepiscopus *Granatensis* dixit, Alios de ea verba fecisse redundanter & immodicè, ne dicat perniciosè; eoque etiam *Alliphiensem* posse de ea differere; scilicet, quæ à *Lainezio* dicta, subindicans. Tum in pedes erigens se *Episcopus Cauensis*, quem supra nominaui, Alios fassus est ea de re locutos, sed non ad eum modum. Vnde inter Prælatos susurro iam exorto, *Simoneta* innuit *Cauensi* vt taceret, admonitoque *Alliphiensi* vt ad rem diceret, fremitum sedauit. Cum igitur pergeret ille Canones citare ita vt occæperat, Interpellat rursus *Warmiensis*, non ipsum compellans, sed oratione elaborata Patres allocutus super illa materia, asserens, hæreticos id sibi probandum sumere, Episcopos à Papa electos, non esse veros & legitimos Episcopos; & hanc esse illam opinionem, quæ damnanda sit. Vtrum autem veri Episcopi sint instituti iure diuino necne, nullam esse controuersiam inter hæreticos & Catholicos, adeoque hanc quæstionem ad Synodum non pertinere, quæ solummodo damnandis hæresibus congregata sit. Reuocat Patribus in memoriam, abstinendum ab ijs, quæ scandali occasionem præbere possunt, & hortatur vt istas quæstiones relinquant. Ad ea, quæ à Cardinale dicta, respondere parabat Episcopus *Alliphiensis*; verùm *Simoneta* à quibusdam alijs Prælatis adiutus, ipsum tandem, licet ægrè compescuit: post hunc verba fecit *Antonius Maria de Saluiatis* Episcopus *Sancti Papuli*, qui differebat; Omnes ad gloriam Dei cultumque esse congregatos, & bono animo incedere, vtcumque aliqui vno, alij alio itinere tendant. Cumque ita pergeret multa dicere,

Card. Warmiensis Episc. Alliphiensem interpellat, quod extra oleas feratur, de superioritate Episcoporũ non differens, sed de institutione.

Warmiensis statum quæstionis inter Catholicos & hæreticos cõtrouersæ Patribus cõmendat, vt de ea alijs omissis differant.

Episcopus S. Papuli paci & conciliationi studet.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

dicere, quæ partim sententijs, sed multo magis animis conciliandis inseruiebant, per illum est factum, vt Congregatio pacificè finierit, atque inter Cardinalem & Episcopum voces humanitatis & reuerentiæ indices commearint.

Card. Lotharingius de Episcoporũ Iurisdictione disserit in vtrãq; partẽ, ac primum Ordini Episcopali à Deo immediate annexam.

Ad quartum diem Decembris sententiam suam super eadem materia dixit Cardinalis *Lotharingius*, oratione copiosa explicans, iurisdictionem à Deo immediatè Ecclesiæ datam. Adduxit locos *D. Augustini*, claues datas *Petro*, non vni personæ, sed vnitati: & *Petrum* cùm *Christus* ei claues promisit, totam Ecclesiam repræsentasse. quòd si Sacramentum ille non fuisset, hoc est Ecclesiam representans, *Christum* ei claues non fuisse daturum. hæc ille insignem memoriam ostentans recitabat ad verbum. Progressus inde asseruit eam iurisdictionis partem, quæ ordini Episcopali connexa est, Episcopos immediatè à Deo accipere. Et cum declararet in quo consisteret, inter alia nominatim in ea dixit contineri facultatem excommunicandi; multusque fuit in exponendo loco illo apud *S. Matthæum*, vbi à *Christo* modus præscribitur & correctionis fraternæ, & Ecclesiæ iudicialis, cum authoritate inobedientes à suo corpore resecandi. Post contra hanc ipsam opinionem argumentatus est, deductis varijs rationibus è verbis *Christi D. Petro* dictis, & ex eo verborum sensu quem ijs multis in locis appingit S. *Leo Papa*. Multa adfert exempla Episcoporum, qui totam iurisdictionem Sedi Apostolicæ ferunt acceptam. tantâque hæc eloquentia, eoque artificio retulit, vt clarum de ipsius animo iudicium fieri vix posset. Ex eo contendit *Concilia* authoritatem habere à Deo immediatè, eoque verba *Christi* citauit dicentis, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio ipsorum ero:* Et Conciliũ Apostolorũ, quod suum decretũ Spiritui sancto ascripsit. Item vulgatum Conciliorum stylum, se in Spiritu sancto congregatos dicentium. ac nominatim *Constantiensis*, apertè affirmantis se authoritatem à *Christo* immediate habere. Quæ sic accipienda subiunxit, vt Concilijs Caput coniunctum adesse intelligatur. nullam enim rem maius ad vnionem Ecclesiæ habere momentum, quàm authoritatem Pontificiam bonis firmamentis constabilire: nec vnquam se assensurum, vt quicquam decernatur, quod eam posset imminuere. atque in eadem secum sententia esse omnes Prælatos, & Clerum Galliæ. Reuersus demum ad institutionem Episcoporum, deque ea perplexè vt antea locutus, ad extremum concludit, quæstionem esse interminatam. Hortatus inde Congregationem vt eam relinqueret, exhibuit ipsi Canonis formam, in qua omissis illis verbis, *iure diuino*, substituuntur ista *instituti à Christo*.

Deinde in cõtrarium totã Iurisdictionẽ Sedi Apostolicæ deferendam, ab eaq; accipiendam.

Tum Concilijs auctoritatem à Deo immediatè tributam, sed nimirum Capiti suo, id est Põtifici vnitis.

Canonis verba adeo controuersa *iure diuino* expungenda censet alijs substitutis.

At Præsules Galli, quibus post *Lotharingium* eo ipso die & sequentibus sententiæ dicendæ data occasio, nec eâdem, qua Cardinalis, ambiguitate disserunt, neque eodem ad Pontificiam authoritatem respectu: sed apertè defendunt authoritatem Episcoporum esse *de iure diuino*, rationes à Cardinale citatas adferentes, easque explicantes. Ac tametsi illis dicentibus manu genæ subdita sederet, gestuque proderet haud placere sibi quæ dicerentur: ambitioni tamen id tributum, ac si dedita opera procurasset, vti sententia sua commentarijs illustraretur. Et *Galli* quidem *Hispanorum* sententiam apertè propugnabant: nec *Hispanis* ideo satis fiebat, tum quòd Cardinalis ambiguè locutus esset, tum etiam quòd tam ipse quàm Prælati ostendissent se pro necessario non habere, vti decerneretur in Concilio, institutionem & superioritatem Episcoporum esse *de iure diuino*; quinimo id plane relinquendum: maximè verò ob formulam à Cardinale propositam, in qua id erat omissum. vtcunque in eorum magis gratiam, quàm quauis altera de caussa, posita essent illa verba, *quod instituti sunt à Christo*.

Præsules Galli apertius & fortius Hispanorũ caussam *de iure diuino*, quam Lotharingius, propugnãt: neutri tamẽ Hispanis plenè satisfaciunt.

Erat idem finis Gallis atque Hispanis, nempe remedia prouidere ambitioni & auaritiæ Curiæ Romanæ, quæ præceptis inutilibus & infructuosis ad arbitrium impunè grassabatur; magnamque vim pecuniæ collationibus beneficiorum & dispensationibus per orbem Christianum exegerat. Verùm Hispani ita animum induxerant: tanto esse populum Hispaniæ erga Pontificiam authoritatem zelo ac propensione; dein animum Regis & consilij sui à nouitatibus adeo abhorrere, vt si directè & aperte id gereretur, scandalum inde esset oriturum, & ad extremum nihil effectum daretur: facilè Pontifice apud Principes tot difficultates interponente, vt ad ad eius

Gallis & Hispanis ad eundem finẽ tendentibus media occurrunt longe diuersa.

rei

rei declarationem veniri neutiquam posset. Itaque pro gentis illius more, è longinquo collimandum, & declarando iurisdictionem Episcoporum, ac Residentiam à Christo esse, & de iure diuino, eum ordinem in existimatione apud populum reponendum; vim prohibendam, quam contra ipsorum personas adhibere posset Curia Romana, atque hoc modo oportunitatem ipsis dandam, vt temporis progressu Ecclesias reformare queant, libertate à Romanis occupata, ad Diuini nominis cultum, & populorum tranquillitatem restituta.

Hispani censent non rem ipsâ premendam, sed è longinquo collimandū, vt cum maturitas erit, destinata perficiant.

At Gallis, quibus ingenium apertè & sine circuitione procedere, animique impetu ferri, hæ artes pro friuolis habebantur, dicentibus, haud defuturas Romæ prouisiones, quibus inutiles reddantur: tantoque tempore opus esse, quo ad finem perueniatur, vt nihil inde bonæ spei concipi possit. Sed hanc veram esse viam, absque vllo artificio rectâ & apertè abusus nimis quam manifestos adoriri: nec plus metuendum difficultatis in hoc obtinendo, ad quod præcipuè tenditur, quàm in eo consequendo quod prætexitur: quod tamen adipiscentibus nihili instar erit.

Galli moræ impatientes, non obliquè & per ambages eundum putant, sed rectâ in arcem auctoritatis Pontificiæ impetum faciendum.

Sed & aliud quiddam erat, in quo ipsorum consilia non minus diffidebant. Conueniebat inter omnes, necessarium videri, adeo firmam esse ac stabilem decretorum in Concilio factorum executionem, vt mutari non possint. at in modo constituendo, quo nec decretis illius Concilij derogaretur, neque prætextu dispensationum, nonobstantiarum, aliarumque similium clausularum Romani moris à Pontifice inuerterentur, inter ipsos Gallos & Hispanos, nonnihil dissidij inciderat. Designabant Galli, vt Concilium decerneretur supra Papã; aut certe statueretur, decreta Concilij neque abrogari à Pontifice, neque dispensari posse; quod remedium plenum sanè fuerit & perfectum. Hispanis autem id caput ineluctabile videbatur, ideoque nec tentandum. Pontificem enim semper Principes fauentes habiturum, quoties questus fuerit potestatis suæ diminutionem tentari. etiam maiorem partem Prælatorum *Italiæ* studia sua associaturam pro dignitate Patriæ communis, multisque priuatis & proprijs cuiusq; vtilitatibus. Itaque ipsis sufficere videbatur, vt Concilium Decreta conderet. nam post in *Hispania* impetrandam à Rege super ijs Pragmaticam; & hac ratione ita firmiter fore constabilita, vt contrarijs Pontificum dispensationibus in *Hispaniam* aditus præcludatur.

Aliud in quo Galli ab Hispanis dissidebant, in declarando Cõcilium esse supra Papam.

Legati cursorem extraordinarium *Romam* mittunt cum exemplo Propositionis Cardinalis *Lotharingij*, & cum obseruationibus quorundam Canonistarum super ea factis, quibus ostensum, authoritatem Pontificiam atteri & conscindi; petentes, vt sibi quid agendũ esset, præscriberet. Id Cardinalis vbi resciuit, tulit molestissimè, grauiter questus, etiam cùm ipsis exemplum à se ante datum esset, quàm in Congregatione proponeretur, & ipsi vicissim ostendissent id sibi placere, post, tanta cum diffidentia se gessisse. Mirum sibi videri dicebat, quod in omnibus quæ se aut suos Præsules attingebant, vanum sibi timorem affingerent; indoluitque ab Italis contumeliosè haberi nationem suam, affirmans, se proprijs auribus audisse quosdam Prælatos, per ludibriũ scurrile dicterium vsurpantes iam toto *Tridento* decantatum, nempe, *De scabie Hispanica incidimus in luem Gallicam.* qua de re quotiescunque occasio incideret, querebantur cum cæteris Gallis ipsi etiam Hispani. quorum querelis, vt fieri solet, curiosi magis incitabantur, suspicionesque ac diffidentiæ inter partes magno cum periculo crescebant: Legatis ipsis, & Prælatorum prudentioribus quibusque, qui authoritate & studio sese opponebant, ad hunc motum sistendum haud sufficientibus.

Legati, quæ ab Lotharingio proposita, Romam mittunt vnde illius offensa, & querimonia.

Præsulum Italorum de Hispanis & Gallis odiosum scomma.

Iam *Galli* irritati decreuerant suam in dicendo libertatem experiri; conuenitque, vt in Congregatione septimo eiusdem mensis habita, Cardinalis *Lotharingius* non interueniret, sed Prælati, quorum erant dicendi vices, liberè loquerentur. quod si id cuiquam vitio daretur, tum Oratores protestationem interponerent. Et *Lansacus* hoc palam factum cupiens, quò Pontificij magis sibi cauerent, coram multis eorum dixit *Antonio Lecineo* Episcopo *Abrincensi* vni ex suis, vt liberè & intrepide loqueretur: nam ad eum sustentandum sufficere Regis patrocinium. Id ad Legatos perlatum, causam dedit, Gallis magna cum patientia audiendis; tametsi non solùm dicerent institutionem Episcoporum & iurisdictionem esse de iure diuino, prout ipsius Papæ; verùm etiam nullam esse differentiam, nisi gradus

Gallis stat sententia animi sui sensum in Congregatione liberè proferre, quicquid obgannirent Pontificij.

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

cuiusdam superioris; &, auctoritatem Pontificiam esse Canonum limitibus circumscriptam: commemorata laudataque consuetudine Curiarum in (*Francia* Parlamenta vocant) quæ, quoties Bulla Iudicibus approbanda offertur aliquid continens contrarium Canonibus in Gallia receptis, eam declarant abusiuam, & prohibent executionem. Hæc libertas reddidit Pontificios in loquendo circumspectiores, vtcunque dicterij superioris lepore capti, nonnulli è Prælatis facetioribus ab eo ægrè abstinuerint.

Regis Nauarri in Gallia mors aliam mentem Cardinali Lotharingio inijcit.

Cæterum prætextus quo vtebatur Cardinalis *Lotharingius* vt domi se contineret, erat nuncius quem eo die acceperat de morte *Regis Nauarri*. Is Princeps prope *Rotomagum* sclopeto ictus mense Septembri, malè curato vulnere nouissimam horam instare sentiens, opera *Vincentij Laurei Medici* more maiorum sacrosanctum viaticum sumpsit, post in doctrinam Protestantium inclinans, tandem decimo Nouembris diem suum obijt. Magnam hic casus rebus Concilij mutationem attulit. nam hoc nuncio accepto *Lotharingius* omnes cogitationes suas aliò conuertit. Habuerat Rex ille partes multo maximas in ijs mandatis, quæ Cardinali sub discessum data: vnde certus non erat, an post eius mortem Regina, cæterique in eodem feruore essent perseueraturi. Præterea manifestam totius Regiminis mutationem animo præsagiens, cupiebat in Gallia esse, vt eius & ipse partem subire posset. Nam cum Princeps *Condæus* ab administratoribus Regni aperte dissideret, eique Regina, & qui plurimum apud eam poterant, parum fiderent, Cardinalis *Borbonius* ad gubernandum parum idoneus crederetur; *Montpenserius* parua existimatione, *Momorantius* Magister equitum magno natu, & cui multi æmuli potentes; bonam spem conceperat hisce exclusis fratrem suum arbitrum armorum, seque Consilij futurum. hæc ille animo versans secum, de Concilio & *Tridento*, vbi tum erat, non multum laborabat. Cæteri Galli apertè dicebant, magnas de illius Regis morte Deo O.M. gratias habendas, quod in religione titubare cœpisset, arctéque suas rationes cum fratris & cæterorum Hugonotorum coniungere. Proximus dies, octauus Decembris, totus in ceremonijs fuit absumptus, ob electionem *Maximiliani* in Regem *Romanorum*. Eam ob rem Missam Spiritus Sancti celebrauit Archiepiscopus *Pragensis*, toto Concilio interueniente, Concionem habuit in laudem eius Principis Episcopus *Tininiensis*, & Cardinales Oratoresque à *Pragensi* ad epulas inuitati.

Ob Maximilianum in Regem Romanorũ electum ceremoniæ Tridenti peraguntur.

Principis Cõdæi ad Comitia Germaniæ, ac nominatim ad Principes Protestantes Legatio.

Ordinibus Imperij Francofurti ad Comitia congregatis Princeps *Condæus* non solum eò misit, qui auxilia à Principibus Protestantibus postularent; sed etiam qui de confœderatione Hugonotorum cum socijs Confessionis *Augustanæ* agerent: nominatim verò vti coniunctim peterent Concilium liberum & nouum, in quo tractarentur denuo ea omnia, quæ *Tridenti* hactenus decreta. idque spe ostentata Gallos auitam Religionem Catholicam tenentes eo fore contentos; quandoquidem Oratori Gallico, qui post Cardinalis creatus, appellatus est *Bordissierius*, ita promissum sit. Verùm *Germani* Protestantes à Concilio alienissimos se ostendebant, dũmodo sine illo pace in *Germania* frui possent. Adeoq; tum *Francofurti* impressus est liber, refertus excusationibus & rationibus ipsorum, ob quas nec Synodo interuenissent, nec *Tridenti* interuenire vellent, cum protestatione nullitatis, & eius quod factum, & quod eo loco futurum esset.

Maximilianus Ferdinandi Cæsaris F. primùm inauguratur in Regem Bohemiæ, postea Rex Romanorum renunciatur.

Maximilianus ante omnia in Regem *Bohemiæ*, præsente *Ferdinando Cæsare* patre, vngitur & inauguratur *Pragæ*, ab eius Ciuitatis Archiepiscopo, qui *Tridento* in *Bohemiam* concesserat illius ceremoniæ peragendæ causa. Nempe, vt Regi in Conuentu Ordinum Imperij suffragij ius esset. Postquam vero ventum est *Francofurtum*, eousque exspectandum erat, donec Canonici *Colonienses* Archiepiscopum eligissent; ea Sede tum vacante. Vnde dum Principes, qui *Francofurti* conuenerant, exspectant donec Coronatione in *Bohemia*, ac Electione *Coloniæ* peractis, septenarius Electorũ numerus impleatur, ijs ad varias res tractandas tempus & otiũ suppetebat.

Romanæ Curiæ metus in electione Maximiliani, sed vanus.

Magnam hæc Curiæ Romanæ solicitudinem iniecerant, & metus erat, ne ab illo Germanorũ cõuentu *Tridentũ* aliquis ablegaretur cũ protestatione; neue noua aliqua forma adhiberetur in Coronatione, veteri abolitâ; quod animũ ab antiquis ritibus discedendi

cedendi cōmonstraret; aut ne à nouo Rege aliquod promissū eliceretur, quod potestati Pontificiæ detrimento fraudiq; fiet. Verùm ne quid ad Religionē pertinens in pleno Ordinū conuentu saltē ante Electionē tractaretur, ab Imperatore & Rege sapientissimè præcautum. Et quidem electio die XXIV. Nouembris facta, quam Coronatio eiusdem mensis die vltimo secuta. In ea Electores & cæteri Principes Protestantes Missæ interfuerant, donec recitatum erat Euangelium; inde foras exierunt. Neque hic aliud innouatum, nisi quod Nuncio Pontificio supra Electores datus est locus, atque infra ipsos alijs Oratoribus. Iam finita Coronatione, cæpit *Cæsar* cum Protestantium nonnullis agere, vt Concilio *Tridentino* vellent adhærere; qui, vt præuerterent, congregati vnà offerunt Imperatori responsionem ante viginti menses ad mandata Maiestatis suæ in conuentu *Namburgensi* promissam, sed in id tempus dilatam. In qua expositis causis ob quas in multis Comitijs Imperialibus præteritis ad Concilium liberum prouocassent, iamque de nouo prouocarent, subiungunt conditiones, quas necessarias existimabant, quibusque se consensuros profitentur, vt in futuro Concilio Generali interueniant. Hæ erant decem.

Ferdinandus *Philippus* 2.

Conditiones, quas Protestantes requirunt in Concilio, cui interuenire non recusent.

I. Vt in Germania celebretur.

II. Ne à Papa indicatur.

III. Vt is ibi non præsideat, sed Concilij pars sit, & eius decretis subiectus.

IV. Vt Episcopi & cæteri Prælati immunes sint à iuramento Pontifici præstito, quò possint liberè, & sine præiudicio sententiam dicere.

V. Vt Scriptura diuina iudex sit in Concilio, excluso omni humana authoritate.

VI. Vt Theologi Principum ac Ciuitatum Confessionis *Augustanæ* ad Concilium destinati vocem habeant non solum deliberatiuam, sed etiam decisiuam; deturque ipsis saluus conductus non solùm quoad personas, verum etiam quoad religionis exercitium.

VII. Vt decisiones non fiant in Concilio, sicut in causis secularibus, ex maiori suffragiorum numero, sed præferantur sententiæ meliores, hoc est, quæ cum regula verbi diuini consentiunt.

VIII. Vt acta Concilij *Tridentini* pro cassis & irritis habeantur, cum id ab vna tantum partium celebratum, nec ita, prout erat promissum; partibus addictum merito censeri debeat.

IX. Vt si in Concilio concordia de religione secuta non fuerit, conditiones saltem *Paßauienses* inuiolatæ maneant, vna cum concordia Religionis facta *Augustæ* Anno M. D. LV. quæ firma rataque sit, omnesque ad eius obseruationem teneantur.

X. Vt de omnibus Articulis prædictis cautio idonea & sufficiens sibi detur.

Accepto scripto, Imperator pollicitus est, se concordiæ conciliandæ operam daturum, atque ita effecturum, vt celebretur Concilium, cui ipsi interuenire cum ratione recusare non possint. odia modò deponant, aliosque affectus paci Christianæ contrarios. Ob hanc caussam vltro sese obtulit profecturum *Tridentum*, cum ita constitutum haberet, finito Conuentu se *Oenipontem* conferre. ibi cùm quatuor dierum nec iusto itinere à Concilio absuturus sit, breuiori temporis spatio quod è re fuerit, curaturum.

Eas Cæsar accipiens pacis studium pollicetur.

Cæterum in Concilio, postquam desierant Patres super materia Institutionis adeo exagitata dicere sententias, nihil determinatum: exspectantibus Legatis, vt *Roma* significetur, quid statuendum. Verum caput de *Residentia* euulgant, cum Cardinale *Lotharingio* antè communicatum, absque declaratione essetne *iuris Diuini*, an secus; sed cum præmijs tantum & pœnis, sicuti dictum est supra. *Lotharingius*, qui omnium primus sententiam dixit, addit necessarium esse, Episcopis concedere potestatem absoluendi à casibus in *Cæna Domini* reseruatis. id quod à se dici testatus est, non ad Sanctitatis eius auctoritatem imminuendam: sed cum animaduertisset in

Super capite de Residentia in Decreti formam redacto Lotharingius sententiā primus dicit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Francia ne vnum quidem eius violatorem id curare, vt *Romam* aut ipse eat, aut eò mittat ad consequendam absolutionem; peius sibi videri, cum ad salutem populorum, tum ad dignitatem Sedis Apostolicæ, eos in illis censuris relinquere. Neque illud æquum censere, Episcopos ad *Residentiam* sic astringere, vt iustis de causis abesse nequeant, quarum penes Sanctitatem suam sit arbitrium. Præterea excipiendos qui publicis negotijs Regnorum aut Rerumpub. implicentur, quòd ea à munere Episcopali aliena reputanda non sint, ac potissimum in ijs Regnis, in quibus Ordo Ecclesiasticus Politici corporis membrum constituit, vti in *Francia*, & in Regnis etiam *Hispaniæ* videre est. Multus erat in dicendo Cardinalis; & licet sæpius inculcaret *Residentiam* esse necessariam, seduloque curandum vt obseruetur: nihilominus tot subinde exceptionibus & excusationibus interpositis effecit, vt nemo rectè iudicare posset, vtrum probaret decretum aliquod de residentia constitui, an verò improbaret.

Sed adeo ambiguè, vt decretum velit fieri, necne, in incerto relinquat.

Communicarant etiam Legati Oratoribus, sicut promiserant, Reformationis Capita in futuram Sessionem, antequam in Congregatione proponerentur. Quæ omnia remedia tantùm erant corruptelis ad sacramentum *Ordinis* spectantibus. Itaq; conuenêre & Oratores & Episcopi Galliæ apud *Lotharingium*, vt de ijs colloquerentur; designatique ex hoc numero IV. Episcopi, qui ea considerarent, viderentque si quid in ijs esset, quod derogaret priuilegijs Ecclesiæ Gallicanæ, & an aliquid regni illius bono adiungi posset: vnàque negotium datum est Oratori *Ferrerio*, vt in Congregatione eorundem Episcoporum collectis omnibus Reformationibus iam antea *Tridenti* propositis sub *Paulo* & *Iulio*, & in præsenti etiam, simul in Colloquio *Possiaceno*, excerperetur ex ijs breuiarium, additis etiam quæ in mandatis Regijs continentur, & si quid amplius videbitur ipsis, vnde articuli formarentur pro totius Christiani nominis, præcipue vero Galliæ beneficio.

Legati in sequentẽ Sessionem reformationis capita colligunt, quæ Sacramentũ Ordinis spectant.

At Oratores & Episcopi Galliæ vniuersalẽ reformationem cogitantes, articulis formandis abusus vndequaq; corradunt.

At *Cæsarei* cum viderent nihil prorsus ex ijs, quæ ipsi commemorassent, tanquam reformanda proponi, omnes Oratores congregarunt. Eos *Pragensis* compellans, reuocat in memoriam quantum temporis in Concilio nihil agendo consumptum esset, promissa toties à Legatis facta, de reformatione tractatum iri interea tamen se speculationibus, aut prouisionibus circa leuiores abusus detineri. Esse nunc tempus efficaciter instandi, vt in res graues & prementes opera impendatur. Si omnes vna comparentes petant, tot Papæ & Legatorum promissa exsolui, sperari posse futurum, vt postulata obtineant. Assensere omnes, sed cum ad particularia ventum esset, adeo discrepabant inter se, vt in hoc solo conuenirent, in genere reformationem deposcere; vnde constitutum, vt *Pragensis* sententiam dicens, eam communi omnium nomine requireret; quod & fecit.

Cæsarei cæteros Oratores ad Reformationem petendam solicitant, sed particularia, quibus incũbendum, non expediunt.

Et in materia residentiæ paucis dixit, sufficere vt auferantur à Prælatis delinimenta, quibus in Curia Romana, & in aulis Principum capiuntur: & quoduis Decretum satis fore. Archiepiscopi *Hydruntini* sententia fuit, sufficere decretum huius Concilij sub *Paulo III.* factum, adiunctâ solummodò Bullâ Pontificis data Anno M. D. L X. ad quartum Septembris. Alij præter eam Bullam exprimi volebant illas causas absentiæ, quas Synodus pro legitimis habet, cum ex hoc capite, admodum probabile sit maximas difficultates nascituras. Porro illius Bullæ ab *Hydruntino* laudatæ hæc ferè summa erat. Continebat præceptum personalis Residentiæ, sub iisdem pœnis, quas Concilium declarauerat: & quatuor præmia residentibus. Nempe, vt non possint ad Curiam citari nisi ex mandato Chirographo Papæ subscripto. Vt immunes sint ab omni tributo & indictione ordinaria & extraordinaria, etiam ad petitionem Principum imposita. Vt exercere possint iurisdictionem aduersus quemcunque Clericum secularem exemptum, & regularem extra claustrum habitantem. Vt ab eorum sententijs præterquam definitiua non possit appellari. Alijs satisfecit Decretum à Legatis propositum, sed quibusdam immutatis; prout cuiusque proprijs rationibus accommodum, quæ tot erant, quot personæ. Alij adhuc instabant, vt declararetur *de iure Diuino*. Et erat etiam quarta opinio,

Præsules de Residẽtia sententias dicunt. Pragensis. Hydruntinus.

Capita Bullæ Pontificiæ ab Hydruntino laudatæ.

nio, quantumuis esset *de iure Diuino*, non expedire tamen eius rei declarationem.

Ferdinandus. Philippus 2.

Congregauit Cardinalis *Lotharingius* Theologos è Gallia, vt disputarent de hoc Capite. qui omnes vna voce constituunt, esse *de iure Diuino*. Primus inter Gallos in eam sententiam dixit Episcopus *Andegauensis*, quem similiter consecuti sunt alij. Sed in Congregationibus Synodi generalibus Præsules erant in dicendo immodici, quâ de re & conquestus *Lotharingius* apud Legatos, ostendens cupere se, vt illæ materiæ absoluantur, quò ad reformationem veniretur; & inculcabat illa toties dicta, Nisi sibi *Tridenti* satisfieret, quæsituros domi.

Galli omnes in eam sententiam conspirant, Residentiam esse *de iure diuino*.

F. Albertus Duimius Episcopus *Vegliensis* cum ostendisset Residentiæ materiam in Concilio sub *Paulo III.* discussam fuisse, & decisionem in aliud tempus reiectam, addidit necessarium tamen esse, rationes inspicere, tum temporis à Prælatis allatas. In præsenti sententias dictas sine adiectis rationibus: sed se haud ita sibi faciendum iudicare, quasi authoritate & suffragiorum numero, ac non ratione potius res gerenda. Inde se confert ad recitandas omnes rationes quibus euincatur esse de iure diuino, & soluendas contrarias. Multum immoratus est in illo *Christi* dicto; *Bonus Pastor ante oues vadit, proprias oues vocat nominatim, currit per desertum vt vnam perditam quærat, vitam pro ipsis ponit.* quæ accipienda censet de omnibus ijs, quos *Christus* Pastores instituit, id est, ijs omnibus, qui habent curam animarum; Episcopis maxime, sicut *D. Paulus Ephesiis* dixit, & scripsit. Quod si quis se minimè reputabit *Christi* Decreto ad hæc officia obligatum, aut semetipsum deprehendet Regnorum & Rerumpub. negotijs vtiliorem, abijciendum Pastoris munus, & secularibus tantum negotijs inuigilandum. opus esse bene magnum vno officio rectè fungi; duobus contrarijs sanè impossibile. Non placuit Cardinalibus, quia in dicendo tam multus, quodque primus ad eam materiam rationibus excutiendam accessisset. Veruntamen vehementia Dalmatica in loquendo vsus est, satis ad morem *D. Hieronymi*, & verbis, in quibus multum ponderis, ab eodem mutuatis. *Simonetam* libido incesserat eum interpellandi, sed cohibebat se, ob id, quod Episcopo *Guadicensi* nuper acciderat. Nihilominus accitum eum præsentibus multis Prælatis acriter reprehendit, quod contra Papam locutus esset. Episcopus submissè caussam agens bonis se tuetur rationibus; sed paucis post diebus inualetudinem causatus, licentiam abeundi petijt, impetrauitque: ita die XXI. eius mensis discessit.

Vegliēsis sententiæ dictionem non probat, nisi adiectis rationibus.

Ipse in eis allegandis Legatorum opinione nimius.

Ob eam caussam & quod contra Papā locutus à Simoneta acerbè reprehenditur.

Ex eo tempore in statu controuersiæ de *Residentiâ* facta mutatio. Nam qui ab ea abhorrebant, non, sicut hactenus factum erat, contendunt rationibus aut etiam authoritatibus ostendere eam lege humana introductam: sed ad terrorem inferendum ijs, qui contrariā opinionem tenebant, se comparant, dicentes, iuri diuino eam attribuere, id esse authoritatē Pontificis imminutum ire. Nam ex eo consequi, non posse Papam deinceps augere aut diminuere, diuidere aut vnire, mutare aut transferre Sedes Episcopales, neque vacuas relinquere, aut administandas dare, aut commendare. Non posse restringere, multo minus auferre authoritatem absoluendi. Hoc decreto vna opera damnari omnes dispensationes à Pontificibus concessas, tollique facultatem easdem in posterum concedendi. Iam pars altera quæ satis perspiciebat illas consequentias esse necessarias, neque tamen ex istiusmodi consectarijs vllum incommodum sequi, sed ipsissimam veritatem, & legitimum veteris Ecclesiæ vsum. immo non aliam ob caussam eius rei declarationem postulari, nisi ad eos abusus tollendos; Etiam ipsi relictis rationibus, & authoritatibus, quibus adhibitis eam esse *de iure Diuino* antea contendebant, nunc eò studia sua conferunt, vt ostendant, restitutā per eiusmodi declarationem *Residentiâ*, cessurum id in augmentum potestatis Pontificiæ, reuerentiam erga Clerum auctum iri, & versus Pontificem maiorem in modum: cuius in tot prouincijs authoritas non alio magis nomine pessum ierit, quàm quod Episcopi non residendo, & per Vicarios parum idoneos Ecclesias gubernando, viam latam aperuerint disseminationi nouorum dogmatum, tanto cum detrimento authoritatis Pontificiæ pedem vbique ponentium. Nam si Episcopi resideant, authoritatem Papæ concionibus passim prædicatam, & confirmatum iri, vbi iam agnoscitur, & restitutum, vbi aliqua ex parte concussa. Neutra tamen Præsulum factio ita sermonem ad

Quando res Residentiæ aperto inter Præsules Marte parum successerat, mutata vellificatione vtrique ad versutias & sese inuicem artificijs captandos confugiunt.

suam

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

suam quæque formulam instituere poterat, vt non altera alterius dissimulationem facile animaduerteret; animorumque inuolucra nimis quàm sese proderent: personatis iam omnibus, sed omnibus tamen ex facili inuicem notis. Verùm cum decimo sexto Decembris conuenissent, nec dum essent sententiæ dictæ ab dimidia parte Prælatorum, Cardinalis *Seripandus* Patribus auctor fuit Sessionis prorogandæ. cumque præuideri non posset, quando negotium exitum esset habiturum, placuit intra decimũ quintũ diem certum Consessui tempus præfigere. Monuit interea Cardinalis Prælatos nimiæ in sententijs dicendis prolixitatis, quę ad ostentationem duntaxat comparata, & Concilio dignitatem demeret, & cum magno omnium incommodo id ipsum in longum extraheret.

Pius Borromæi Nepotis morte perculsus morbo periculoso corripitur.

Pontificem vehementer afflixerat mors *Frederici Borromæi* Nepotis sub finem mensis præcedentis vita functi; in quem vti familiæ principem amplissima quæq; conijcere decreuerat, ei in vxorem datâ Ducis *Vrbini* filiâ, eoque & Gubernatore generali Militiæ Ecclesiasticæ constituto, & ad Ducatum *Camerini* destinato. Vnde ex ingenti animi ægritudine incidit in morbum, in senecta ætate periculosum, à quo recreatus aliquantulum, animum ad Concilij negotia appulit. Multas Congregationes habuit ad temperamentum inueniendum in duobus Decretis de Institutione Episcoporum, & de Residentia, quæ totius Curiæ opinione multum periculi authoritati Pontificiæ minitabantur: tum ad rationem aliquam inuestigandam, qua Prælatorum in dicendis sententijs prolixitati prouideatur: quippe quæ Concilium produceret, omnibusque quicquam contra dignitatem suam attentare volentibus portam aperiret. Præcipue erat ei molestum id quod Galli meditabantur, maximè quod nullas vnquam literas *Tridento* acciperet, in quibus non contineretur, aut Cardinalem *Lotharingium*, aut aliquem ex Oratoribus vrgere Reformationem; cum eo, nisi prouisiones quas requirant, exorent, domi suæ sibi consulturos. Immo dictitare, velle vti sibi prouideatur de annatis, de præuentionibus, alijsque rebus propriè ad Pontificem Romanum spectantibus. Idcirco decreuit apertè cum Gallis agere, apud eos qui *Romæ* erant, professus, quandoquidem toties obtulerit se cum Rege tractaturum de ijs, quæ iure præcipuo ad se pertinent, vt pactione amica res transigatur: cumque videat Regis Ministros in Concilio semper iactare, se velle de ijs in Synodo tractare; sibi iam statutum experiri, an Rex ea de causa in apertam secum dissensionem velit prorumpere. Dedit igitur negotium per cursorem extraordinarium Nuncio suo in Francia, vt ea de re verba apud Regem faceret. *Lotharingio* quoque scripsit, in Concilio ista proponi non posse, nisi violata fide promissorum ab Rege per Episcopum *Altisiodorensem* disertè factorum. In Consistorio conquestus est de Episcoporum inconsiderantia, qui *Tridenti* materias vanitate quadam extraherent. Cardinales hortatus est, vt amicis scriberent; & Legatis ipse scripsit, quando suasionibus nil proficerent, vti minas & authoritatem adhiberent. Quod ad Articulos de Institutione, scripsit, affirmare absolutè institutionem Episcoporum esse *de iure diuino*, opinionem esse falsam & erroneam. nam solam potestatem ordinis esse à *Christo*; at jurisdictionem à Romano Pontifice: & eatenus dici posse à *Christo*, quoniam authoritas Pontificia ab ipso est, & quicquid Papa facit, eo mediante facit *Christus*. Ad summam, aut omitterent prorsus illa verba, *de iure diuino*, aut vterentur eâ formulâ, quam, ipse miserat: in qua dicebatur, *Christum* instituisse Episcopos à Romano Pontifice creandos, cum talis tantæque autoritatis distributione, qualis quantaque in Ecclesiæ beneficium ipsi concedenda videbitur: & cum absoluta potestate pro suo sensu datam restringendi & ampliandi. De Residentia deinde nominatim scripsit, quoniam certum esset Pontificem dispensandi authoritatem habere, ad accuratiorem cautelam in Decreto authoritatem eius reseruandam. Cui inseri nec possit, nec debeat *de iure Diuino*, quod abunde ab *Catharino* probatum, à cuius opinione vtpote Catholicâ non sit discedendum. De habenda verò Sessione scripsit confusè, nimirum, ne differretur vltra quindecim dies, neue celebraretur antequam materiæ paratæ concinnatæque essent ne maleuoli alioqui inde cauillandi occasionem arriperent.

Congregationes habentur Romæ super duobus capp. de Institutione & Residentia Episcoporum.

Maximã Pontifici creant molestiam destinata Gallorum.

Legatos Pontifex vult suasionibus minas adiungere.

Formula decreti de Institutione, quam Pontifex Legatis commendat.
De residentia quid fieri velit.

Legatio Ducis Bauariæ Romam mit-

Hisce diebus transijt per Tridentum honorifica Legatio Ducis *Bauariæ Romam* missa, vt à Papa calicis communionem impetraret. Oratori ab Legatis concessa audientia,

audientia, dein secretò cùm Cardinale *Lotharingo* locutus est. Id in causa fuit renouandi controuersiam iam sopitam super ea materia; Hispanorum, & Italorum multis eam sententiam tenentibus (vtcunque caussa suffragante maiore Præsulum parte ad Papam remissa esset) Concilio præiudicium adferri, si durante eo vsus ille introduceretur. Commouerant etiam omnes Patres literæ ad multos Prælatos *Româ* perscriptæ de Concilij suspensione. quòd famâ atque auditione acceptum confirmabat etiam *Iohannes Manriques*, per *Tridentum* è *Germania Romam* proficiscens. At Legati acceptis literis Pontificis, iudicarunt impossibile mandata, quæ Româ ad ferebantur, exsequi; immo necessarium esse, Pontificem magis distinctè ac sigillatim de rebus quibusque certiorem facere, quàm per literas possent; cùm vt Papam edocerent, non posse ita Concilium gubernari, sicuti *Romæ* existimabatur: tum autem, vt mandatis à Sanctitate sua certioribus acceptis, quid opus facto esset, intelligeretur. Cumq; id negotij requireret hominem intelligenti iudicio, rerũ gerendarum gnarũ, & cui à Pontifice fides haberetur, neminem inueniunt aptiorẽ Episcopo *Vintimiliensi*, quem primo quoque tempore mittere decreuerunt. Iamque Natalis instantis festi dies præbent Legatis primùm lentius procedendi opportunitatem, post Congregationes intermittendi, ac denique Nuntium per otium ablegandi, quod factum est vicesimo sexto mensis Decembris.

titur impetrandæ calicis communioni.

Legati, quod Pontificis iussa exequi non possint, de Episcopo Vintimiliensi Romam mittendo cogitant.

At XXVIII. allatum est, prælium in *Gallia* factum ad diem decimum septimum, in eoque captum Principem Condæum. Anno hoc integro admodum turbatum est in illo Regno, per religionis diffidium, quod bello lento primùm, post etiam vehementi ac feruido dedit initium. Sub anni principium auxerat *Parisijs Hugonotorum* numerus, atque vnà Principis Condæi, in cuius clientelam multi ex ijs sese dederant, comitatus. Vnde *Momorantius* equitum Magister cum filijs, & tota familia *Guisiorum*, ac alijs quibusdam, vt potentiam impedirent, ad quam Princeps ille grassabatur, confœderationem inter se hoc consilio ineunt, vt populo Parisiensi duces se præbeant, quorum ope Principem cum clientibus & vrbe & Aula expellant. Tum oppidis, quibus eorũ quisque præerat, relictis, versus illã Regni Metropolim in viam se dantes Hugonotis, quos varijs in locis collectos inuenerant, ex itinere, vel occisis, vel dispersis, *Lutetiam Parisiorum* intrant, allectoq; in partes suas Rege Nauarræ, armataque pro se vrbe, Reginam ad concordiam cum ipsis sarciendam adigunt. Itaque egressus *Lutetiâ Condæus Aurelianum* cum suis concedit: editis iam vtrimque scriptis & libellis, quibus vtrique palam attestantur, quidquid gereretur, pro libertate & obsequio Regis, contra publicæ quietis hostes fieri. Ceterum corrobatâ in dies singulos *Momorantij* & *Guisiorum* factione, *Condæus* mense Aprili dat literas ad omnes Ecclesias Galliæ reformatas, milites & pecuniæ collationem postulans, in vsus belli contra defensores partis Catholicæ indicti, quos vocabat perturbatores quietis publicæ, & violatores Edicti in fauorem Protestantium auctoritate Regia promulgati. Ad has accesserant à Ministris *Aurelianensibus*, multarumque aliarum Ciuitatum literæ, quibus ad arma sumenda illius religionis populares permoti. Quamquam per idipsum tempus accidit quiddam, quod eos magis excitabat. Nam publicatur Edictum Ianuarij, de quo supra mentio facta est, *Parisijs* denuo, sed cum hoc additamento; ne in Suburbijs *Lutetiæ*, & intra banlencam, quàm vocant, cœtus habere religionis causâ, aut Sacramenta alio quàm maiorum more administrare liceat. Et sub finem Maij *Rex Nauarra* Protestantes omnes *Lutetiâ* excedere iubet, vtcunque hactenus moderatione vsus, quòd vim & iniuriam ab omnibus exeuntibus prohibuerit.

De prælio Drocensi in Gallia Tridenti nuncius.

Eius occasio.

Ita in apertum bellum vtraque factio prope per omnes *Galliæ* prouincias prorupit, atque illa æstate ad XIIII. exercitus vno tempore in diuersis Regni partibus coacti. Præliabantur id temporis contra Patres filij, fratresque contra se mutuo; quin & fæminæ correptis hiuc inde armis religionem quæque suam propugnabant. Nulla penè pars prouinciarum *Delphinatus*, *Occitaniæ*, & *Vasconiæ* vim ac vastationem hostilem non sæpius sensit; victoribus hìc Catholicis, ibi Protestantibus, tanta euentuum varietate, vt & longum sit narrare, & alienum ab instituto nostro, quod rerum extra *Tridentum* gestarum commemorationem haud postulat, nisi quà cum

In Gallia passim omnia armis perstrepunt & cædibus.

Concilij

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Concilij negotio connexionem habent: cuiusmodi sunt ista, quæ sequuntur. Nempe Hugonotis victoribus confractas imagines, altaria deturbata, expilatas Ecclesias, fusam conflatamque sacram ex auro & argento supellectilem, pecuniæ inde stipendia militum conficiendæ. Vbi vincebant Catholici, Biblia vernacula concremata, infantes rebaptizatos, matrimonia inita secundum ritus reformatorum, denuo iterata. Sed erat præ cæteris omnibus miserrima conditio Clericorum, & religionis reformatæ Ministrorum, qui quoties in aduersariorum manus inciderant, crudeliter & inhumanè lacerabantur, etiam iustitiæ specie supplicijs exquisitissimis mulctati, maximè à Catholicis. Mense Iulio ab Curia Parisiensi Senatusconsultum factum, quo omnes iubentur Hugonotos impune occidere. quod in singulis Parochijs die Dominica à Curionibus auctoritate publica recitabatur. Cui post additum & aliud, quo declarant perduellionis reos, hostes publicos, infamiâ ipsis, & posteris simul omnibus irrogatâ, ac denique bonis fisco addictis, omnes eos, qui *Aurelijs* arma cepissent, excepto *Condæo*, quasi inuitus à socijs detineretur. Ac tametsi inter partes sæpe tractatum sit, ventumque etiam ad Colloquium ab Regina matre Regis, & Principe *Condæo*, non permisit tamen Procerum ambitio concordiæ sarciendæ rationes iniri, adeo vt motus concitatos quoquo modo compescere impossibile videretur.

Curiæ Parisiensis S.Ctis sanguinolentis veluti classico insolentis turbæ feritas excitatur.

Sed mortuo *Nauarro*, qui fortassis ne ad apertum bellum veniretur, prohibuisset; *Regina* obsequium armis recuperare certa, auxilia ab omnibus Principibus deposcit. Iamque propter *Galliæ* motus Belgicarum prouinciarum populi quasi exemplo edocti contumaciores & ferociores euadunt, imminuta de die in diem Regia authoritate. Neque vero hic aut rebus inclinantibus subsidio esse poterant Gubernatores, aut Regi animus erat sequi consilium Cardinalis *Granuellani* viri etiam in administratione illa spectatissimi, qui *Philippo* auctor fuerat, vt eò se transferret, & Maiestatem Regiam populi morbo, Procerumque destinatis opponeret. Sciebat, nempe, prudens ille Rex, quanto periculosius esset coràm despici: verebaturque, vt neque *Belgium* retineret, sed in contumacia potius obfirmaret, & interea amitteret etiam *Hispaniam*. Igitur cum ita iudicaret, subactis atque in Regis sui potestatem reductis Gallis tumultuantibus, se peruicaciæ subditorum suorum idonea integraque remedia adhibiturum; ob eam rem Reginæ copias militares instructissimas obtulit, etiam quæ toti Regno subijciendo sufficerent. At *Regina* militum auxilia recusabat, pecuniæ poscebat: quippe quæ satis sciret, recepto in regnum milite externo necessitatem se imposituram sibi, *Galliam* non ex suis, sed ex regis *Hispaniæ* rationibus administrandi. Quam obrem cum media quædam vtrique conditio placuisset, acceptis in subsidium ad VI CIↃ. militibus, horum ope, copijsque proprijs, ductoribus *Momorantio* equitum Præfecto, & *Duce Guisio*, die, quem supra dixi XVII. Nouembris prælium commissum est. In quo cæsa Hugonotorum III. CIↃ. & V CIↃ. Catholicorum, Ductoribus quidem supremis vtrimque captis, *Condæo*, & *Momorantio*, sed neutro exercitu fuso aut profligato. quod Legatorum virtuti, à Catholicis *Guisij*, & *Colignij* ab Protestantibus, tribuendum. Regina certe sine mora summam armorum præfecturam *Guisio* confirmauit. Nec minus tamen Colignius & exercitum in armis retinuit, & oppida quæ erant in potestate conseruauit; quin & progressum aliquem fecisse visus.

Regina mater coërcendis Protestantibus auxilia circumspicit.

Pilippus Hisp. Rex consilio Granuellani non auscultat.

Regina potentem ab Hispano exercitum recusat, pecuniam accipere contenta, aut copias mediocres.

Ob hanc victoriam (sic enim celebrabatur, vtcunque id nomen vix meruerit) gratiæ Deo *Tridenti* actæ, omnibus Prælatis in vnum conuocatis, & supplicatio decreta, & Missa decantata: in qua *Franciscus Belcarius* Episcopus *Metensis* Orationem habuit. In ea integram historiam turbarum Galliæ à morte *Francisci* II. prosecutus, cùm vltimi huius prælij euentū commemoraret, totum rei bene gestæ decus in solum *Guisiæ* Ducē conferebat. Inde progressus tumultibus illis causam *Martinum Lutherum* præbuisse affirmat, qui licet ipse parua scintilla, magnum tamen incendium excitarit; quod occupatâ primum Germaniâ per cæteras inde fere omnes orbis Christiani prouincias, exceptis Italia atque Hispania, exarserat. Patres appellat obtestatus, vt labenti Reipub. Christianæ subueniant, quod ij soli hanc flammam restinguere possint. Vicesimum sextum annum agi, ex quo *Paulus* III. ei malo mederi Concilio in illam vrbem indicto conatus esset; dilatum fuisse, tum dissimulatum, ac varijs

Patrum Tridentinorum ob Condæanam cladem lætitia. Belcarij Metensis Episcopatus administratoris oratio ad Patres.

tandem

tandem factionibus certatum, donec *Bononiam* translatum esset. Illic verò & varias dilationes, & maiores contentiones, & acriores factiones intercessisse. Itaque *Tridentum* rursum reuocatum, tandemque bellis inualescentibus, re infectâ, Patres se ad suos recepisse. Ventum nunc ad supremum, nullum amplius relinqui dissimulationi locum. Aut hoc Concilium (inquit) orbem Christianum conciliabit, aut si re infectâ discedatur, in certam atque imminentem præcipitabit ruinam. Itaque Patribus videndum inprimis, ne quid præiudicati domo adferrent, ne quid in gratiam dicerent, ne quam rei priuatæ rationem haberent. Publicam religionis causam agi; si aliorsum auertant oculos, actum esse de religione. Hæc ita liberè dicta adulatione temperauit; primùm Patres, post Pontificem, tum Imperatorem, Reges *Romanorum*, & *Poloniæ* demulcens. Inde ad laudes transijt *Reginæ Matris*, *Galliæ Regis*, *Hispaniæ*, *Portugalliæ*; ad Ecclesiæ disciplinam renouandam denique hortatus.

Ferdinandus. Philippus 2.

Cardinalis *Lotharingius* cum de capto Principe allatum esset, præcipuo gaudio perfunditur ob priuatum fratris honorem: tantoque amplius incessit eum cupido celeriter in *Galliam* redeundi, vt assiduus in aula ac consilio Regio, & rebus eius adiumento esse possit; & ipse ad gradum aliquem altiorem ascendere, sublatis *Nauarro* & *Momorantio*, quibus erat necessariò cedendum.

Per eos dies Pontifex suspicionum plenus, quòd *Imperator* se *Oenipontem* venturum professus esset, quem nec sine ingentibus destinatis moturum iudicabat, nec sine certa spe efficiendi; adeoque credens habere eum cum *Francia* & *Hispania* secretam consiliorum communicationem, de quibus, quod in ea non penetraret, non aliter existimans, quam machinationem esse contra se; agitabat animo & ipse *Bononiam* concedere; tum octo aut decem Cardinalibus *Tridentum* missis, & arctius Principibus *Italiæ* se coniungere, Prælatosque sibi in Concilio beneuolos magis magisque confirmare, donec eius aut dissoluendi, aut suspendendi aliquam occasionem inueniret. Dein vt impediret, ne *Tridenti* de Curia sua reformanda tractaretur, ipse aliquot diebus in eo multum operæ collocauit. Ad *Officium Rotæ* reformandũ edito in eam rem Breui, dato sexto Kal. Ianuarij, ordinauit, ne quis Auditorũ ad definitiuam sententiam venire posset, etiam in causa clari iuris, nisi toti Collegio propositâ, excepto, si partes consensissent. Item, sententias latas, vt in schedula, intra quindecim dies publicandas. Item, causas proprias Auditorum, & eorum familiarium, ac consanguineorum, vel affinium vsque ad secundum gradum, in Rota non cognoscendas. Tum ne Auditores compellant partes vt assumant certum aduocatum. Item, Ne qua decisio fieret contra decisiones antiquas impressas, nisi cum votorum saltem duabus tertijs partibus. Item, vt si Auditor cognouisset in Actis adesse suspicionem criminis, remitteret acta ad Iudicem Ordinarium, & si causa criminalis præiudicaret ciuili, in eius cognitione supersederet. Constituit etiam in eadem Bulla taxationem pro modo sportulis imponendo. Reformauit etiam alijs Bullis publicatis primo die Ianuarij Signaturam Iustitiæ, Tribunalia Romæ, Officium Aduocati fiscalis, ordinatis sportulis quibus contenti essent. Verùm tantum abfuit vt huiusmodi prouisionibus, consuetis extortionibus modus imponeretur, vt potius nouis istis constitutionibus violandis, addiscerent veteres etiam, quæ adhuc parte aliqua obseruabantur, violare.

Pontificis cogitata ad præuertendum destinatis Imperatoris.

Eiusdem in officio Rotæ & alijs Curiæ suæ officijs reformandis studium.

Curiales Romani existimantes Catholicos in *Gallia* solidam reportasse victoriam, & illo prælio de Protestantibus prorsus debellatum, lætitia exultabant: cumque id confectum armis crederent, quod à Concilio *Gallia* exspectabat; neque *Germanorum* vlla ratio habenda videretur, quos contra concilium protestatos sciebant, sublatas omnino putabant habendi Concilij causas, idque iam suspendi aut differri posse, seque liberari ea molestia quam singulis hebdomadis auctam sentiebant propter eas, quæ *Tridento* adferebantur, rerum innouationes. Pontifex tamen eam victoriam non magni æstimabat. nam factus iam certior Catholicis vires nihilo esse auctiores, nec Hugonotis diminutas, reputabat illam pugnam tractandi de pace partibus occasionem daturam. quod quidem quando nec sine suo damno esset futurum, & *Tridenti* maioribus materiam nouitatibus ministraturum, magis quàm antea metu molestiaque conflictabatur. Atque hoc rerum statu finem habuit annus M.D.LXII.

Curia Romana quasi debellatum esset de Protestantibus, ab Concilio securitatem sibi pollicetur.

At Papa à pacificatione metuens maiori quam prius molestia angitur.

habita

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

habita iam Congregatione XXX. die mensis, qua decretum, vt dies constituendæ Sessioni in quindecim alios dies prorogaretur.

1563.

Oratores Galli in Concilio exhibent Capita reformationis.

Annus M.DLXIII. principium habuit à Capitulis Reformationis per Oratores Gallos in Concilio exhibitis; quæ Legatis, & omnibus Pontificijs dura admodum visa, ea parte nominatim, qua de ritibus Ecclesiæ Romanæ immutandis agebatur; & iura emolumentaque, quæ Sedes Apostolica ab alijs Ecclesijs solet percipere, attingebantur. Et Oratores quidem inter exhibendum solitam appendicem, ne dicam protestationem, non omiserant; nisi hæc à se proposita admitterent, se suis necessitatibus in Gallia prouisuros. Certò sciebant Legati, Pontificem ista non sine animi perturbatione inspecturum; cui iam promissum fuerat, de Annatis & alijs rationibus pecuniarijs in Concilio non tractatum iri, sed amicè cum ipso. Visum itaque

Ea quòd Legati Pontifici displicitura scirent, Episcopum Viterbiensem Romam mittunt cum mandatis.

necessarium Prælatum aliquem mittere, qui ea perferret, & Sanctitatem suam instrueret. Et præ alijs placuit *Episcopus Viterbiensis*, vtpote rerum Gallicarum ob multorum annorum in eo regno moram, cùm Pontificis Nuncium ageret, bene peritus; neque consiliorum Cardinalis & Præsulum Gallicorum, qui aderant in Concilio, ignarus, cum ijs post aduentum multùm versatus. Qua re à Cardinale *Lotharingio* intellecta, hortatus ipse est vt id facerent: simul ei mandata dedit, de quibus cum Pontifice sermones sereret. Erat nimirum Episcopus ille ea ingenij dexteritate, vt, quamuis Cardinalis eum pro speculatore & exploratore sibi appositum suspicaretur, tamen bellè se gerendo, & fidem apud Cardinalem ac Oratores nactus sit, nec imminutam senserit Pontificis & Legatorum de se existimationem.

Mandatorum summa.

Perferebat Antistes hic ab Legatis mandata, vt Papæ repræsentaret difficultates omnes quas ipsi comperiebant; atque vt earum definitionem reportaret, cum præscripto, quem ad modum in singulis se gerere debeant. A *Lotharingio* commissum, supplicare Pontifici, vt in bonam partem acciperet, ab Rege id postulatum, quod Regno suo necessarium videretur; & ab ipsis Regiorum mandatorum exsecutionem curari. necnon offerret eius Sanctitati suam operam in componendis controuersijs de institutione Episcoporum, & residentia, quæ Concilium rebus leuibus distinebant.

Oratores Cæsaris queruntur articulos reformationis ab ijs exhibitos, etsi passim diuulgati essent, nondum tamen in Synodo propositos.

Cæsarei Oratores inspecta Gallorum reformatione, eiusque prœmio considerato, videbantur sibi ignominia aliqua subnotati, quasi parum authoritate valerent. Queruntur itaque apud Legatos, articulos reformationis ab Imperatore, aut à se exhibitos, in Concilio propositos non fuisse, tametsi eorum exempla edidissent, & misissent Romam, perque *Tridentum* disseminassent: petuntque, vti Gallicis adiungantur. Excusant se Legati, quod sibi facultas ab Imperatore data esset per literas, & ab ipsis verbo, vt proponerent, & omitterent quod sibi videretur. Legati excusant, exspectare se tempus opportunum; & Gallos sanè sua quidem opinione parùm accommodam tempestatem delegisse, dum vigeret illa controuersia de duobus Canonibus, quæ Pontificem habet admodum anxium. Id responsum Oratoribus non satisfecit; dicentibus, aliud esse totum relinquere, atque vnam aliquam partem; & aliud differre, rebus interea cum dignitate reseruatis, atque eas propalatas irrisui exponere. Ac respondente *Simoneta*, nimis esse difficile dijudicare quænam essent proponenda, cum in comperto sint quæ omittenda; acquieuerunt denique *Cæsarei*, vt exspectaretur quid Papa ad Gallorum propositiones dicturus esset, tum vt de suis etiam referretur. Præsules Galli consenserant verbis generalibus articulis ad ritus spectantibus, alijsque qui Episcopis oneri erant, quos tamen secretò non probabant, credentes in ijs ventilandis *Hispanos* & *Italorum* bonam partem reclamaturos: sed cum viderent *Romam* mitti, timere cæperunt, ne Papa ijs sese opponens

Præsules Galli præter Regis sui mentē temporibus obsecundātes ab Oratore Lansaco increpiti.

quæ sua commoda attingerent, reliquis assentiretur; & ex compacto cederet quæ ipsis damnosa, vt ea in quibus suum incommodum verteretur, effugeret. Ob hanc causam itum est ad secretas cum alijs Prælatis conuentiones, quibus modum in his adhibendum suadent. quod cum more Gallico facerent incautius, ad Oratorum notitiam peruenit. Itaque *Lansacus* congregatos omnes reprehendit acriter, quod voluntati Regis, Reginæ, totius Consilij, & Regni se opponere ausi essent. Hortatur vt Regijs consultis non solum non obsistant, verum & ea pro virili promoueant.

mouerant. Atque eam admonitionem ſatis rigidam fuiſſe cognitum eſt. *Ferdinandus. 2. Philippus.*

Sed antequam negotium, vt *Romæ* geſtum ſit, commemoretur, ex re erit hoc loco petitiones Gallorum ſummatim referre, quæ continuò *Ripæ* & *Patauij* typis excuſæ, hoc tenore. Conſtitutum fuiſſe pridem Oratoribus, ex Regis mandato, ad Synodum referre ea, quæ illo ſcripto continebantur, ſed cum *Cæſarea* Maieſtas eadem ferè proponenda curaſſet, ne Patribus eſſent moleſti, ſuſtinuiſſe ſe aliquantulum, expectantes dum de *Cæſaris* poſtulatis aliquid ab ipſis decerneretur. Nunc Principis ſui literis victos, & quia *Cæſareum* negotium longius protrahebatur quam ſpes fuerat, differendum amplius haud ratos. Nihil ſe à cæterorum Chriſtianorum ſalute eximium & ſingulare requirere. Regem verò cupere quidem, vt petitionum ſuarum ratio habeatur, ſed tamen earum rerum omnium & cognitionem, & iudicium Patribus permittere. Capita erant XXXIV.

Petitiones in Cõcilio factæ nomine Galliarum Regis ſummatim recitantur.

Ea erant XXXIV.

I. Ne alij in poſterum ordinentur Sacerdotes quam qui ſeniores ſunt, & à populo bonum habeant teſtimonium, vt anteacta vita quales poſtea ſint futuri non leuis ſit coniectura; & Sacerdotum libidines ac flagitia acerrimis Canonum pœnis coerceantur.

II. Ne eodem die aut tempore omnes ſacri ordines conferantur, ſed promouendus ad maiores, prius in minoribus dignè & aliquo tempore verſetur.

III. Nullus Presbyter ordinetur, cui non continuò ſecundum Concilium *Chalcedonenſe* detur vnà beneficium, aut Miniſterium: ſic enim ordinationes à priſcis Patribus factas, qui titulos Presbyterales ſine officio non agnouerunt.

IV. Diaconis & alijs ſacris ordinibus reſtituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda, & in ceremonijs tantum poſita nomina dicantur.

V. Presbyteri, ſacriſque initiati, & cuiuſuis Eccleſiæ Miniſterio addicti, in ea vocatione, in qua à Domino vocati ſunt, permaneant, neque in alio munere quam quod Dei Miniſterium deceat, verſentur.

VI. Nullus eligatur Epiſcopus niſi ætatis legitimæ, iiſque moribus & doctrinâ, vt & populum docere, & ei vitæ exemplar eſſe poſſit.

VII. Vt is qui creatur Plebanus, & probatæ ſit vitæ, & qui populum in lege Dei poſſit inſtruere, ſacrificium rite celebrare, & Sacramenta, vt par eſt, adminiſtrare, & illorum vſum & effectum illos quibus ea adminiſtrat recte docere.

VIII. Vt ad Abbatiam aut Prioratum Conuentualem niſi prius in celebri aliquo Gymnaſio ſacras literas publice profeſſus, & Magiſterium, aut alium gradum adeptus, non admittatur.

IX. Vt Epiſcopus per ſe aut per eos, quos ad prædicationis munus aſſumet, qui tot erunt, quot pro Dioeceſis magnitudine videbitur opus eſſe, omnibus Dominicis & diebus feſtis, tempore item Quadrageſimæ, jeiuniorumque & Aduentus Domini quotidie verbum Dei annunciet, & quotieſcunque iudicarit opportunum.

X. Vt idem faciat Plebanus, ſi non deſint apud quos concionetur.

XI. Vt Abbas & Prior Conuentualis interpretetur libros veteris & Noui Teſtamenti, Xenodochia inſtituat, & vti Monaſterijs antiquæ ſcholæ reſtituantur.

XII. Vt qui hodie ſunt Epiſcopi, Plebani, Abbates, aut alij Eccleſiaſtici, ſi ſuum officium præſtare non poſſint, accipiant coadiutores, per quos illud præſtent, aut omnino beneficia dimittant.

XIII. Vt de Catecheſi & ſumma doctrinæ Catholicæ conſcribenda, deque Poſtillis etiam legendis ea decernantur, quæ *Cæſareæ* Maieſtati viſum ad id Concilium referre.

XIV. Vt vnum beneficium vni tantum conferatur, ſublatâ compatibilium, & incompatibilium, perſonarumque differentia, diſtinctione noua & antiquis decretis incognita, quæ Eccleſiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit: atque vt regularia regularibus, ſæcularia ſæcularibus dentur.

XV. Qui nunc duo pluraue poſſidet, aut illud tantum retineat, quod intra breue tempus elegerit, aut in pœnas antiquorum Canonum incidat.

XVI. Vt à Sacerdotali ordine ſordes omnes procul expellantur, nec vllo prætextu

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

textu pro rebus diuinis quicquam exigatur, curet Episcopus aut per vnionem beneficiorum, aut decimarum assignationem, aut si id fieri non possit commodè, Princeps per parochianorum symbola & collectas, vt Plebani & cum eo duo aut plures Clerici habeant, vnde vitam congruè traducant, & hospitalitatem præbeant.

XVII. Vt in Missis parochialibus Euangelium aperte & dilucide pro populi captu in suggestu exponatur, quo in loco quæ præeunte plebano à populo fiunt preces, lingua fiant vernaculâ; peracto autem sacrificio latinè & mysticis precibus; linguâ etiam vernaculâ publicè ad Deum fiant Orationes; eoque tempore aut alijs statutis horis cantari possint pia & spiritualia cantica, aut Psalmi *Dauidici* prius ab Episcopo examinati, si id ex re suæ Ecclesiæ esse censebit Episcopus.

XVIII. Vt Antiquum illud *Leonis* & *Gelasii* decretum de Communione sub vtraque specie renouetur.

XIX. Vt omnes, præcipuè imperiti, vsum & efficaciam Sacramentorum intelligant, præcedat semper linguâ vernacula breuis & dilucida expositio, quę Sacramenti, quod administratur, rationem contineat.

XX. Vt beneficia secundum veteres Canones non conferantur amplius per Vicarios, sed per ipsos Ordinarios, & illis intra sex menses non conferentibus, potestas conferendi deuoluatur ad proximum superiorem, & gradatim ad Papam.

XXI. Vt Mandata de prouidendo, expectatiuæ, regressus, fiduciariæ resignationes, commendæ reuocentur, & omnino arceantur ab Ecclesia, veluti decretis contraria.

XXII. Vt resignationes in fauorem exstinguantur à Curia Romana, cum à Sacris Canonibus institutum sit, ne quisquam sibi sui officij quærat aut eligat successorem.

XXIII. Vt Prioratus seculares, aut simplices, quibus contra institutionem cura animarum adempta est, & translata in Vicarium perpetuum, ijsque tantum parua quædam decimarum, aut aliorum prouentuum portio assignatur, cùm primum vacauerint, in antiquum statum restituantur.

XXIV. Vt beneficijs quibus ex deprauata consuetudine nullum annexum est officium concionandi, Sacramenta administrandi, aut aliud onus Ecclesiasticum, ab Episcopo cum consilio Capituli cura aliqua spiritualis imponatur, aut ea vicinioribus parochialibus Ecclesijs vniantur; cum beneficium sine officio nec esse debeat, nec possit.

XXV. Ne pensiones super Beneficijs constituantur, & constitutæ tollantur, quo reditus Ecclesiastici in alimenta Pastorum, aliosque vsus pios transferantur.

XXVI. Vt restituantur Episcopis intra omnem Dioecesin Ecclesiasticæ iurisdictiones, exemptionibus omnibus sublatis, exceptis capitibus ordinũ, ijsque quæ ipsis subsunt Monasterijs, & quæ Capitula faciunt generalia, & ijs Monasterijs, quibus exemptionem antiquitus datam certo constet: quæ tamen, ne à correctione animosè se eximant, aliqua ratione prouideatur.

XXVII. Cum Episcopus ea iurisdictione vti non debeat nisi consulto capitulo, nec alia suæ diocesis grauia negotia tractare, detur opera vt Canonici sint assiduò in Ecclesia Cathedrali bonis moribus & scientia prædıti, quique saltem vigesimum quintum annum attingant. Nam ante illam ætatem cum non possint per leges humanas rebus suis prospicere, quomodo Episcopo consulere poterunt?

XXVIII. Vt retineantur antiqui, aut noui constituantur consanguinitatis, affinitatis, vel cognationis spiritualis gradus, intra quos non liceat obtentu cuiusuis dispensationis matrimonium contrahere, exceptis solis Regibus, aut Principibus, propter bonum publicum.

XXIX. Cum maximæ perturbationes propter imagines sint excitatæ, prouideat Synodus, vt doceatur populus, quid de cultu imaginum sit sentiendum, curetque, vt, si quæ in ijs colendis irrepserunt superstitiones, & abusus, tollantur; quod ipsum quoque prouideat in indulgentijs, peregrinationibus, reliquijs Sanctorum, & ijs sodalitatibus, quas vocant fraternitates.

XXX. Vt

XXX. Vt restituatur Ecclesiæ Catholicæ & in vsum reuocetur antiqua publicáque propter graues & publicas offensas, pœnitentia; atque ad iram Dei placandam ieiunia, & luctus, & preces publicæ indicantur. *Ferdinandus. Philippus 2.*

XXXI. Vt excommunicatio non pro quouis delicto aut contumacia decernatur; sed pro grauissimo tantum peccato, cumque in eo post vnam, & alteram, & nonnunquam tertiam admonitionem reus perseueret.

XXXII. Ad forenses de beneficijs controuersias, quæ vniuersum ferè Ecclesiasticum ordinem contaminauerunt, decurtandas, aut tollendas, auferendam petitorij & possessorij in causis beneficialibus nuper inuentam distinctionem: tũ, sublatis Vniuersitatum nominationibus præcipiendũ Episcopis, vt beneficia non ambientibus, sed fugientibus, & de Ecclesia bene meritis conferant. Merita iudicari posse, si post magisterium aut alium gradũ in Scholis adeptum, is cui confertur beneficiũ, authore Episcopo, & probante populo fuerit publicè concionatus aliquo tempore. Cumque ordinarius semel beneficium cõtulerit, aut patronus præsentauerit, non liceat Superiori aliter confirmare, quàm si prius præsentatum, aut eum, cui collatum est beneficium, eo beneficio Iudices non indignum iudicauerint.

XXXIII. Si quando de conferendi aut præsentandi potestate lis oriatur, ab Episcopo œconomus beneficio vacanti præficiatur, qui fructus omnes percipiat, & munera omnia Ecclesiæ subeat; tum litigatores, aut arbitros eligant, aut ab Episcopo datos accipiant: hi infra sex menses litem dirimant, ab his appellari non liceat; aut si existimet Synodus appellationi deferendum, mandetur interea executioni sententia, neq; teneatur œconomus, aut qui sententiã prior obtinuit, restituere fructus pendente lite perceptos, qui tantùm ministri & pauperum alimentis cedere debeant.

XXXIV. Vt Sancta Synodus decernat Synodos Episcopales quotannis semel ad minimum; tertio quoque anno Prouinciales congregentur, in quibus de his, quæ ad statum Ecclesiasticum pertinent diligenter pertractetur, de Ministrorum delictis maturè cognoscatur, & in eos qui deliquerunt, seuerè animaduertatur. Et vt Concilia Generalia, nisi aliquod obsistat impedimentum, decimo quoque anno celebrentur.

Cæterum peruenit *Romam Vintimiliensis* Kalendis Ianuarij, itinere septem diebus confecto. Redditis Pontifici literis, expositisq; mandatis fiduciarijs, quàm varij essent ijs, qui in Concilio, fines, quàm diuersa consilia, animorumque affectus significauit; simulationem explicauit, quam Legati alijque fidi Sanctitatis suæ clientes ijs difficultatibus expediendis accommodatissimam existimabant. Pontifex Congregatione conuocata die tertio, quæ à *Vintimiliensi* exposita, retulit; diligentiam prudentiamque Legatorum in rebus gerendis, nec non propensam *Lotharingij* voluntatem probauit; constituitque, vti consultaretur super articulo de institutione Episcoporum, quo tum maximè premebantur. Die sexto, qui erat coronationis suæ anniuersarius, aliam Congregationem habuit, in qua Cardinales declarauit *Ferdinandum de Medicis*, & *Fredericum Gonzagam*; illum, vt patrem de miserabili morte alterius filij Cardinalis solaretur; hunc, vt Legato Cardinali *Mantuano* gratificaretur, alijsq; ex illa familia arctè sibi per matrimoniũ inter Legati Nepotem, & sororẽ Cardinalis *Borromæi* initũ, coniunctis. Nec abstinuit tamen Pontifex consultationibus de rebus ad Conciliũ spectantibus interuenire; in quibus post multã deliberationẽ placuit perscribi ad Legatos, vt Canon ille de institutione Episcoporum formaretur ad hunc modum; *Episcopos tenere in Ecclesia locũ principalem à Ro. Pontifice pendentem, & ab ipso assumi in partem solicitudinis*. Et in Canone de potestate Papæ diceretur, *eum authoritatem habere pascendi & regendi Ecclesiam Vniuersalem, loco Christi, à quo omnis authoritas ei*, tamquam Vicario generali, *est communicata*. At in Decreto de doctrina, extenderent verba *Concilij Florentini*, quæ sic habent, *Definimus Sanctã Apostolicam Sedem & Romanum Pontificẽ in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanũ successorẽ esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorẽ existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalẽ Ecclesiam à Domino nostro I. Christo plenã potestatem traditam esse*. Atq; hic imperatum, ne ab illa forma recederent, quã certò credebat receptũ iri. Cũ enim penficulatè desumpta sit è Generali Cõcilio, quisquis refragabitur, proditurum

Vintimiliensis Romæ mandata exponit, & de his Papa consultat.

Interea creat II. Cardinales è familijs illustribus.

Quæ formula tam in Canonibus, quàm in Decreto tenenda sit, præscribit.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

turum se schismaticũ, & in censuras incursurum; quæ cùm diuinâ prouidentiâ semper contumacibus irrogari consueuerint, ad maiorẽ Sedis Apostolicæ gloriam & exaltationem; confidere se, causam Ecclesiæ neq; à D.O.M. neque à bonis Catholicis iri desertum. Sed antequam eò perueniatur, *Vintimiliensem* rediturum, quem breui amplioribus mandatis instructum sit remissurus. Constituit *Bononiam* se transferre, vt esset in viciniâ, & occasionibus finiendi, aut transferendi Cõcilij non deesset; quæ, priusquã nunciabantur *Romam*, euanescebant. Bullã confici iussit, qua statutũ, vt si ipsum ab vrbe absentem mors interciperet, electio Romæ fieret à Collegio Cardinaliũ.

Viterbiensis Episcopi aduentus Romã cum reformatione à Gallis exhibita Pontificẽ solicitum habet.

Vixdum cursorem cum hisce literis *Tridentum* Pontifex ablegarat, cum aduenit *Viterbiensis* Gallorum reformationem deferens, vnde ex dolore vulnus recruduit. Eam reformationem dum primùm legeretur, impatientissimè audiuit, prorupitq; in impotentiæ voces; Eius finem esse, Datariam, Rotam, Signaturas, & in summa totam authoritatem Apostolicam conuellere. Post animo frontéque paulo serenior, propter Episcopi interpretationem, in bonam spem erigentis Sanctitatem suam, quasi concessis aliquibus, nonnullla auertere, quædam alia demitigare possit; *Lotharingij* mandatis exponendis aures dedit. Ea erant, Principes multa petere, vt quæ maximè premunt, impetrent. Atq; ea Sedis Apostolicæ rationes non multum respicere; veluti Calicis communionem, linguæ vernaculæ vsum, Coniugiũ Presbyterorum. Si in his Sanctissimus Pater voluntati ipsorũ morem gerere dignetur, breuem & expeditam viam inuenturum, quâ non sine peracti Concilij laude, finem desideratum attingat. Multos ex ijs articulis ipsis etiã Galliæ Episcopis non satis arridere, qui ad impedimẽta ijs interponenda sese comparabant. Hæc cum audisset, constituit Papa vt articuli in Congregatione disceptarentur, introductis in eam *Viterbiensi*, & *Vintimiliensi*, qui de cunctis, si quando opus esset, plenius edocerent. In ea Congregatione decretum, vt Theologi & Canonistæ de articulis propositis scriberent; & suam quisque sententiam chartæ mandaret. Atque vt aliqua parte Gallia dimoueatur ab incœpto, dedit Papa negotium Cardinali *Ferrariensi*, vt quadraginta illa coronatorum millia sine vlla conditione Regi relinqueret. Exponeret ei, ab Oratoribus suis *Tridenti* proposita, esse magnam partem conducibilia ad Ecclesiæ reformationẽ; sibiq; optatissimũ, ea non decreta solùm, verùm etiam moribus recepta videre. Neq; tamen omnia probare; cũ in ijs sint aliqua, quæ Regiæ authoritati derogant. collatione enim Abbatiarum Regẽ fraudatum iri; quod sanè magnum Regi adiumentum est, ad præmia bonis & fidelibus ministris persoluenda. Prisci æui Reges, cũ Episcopos haberent nimis potentes, & potestati Regiæ, propter eam, quã pollebant, authoritatem, cõtumaces ac refractarios, postulasse à Romanis Pontificibus, vt ei modũ imponerent. iam verò Oratores suos istis propositionibus restituere Episcopis eã licentiam, quã suæ Maiestatis antecessores prudentissimè coërcendam, curassent. Quod ad Pontificiam authoritatem, non posse sibi auferri eam, quæ à *Christo* data, à quo *S. Petrus* & successores Ecclesiæ Vniuersalis Pastores facti, & bonorum omnium Ecclesiasticorum administratores. Sublatis pensionibus adimi sibi facultatem erogandi eleemosynas; quod locum habet inter præcipua munera, quæ per totum orbem Christianum Pontifex exercet. Communicatam Episcopis tanquàm Ordinarijs ex gratia facultatem quædam beneficia conferendi: eam haud æquum esse eousque extendere, vt vniuersali ordinariæ potestati, quam Papa vbique habet, præiudicet. Sicut decimæ Ecclesiæ debentur de iure diuino; ita decimarum decimas ab omnibus Ecclesijs deberi summo Sacerdoti. Earum maioris commoditatis causa, cum Annatis permutationem esse factam. Quod si ab ijs aliquod incommodum Regno *Galliæ* adferatur, non recusare se aliquod ea in re temperamentum, modò vt Sedi Apostolicæ pro dignitate ius suum saluum maneat. Verùm, quod sæpe iam significatum, hac de re non posse cum alio quoquam nisi semetipso tractari; nec Concilium huic negotio manum admouere posse. Commisit ad extremum Cardinali, vt his omnibus Regi ad considerandum expositis, ei auctor sit, de nouis ad Oratores suos mandatis mittendis.

Pontifex per Card. Ferrariensem Galliæ Regem cum petitionibus amoliri studet.

Pontifex de capitibus Reformationis Tridentum

Sed & *Tridentum* misit Papa censuras super ijs Articulis à diuersis Cardinalibus, Prælatis, Theologis, & Canonistis *Romæ* factas; vnà inperans, vt mora quàm fieri possit maxima interponatur, antequam de illa materia verba fiant.

Articulum de residentia, & abusus ad Sacramentum Ordinis spectantes, negotium daturos in multos dies. Quod si necesse fuerit illos articulos proponere, incipiant ab ijs, qui minus adferant præiudicij, veluti qui ad mores & doctrinam pertinent, tractatione de ritibus & materia beneficiali prorogata. Sed & de his si cogantur referre, communicatis obiectionibus cum Prælatorum amicissimis, tum demum discutiendos ac disputandos proponant; interea se, quid amplius constituerit, edicturum. Hæc ferè Legatis perscripsit. **dat literas, & vnà censuras à diuersis super ijs factas.**

Postea sub finem mensis exponit in Consistorio, maximos Christiani nominis Principes reformationem postulare, quæ neque veris rationibus, neque prætextis negari possit. Itaque constituisse, cum vt alijs egregio exemplo præiret, tum ne suo deesset officio, à se ipso initium facere, Datariæ abusus emendando, sublatis coadiutorijs, regressibus, & renunciationibus in fauorem. Cardinalium esse, non solùm suffragio assentiri, verùm etiam notum hoc omnibus facere. Et multi quidem laudabant omnino in Pontifice istam ad bene agendum propensionem: at alij deliberandum censent. Eas enim consuetudines introductas tollendis grauioribus corruptelis manifestæ Simoniæ, pactorumque illicitorum. quare videndum etiam atque etiam, ne sublatis istis, qui sunt tolerabiles, atque ad summum legibus tantummodo humanis repugnant, ij postliminio redeant abusus, qui diuinis legibus aduersantur. Cardinalis *Tridentinus* nominatim asseuerabat coadiutorias auferri non posse, nisi cum magno *Germaniæ* incommodo. Nam cùm Episcopatus illi Principatus habeant coniunctos, nisi coadiutoriæ simul in vtrisque obtineantur, introducturos rationem id faciendi in principatu solo: ita disiuncto temporali à spirituali, Ecclesiam funditus exstirpatum iri. Reclamabat Cardinalis *Nauagerius*, ne *Germania* à cæteris prouincijs discreparet. nam cum Germani omnium primi reformationem flagitauerint, ipsos aiebat cumprimis in ea comprehendendos. Narrat deinde Pontifex, quam multa proposita in Concilio, quibus contra priuilegia Ecclesiæ Romanæ attentatum. De Annatis, de reseruationionibus, & præuentionibus verba fecit; ea dixit necessaria esse subsidia, Papæ, & Collegio Cardinalium sustentandis. quorum vt ipsi participes fiebant, ita iustum esse, vt operam in ijs retinendis ponerent, seq; *Tridentum* aliquot ex ijs missurum, vt ea defenderent. **Dein de reformanda Dataria in Consistorio deliberat.**

Cæterum *Tridenti* postridie quàm venisset is cursor, qui Canones de Institutione *Romà* attulerat, qui dies erat Ianuarij decimus quintus, pro futuræ Sessionis certo tempore præfigendo constitutus; Congregatio habita est, & decretum, vt de eo non statueretur, ante quartum Februarij: editumque simul exemplum decretorum de Institutione, de quibus vti verba fierent, placuit ad instaurandas Congregationes redire. Datum insuper negotium Cardinalibus *Lotharingo*, & *Madrucio*, decretum de residentia reformandi, assumptis sibi in consilium ijs Patribus, quos videretur. Proximis diebus continuatis Congregationibus formulæ Decretorũ *Romà* allatæ Patriarchis & antiquioribus Archiepiscopis facilè probantur. Sed vbi ad *Hispanos* ventũ, ab his iniecti continuò scrupuli, & à Gallis deinde multo maiores. Obijcitur ad ea verba, quibus dicebatur, *Episcopos locum principalem tenere à Pont. Romano dependentem*; hanc esse formulam loquendi ambiguam, apertiúsque loquendum. post longam verò disceptationem eò ventum, vt dici paterentur *principalem sub Romano Pontifice*: sed non, *dependentem*. Aliqui etiam ijs verbis resistebant, quod *Episcopi assumpti sint à Papa in partem sollicitudinis*, & dici volebant, *datos esse à Christo in eius partem*; citato *S. Cypriani* loco, *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur*. Et in articulo de authoritate pascendi & regendi Ecclesiam Vniuersalem, arguebant in contrarium, illam esse primum tribunal sub *Christo*, cui quemlibet subiectum esse oporteat; ipsum *Petrum* ad Ecclesiam tanquam ad iudicem missum, dicente *Christo*, *Dic Ecclesiæ*, &, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. De Pontifice id dici patiebantur, authoritatem eum habere pascendi & regendi, *vniuersas Ecclesias*, sed non *Ecclesiam Vniuersalem*. perinde ac si inter hæc duo multum interesset. Et *Granatensis*, Ego, inquit, *Granatæ* Episcopus sum, & Papa eiusdem Ciuitatis est Archiepiscopus; innuens Papam Ecclesiarum particularium inspectionem habere, sicut Archiepiscopus in Ecclesias suorũ Suffraganeorum. Cùm **Emendatio Canonum ad formulam à Pontifice præscriptam Patribus Tridẽtinis in vniuersum non probatur.**

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Inter Italos & Gallos de auctoritate Conciliorum Constantiensis, Basileensis & Florentini controuersia.

Deinde altera de potestate Papæ.

ab altera parte diceretur, in Concilio *Florentino* adhibita esse illa verba, *Ecclesiam Vniuersalem*; responsum est, Concilium *Constantiense* & *Martinum V.* in condemnatione articulorum *Iohannis Wiclefi* damnare articulum contra primatum Sedis Apostolicæ eo tantum nomine, quod neget Primatum summi Pontificis super omnes Ecclesias particulares. Atque hoc loco incidit controuersia inter Gallos & Italos, cum dicerent hi *Florentinum* Concilium fuisse generale, & *Constantiense* partim approbatum, partim reprobatum; *Basileense* verò schismaticum : Illis contrà sustinentibus, *Constantiense* & *Basileense* fuisse Concilia generalia, & illud nomen non posse competere *Florentino*, cui interfuerunt tantummodo pauci aliquot Itali & quatuor Græci. Sed neque illud concedebant, *Papam habere omnem Christi authoritatem*, ne cum illis quidem restrictionibus & limitationibus *prout homo erat*, &, *mortalitatis suæ tempore* : quibus placebat tamen vt diceretur, *eum authoritatem habere parem S. Petro*. At is modus loquendi admodum suspectus erat Pontificijs, quasi id ageretur, vt vita & actiones *Petri*, Pontifici pro exemplo essent: quo facto Sedis Apostolicæ potestatem ad nihilum redigi affirmabant; quam illi adeo absolutam & incircumscriptam profitebantur, vt pro temporum occasionibus, omnibus emergentibus regulam dare posset; etiam contra ea, quæ ab omnibus antecessoribus, immo ab ipso *D. Petro* actitata. Et longius sanè multo hæ contentiones processuræ videbantur. Verum Legati, vt temporis aliquantum interponerent ad mittendum *Romam* Vltramontanorum correctionem, (quod continuò factum) & mandata Pontificis accipienda de ratione procedendi, atque interea in medium emitterent aliam aliquam materiam, quæ huius obliuionem induceret, ad *Residentiam* reuersi sunt. De ea *Lotharingius* & *Madrucius* formulam quandam composuerant, quæ ante aliquot dies Legatis exhibita, ab illis facilè probata est. Sed de ea postea cum Canonistis consultatione habita, non probabant illi partem eam vbi dicebatur, *Episcopos teneri præcepto diuino personaliter attendere & vigilare pro grege*, adeoque veriti ne & Romæ in eundem acciperentur sensum, ea verba mutarunt, & ita reformatam proposuerunt in Congregatione. Hæc mutatio *Lotharingium* & *Madrucium* grauiter offendit, quòd spreti sibi viderentur. vnde *Lotharingius* professus, se deinceps nihil aliud curaturum, neque amplius tractaturum cum Prælatis; verùm in id incubiturum, vt sententiam suam modestè proferat; ita tamen, vt si qua in re honesta Legatis vsui esse possit, operam suam non sit denegaturus. Et *Madrucius* non veritus est dicere, Esse certè in Concilio secretius aliud Concilium, quod maiorem sibi vendicaret authoritatem. At Legati omnibus remedijs morbum augeri conspicati, ab habendis Congregationibus desistunt : neque tamen sic res procedebat. nam & Prælati coetus priuatos habebant inter se, & Legati continuas consultationes. Archiepiscopus verò *Hydruntinus*, cæterique ad Cardinalatum aspirantes (quò se peruenturos certò sperabant, si Concilium dissolueretur;) constituerant inter se, ad tumultus ciendos quicquid esset propositum oppugnare, affectibus suis indulgentes, hac illac circumcursando, etiam de nocte prensantes, & subscriptiones schedularum aucupantes. Quorum opera tametsi effectu Legatis satis placebat, actionis tamen modus maiori parti eorum displicuit, qui mali esset exempli, & grauissimum scandalum videretur excitaturus. Nec deerant etiam ex altera parte, qui Concilij dissolutionem ex animo vellent: sed vtraque occasionem exspectabat, quâ culpa in aduersam partem conferri posset; ita vtrinque suspiciones gliscebant.

Formula Decreti de Residentia ab Cardd. Lotharingio & Madrucio cōfecta, ab Legatis verò, ipsis inconsultis immutata, in Congregatione proponitur.

Id vterq; stomachatur.

Episcoporum Pontificiorū de nocte circumcursationes & prensationes ad Cōcilium dissoluendum.

Ea de re Car. Lotharingij apud Oratores Principū querimonia.

Hic Cardinalis *Lotharingius* queritur apud omnes id agi, vt Synodus dissoluatur, etiam cum ipsis Principum Oratoribus; rogans, vt ad suum quisque Principem scribant, agendum cum Pontifice de Concilij continuatione, de modo studijs & prensationibus imponendo, de libertate Patribus relinquenda. Alioqui in Gallia stabilitum iri concordiam, vt viuat quisque ad modulum suum, donec Concilium liberum celebretur. Nam hoc quidem tale non esse : cum nec tractari possit, neque decerni quicquam, nisi quod Legatis placeat; & Legati nihil faciant, nisi de voluntate Papæ. Se patienter exspectaturum vsque ad proximam Sessionem : quod si viderit nihilo melius se habere, tum protestaturum, & cum Oratoribus ac Prælatis rediturum

diturum in Galliam, vt Concilium Nationale celebret. Eò fortassis etiam Germaniam concursuram; sed id sibi permolestum fore, ob periculum, ne Sedis Apostolicæ nulla deinceps ratio habeatur. Crebri per eos dies Româ Tridentum, & Tridento Romam cursores commeabant, significantibus Legatis, frequentes, quæ imbris in morem depluebant, contradictiones; & Pontifice propositionem Canonum quos miserat, solicitante. Iam Galli qui Romæ erant, eâdem apud Pontificem querimonia vsi sunt, quam habuit Lotharingius Tridenti: iisdem minis de Concilio Nationali, & interuentu Germanorum adiectis. At Papa qui his vocibus iam assueuerat, dicebat: Non se verborum inanibus terreri, non timere Concilia Nationalia; scire, Episcopos Galliæ esse Catholicos, neque Germaniam ipsorum Concilijs se submissuram. Concilium non solùm esse liberum, sed propemodum dici posse licentiosum. Italorum machinationes quæ Tridenti factæ, se participem non habere: verùm inde natas, quòd Vltramontani dignitatem Pontificiam conculcatam velint. Tres sibi occasiones opportunas fuisse dissoluendi Concilij, sed se id continuatum velle, & sperare, Deum Ecclesiam suam non derelicturum; immo, quicquid contra eam attentabitur, in caput innouatorum redundaturũ. In his rerum perturbationibus discedente Quinqueecclesiensi, vt ad aulam Cæsaris profectus, Cæsaream Maiestatẽ de rebus Concilij edoceret, deque vnione Prælatorum Italicorum renunciaret; detectum est Granatensem, & eos qui ipsi adhærebant, ei negotium dedisse, ageret cum Imperatore, vti ad Regem Catholicum de reformatione scriberet, & residentia; quò & ijs, & alijs occasionibus ipsi liberè profari possint, quod sibi conscientia dictat. Id Legati Lotharingij consilio factum credebant. Itaque vt aliquo modo par pari referrent, paucis post diebus miserunt ipsi quoque ad Imperatorem, Episcopum Commendonum, eo prætextu, vt excusaret, causasque redderet, cur postulata Suæ Maiestatis adhuc proponi nequiuerint. Eidem quoque commissum, Cæsarem hortari, vt à Pontifice, non à Concilio petendos putaret articulos, ad authoritatem Pontificis spectantes, ac postulatis suis insertos: his adiecerant alia quædam monita, & mandata quæ sibi commoda videbantur.

Ferdinandus Philippus 2.

Galli id ipsum Romæ apud Pontificem queruntur, quibus ille confidenter respondet.

Episc. Quinqueecclesiensis ad Cæsarem Tridẽto proficiscitur, Hispanorum & Gallorũ causam commendaturus.

Legati vicissim ad Cæsarem Cõmendonum allegant.

Cæterum cum venisset Tridentum Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, apud Imperatorem Regis Poloniæ Orator, in speciem studio visitandi Cardinalis Varmiensis antiqui & perfamiliaris sui amici; magna oborta est suspicio eum à Cæsare allegatum, vt cognitis, & clam perspectis Concilij negotijs, ea ad se renunciaret. Iam ob frequentes hos motus Legatorũ animis metus iniectus, ne Concilium ita dirimeretur, vt ea res & Papæ, & sibi ignominiã adferret. obseruatũ multos id cupere, aliquos etiam è Pontificijs; alios dedita opera lites serere ac turbas, ad defensionem sibi randam, si fortè ita euenisset. Ad omnes Oratores scriptum quoddam mittunt, quod difficultates quæ occurrebant, complectebatur; rogantque, vti ipsos consilio iuuent. Oratores Galli ea occasione arrepta respondent, quod à multis iam diebus dicturiebant. Concilium quidem fuisse congregatum vt abusus emendaret, aut tolleret: nunc autem quosdam eo abuti velle ad eosdem accumulandos. Ante omnia occurrendum prensationibus, adeo manifestis, vt ignominiam inurant intolerabilem: illis sublatis, concessaque singulis libertate ex suo sensu dicendi, facile vt inter bene concordes conuenturum. Esse quidem Papam caput Ecclesiæ, sed non illa superiorem; Eius esse reliqua membra regere & dirigere, non dominium in corpus exercere. Controuersijs remedium præsentissimum fore, decreta sequi Concilij Constantiensis, quod, cum Ecclesiam deformatissimam accepisset, prorsus occasione similium opinionum; eam ad statum reduxit haud pœnitendum. Præterea vnam è causis discordiæ esse, quòd ab Secretario suffragia non sint fideliter perscripta, vnde partem maiorem, in actis minorem videri: nec quod plurimis suffragijs confirmatur, pro decreto haberi. itaque necessariò alium adiungendum, ita vt duo sint, qui scribant. Oratores Cæsarei idem pene suadent, quod Galli, sed acrius instantes, vt Secretario optionem adiungant. cæteri Oratores intra verba generalia se continebant, Concilij continuationem, & animorum vnionem consulentes.

Episcopus Varmiensis Regis Poloni apud Cæsarẽ Orator Tridentum veniens Cæsaris negotiũ agere putatur.

Honesta liberaque Oratorũ Regis Galliæ contra abusus: Synodi oratio.

Cui accedunt applauduntq; Oratores Cæsarei.

Hoc statu rerum Tridentum reuersus est Vintimiliensis, ad Ianuarij diem XXIX. remissus

Vintimiliensis Roma Tridẽ-

tum reuersus de Pontifice bene mereri curæ habet.

remissus à Pontifice, cum legationis, mandatis quæ Legatis renunciauit. Post de ipsorum sententia duas opiniones in Concilio sparsas ex hominum animis euellere conatus est. Vnam, Pontificem ea valetudine esse, vt diu superstes esse non possit. Aliam, illum Concilij dissolutionem percupere. Testatus est id maximè in votis esse Sanctitati suæ, vt intelligat, Patres positis contentionibus, animos attendere ad cultum diuinum, & finem Concilio quamprimum imponendum. Attulit Bullas officiorum & beneficiorum ab Pontifice aliquot Prælatorum propinquis collatorum, & Referendarij dignitatem Secretario Oratoris *Lusitani*; pensionẽ satis amplã filio Secretarij Hispani, & alijs varias pollicitationes, pro eo ac quisque aliquid inhiabat. *Lotharingium* Pontificis nomine compellauit officiosissimè, ostendens in ipso solo fiduciam eius omnem sitam esse, de Concilio cito ac fœliciter expediendo.

Episcopus Astensis Orator Ducis Sabaudiæ. Episcopus Senogaliensis ab Legatis mittitur ad Card. Lotharingiũ.

Accidit opportunè restituendis Congregationibus, aduentus Episcopi *Astensis* Oratoris Ducis *Sabaudiæ*: quâ occasione Legati, postquam eum excepissent, ad propositionem de Canonibus renouandam vtendum rati, Episcopum *Senogaliensem* ad Cardinalem *Lotharingium* allegant, oratum, vt aliquam rationem comminiscatur, qua *Gallis* satisfieri possit. Ostendit ei Episcopus illam verborum formulam, *regendi Ecclesiam vniuersalem* à multis Concilijs receptam: alteram vero illam *de Episcopis assumptis in partem sollicitudinis* à *D. Bernardo* vsurpatam, scriptore cui Amplitudo eius Illustrissima plurimum deferat.

Card. responsum.

Iterum agitur de auctoritate Pontificia in regenda Ecclesia vniuersali.

Ad ea respondit Cardinalis, omnium oculos in actiones Concilij esse coniectos: satis intelligi quæ sit cuiusque & opinio & sententia; videndum etiam atque etiam quid dicatur. iam missa è Gallia scripta quædam contra opiniones, quæ *Tridenti* de quæstionibus tractatis astruuntur. de se multas habuisse querimonias, quod nimis caute & leniter agat, in illa præsertim materia, & de residentia; quod non ita institerit vti oportebat, vt de *iure diuino* declararentur. Nec ex eo quod verbo aliquo vtare à scriptore quopiam adhibito, consequens esse, te ex eius sensu loqui, cum multum referat quo in loco quidque positum sit, & quam coniunctionem habeat cum verbis antecedentibus, & consequentibus, è quibus etiam nasci posse opiniones contrarias. Non sibi verba molestiam exhibere; sed sententias, quas canone sancire cogitent. Nec illud dictum, *Pontificem authoritatem habere regendi Ecclesiam Vniuersalem*, ab Gallia admitti vllo modo posse, & si deinceps proponatur, non posse committere Oratores, vt non protestentur nomine Regis, & Præsulum Gallorum, à quibus, id vt faciant mandatum semper in promptu habituri sint. Præiudicaturum id opinioni, quæ ab omnibus in Gallia tenetur, nempe Concilium esse supra Papam. Hæc à *Senogaliensi* Legatis renunciata, coram multis Prælatis Italis vnâ congregatis ad eadem de re consultandum; fecere, vt obscura spe penderent, vtrum id fieri posset vt Galli, de sententia deducerentur.

Guzdellunus aduentu suo excitat Hispanos, maximè Granatensem.

Accidit etiam eodem tempore quiddam, quod Hispanis animum vehementer addidit, nempe aduentus *Martini Guzdelluni*, de quo supra mentio facta est. Is cum per aliquot dies vidisset quemadmodum res sese haberent, non obscurè significauit, facile se perspicere Concilium non esse liberum. *Granatensem* eximiè laudabat, affirmans magnam esse de eo Regis existimationem, & si Episcopatus *Toletanus* vacaret, eo ipsum remuneraturum. Hisce rebus in hunc modum actis, venit dies Dominicus vltimus Ianuarij, in quem indicta erat Congregatio generalis, excipiendo Oratori *Sabaudo* supra nominato. Breuem is Orationem habuit, commemorans pericula in quibus erat sui Principis ditio, ob vicinitatem hæreticorum; & quàm magnam impensam faceret. Hortatus est, vt quam primum Concilio finem imponerent, & rationem inire vellent, quomodo ad Decreta accipienda contumaces cogi possent, Principis copijs omnibus in id oblatis. Responsum, laudata Ducis pietate, ac prudentiâ; & gratulatione de aduentu Oratoris adiecta. Continuatis iam Congregationibus gliscebant contentiones, multis postulantibus, vt proponeretur decretum de Residentia à duobus Cardinalibus formatum. Legati cum tot discrepantes sententias cernerent, post multam inter se consultationem, & consilia cum Prælatis bene affectis communicata, statuunt non esse tempus aliquid decernendi, sed necessario tantum moræ interponendum, vt aut opinionum, qui-

Oratoris Sabaudi succincta oratio.

bus

bus addicti, ardor sua sponte deferuescat, aut prorogato Sessionis tempore, aliqua controuersiarum componendarum opportunitas sese offerat. Atque vt de communi sententia id fieret, omnes se ad *Lotharingij* ædes conferunt, vt communicato quod sibi in mentem venerat, eius & consilium & opem poscerent. Is de conuenticulis primũ questus, tum quod rationibus adeo illicitis satagerent id donare Pontifici, quod suum non erat, auferre ab Episcopis, quod à Christo ipsis datum esset; ostendit haud sibi placere tam diu Sessionem differri; tamen vt ipsis gratificaretur non reluctari; vnum modò rogare, quoniam hoc moderandis affectibus fieret, efficaciter operam darent, vt inquieti & ambitiosi refrenentur.

Legati ne contentiones gliscant de Sessione proroganda cogitant, Interea Card. Lotharingium consulunt. Lotharingij responsum.

In Congregatione tertio die Februarij, proposuit Cardinalis *Mantuanus*, quando iam instaret tempus quadragesimæ, ac dein subsequuturi essent dies sancti, & ipsum Paschæ festum, vt differretur Sessio vsque dum tempus illud præterijsset. interea tractaretur in Congregationibus reformationis pars ea, quæ ad sacrum Ordinem pertinet, & materia de Sacramento Matrimonij. Huic propositioni summa contentione reclamatum est, Gallis & Hispanis penè omnibus obnixè orantibus, vt decerneretur breuis aliqua prorogatio; tum vt definiretur Ordinis materia cum ei connexa reformatione, ante quam de Matrimonio ageretur: atque eidem sententiæ aliquot etiam Italis suffragantibus. Addunt insuper aliqui, vt Sessio habeatur super rebus decisis, & nominatim stabiliatur Decretum de residentia à Cardinalibus formatum, innuentibus nonnullis, rem esse Concilio admodum indignam, toties de die in diem Consessus prorogari; scilicet id agi, vt Patres tædio adigantur, ad assentiendum ijs opinionibus, quibus conscientia repugnat. enimuerò habendam Sessionem, & materias ex maiore suffragiorum numero determinandas. Sed neque illud tacebatur, distinctionem illam Sessionis & Congregationis generalis non esse realem: cumque in hac, vt in illa, ijdem homines interueniant, & eodem prorsus numero, pro deciso habendum, quicquid in Congregatione generali fuerit decretum. Post multam contentionem, à maiori parte decreta est dilatio vsque ad XXII. diem Aprilis, contradicente tamen adhuc altera parte. Cardinalis *Lotharingius*, vtcunque ostenderet se in aliorum gratiam consentire, pergratam tamen habebat eam dilationem, quòd sua interesset, quatuor ob causas. Nam & interea dabatur tempus ei ad videndum, quid de Papæ incolumitate futurum esset, spatiumque tractandi cum Imperatore, & mentem simul Regis Catholici, ac successum rerum in Gallia perspiciendi: quibus omnibus exploratis, facilius statuere posset, quid esset deinceps agendum.

Mantuanus Patribus auctor est Sessionem vsque ad exactam Quadragesimam prorogandã: cui à multis reclamatum.

Maiori Præsulum parte suffragante Sessionis prorogatio decernitur.

Postridie eius diei Oratores Galli vehementer & multis instant apud Legatos, vt de reformatione agatur, & ipsorum postulata priùs proponantur, quàm initium fiat de Matrimonio tractandi. Respondent Legati, non esse, cur alij Concilio leges præscribant. Quod si à Principibus proposita essent, quæ commoda viderentur, æquum esse, ea in considerationem tum venire, cum Præsides opportunum iudicabunt. Si in ipsorum postulatis depræhendentur, quæ ad materiam Ordinis spectabunt, ea se vnà proposituros, reliqua deinde suo tempore. Cum hæc responsio Oratoribus non satisfaceret, instant iteratò, vt, si ipsi ea proponere nollent, saltem paterentur id à se fieri, aut certe apertè negarent: hoc addito, quasi forma protestationis, si pergerent sic ambiguè respondere, se perinde id accepturos ac si per deridiculum denegaretur. Legati trium dierum spatio sumpto, in quo responsum certius darent, interea cum *Lotharingio* agunt, vt eos tantisper pacatos reddat, dum responsum *Romæ* exspectatur ad articulos ipsorum eò missos.

Oratores Galli sedulo contendunt à Legatis ipsorum petitiones de reformatione examinari, antequam agatur de Matrimonio.

Die sequenti dum proferuntur Articuli de *Matrimonio*, proximà septimanà à Theologis excutiendi, nata mox altercatio est de præcedentia inter *Gallos* & *Hispanos*: nec alia concordiæ ratio iniri potuit, quæ vtrisque satisfaceret, nisi vt ordine mutato, qui & pridem institutus, & hactenus obseruatus, priores dicendi partes Theologis ex ordine promotionis ad Doctoratum tribuerentur. Sed huic se opponebant Theologi Pontificij, dicentes, si qua inter Gallos & Hispanos controuersia nata esset, ipsis saltem qui missi à Pontifice prospiciendum, ne loci vllam mutationem sentiant, quibus sine dubitatione primus debebatur. Legati secundum eos iudicantes

Inter Theologos Gallos & Hispanos de priore indicendo loco controuersia. Theologi Põtificij, ne de suo quid primatu decedat, soliciti.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

dicantes pronunciant, vt prima classis, in qua Pontificij, more solito diceret, reliquæ tres iuxta ordinem promotionis. *Gallis* non fiebat satis, nisi in prima classe reponeretur vnus ex suo numero. & instabat Secretarius *Hispanus*, vt eius Decreti fieret instrumentum publicum, quò semper omnibus constaret, si quis *Gallus* ante *Hispanos* disseruisset, id non factum ratione præcedentiæ illius Regni. Ad extremum vt omnibus satisfieret, relatum id in Tabulas publicas, datumque Gallis, vt post *Salmeronem* Pontificiorum primum, verba faceret *Decanus Parisiensis*, & ita deinceps reliqui primæ classis; de cætero procederetur secundum promotionem.

Articuli VIII, de Matrimonio à Theologis excutiendi.

Erant Articuli octo, de quibus disputandum, an essent hæretici & damnandi.

I. Matrimonium non esse Sacramentum à Deo institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam inuectum, nec habere aliquam gratiæ promissionem.

II. Parentes irrita facere posse Matrimonia clandestina, nec vera esse matrimonia, quæ ita contrahuntur; imo & expedire, vt deinceps in Ecclesia irrita habeantur.

III. Licere repudiata vxore ex causa fornicationis, cum alia matrimonium contrahere viuente priore; & erroneum esse diuortium facere ob aliam causam quàm fornicationis.

IV. Licere Christianis plures simul vxores habere, & prohibitionem nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam.

V. Matrimonium non esse postponendum, sed anteponendum cælibatui; Deumque maiorem gratiam dare coniugatis, quàm alijs.

VI. Sacerdotes Occidentales licitè posse contrahere matrimonium, non obstante voto aut lege Ecclesiastica; & oppositum affirmare, nihil aliud esse, quàm matrimonia damnare; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis habere donum.

VII. Eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus obseruandos, qui decimo octauo Leuitici exprimuntur; nec plures aut pauciores.

VIII. Impotentiam ad coitum, & ignorantiam quæ in contractu interuenerit, solas causas esse dissoluendi matrimonij contracti; & causas matrimoniales ad Principes seculares spectare. De his articulis vt breuius verba fierent, distributi sunt in quatuor classes, duoque in singulas assignati.

Card. Lotharingus Legatis aperit suum de proficiscendo Oenipontem ad Imperatorem consilium. Idem Pontifici significat per literas.

Venit *Tridentum* Episcopus *Redonensis* Orator è Gallia ad Imperatorem, post cuius cum *Lotharingo* sermonem Cardinalis ille profectus ad Legatos, exposuit ipsis, sibi iam inde à suo è Gallia discessu mandatum à Rege, vt ad *Cæsaream* Maiestatem proficisceretur; idque intra paucos dies decreuisse: cum & *Cæsari* constitutum sit *Oenipontem* concedere, & Redonensis ad se assumendum venerit. Significauit etiam de eodem itinere literis ad Papam scriptis, in quibus perstrinxit Italorum in Concilio procedendi modum; addita hac clausula, si ad eum modum pergerent, se Deum rogaturum, vt ipsi mentem inspiret aliquid ad sanctum nominis sui cultum operandi. Isthæc profectio iam ante mensem in sermonem hominum venerat, ideoque cum percrebuit, non erant tantæ hominum suspiciones, quantæ fuissent si ex improuiso contigisset. Ab omnibus pro certo creditum, illi consilium esse, sese coniungere cum Imperatore in rebus ad Concilium pertinentibus: nominatim vero tractare, de vsu Calicis introducendo. Idque propterea, quòd Cardinalis in plerisque occasionibus, & in sermone cum varijs Prælatis dixisset, Imperatorem, Regem Romanorum, & Galliæ, quoad obtinuerint vsum Calicis, semper nouas petitiones de reformatione daturos, tametsi duos annos continuos in Concilio manendum esset: verum concessa ipsis hac gratia facile acquieturos. & optimum esse remedium ad illa regna in officio, obedientiæ retinenda, Principibus satisfacere. Eam gratiam à Pontifici impetrari non posse, inuitissimis Cardinalibus, qui ab ista concessione abhorrent. Rem eam hactenus in Concilio parum etiam fœliciter cessisse, quod negotium haud rectè administratum sit; esse tamen spem, si debito modo geratur, obtineri posse. Cæterùm qui attentiùs Cardinalis progressus obseruabant, magnam animaduertebant in illius verbis discrepantiam. Siquidem interdum dicebat nisi aliquid

Lotharingij per occasiones de non impetrato hactenus Calicis vsu sermo.

Cardinalem sibi non constare in sermone obseruatum.

aliquid definiretur, sibi necessariò ad Pascha, aut Pentecosten discedendum esse: interdum *Tridenti* biennio sibi manendum. iam media proponebat Concilij quamprimum finiendi, mox rationes eiusdem perpetuandi: manifesto indicio, nondum cum quid animi haberet, detexisse. Et mouebat plerisque suspicionem cautio, qua vsus in pr ocedendo, quæ putabatur arguere animum cupidum arte quadam rationes suas approbandi, suamque causam cohonestandi. Quamobrem cognito *Oeniponte* fore etiam *Regem Romanorum*, *Ducem Bauariæ*, *Archiepiscopum Salzburgensem*, & *Archiducem Ferdinandum*; sic existimabatur, abesse non posse, quin illud colloquium aliquid noui afferat; tum quod Imperator animum his, quæ in Concilio hactenus gesta, parum contentum prodidisset; tum quod in omnibus admirabilis quidam inter ipsum & *Galliam* consensus apparuisset: & credibile videretur *Regem Hispaniæ* ad illam quoque partem inclinare, quibus sanguine coniunctissimus esset; præcipuè verò, quod percrebuisset, illum Regem per literas datas octauo Ianuarij ad Comitem *Lunensem*, ipsi mandasse, vt cum Imperatore & Gallis in rebus, quæ ad reformationem pertinebant, & Concilij libertatem, consilia communicaret. Per eos dies *F. Felicianus Ninguarda* Procurator Archiepiscopi *Salzburgensis*, literas illius Principis reddidit, postulans, vt procuratores Episcoporum *Germaniæ* in Congregationibus suffragium ferre possent. id si fieret, alios *Germaniæ* Episcopos Procuratores missuros: sin negaretur, & seipsum, & alios, ne ociosi illic consisterent, discessuros. Responsum ab Legatis, se consideraturos, & decreturos, quod æquum esset. idque *Romam* significatum est, vt ne de hac quidem re tantula constituerent, nisi pro mandatis inde acceptis. Verùm quòd vtrobique grauioribus negotijs distinerentur, nihil ea de re amplius dictum est.

Ferdinandus. Philippus 2.

Episcopi Germaniæ iterum postulant, vti liceat ipsis per Procuratores suos ferre suffragia.

Nono die mensis Februarij Theologorum prima Congregatio cœpta est super Matrimonio; verba faciente multa cum grandiloquentia *Salmerone*. De primo articulo ea dixit, quæ apud Scholasticos sunt protrita. De secundo adduxit determinationem Concilij *Florentini*; Matrimonium perfici solo consensu contrahentium; nec Patrem, aut alium quemlibet super eo authoritatem habere. Sustinebat damnandos esse pro hæreticis eos, qui Patribus potestatem attribunt matrimonia irrita faciendi. Maximam esse authoritatem Ecclesiæ in re Sacramentorum: posse eam mutare id omne, quod ad essentiam non pertinet. Cumque conditio publici aut clandestini accidentalis sit, Ecclesiam in ea habere potestatem. Grauia commemorauit incommoda quæ ex Matrimonijs clandestinis nascuntur, & innumerabilia, quæ sequuntur, adulteria; inde colligens, expedire, vt ad ea remedium quæratur, decernendo vt irrita sint. Multus fuit in illo casu inextricabili, si quis post contractum, & clanculum consummatum matrimonium, contrahat postea palam cum alia, à qua cùm discedere cupiat, & ad priorem ac legitimam reuerti, cogitur censuris in publicè contracto permanere. quo casu miser ancipiti malo implicatur, hinc adulterio perpetuo, illinc censuris cum scandalo proximi.

Salmeron primus de duobus primis articulis de Matrimonio differit.

Secutus est postridie *Decanus Parisiensis*, de institutione Matrimonij, de gratia quæ in eo confertur, deque ijs damnandis, qui asserunt inuentum esse humanum, ex doctrina Scholasticorum copiosè disserens. At super articulo de clandestinis Matrimonijs, cum disseruisset vera esse, & matrimonia, & Sacramenta; dubitationem iniecit, an Ecclesia potestatem haberet, ea irrita, infectaque dicendi. Contradixit illi sententiæ, in Ecclesia esse authoritatem super materia Sacramentorum: docuitque, Ecclesiam efficere non posse, vt vllum Sacramentum in præsentia legitimum, in futuro validum non sit. Exemplum attulit in Eucharistiæ consecratione, omnia dein Sacramenta percurrens. Dixit, non talem esse Ecclesiasticam potestatem, vt quisquam debeat præsupponere, impedire se posse omnia peccata. Ecclesiam Christianam per annos mille quingentos huic iuri consuesse, quod iam tanquam intolerabile describitur: immo, quòd non minoris æstimandum, à principio Mundi matrimonia clandestina valida fuisse, neque cuiquam vnquam in mentem venisse, vt ea rescindere vellet: licet frequenter ille casus inciderit de matrimonio publicè contracto post matrimonium secretum; qui videtur insolubilis, quòd ab omni parte incommoda adferat. certè primum illud matrimonium *Adami* & *Heuæ* omnium

Hunc Decanus Parisiensis excipit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Verba illa Rector Ecclesiæ Romanæ id est Vniuersalis, quomodo accipienda.

omnium aliorum exemplar, testibus caruisse. Haud contemnenda videbatur huius Doctoris sententia. Sed erat pergratum Prælatis Italis, quod ex occasione semel Papam nominans, adiunxisset totidem verbis hoc Epithetum, cum sequenti explicatione, *Rector & moderator Ecclesiæ Romanæ, id est, Vniuersalis.* Quæ res materiam multis sermonibus dedit. nam cum Pontificij id arriperent, vt inde colligerent, eodem modo in Canone de Institutione dici posse, *Papam habere potestatem regendi Ecclesiam Vniuersalem*, respondebant Galli multum interesse, vtrum dicatur absolutè *Ecclesiam Vniuersalem*, ita vt intelligatur Vniuersitas fidelium. an *Ecclesiam Romanam, id est, Vniuersalem*, vbi illa vox *Romanam*, declarat Vniuersalem, ac si dictum esset, quæ Caput est Vniuersalis Ecclesiæ. Et omnes locos, vbi authoritas Papæ datur supra totam Ecclesiam, intelligi *disiunctiuè*, id est supra quamlibet Ecclesiæ partem, non *coniunctiuè*, id est supra omnes simul.

Caroli Galliarum Regis ad Synodum literæ.

Vndecimo die Februarij, proferunt Galli in Congregatione literas à Rege suo datas XVIII. Ianuarij, hac sententia. Etsi non dubitet Cardinalem *Lotharingium* Synodum participem fecisse fœlicis victoriæ aduersus inimicos religionis, quorum audaciæ & obstiterit, & quotidiè obsistat, nulla difficultate, aut periculorum discrimine retardatus, quin eorum inceptis vel ipsam vitam propriam exponat; vt par erat Ecclesiæ primogenitum, & Christianissimum filium; tamen se quoque libenter cum illis commune hoc gaudium gauisurum. Cumque probè nosset saluberrima eorum malorum, quæ prouincias Christianas affligerent, remedia semper à Concilijs petita fuisse, orare se ipsos, & Dei ac Iesu Christi nomine obsecrare, vt pro ea exspectatione, quam omnes de ipsis conceperunt, sanctã & seriam emendationem ac reformationem instituere velint. Atque vt ipse, ac secum non pauci præstantes viri vitam & sanguinem Deo in illo prælio consecrauerint; sic & illi pro muneris ipsorũ ratione cum sinceritate conscientiæ, in id cuius gratia conuenerant negocium, incumbere velint. Quibus literis lectis Orator *Ferrerius* Patres allocutus est, ad hanc sententiam. Quoniam ex literis Regis, & priùs ex orationibus Cardinalis *Lotharingij* & Episcopi *Metensis* intellexerant, Galliarum vastitatem, & Regis aliquot victorias, nolle se illis rursus recensendis ipsis esse molestum. De postrema victoria, quam Deus vt ipsis daret, de manu victoris hostis eripuerat, quid plura diceret? cum adhuc in medijs Galliæ visceribus viueret & grassaretur victus inimicus. Igitur se orationem suam totam ad ipsos conuersurũ, vnicũ miseriarum perfugiũ, per quos nisi Galli naufragij tabulas (si modo vllæ supersint) conseruent, omnino perierint. Vsus est exemplo exercitus Israelitici, qui ad vincendum *Amalech* non suffecisset, nisi *Mosis* manus ad Deum eleuatæ, & ab *Aarone* & *Hur* sustentatæ præliantes adiuuissent. Non deesse Regi *Galliæ* copias; Imperatorem magnanimum, *Guisiæ* Ducem; nihil non moliri *Reginam* matrem, quod vel ad reconciliandos, vel propulsandos hostes pertineat. Sed *Aaronem* & *Hur*, qui Regi Christianissimo manus sustentent, si ipsi Patres ij non essent, neminem prætерea habere. Id autẽ fieri posse, si petra illa, cuj *Moyses* insidens vicit *Amalech*, ipsorum decretis basis sit, & fundamentum. Alioqui nec victoriam suam victoriam fore, nec inimicos reconciliandos, neque Catholicos in fide & religione S. R. Ecclesiæ permansuros. Non eandem esse mentem Christianis, quæ fuit ante L. annos. Laborare ferè Catholicos omnes eodem morbo (si modò morbus rectè appellari possit) quo *Samaritani* olim, qui mulieri non prius crediderunt, quæ de *Christo* narrauerat, quàm rem omnem diligenter inquisissent, & ipsi, vt dicebant, *Christum* cognouissent. Scrutari certè bonam partem Christianorum Sacras Scripturas. Hoc ipsum prospicientem Regem Christianissimum nihil in mandatis dedisse, quod non ad illas proximè accederet. Ea se Legatis dedisse, qui propediem (vti polliciti erant) ipsis Patribus ea proposituri essent. Ad ipsos enim potissimùm mitti, ipsorum de illis iudicium magno desiderio Regem & totam Galliam exspectare. Nihil se petere præcipuum, sed omnia cum Ecclesia communia. Quod si viderentur grauiora & magis necessaria prætermisisse, existimandum relinquere, se consultò à leuioribus cæpisse, quò faciliùs grauiora possent suo tempore proponi; vtque horum leuiorum facilior esset executio; à qua nisi ipsi Patres incipiant, priusquam Tridento abeant, clamaturos Catholicos, risuros aduersarios, & dicturos,

Item Raynaldi Ferrerij oratio in Cõgregatione generali habita.

turos, Patres quidem Tridentinos scire, sed facere nolle, optimas leges statuisse, eas tamen ne digito quidem attigisse, posteris tantùm & successoribus obseruandas reliquisse. Qui se olfacere dicunt in postulatis ipsorum nonnulla, quæ cum aduersariorum libris faciant, se illos responsione indignos existimare: qui verò in illis moderationem quandam desiderant, eos duorum meminisse oportere. Primum, quod scribit *Cicero* aduersus illud *Neoptolemi* apud *Ennium*, Philosophandum, sed paucis. Errat (inquit) qui temperantiam, mediocritatem, modum denique desiderat in re optima, & eo meliore, quo maior est. Alterum, quod de istis tepidis moderatoribus Spiritus Sanctus; incipiam, inquit ille, vos euomere: vtinam aut calidi aut frigidi fuissetis. Proponant sibi Patres, quid profuerit Ecclesiæ moderata emendatio in Concilio *Constantiensi*; aut paulo seuerior in sequenti Concilio, cuius nomini parcebat, ne quorundã delicatas aures offenderet; quid ea, quæ in Concilio *Ferrariensi, Florentino, Lateranẽsi* vltimo, *Tridentino* primo; quot interea omnium hominum ordines, quot Prouinciæ, quot Regna, quot nationes ab Ecclesia Romana defecerunt. Italosque & *Hispanos* Patres appellans, hortatur, vt periculum ex alijs faciant, sibi quod ex vsu esset, cuius magis intersit, seriam disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem fieri, quàm Romani Episcopi, Pontificis maximi, summi *Christi* Vicarij, *Petri* successoris in Ecclesia Dei supremam potestatem habentis. Nunc hic agi de capite & fortunis ipsorum. Sed nolle se pluribus hoc dicere, quod sponte incitatos cognosceret.

Ferdinandus. 2. Philippus.

Ad ea quæ Regis continebantur literis, & Ferrerij orationem, responsum est, cum laude Regiæ Maiestatis ob res ab ea piè ac generosè gestas; cumque exhortatione ad Regem perinde ac si præsens fuisset, vt nominis memor, quod à maioribus religione partum ipse hæreditarium acceperat, omnes cogitationes ad Dei gloriam amplificandam conuertat, Sanctam Sedem Apostolicam defensam atque omnibus ornamentis auctam velit, veterem fidem conseruet, illorum consilijs aures præbeat, qui Regni firmitatem in Dei potentia collocatam esse prædicant, non eorum, qui omnia vtilitate metienda esse contendentes, tranquillitatem & pacem, quæ non erit pax, suadeant. Adiecto præsagio, Regem ita facturum, cùm Dei ope adiutum, tum naturæ bonitate impulsum, tum Reginæ matris, & nobilissimorum procerum monitis incitatum. Synodum verò in eam curam incubituram, vt cum ea, quæ ad vniuersæ Ecclesiæ emendationem pertinent, definiantur: tum verò ea, quæ priuatim Gallicarum Ecclesiarum commodis & rationi maximè conuenire arbitrabitur. In fine Congregationis proposuit Cardinalis *Mantuanus*, vt ad exitum Concilij maturandum, Theologorum Congregationes bis quotidie habeantur, vtque deputentur Prælati, qui emendationes abusuum in materia ordinis proponant. Idque ita decretum.

Synodi responsum.

Penetrarant animos Pontificiorum aculeata Oratoris verba, singillatim verò, quod dixerat, *articulos ad Synodum potissimùm missos fuisse*; quibus verbis oppugnari videbatur decretum, *vt solis Legatis proponere fas esset*; quod præcipuum conseruandæ authoritati Pontificiæ arcanum existimabant. Sed plùs etiam commoti sunt ob id, quod dixerat *distulisse se grauiora in aliud tempus.* Nam ex eo mira quædam consectaria eruebant, atque illud inprimis, quod semper metuerant, nempe Gallos nondum destinata ostendisse, & magnum aliquid machinari. Tum quod appellasset Patres *Italos* & *Hispanos*, quasi aliter ipsorum quàm Papæ interesset, tanquam seditiosum tractandi genus existimabatur. Orator *Ferrerius* edidit exemplum Orationis à se habitæ, & loco eorum verborum, vbi Papam nominans posuit, *in Ecclesia Dei supremam potestatem habentis*; notarant quidam Prælati Pontificij, dum eam recitat, dixisse, *plenam potestatem in Ecclesia vniuersali habentis*, trahentes in fauorem opinionis suæ ea verba, & disputantes tantundem esse, in Ecclesia Vniuersali plenam potestatem habere, quantum regere Ecclesiam Vniuersalem, à quo Galli in Decreto de institutione tantum abhorrebant. Verùm ipse & Galli affirmabant pronunciasse ipsum, vt in scripto continebatur.

Pontificij in oratione Ferrerij nonnulla suggillant.

Discessit *Lotharingius* postridie *Oenipontem* versus, vt *Imperatorem* viseret, & *Regem Romanorum*, cum nouem Prælatis, & quatuor Theologis, doctrina ante alios excultis: data ante à Legatis fide, interea dum abesset, articulum de Matrimonio Presbyterorum tractatum haud iri. Quod ille instanter postulauerat, ne decerneretur,

Card. Lotharingius Oenipontem proficiscitur.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

retur, aut præiudicaretur quidquam, contra id quod ipsi à Rege commissum, de obtinenda à Concilio dispensatione, vt Cardinalis *Borbonius* vxorem duceret. Discessit etiam *Romam* versus Cardinalis *Altempsius*, reuocatus à Pontifice, vt eius opera vteretur, in militum copijs quibusdam conducendis, quas ille præsidij sui causâ cogitabat contrahere. Nam cum intellexisset in *Germania* delectus fieri à Ducibus *Saxoniæ* & *Wirtembergi*, & *Hassiæ Lantgrauio*, quanquam ab omnibus crederetur in subsidium id fieri *Hugonotorum* in *Gallia*: tamen id secum reputans, quod *Comes Lunensis* scripserat, magno Germanos desiderio teneri *Romam* inuadendi, & eius ante XXXVI. annos direptæ memor, iudicabat haud esse prudentiæ committere, vt deprehenderetur imparatus. Atque hanc eandem ob caussam curauit renouandum negotium societatis cum omnibus Principibus Italis pro defensione religionis ineundæ.

Et Altempsius Romam copijs Pontificis imperaturus.

Procedentibus Congregationibus, inter Theologos omnes primæ classis de primo articulo damnando, eiusque partibus omnibus tanquam hæreticis, satis conueniebat. Itidem in secundo hactenus, vt dicerent clandestina matrimonia esse vera. Sed erat illud controuersiæ, quod suprà memoratum, inter *Salmeronem* & *Decanum Parisiensem*, an Ecclesia potestatem haberet ea rescindendi. Qui eiusmodi potestatem negabant, hoc fundamento nitebantur, quod in omni Sacramento essentialia sint, materia, forma, Minister, & recipiens: in quibus vtpote rebus à Deo institutis, nulla est potestas Ecclesiastica. Dicebant, cùm Concilium *Florentinum* declarauerit solum consensum contrahentium esse necessarium ad matrimonium, qui ei adiungere velit publicam celebrationem pro conditione necessaria, ostendere, solum consensum non sufficere, atque adeo Concilium *Florentinum* declarationem necessariam non attulisse. *Christum* vniuersè de matrimonio dixisse, non posse hominem separare, quod est à Deo coniunctum; coniunctione tam secreta quàm publica inibi comprehensa. In Sacramentis nihil esse asseuerandum sine authoritate Scripturæ, aut traditionis: sed neutro modo testatum Ecclesiam hanc authoritatem habere; imo è contra per traditionem sciri, quòd eam non habeat, quando Ecclesiæ in omnibus nationibus per vniuersum orbem semper vnimodè in hoc consenserint, nullam sibi potestatem hac in re vendicare. In contrarium dicebatur, manifestum esse, Ecclesiam authoritatem habere quosdam inhabiles ad Matrimonium reddendi: quoniam multi gradus consanguinitatis & affinitatis impedientes matrimonium lege Ecclesiastica tantùm constituti sint; itidemque impedimentum voti solennis non nisi lege Pontificia introductum. Itaque ad hæc impedimenta eâdem authoritate adijci posse, ne matrimonium fiat clanculum. Respondebatur ab diuersa parte, prohibitionem ratione consanguinitatis & affinitatis esse de iure diuino, quemadmodum ab *S. Gregorio* & multis alijs Pontificibus eius successoribus determinatum: non posse inter duos contrahi matrimonium, quos constet vllo genere propinquitatis quocunque gradu esse coniunctos. Quod si alij Pontifices postea hanc vniuersalitatem ad septimum restrinxerint gradum, & post etiam ad quartum, hanc dispensationem fuisse generalem, quemadmodum repudium apud populum Hebræum dispensatio fuit generalis. nam votum solenne impedire iure diuino, & non authoritate Pontificia.

In vtramque partem disseritur an Ecclesia potestatem habeat rescindendi matrimonia clandestina. Argumenta pro opinione negatiua.

Item in contrarium pro affirmatiua.

At *F. Camillus Campegius* Dominicanus etsi cõueniret ipsi cum cæteris, quod nulla potestas humana ad Sacramenta se extendat, subiunxit tamen, quemcunque, qui materię essentiam potest destruere, posse etiam facere, vt ea Sacramenti sit incapax. Neminem efficere posse, vt quæuis aqua non sit materia baptismi; & quiuis panis è frumento, Eucharistiæ: verùm qui aquam destruxerit, eam in aërem conuertens, aut panem comburens, eum redegerit in cinerem, hunc effecturum, vt illæ materiæ formæ Sacramentorum non sint capaces. Similiter in Matrimonio, contractum ciuilem nuptialem, esse materiam Sacramenti matrimonialis, ex diuina institutione. Qui euerterit contractum nuptialem, reddens eum inualidum, effecturum, vt non possit amplius esse materia Sacramenti. Itaque non esse dicendum, Ecclesiam posse rescindere matrimonium clandestinum; (quod esset ipsi authoritatem dare suprà sacramenta) veruntamen Ecclesiam posse iubere irritum esse contractum nuptialem clancularium: qui cum nullus sit, formam Sacramenti recipere nequit. Hæc doctrina Patribus plerisque omnibus admodum placuit, vt quæ plana, facilisquè videretur, & omnibus

Campegij acumen, Ecclesiam non posse rescindere matrimoniũ, sed posse irritũ facere clandestinum contractum nuptialem.

omnibus difficultatibus soluendis. Ab *Antonio* tamen *Solisio*, qui proxime locutus, ei contradictum est, affirmante, verissimam esse illam speculationem, sed ad propositum applicari non posse. Nam rationem adductam de baptismo & Eucharistia, nempe, quod, quicunque aquam destruere potest, efficere etiam possit, vt illa materia formæ baptismi capax non sit, non concludere de potestate Ecclesiastica, sed de potestate naturali : ita vt quicunq; vim habeat aquã destruendi, possit hoc pacto impedire Sacramentum. Vnde consequens esse, quòd, quicunque potest contractum nuptialem ciuilem nullum facere, possit per consequentiam impedire matrimonium. Sed eiusmodi contractus nullos facere, id pertinere ad Leges, & magistratus seculares. Quare cauendum diligenter, ne dum Ecclesiæ authoritatem matrimonia clandestina rescindendi concedere volunt, ea potius potestati seculari permittant.

Quod ab Solisio refellitur.

Sed inter eos qui eiusmodi potestatem Ecclesiæ asserebant, cùm illud quæreretur, an expediret ea tum temporis vti, duæ erant opiniones. Vna, omnia matrimonia clandestina rescindenda esse : & hi nihil adducebant, præter incommoda, quæ ex ijs sequebantur. Altera, vt rescindantur etiam matrimonia publicè facta, sed à filijs familias sine parentum consensu, & hi rationes validas adferebant duas. E quibus prior erat, quod ex his non minora sequerentur incommoda; amplis & honestis familijs, per matrimonia imprudenter ab adolescentibus contracta, subuersis. Altera, quòd lex diuina præcipiens obedire parentibus, complectatur etiam hunc casum, tanquam præcipuum, obedientiæ in matrimonio contrahendo. Legem Dei hac authoritate nominatim patrem donare, vt filiam nuptum det, vt est apud *S. Paulum*, & in Exodo aperte videre est. Exstare exempla Sanctorum Patriarcharum in veteri Testamento, quibus omnibus à Patribus vxores datæ. Leges etiam humanas ciuiles matrimonia sine Patribus contracta, irrita dixisse. Itaque sicut tum expedire iudicabatur clandestina matrimonia pro infectis habere, cum cernerent non sufficere prohibitionem Pontificiam; per quam vetita sunt, nisi accederet etiam facti nullitas, multo æquius esse his temporabus, cum malitia humana abnuit obedire legi diuinæ, matrimonia sine parentum consensu prohibenti, Synodũ nullitatis notam eiusmodi matrimonijs apponere : non quod Patres authoritatem habeant filiorũ matrimonia rescindendi (nam hoc asserere hæreticum esset) sed quod Ecclesia auctoritate sit munita, hos, aut alios contractus legibus diuinis aut, humanis prohibitos in irritum ducendi. Hæc opinio tanquam honesta, & pia, nec minus firmis fundamentis subnixa, quàm altera, magnæ Patrum parti placuit. Vnde in eam sententiam perscriptum etiam decretum, etsi ob eas rationes, quæ suo loco commemorabuntur, ab eo publicando sit cessatum.

Alia opinio non clandestina solùm matrimonia rescindenda, sed ea etiam, quæ ab filijs familias publice fiunt, non accedente parentum consensu.

Haud cessatum tamen inter Præsules agitare porro controuersias de authoritate Papæ, & institutione Episcoporum. Et quamuis Gallis staret sententia, illa verba *Ecclesiam Vniuersalem*, non admittere (ne præiudicarent opinioni quæ in Gallia tenebatur, de Concilij supra Papam superioritate) immo si decretum ijs verbis proponeretur, protestationem interponere de nullitate, atque è vestigio discedere : rescripsit tamen Legatis Papa vt proponerent eâ formulâ, quicquid inde euenturum esset. Verùm Legati metuentes ne admodum intempestiuum esset quicquam mouere, propter nouam Imperatoris vicinitatem, rescribunt satius esse id differe, quoad definita esset materia de matrimonio.

Pontifex rescribit Legatis, vt Decretum de Institutione proponatur formula à se præscripta. Illi verò cunctantur.

In secunda classe XVII. Februarij primus verba fecit Pater *Soto*, super articulo de *Diuortio*, distinguens primùm coniunctionem matrimonialem in tres partes; quoad vniculum, quoad cohabitationem, & quoad copulam carnalem : totidem pariter constituens separationes. Dein ostendens multis verbis in Prælato Ecclesiastico esse authoritatem coniugatos separandi, aut diuortium ipsis concedendi quoad cohabitationem, & quoad copulam carnalem, eas omnes ob causas, quæ ipsis conuenientes & iustæ videbuntur, manente semper firmo matrimoniali vinculo; ita vt neutri facultas sit, ad alias nuptias transeundi : hoc illud esse affirmans, quod à Deo ligatum, ab alio aliquo dissolui non posset. Multum operæ posuit in verbis *S. Pauli* explicandis, qui marito fideli concedit, si vxor infidelis cum ipso habitare nolit, vt maneat separatus. Nec contentus expositione

Super tertio articulo de Diuortio Soto disserit.

Pius. 4.
Elizabetha.
Carolus. 9.

vulgata, matrimonium inter infideles non esse insolubile; affirmabat insolubilitatem esse de iure naturali, propter verba *Adami* à Saluatore nostro exposita, & propter consuetudinem Ecclesiæ, in qua coniugati infideles cum baptizantur, matrimonium de nouo non contrahunt, quorum tamen matrimonium non differt ab eo, quod cæteris est fidelibus. Nec veritus dicere, meliorem esse sensum *Caietani*, quod illa etiam *S. Pauli* separatio fidelis ab infideli, non intelligatur quoad vinculum matrimoniale: atque rem esse à Sancta Synodo diligenter considerandam. De fornicatione similiter dixit, neque illam causam esse debere separationis vinculi, sed copulæ tantum, & cohabitationis. Sed hic se implicatum teneri sensit, quòd dixisset prius, diuortium multas ob rationes causasque concedi posse, vbi Euangelio fornicationis solam causam admittente, necesse est, vt alio sensu, & de alio repudio loquatur. Et hoc Euangelicum intelligendum quoad vinculum, quoniàm quoad reliqua duo, multæ sint diuortij causæ. Varijs demum allatis interpretationibus illius loci ex Euangelio, ita tamen vt nullam ex ijs approbaret aut refelleret, concludit articulum omnino damnandum, propterea quod per traditionem Apostolicam contrarium habeatur de fide. nam si quis verba Euangelij respiciat, non esse ea adeo clara, vt ad Lutheranos conuincendos sufficiant.

IV. articulus de Polygamia, & nuptiarum certis anni temporibus prohibitione, ab eodem excutitur.

Super quarto Articulo, quod ad Polygamiam; dixit eam esse contra legem naturalem, nec permitti posse etiam infidelibus, qui Christianis subiecti. Patres antiquos multas vxores duxisse per dispensationem, & cæteros quibuscum à Deo dispensatum non erat, vixisse in perpetuo peccato. De prohibitione nuptiarum certis temporibus, authoritatem modò attulit Ecclesiæ, & quàm malè conueniret nuptiarum solemnibus cum certis anni temporibus. qua occasione adiecit, caussam non esse, cur quisquam id grauiter ferre debeat, quando Episcopus hac in re dispensare possit. Reuersus deinde ad causas diuortiorum, affirmauit, homines de nulla istarum rerum valde dolituros, si Præsules prudenter & benignè authoritate sua vterentur. Sed omniū malorum fontem esse, quòd ipsi non resideant: attributâque Vicario Ecclesiæ administratione, etiam sæpè sinè conuenienti ei stipendio, neque ius, vti decet, cuique tribui, nec pro meritis gratias distribui. Atque hoc loco pergens de residentia verba facere, nisi eâ de iure diuino declaratâ, impossibile esse aiebat, hos & alios abusus tollere, & hæreticis os obturare, qui non obseruantes ab executione abusiuà malum hoc dimanare, constitutionibus Pontificijs id ascribunt. Itaque authoritatem Pontificiam nunquam bene defensam iri, nisi residentiâ bene constitutâ; nec hanc vnquam stabilitam, nisi declaretur de iure diuino. In magno errore versari eos, qui authoritati Papæ id iniurium vocant, quod ei sustentandæ conseruandæque vnicum est pedamentum. Quamobrem teneri Concilium veritatem eam determinare. Hæc neruosè & efficaciter locutus, tanta cum voluptate Vltramontanorum est auditus, quanta cum molestia Pontificiorum; quibus tempus valde inopportunum videbatur ad illam materiam attrectandam. Et dedit certè vtrinque occasionem renouandis partium studijs.

Soto non Residentiæ Ecclesiæ mala adscribens, ad differendum de Residentia diuertit.

Ramirezius ab indissolubili nexu matrimonij inter virum & vxorem argumétatur, quam firmū esse debeat inter Episcopum & Ecclesiam suam vinculum.

F. Iohannes Ramirezius Franciscanus in Congregatione XX. Februarij super ijsdem articulis habita, postquam secundum communem Theologorum opinionem, de matrimonij nexu indissolubili disseruisset; affirmabat easdem rationes, quæ sunt inter maritum & vxorem, valere etiam inter Episcopum & Ecclesiam suam; neque Ecclesiam Episcopum, aut Episcopum Ecclesiam posse abdicare: & quemadmodum maritus vxorem deserere non debet, ita nec Episcopum Ecclesiam suam; nec minus firmum esse hoc vinculum spirituale, quàm illud corporale. Citabat *Innocentium* III. qui decreuit, vti fas non esset, Episcopum transferri, nisi authoritate diuina: quoniam vinculum matrimoniale quod minus est, inquit Pontifex, nulla humana authoritate solui potest. & multis verbis ostendere conatus est, hoc modo non minui, sed amplificari authoritatem Papæ, qui, vtpote Vicarius Vniuersalis, Episcoporum opera vti possit alio in loco, vbi magis necessaria fuerit, sicuti Princeps Reip. bono publico potest maritorum opera vti, eosque alio ablegare, firmo manente vinculo matrimoniali. Et rationes in contrarium soluere conatus est longa admodum oratione.

At in Congregatione pomeridiana eiusdem diei, Doctor *Cornisius* tenuit, vtrumque articulum tertium & quartum esse hæreticum, propterea quod damnati fuissent multis Decretalibus Pontificijs. Et pluribus ille quidem authoritatem Papalem extulit, affirmans omnia antiqua Concilia in fidei decretis perpetuò authoritati & voluntati Pontificis se commodasse. Concilium *Constantinopolitanum* in *Trullo* habitum, mandata ab *Agathone* Pontifice missa secutum esse; & Concilium *Chalcedonense* non solùm secutum, sed & veneratum, ac adoratione prosecutum sententiam *S. Leonis* Papæ; quem vocat etiam *Oecumenicum*, & Pastorē Ecclesiæ Vniuersalis. Et cū permultas auctoritates & rationes attulisset, vt ostenderet verba *Christi Petro* dicta, *Pasce oues meas*, perinde significare, ac si dixisset, *Rege & guberna Ecclesiam meam Vniuersalem*, multus fuit, in amplificanda authoritate Pontificia, tam in dispensationibus, quàm alijs etiam in rebus. Adduxit authoritates Canonistarum, quibus Papa potest dispensare contra Canones, contra Apostolos, & in toto iure diuino, exceptis articulis fidei. Ad extremum citauit *Caput Si Papa.* vt *omnes agnoscant salutem suam post Deum ex Papæ incolumitate pendere*: verbis ijs amplificatis, quod essent Sancti & Martyris, quem nemo iure dixerit aliam ob causam, quam solius veritatis studio ita locutum.

Doctoris Cornisij sententia auctoritatem Pontificiā deprædicantis.

Bonifacij can. 4. distinct. 40.

Per id tempus *Commendonus* ab Imperatore reuersus est, cuius Legatio eum finem non habuit, quem Legati desiderabant. Nam *Cæsar* auditis quæ ab ipso proposita, respondit, tempore opus esse, vt de ijs, quòd magni momenti essent, cogitari posset. Se de ipsis consideraturum, & Concilio per aliquem Oratorem suum responsum daturum. Hoc *Commendonus* per literas continuò significat, simul se Imperatorem comperisse animo saucium, & de Concilij actionibus male existimantem. Et nunc post reditum hoc amplius addidit, se tam ex verbis Maiestatis eius, & Consiliariorum, quàm ex actionibus & procedendi modo, quæ studiosè obseruauerat, deprehendisse, Maiestati suæ adeo penitus insitam esse illam sinistram de Concilio opinionem, vt valde metuat, ne quid inde incommodi sequatur. Quantum ipse quidem comprehendere potuerit, Maiestatis eius cogitationes ad insignem aliquam reformationem dirigi, quam ita accurare instituat, vt obseruari etiam debeat. Illud se pro certo affirmare posse, non placere Imperatori, vt Concilium finiatur. Hoc quoque inaudiuisse, cum *Delfinus* Pontificis Legatus apud *Cæsarem* residens, per incuriam suspensionem aut translationem Concilij nominasset, Imperatorem ostendisse animum ea re offensum. Renunciauit hoc amplius, opinionem esse Aulæ *Cæsareæ*, *Regem Catholicum* consilia cum Imperatore communia habere, in eo quod ad Concilium pertineret. Quod quidem sibi eò magis esse persuasum, quòd certo cognouisset, à Prælatis Hispanis literas ad Imperatorem scriptas, in quibus & querebantur de Italorum procedendi ratione, & reformationis multa capita exhibebant: verisimile autem non fieri, ipsos ausuros agere cum Imperatore, nisi Regis sui animum perspectum haberent. *Comitem* etiam *Lunensem*, cum à Ministris Pontificis dictum esset apud eum, Præsules Hispanos nimiā in liberè loquendo licentiā sibi sumere, respondisse interrogando, Quid illis Prælatis faciendū esset, si dicerent, se ex animi conscientia loqui? Sed & illud addidit *Commendonus*, opinari se, in Colloquio, quod futurum erat cum Cardinale *Lotharingio*, constitutum iri, vt petitiones ipsorum ab Oratoribus proponantur. Retulit denique *Cæsaream* Maiestatem Theologos in consultationem adhibere de suis postulatis, & alijs etiam rebus ad Concilium spectantibus. neque adhuc potuisse ad singula quæque penetrare, vtcumque à se & Legato Pontificis *Delfino* id sedulo curatum sit.

Commendonus ab Imperatore Tridentum reuersus, Legatorum animos suspicionibus imbuit.

Quippe Cæsare ad reformationem admodum intento, & ne Conciliū finiatur, solicito.

Verùm haud ita multo post ea quoque venêre ad notitiam. Siquidem *Canisius Iesuita* perscripsit ad *Lainezium Generalem*, Imperatorem esse male animatum aduersus Concilij negotia, & in consultationem deducere multa Capita, vt constituat, quomodo sit procedendum, si Papa perseueret, neque velle reformationem proponere, & verba tantùm factis contraria dare. Inter ea vnum esse, quænam sit in Concilio authoritas Imperatoria. In ea consultatione principem esse *Fredericum Staphylum* Confessorem *Reginæ Bohemiæ*. Postulabat *Canisius* vt mitteretur ad ipsum quispiam

Imperatoris de Concilii negotiis cum suis cōsultationes, per Natalem Iesuitā emanant ad Pontificios.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

piam è Societate, quem in illam consultationem introducturus esset. Eo pacto detegi posse, quicquid tractaretur. Vnde negotio cum Cardinale *Simoneta* communicato, placuit eò mittere Patrem *Natalem*, per quem res omnis ad plenum emanauit.

Articuli XVII. de quibus ab Imperatore deliberatur.

Articuli verò XVII. in consultationem adducti hi fuere.

I. An Concilium generale legitimè Congregatum de assensu Principum, possit in progressu mutare ordinem, quem Papa in materijs tractandis obseruandum decreuerit, aut alium modum introducere.

II. An vtile sit Ecclesiæ, vt Concilium res tractet & decernat, prout à Papa dirigitur aut Curia Romanâ, ita vt aliter fieri nec possit, nec debeat.

III. An si Papam mori contingat quo tempore Concilium apertum est, Electio pertineat ad Patres in Concilio.

IV. Quænam sit potestas *Cæsaris* vacante Sede Romana, & aperto Concilio.

V. An quoties tractatur de rebus ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ Christianæ spectantibus, Oratores Principum debeant suffragium habere decisiuum, vtcunque non id habeant, cum de fidei dogmatis tractatur.

VI. An Principes Oratores & Prælatos suos reuocare possint à Concilio inconsultis Legatis.

VII. An Papa possit dissoluere aut suspendere Concilium inconsultis Principibus Christianis, & maxime *Cæsarea* Maiestate.

VIII. An sit opportunum, vt Principes se interponant, quo res eas, quæ maximè necessariæ sunt, & expedientes, in Concilio tractari faciant.

IX. An Principum Oratores possint per se ipsos Patribus exponere ea, quæ Principes sui sibi exponenda committunt.

X. An possit ratio inueniri, vt Patres cùm à Principibus, tum à Papa mandati, liberi sint ad sententias in Concilio dicendas.

XI. Quid fieri possit, quò Papa & Curia Romana non se interponant ad ea ordinanda quæ in Concilio tractanda sunt, vt Patrum libertas non impediatur.

XII. An aliqua ratio inueniri possit, ne fraus fiat, aut violentia, aut iniuria dum Patres sententias dicunt.

XIII. An quicquam tractari possit, siue dogma, siue aliud quid, quod ad reformationem Ecclesiæ spectat, quod prius à peritis non sit discussum.

XIV. Quodnam remedium inueniri possit, si Prælati Itali in obstinatione persistant, vt res decerni non sinant.

XV. Quodnam remedium inueniri possit, vt Prælati Itali coitionem non faciant, si de authoritate Papæ sermo inciderit.

XVI. Qua ratione amoueri possint factiones, vt ad decernendum articulum de residentia veniatur.

XVII. An conueniat *Cæsaream* Maiestatem interuenire personaliter in Concilio.

Consultatur Romæ qua via obuiam eundum petitionibus Gallorum.

At Romæ longa & seria consultatio habita est, an concedendum, vt Gallorum petitiones proponerentur. neque tam in considerationem veniebat ipsarum petitionum momentum, quam consequentia quæ secum trahebant. Nam cum animis reputarent, quod à *Ferrerio* in oratione sua dictum, nempe, petitiones exhibitas esse è leuioribus, & superesse sibi grauiora postulanda; ex eo coniecturam faciebant, quando Galli illa non postulauerint, impetrandi studio & cupiditate, hunc sine dubio sibi ante oculos finem proposuisse, vt hac via ad alia quæ in animo habebant proponenda, aditum struerent. ita aperta semel sibi ianuâ per hæc quæ leuiora appellabant, negari non posse, quicquid deinceps aliud attentarint. Ob has & alias rationes decretum, vti Legatis scriberetur, ne vllo modo ea proponant; neque tamen præcisè negarent, sed dilationem ijs proponendis interponerent, modo etiam quo procedendum erat, perscripto. Eodémque tempore exijt *Româ* scriptum quoddam incerto authore, quo responsum est ad illa postulata; idque mox *Tridenti* & in aula Imperatoris disseminatum.

Atque

Atque ita prouisis videbantur sibi *Romæ* Gallorum improbitatem probè retudisse, sed magis angebat Pontificem illud, quod nouiter in aula *Cæsarea* institutum, de rebus sibi adeo periculosis capere consilia: cui erat persuasum dignitatem Pontificiam cumprimis reuerentiâ conseruari, certaque Christianorum persuasione, quod in dubium vocari non possit. Quod si homines incipiant ad iudicij sui libram res appendere, & examinare, non defuturas rationes speciosas ad conturbanda ea, quæ rectè atque ordine constituta sunt. Obseruabat ab antecessoribus suis in similibus occasionibus adhibita fuisse remedia præsentanea atque potentia; atque in eiusmodi causa, vbi de fundamento fidei agitur, illud præceptum locum habere, *Obsta principijs*. Et vt fluuij cum intumuerunt quantumuis leuiter perruptis marginibus riparum, nisi maturè obuiam eatur, aquæ impetus contineri non potest: ita si qua vel minima fiat contra supremam potestatem apertura, & facile homines & rapidissimè præcipites ferri. Non deerant, qui Pontifici suaderent, ad Imperatorem scribendum Breue aliquod acre & obiurgatorium, cuiusmodi ab *Paulo III.* ad *Carolum V.* ob Colloquia *Spiræ* habita scriptum; quo argueret *Cæsarem*, quòd in ijs articulis non dubitaret res clarissimas in dubium vocare: Tum altero Breui & increpandos Consiliarios, qui illi ad hanc rem authores; & Theologos, qui præsentes fuerant, admonendos, vt à Censuris absolutionem sibi procurarent. Verùm re bene pensitata, considerabat longè alium esse rerum statum, quàm sub *Paulo* fuerat. Nam primùm disputationem illam fuisse publicam, hanc verò esse secretam, & quasi in occulto de industria institui, ne rescíscatur. Itaque eius notitiam prudenter dissimulari etiamnum posse. at si publicè profiteatur eam sibi innotuisse, atque post reprehensionem suam nihilominus continuaretur, in maius se periculum conijcere. Deinde *Carolo Cæsari* necessarium fuisse sese cum Papa coniungere, ne Principibus Germanis se submitteret; hunc Imperatorem esse iam penè subiectum. Postremo differri posse ardua remedia, quæ semper satis tempori adhibeantur. interea dissimulando experiundum, an non obliquè discuti possint, quæ consultationibus hisce determinata, misso ad *Cæsaream* Maiestatem Cardinale *Mantuano*.

Ferdinandus. Philippus 2.

Et consultationibus Cæsaris super nouis postulatis.

At scriptum quod exierat contra petitiones Gallorum, non modo ipsis, id in contumeliam suam fieri interpretantibus, sed & *Imperatori* quoque vehementer displicebat. Nec ipsis Legatis satis est factum mandatis; quæ super ijs petitionibus *Româ* acceperunt: quibus non tam videbantur præscripta, qualia Præsidibus Concilij æquum erat mandari, quàm monita, ad quæ respicere debeant Ministri negotijs procurandis adhibiti. Rescribunt igitur illud solum petentes, quid esset faciendum, si *Cæsarei* instarent, vt sua quoque postulata proponerentur; sed & vna mittentes plenam copiosamque omnium, quæ occurebant, difficultatum narrationem; quam ab *Gabriele Paleotto*, *Auditore Rotæ* curarunt describendam. Non iudicabat Cardinalis *Mantuanus*, (cum *Imperator Commendono* dixisset se responsum Concilio per Oratorem aliquem suum missurum) conuenire, vt ipse prius eò proficisceretur, quam intelligeret quid ea de re Imperator statuisset. Quin etiam esse iam in aula *Cæsarea*, *Lotharingium*; cumque ignota sit adhuc summa negotij quod geratur, incertum etiam esse modum, qui sibi tenendus esset. His rationibus Pontifici se excusabat: ad quem præterea sua manu scripsit, nescire se, quonam deinceps ore comparere debeat in Congregatione, verba tantùm daturus, quod iam ab se duos integros annos factum. Omnes Principum Ministros dicere, vtcunque Pontifex de reformatione satis multa polliceatur, quandoquidem promissa non præstantur, vix credere se, animum eius verè eò inclinatum. Nam si ille de promissis patrandis cogitaret, non fuisse commissuros Legatos, vt, ipsi tot Principum solicitationibus non satisfacerent. Nec miretur quisquam, hunc Cardinalem, Principem tot annos in magnarum rerum tractatione versatissimum, & in ciuili conuersatione consummatissimum, ab hac verborum libertate non abstinuisse, cum ipsa natura sic ferat, homines in confinio mortis positos, propter internam quandam & sibimetipsis etiam incognitam causam, rerum humanarum satietate capi, & aularum ceremonias ac lenocinia despicere. ad quam metam hic proxime accesserat; ab his literis datis sex tantum dies vitæ superstes.

Scriptum Romæ contra petitiones Gallorum euulgatũ Imperatori æquè ac Gallis displicet.

Card. Mantuanus è vita breui emigraturus liberas verasque ad Pontificem mittit voces.

F. Adrianus ab quæstione instituta diuertens, de absoluta Papæ in dispensando potestate, disserit.

At in Congregationibus postremus in secunda classe verba fecit, *F. Adrianus Dominicanus*; qui rem ipsam leuissimè attingens, totus erat in disserendo de dispensationibus, atque in defendendis ijs, forma & verbis Theologicis, quæ à Doctore *Caruisio* tractata non sine scandalo vulgabantur. Dixit authoritatem dispensandi in legibus humanis, in Papa esse absolutam & illimitatam, cum ijs omnibus superior esset: immo tametsi sine vlla causa dispensaret, dispensationem pro valida habendam; at in rebus diuinis habere eum itidem authoritatem dispensandi, verumtamen cum caussa legitima. Citabat *S. Paulum* dicentem, *Christi Ministros dispensatores esse mysteriorum Dei*, &, quod ipsi Apostolo *commissa erat dispensatio Euangelij*. Subiunxit, tametsi dispensatio Pontificis super Lege diuina sine caussa, sit inualida, nihilominus quoties Papa quacunque de caussa dispensat, debere vnumquemque captiuam dare mentem suam, & credere eam causam esse legitimam; atque temerarium esse de eo dubitare. Inde de caussis dispensationis disseruit, quas reduxit ad publicam vtilitatem, & charitatem versus proximos. Hæc oratio Gallis dedit occasionem de eodem argumento licet Pontificijs alienissimis, disserendi.

Et Verdunus, vt Adriani sententiam refellat, & potestatè Pontificis eneruet, disceptationem à gradibus affinitatis ad dispensationes conuertit.

Finierat secunda classis; cùm, vt staretur promissis factis *Lotharingio*, Presbyterorum Matrimonium se absente haud tractatum iri, mutato ordine quarta classis ante tertiam verba fecit. *Iohannes Verdunus* articulum septimum tractans de gradibus affinitatis & consanguinitatis, transijt & ipse è vestigio ad dispensationes, nihil aliud spectare visus, quàm vt *F. Adriano* contradiceret; ad potestatem Pontificis debilitandam incumbens. Ac primùm explicat locos *S. Pauli*, quod Ministri *Christi* dispensatores sint mysteriorum Dei, & Euangelij, affirmans, glossam esse cum textu pugnantem, eo in loco dispensationem introducere, id est exemptionem ab obseruanda legis obligatione. verba enim nihil aliud significare, quàm annunciare, publicare, aut declarare diuina mysteria, & verbum Dei, quod manet, & est inuiolabile in æternum. Hoc fassus est, in legibus humanis incidere dispensationem, propter legislatoris defectum, qui omnes casus præuidere non potest: cumque legem vniuersalem faciat, ob euentus, qui exceptionibus dant caussam, opus esse, vt reseruetur Reipublicæ administratori authoritas casibus particularibus prouidendi. Verùm vbi Deus Legislator est, cui nihil occultum, nihil non prouisum euenire potest, nullam exceptionem admittere. Itaque legem diuinam naturalem, non esse distinguendam in legem scriptam, quæ propter rigorem in quibusdam casibus interpretatione mitiganda sit, verum eam, ipsissimam esse æquitatem. In legibus humanis, vbi aliqui casus propter accidentia particularia etiam à Legislatore præuisi, non fuissent lege cōprehensi, dispensationē nasci: non quod is qui dispensat, possit in aliquo casu liberare eum, qui sit obligatus: neq; quod si quis dispensationē meretur, quā ille negat, possit efficere, vt is sub obligatione maneat. Esse homines peruersa opinione imbutos, dispensare esse gratiā facere, cū dispensatio non minus sit iustitia, quā quæuis alia distributiua; & peccare Prælatū, qui eā, cui debetur, non concedit. In summa sic asseruit, cū petitur dispensatio, aut in eo casu sumus, qui, si præuisus esset, cum facta est lex, fuisset exceptus, & hic etsi nolis dispensandi obligatio est; aut sumus in casu, qui etiam præuisus, lege fuisset comprehensus, & huc potestas dispensatoria non pertingit. Subiunxit adulationem, ambitionem, & auaritiam persuasisse hominibus, dispensare esse gratiā facere, quēadmodum faceret dominus seruis, aut, qui quod suum est, donat. Non esse Papam dominum & Ecclesiam seruā, sed illū eius seruū, qui sponsus est Ecclesiæ, & ab ipso præpositū familiæ Christianæ vt det, sicut loquitur Euangelium, vnicuique propriam mensuram, hoc est, id quod ipsi debetur. Ad summam illud iterauit nihil aliud esse dispensationem, quam declarationem aut interpretationem Legis: & Pontificem sua dispensatione neminem, qui obligatus sit, ab obligatione liberare posse, sed tantum declarare non obligato, illum esse à lege exemptum.

Legem Diuinam nulli exceptioni aut dispensationi esse obnoxiā, cuius latorem nihil fallere, aut latere potest.

Lotharingio Tridentū redeunte, Pontificij quid in colloquio cū Cæsare actū, anxiè anquirunt.

Reuersus est *Tridentum* Cardinalis *Lotharingius* penultimo die Februarij, *Oeniponte* quinque dies moratus, quibus in perpetua negotiorum consultatione fuerat cum *Cæsare*, Rege Romanorum, & ministris Imperatoris. Offendit reuersus literas Papæ, quibus ille profitebatur se reformationem velle, atque ne diutius differatur, & in eam sedulò incumbant, auferenda esse illa verba ex decretis de Ordine, quæ difficultum

cultatem habebant. Eas literas Cardinalis studiosè per *Tridentum* publicauit, cum omnibus notum esset, contrarium Legatis esse præscriptum. Nec mora, à Pontificijs *Tridenti* omni studio ac diligentia adlaboratum est, vt discerent Cardinalis negotium à Prælatis, alijsque, qui in eius comitatu erant. & nominatim id dabant operam, vt intelligerent, quid esset super XVII. articulis constitutum. quippe referente Comite *Frederico Masseo*, qui vno die prior *Oeniponte* venerat, Cardinalem illum quotidie duas minimum horas integras semotis arbitris cum Imperatore & Rege Romanorum solis in colloquio fuisse. At Galli quod ad articulos, se nouos & omnium rerum rudes præbebant. Neminem dicebant è Theologis Germanis cum Cardinale tractasse, præter *Staphylum*, qui librum ei à se factum obtulerat, cuius argumentum erat de Residentia; & *Canisium*, cum ad Collegium Iesuitarum visendum itaret. Neque Theologos Gallos Imperatorem allocutos, nisi cùm ad Bibliothecam videndam euntibus superuenêre simul *Cæsar* cum Rege filio; & Imperatore rogante, quid de concessione Calicis illis videretur? cum respondisset *Abbas Claraeuallis* primus ex ipsis, non censere se concedi posse; Conuersus ad Regem Romanorum dixit Latinè eum Psalmi versiculum -- *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi semper hi errant corde*.

Ferdinandus Philippus 2.

Iam *Lotharingius* Legatos inuisens, nihil aliud dixit, quam Imperatorem insigni esse studio ac feruenti zelo versus ea quæ ad Concilium pertinent, neque quicquam ardentius desiderare, quàm vt aliquis inde fructus sequatur. si opus sit, ipsum coram adfuturum; quin & *Romam* iturum, vt Papam obsecret, misereatur nominis Christiani, & patiatur reformationem fieri, sine diminutione authoritatis suæ: quam tanta prosequitur reuerentia, vti nolit aliquid dici, quod Sanctitatem eius, & Curiam Romanam attingat. Verùm priuatim *Lotharingius* cum alijs collocutus, aiebat, si Concilium eâ, quæ conueniebat, prudentia gubernaretur, habiturum celerem & fœlicem successum. Imperatorem omnino seriam & strenuam reformationem deposcere, quam si Papa impedire pergat, sicut hactenus fecit, scandalum aliquod grauissimum exoriturum. Esse in animo Maiestati eius, si Pontifex *Bononiam* venerit, ipsum conuenire, & Coronam Imperij recipere, & huiusmodi alia.

Lotharingij non ijdem cũ Legatis, quàm cum alijs sermones.

Nec dubitandum est, quin *Cardinalis* de Concilij negotijs cum *Cæsare* locutus, edocuerit eum, quæ minus rectè, neque ex ordine illic gererentur, tum, quid sibi videretur de remedijs opponendis Curiæ Romanæ, & Prælatis Italis, qui *Tridenti* erant, quò obtineretur in Concilio Communio calicis, Coniugium Presbyterorum, vsus linguæ vernaculæ in sacris, relaxatio aliorum præceptorum iuris positiui, & reformatio in Capite & membris: Tum demum, qua ratione efficeretur, vt contra Decreta Concilij nulla daretur dispensatio. quod si hæc impetrari non possent, saltem actionibus suis defendendis speciosum colorem sumerent, causamque obtenderent, cur suo sibi studio curâque necessitatibus suorum esset prouidendum, conuocato aliquo Concilio nationali, nixuque omni adhibito, vt Germani & Galli ad eundem de religione sensum perducantur. Verùm non hoc solummodo negotium gerebatur. Nam tractabat etiam de matrimonio inter Scotiæ Reginam & Archiducem *Ferdinandum* Imperatoris filium; item de altero inter filiam Maiestatis suæ & Ducem *Ferrariensem*; deque inuestiganda ratione ad controuersiam de præcedentia inter Galliam & Hispaniam sarciendam: cuiusmodi negotia vtpote domestica, Principes propius quàm publica tangunt.

Quid inter Cæsarem & Lotharingitum actum, tam in publicis, quam priuatis negotijs.

Procedentibus post *Lotharingij* reditum Congregationibus, *Iacobus Alanus* Theologus Gallus in materiam quoque dispensationum ingressus dixit, authoritatem dispensandi Ecclesiæ à *Christo* immediate datum, & ab Ecclesia rursum Prælatis secundum temporum, locorum, & occasionum necessitates distributam. authoritatem Concilij Generalis Ecclesiam repræsentantis summis laudibus extulit, & Pontificis contrà eleuauit: adijciens, eam vel extendere vel restringere, Concilij esse Generalis.

Alanus Gallus de dispensationibus disserens, Cõciliorum Generalium auctoritatem extollit, Pontificis eleuat.

Secundo die Martij Cardinalis *Mantuanus* postquam paucos dies ægrotasset, è vita emigrauit: quod multarum mutationum in Concilio causam præbuit. Legati per nuncium continuò certiorem faciunt Pontificem. Ad quem *Seripandus* principe

Legati Card. Mantuani mortem Pontifici nunciant.

Card. Seripandus principis Legati munus deprecatur.
Et Varmiensis missionem postulat.

principe loco iam relictus, præter literas communes scripsit priuatim, sibi desideratissimum fore, vt Sanctitas eius Legatum mittat sibi superiorem, qui Concilij curam habeat; aut verò, vt se reuocet. quod si statuat ipsi primum inter Legatos locum relinquere, necessarium iudicabat, vti consideret, facturum, quod Dominus per Spiritum suum suggesturus esset: alioqui fore melius ipsum prorsus amouere. *Varmiensis* etiam seorsim scripsit, Ecclesiam suam Pastoris præsentia valde egere, & serpere in eam Communionem calicis, aliosque abusus notabiles. petere itaque veniam, vt ei prospicere liceat; atque vniuersim in *Polonia* opus esse viro, qui, quod in ea natione reliquum est, in obedientia contineat. Se Apostolicæ Sedi maiori vsui fore in ijs regionibus, quàm si in Concilio permaneat. At *Simoneta* summæ in gubernando Concilio potestatis auidus, & sperans illam prouinciam ab se rectè administrari posse, cum Pontificis approbatione, & nominis sui laude; cum animaduerteret *Seripandum* eius negotij pertæsum ad eam administrationem ambiendam animum non inclinare: & *Varmiensem* hominem simplicem, ac quocunque duci facilem, subiecit, Pontifici considerandum, quando res Concilij parum rectè se habeant, annon nouitas omnis maiorem in modum eas esset conquassatura. itaque censuit pergendum, nec alios Legatos mittendum, omnia satis fœliciter successura promittens.

At Simoneta primum locũ ambit, ab nouis Legatis nouos tumultus Pontifici denuntians.

Per eosdem dies *Româ* nunciatum est, cùm in *Rota* causa quædam Episcopi *Segouiensis* proponenda esset, eam nec receptam, & ab vno ex Auditoribus Episcopi procuratori dictum, Dominum suum esse hæresis suspectum. Magnum ea res motum excitauit, non solùm inter Hispanos, verũ etiam inter omnes Transmontanos: querentibus ipsis, *Romæ* calumnias excogitari, notasque infames imponi ijs, qui prorsus, & in omnibus ipsorum voluntatibus non obsecundarent.

Caussa Episcopi Segouiensis Romæ exploditur ab Auditore Rotæ tamquam Hæretici.

Quarto die Martij vbi à tertia Classe cæptum est disceptari, de V. articulo, idem sentiebant omnes, hæreticum esse, & damnandum. De sexto itidem omnes sine controuersia consentiebant, hæresin esse. Erat tamen hoc discrimen, quod vna pars dicebat, vtcunque inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem non conueniret, quod hæc ad Sacerdotium & sacros Ordines non nisi cœlibes admitteret, illa etiam coniugatos; nullam tamen vnquam Ecclesiam concessisse, vt Sacerdotes vxores ducerent. atque hoc per Traditionem Apostolicam, non ratione voti, aut vlla constitutione Ecclesiastica obtinuisse. Atque adeo pro hæreticis omnino condemnandos eos omnes, qui dicerent licere Sacerdotibus coniugia inire: sine vlla restrictione ad Occidentales, & absque mentione aut voti, aut legis Ecclesiasticæ. Et hi non concedebant posse ob quamcunque causam dispensari cum Sacerdotibus de Matrimonio. Altera pars asserebat duobus hominum generibus matrimonio interdictum, & duas diuersas ob causas. Secularibus Clericis propter ordinem sacrum, legemque Ecclesiasticam; Regularibus propter votum solenne. Prohibitionem matrimonij ob constitutionem Ecclesiæ, à Pontifice Romano auferri posse; & tametsi ea fixa maneat, Pontificem dispensare de ea posse. Citabant exempla eorum quibuscum dispensatum fuerat, & vsum antiquitatis, vt, si sacerdos vxorem duxisset, non dirimeretur matrimonium; sed ille à Ministerio tantum remoueretur; quod vsque ad tempus *Innocentij II.* constanter obseruatum. Is enim primus omnium Pontificum constituit, vt id matrimonium pro nullo haberetur. Qui autem voto solenni continentiæ astricti sunt, cum id sit *de iure diuino*, negabant cum his posse Pontificem dispensare. Huc adferebant locum *Innocentij* III. qui affirmauit, obseruationem castitatis, & abdicationem proprietatis ita Monachatui penitus inhærere, vt in ijs ne summus quidem Pontifex dispensare possit. Deinde opinionem *S. Thomæ*, & aliorum Doctorũ, qui asserunt, votum solemne esse hominis consecrationem Deo factam. cum autem nemo efficere possit, vt res consecrata ad vsus humanos reuertatur, nihilo plus efficere posse, vt Monachus ad vsum Matrimonij possit redire. Omnes scriptores Catholicos, *Lutherum*, suosque sequaces hæresis damnare, quod dicant, Monachatum inuentionem esse humanam; & asserere, traditionis esse Apostolicæ; cui ex diametro repugnat affirmare, Pontificem in eo posse dispensare.

V. & VI. articuli de Matrimonio excutiuntur.

Alij nullo aspectu cum Sacerdotibus de matrimonio dispensandum censent.

Alij dispensationi locum tribuunt, vbi obligatio ab Ecclesiastica Constitutione proficiscitur.

Sed vbi ad cõtinentiam voto solemni obligati, non item.

Alij tenebant etiam cum hisce Pontificem dispensare posse; & mirabantur eos, qui

Arguitur contra, dispensa-

qui dispensationem à votis simplicibus concedentes, à solennibus negabant: quasi clarissimum non esset ex determinatione *Bonifacij* VIII. solemnitatem omnem esse de iure positiuo. Atque ij ad comprobandam sententiam suam, idem prorsus exemplum adhibebant rerum consecratarum. Nam quemadmodum fieri non potest, vt res consecrata, dum consecrata manet, ad vsus humanos applicetur: verùmtamen auferri posse consecrationem, & rem fieri prophanam, adeo vt licitè ad omnem vsum promiscuum iam conuertatur; ita hominem Deo sacratum per monachatum, quoad consecratus manet, non posse matrimonio se applicare, attamen ablato ab ipso Monachatu, & consecratione, quæ à voti solemnitate nascitur, quæ iuris est positiui, nihil impedire, quo minus ad vitam hominum communem redire possit. Adducebant locos *S. Augustini*, è quibus manifestè apparet, eius tempore monachos aliquot vxores duxisse. Et licet existimaretur peccare qui id faceret, matrimonium tamen erat legitimum, & *Augustinus* eos reprehendit, qui id rescinderent.

tionem habere locum in votis solemnibus, quia iuris sunt positiui.

Inde quæsitum, vtrum conueniret his temporibus dispensare, an verò auferre præceptum continentiæ Sacerdotibus indictæ. idque propterea, quòd, cùm Dux *Bauariæ Romam* misisset Calicis communionem suis à Pontifice postulatum, petierat vnà, vt coniugatis concederetur facultas prædicandi: quo nomine totũ Ministeriũ Ecclesiasticum, ab Parochis in cura animarũ exerceri solitum, intelligebatur. Multæ rationes adductæ ad hanc concessionem persuadẽdũ, quæ ad duas redibant; nempe, Scandalum cui occasionem Sacerdotes incontinentes dabant, & paucitatem eorum, qui continentiâ sibi imperatâ ad Ministerium exercendum reperiebantur idonei: eratque multis in ore celebre illud dictum *Papæ Pij* II. *Ab Ecclesia occidentali optimo iure olim ademptum Sacerdotibus coniugium, sed nunc meliori restituendum.* Ab ijs qui contrariæ opinionis erant, dicebatur, non esse prudentis medici morbum aliquem sic depellere, vt in grauiorem repente æger incidat. si Sacerdotes incontinentes sint & imperiti, haud idcirco prostituendum esse Sacerdotium coniugatis. Et hic adferebantur quamplurima de Pontificibus, qui id non permittentes, dixerunt, impossibile esse vacare carni & spiritui, cum matrimonium status esset carnalis. Verum esse remedium, educatione, diligentia, præmijs & pœnis continentes & literatos ad hoc ministerium allicere: atque interea pro remedio incontinentiæ nullos ordinare, nisi homines vitæ bonitate spectatos; & rursus in subsidium ignorantiæ curare excudendos libros Homiliarum, & Catechismos, linguâ Germanica & Gallicâ à viris doctis & pijs conscriptos, qui populo legantur de scripto: imperitis Sacerdotibus librum manu tenentibus, quo certe modo Parochos etsi minus idoneos, populo tamen satisfacere posse.

Dux Bauariæ petit à Pontifice per Legatum, facultatem prædicandi coniugatis concedi.

Incontinentiæ & ignorantiæ Sacerdotum remedia.

Legatis vitio vertebatur, quod hunc articulum ita periculosum in disputationem venire siuissent; cùm manifestum esset permisso Presbyterorum coniugio, futurum, vt omnes affectum & amorem suum in vxorem & liberos, adeoque in familiam & patriam conuertant. Inde cessaturam arctam illam ordinis clericalis cum Sede Apostolica coniunctionem; vt matrimonium Presbyteris concedere, non aliud fit, quàm Hierarchiam Ecclesiasticam destruere, & Pontificem redigere ad Romæ solius Episcopatum. At legati id à se factum excusabant, vt gratificarentur Episcopo Quinqueeclesiensi, non tantùm Ducis, verùm etiam Imperatoris nomine hoc postulanti: tum vt *Cæsareos* redderent faciliores, nec in reformatione, quæ maioris est momenti, solicitanda adeo vehementes, coactos hac in re ipsis indulgere.

Legati incusantur ob articulum de matrimonio Sacerdotum in disceptationem admissum: at illi excusant.

Cæterum Galli animaduertentes eam esse communiorem sententiam, dispensari posse cum Presbytero vt vxorem ducat, in vnum conueniunt deliberaturi, an id tempus esset opportunum ad dispensationem *Cardinali Borbonio* deposcendam, prout *Lotharingio* & Oratoribus erat commissum. Et *Lotharingius* in ea sententia fuit, haud esse tempestiuum: affirmans sine dubio in Concilio difficile fore, causæ æquitatem & necessitatem Patribus persuadere. illam enim vt prolem suscipiat, non esse necessariam, Rege adhuc adolescente, cum fratribus duobus, & alijs sanguinis Regij Principibus Catholicis. vt autem rerum administrationi præficiatur, quoad Rex ad iustam ætatem peruenerit, id sane ipsi contingere posse, vel in Clero manenti. Etiam propter dissidia, quæ sunt inter Gallos & Italos, cùm reformationis causâ,

Ab Gallis cõsultatur, an esset tempestiuum de dispensatione Cardinalis Borbonij cum Patribus agere.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

tum de authoritate Papæ, & Episcoporum, eos qui contrarias suis sententias defendebant, studiose etiam se huic postulato oppositurost. Melius esse ad Papam decurrere, aut opportuniorem occasionem exspectare; satis esse in præsens, efficere, ne quod dogma sanciatur, vnde huic negotio fiat præiudicium. Existimabant nonnulli, *Lotharingio* animitus non placere, vti *Borbonius* vxorem ducat, ne forte ea res, vnà cum æmulatione ac simultate, familiæ suæ amplitudinem diminueret. At alijs id parum videbatur verisimile. Primùm enim hac ratione spem omnem eripi *Condæo*, à quo multo plus sibi metuebat. Deinde *Borbonium* ad statum secularem transire, rem esse *Lotharingio* longè desideratissimam, qui sublato ex Ecclesiasticis *Borbonio*, Galliæ princeps Prælatus esset remansurus; Tum, si occasio daretur Patriarcham in Gallia constituendi, quam dignitatem ille admodum ambibat, sine dubio illum honorem ei delatum iri, cum *Borbonio* Sacerdotalem functionem retinente, nulla ratio posset iniri, quemadmodum ille non primas semper obtineret.

Pontifex in Mantuani & Altempsij locũ Legatos ad Concilium designat Moronum & Nauagerium.

At Pontifex accepto nuncio de morte *Mantuani*, cum animo suo, paucisque intimorum reputans necessariò alios Legatos esse mittendos, qui vtpote noui, nec promissis obstricti, nec tractatibus implicati, mandata ab ipso accepta facilius sequi possent, manè septima die Martij, quæ erat Dominica secunda Quadragesimæ, non indictâ pro more Congregatione, sed congregatis Cardinalibus in cubiculo vbi se vestiunt, vt sacellum ingrediantur; substitit, & exclusis curialibus, portisque obserari iussis, Legatos creauit Cardinales *Iohannem Moronum* & *Bernardum Nauagerium*, quod factum, ne intercessione Principum aut Cardinalium, cogeretur aliquos nominare, qui sibi prorsus ad saliuam non essent. Credebat Pontifex se huius consilij omnes expertes habiturum, sed effugere non potuit, quin ad aures Gallorum peruenerit; tantaque Cardinalis *Burdissierius* diligentia vsus est, vt Pontificem alloquutus sit, etiam antequam è cubiculo descenderit. Multis adhibitis rationibus ei proposuit considerandum, si nouos Legatos creare vellet, id munus digniori quàm esset Cardinalis *Lotharingius*, dari non posse. Verùm Papa certus propositi, & hoc ipso iratior, quòd sentiret ea, quæ clausa habere desiderabat, latere non potuisse, respondit ei liberè Cardinalem *Lotharingium* venisse ad Concilium, tanquam caput vnius è partibus inter se contendentibus. sibi decretum, deputare homines neutri parti addictos, & qui nullo priuato studio ducerentur. Cui cùm respondere contrà pararet Cardinalis, Pontifex corripuit gradum, tanta celeritate descendens, vt respondendi tempus non fuerit. Finita Congregatione Papa Cardinalibus ad sacellum ire iussis, ipse ad cubiculum suum reuersus est, ne per id tempus sacræ ceremoniæ interesset, cùm bilem illi non leuiter mouissent illius verba Cardinalis.

Burdissierius Pontificem interpellat de Lotharingio creando Legato.

Dux Guisius Aurelianum obsidens, à Poltroto sclopeti ictu iuxta axillam feritur.

Cæterum *Tridentum* ad diem Martij nonum, nuncij venerunt, Ducem *Guisium* fratrem Cardinalis *Lotharingij*, dum à fossis & aggeribus in obsidendo *Aureliano* rediret, ictum sclopeto à *Iohanne Poltroto* nobili priuato, religionis reformatæ; atque post sextum à vulnere accepto diem magno cum dolore totius aulæ è vita excessisse. Eo tempore hortatum Reginam, vt pacem faceret, impium palam pronunciantem, qui eam nollet, & regni inimicum. Percussor de conscijs quæstione habita, nominauit *Colignium*, maris Præfectum, & *Theodorum Bezam*: postque excusato *Beza*, alterum accusare perseuerabat. Ac deinceps adeo parum sibi constabat, vt incertum relinqueret, quid esset credendum. At Cardinalis accepto eo nuncio plures ad corporis sui custodiam, quàm ante, satellites conduxit; & postquam animum à dolore ob mortem tam cari capitis recollegisset, ante omnia dedit literas consolationis plenas ad parentem communem, *Antoniam Borboniam*, & refertas exquisitis sententijs, Senecæ æquiparandis, &, vti sui dicebant, anteferendis. Quibus in extremis scriptum erat, se statuisse, ad Ecclesiam suam Rhemorum concedere, vitæque quod reliquum est, prædicando verbo Dei, instituendo populo suo, & educandis in pietate Christianâ fratris filijs impendere; nec vnquam ab his officijs desistere, nisi cum Regnum & Res publica operam suam requirat. Vix *Tridento* excesserant eæ literæ, quùm per vniuersam Ciuitatem, illorum exemplaria euulgantur; à domesticis Cardinalis, vltro cuique potius oblata, quàm ab vllo postulata. adeo difficile est philautiæ affectum

Lotharingius per literas matrem solatur.

affectum vel magnorum dolorum occasione interquiescere. Ex illo tempore Cardinalis rerum statum attentiùs animo volutans, ob eam euentuum varietatem, omnia sua destinata mutauit. Quod in caussa etiam fuit, cur scopus ille, ad quem res Concilij collimare videbantur, immutatus sit. Nam cum per illum veluti medium Imperator & Regina Galliarum hactenus operati essent, necesse erat ipsis, ministro adeo idoneo defectis, quæ designauerant, remissius vrgere, ac lenius lentiusque procedere. Verum in negotijs humanis idem accidere solet, quod in tempestatibus maris; vbi tametsi venti posuerunt, vndæ adhuc aliquot horas tremunt ac tumultuantur: ita magna ista negotiorum Concilij moles, vel ob impetum quo ferebatur, haud facile ad tranquillitatem poterat reduci. Et verò quieti, quæ post aliquot menses subsecuta, certum est mortem eius Ducis strauisse viam: præsertim accedente mox *Francisci* alterius fratris, *Magni Franciæ Prioris* funere; & paucis post diebus nuncio de pace facta cum Hugonotis; & ad extremum instante Regina apud Cardinalem, vt Papæ beneuolentia sibi conciliatâ rediret in Galliam, de quibus suo loco dicendum. Atque ex his facile perspexit Cardinalis, negotia quæ incœptabantur, neque sibi, neque amicis suis è re fore.

Ferdinandus Philippus 2.

Et pro vario rerum euentu destinata mutat.

Vtrobiq; & *Tridenti*, & *Romæ*, *Guisij* mors molestè accepta est; singulis existimantibus illum partis Catholicæ in regno Galliæ vnicum fuisse columen; neque cernentibus, ecquis tanto oneri par ei succenturiari possit: præsertim omnibus mortis eius exemplo perterritis. Et Prælatos Gallos in Concilio pupugit, quòd audiebant de pace tractari cum Hugonotis, id inter alia postulantibus, vt tertia pars redituum Ecclesiasticorum cederet sustentandis reformatæ religionis Ministris.

Guisij mors Curiæ Romanæ & Tridentinis Patribus luctuosa.

In hac negotiorum varietate, & animorum perturbatione reuertens *Tridentum* Episcopus *Quinqueecclesiensis*, atque cum Oratoribus *Cæsareis* ad audientiam Legatorum profectus, literas Imperatoris, quas ipse attulerat, reddit; vna cum exemplo aliarum à *Cæsare* ad Pontificem scriptarum. Rogant omnes vt reformatio proponatur, etiam verbis generalibus, & satis remissè. Imperatoris ad Legatos literæ significabant desiderium, quo tenebatur videndi aliquem Concilij progressum fructuosum, ad quem obtinendum, esse necessarium, vt auferantur quædam impedimenta, de quibus cum ad Pontificem scripserit, etiam ipsos oratos velle, vt operam suam adiungant tum per seipsos in Concilio, tum precibus apud Pontificem, quò res ad Dei cultum, & Christiani nominis beneficium procedat. Literæ Imperatoris ad Papam sic habebant. Sibi tanquam aduocato Ecclesiæ, fœliciter confectis grauissimis negotijs cum Electoribus & alijs Principibus, ordinibusque Germaniæ, nihil fuisse pensius, quam vt res Concilij promoueret; ob eamque caussam etiam *Oenipotentem* venisse. Ibi cum magno animi sui dolore intellexisse, res Synodi non eo modo procedere quo vellet, & publica tranquillitas exposceret: immo vereri se, nisi properè remedia adhibeantur, is futurus sit Concilij exitus, qui & vniuerso Christiano orbi scandalum præbeat, & ridendi materiam ijs, qui ab obedientia Romanæ Ecclesiæ recesserunt, quin & incitamento sit, vt opiniones suas maiori cum obstinatione retineant. Iam diu esse cum Sessio nulla celebrata fuerit; & quod grauius est, dum Principes operam dant conciliandis aduersarijs inter se opinione distractis, Patres ipsos ad contentiones delapsos, se indignos. Circumferri rumores, eius Sanctitatem cogitare de dissoluendo, aut saltem suspendendo Concilio, inductam fortasse perplexo & intricato statu rerum qui ibi conspicitur. Verum se longe secus iudicare. Etenim præstare nunquam cœptum fuisse, quam imperfectum relinqui cum scandalo orbis Christiani, vilipendio Sanctitatis eius, & totius ordinis Ecclesiastici, & præiudicio tum huius, tum futurorum Conciliorum generalium; cum iactura exiguarum, quæ supersunt adhuc, reliquiarum populi Catholici; cumque ea opinione omnium mentibus infixa, dissolutionem aut suspensionem eiusmodi non alio nomine fieri, nisi impediendæ reformationis studio. In Concilio indicendo Sanctitatem eius suum consensum postulasse, aliorumque Regum ac Principum: quod ab ea factum ad imitationem Pontificum superiorum, qui id varijs de causis necessarium iudicarunt; eandem rationem valere, vt sine eodem consensu nec dissolui possit, nec suspendi. Suadet, ne huic consilio aures præbeat, vtpote neque honesto, & damnoso: quod sine

V. ecclesiensis Tridentum redit, Cæsaris ad Legatos literas, & exemplar earum, quæ ad Pontificem scriptæ, deferens.

Summa literarum ad Legatos.

Literarum Cæsaris ad Pontificem tenor.

dubio

Pius 4. *Elizabetha.* *Carolus 9.*

dubio traheret secum Concilia Nationalia; à quibus tanquam contrarijs vnitati Ecclesiæ, Sanctitas eius semper abhorruisset. Quæ sicut à Principibus prohibita, ad conseruandam authoritatem Pontificiam, ita negari vltra non posse, aut longius deinceps differri. Insuper hortatur, vt libertatem Concilij adiuuare dignetur, quæ tribus præcipue causis impediebatur. Vna, quòd omnia prius *Romæ* consultarentur. Altera, quod liberum non esset proponere, Legatis sibi solis hanc potestatem arrogantibus, quæ communis esse debeat. Tertia, quod coitiones fiant ab aliquibus Prelatis, quibus Curiæ Romanæ amplitudo cedit emolumento. Cum necessaria sit reformatio Ecclesiæ, & ita vulgo credatur, abusus & originem & fomentum habere *Romæ*, quò melius omnibus satisfiat, necesse esse, vt reformatio non in Vrbe, sed in Concilio instituatur. Itaque permittat Sanctitas eius, vt proponantur postulata à suis Oratoribus, & aliorum Principum exhibita. Ac denique ostendit se animo lubentissimo ad Concilium venturum, & enixè rogat Sanctitatem eius, vt & ipsa eòdem venire non grauetur.

Pontificis ex Imperatoris literis offensio, aliorum nuncijs & sermonibus aucta.

Literæ hæ datæ III. Martij grauem Pontificis offensionem concitarunt, cui videbatur Imperator multo plus sibi sumere, & authoritatem suam longius extendere, quàm fecissent alij Imperatores decessores sui, ipso longè potentiores. Augebat offensionem, cum ab Nuncio suo ei nunciatum est, exempla earundem literarum ad Principes & Cardinalem etiam *Lotharingium* esse missa: quod non alium ad finem fieri posse interpretabatur, quàm ad eos commouendos, & actiones proprias ipsis approbandas. Huc accedebat, quod Doctor *Scheldus Cæsaris* Cancellarius, egisset cum *Delphino* Nuncio Pontificis in aula *Cæsarea*, vt curaret expungenda è Decreto illa verba *Vniuersalem Ecclesiam*, ne fomenta darent opinioni de Papæ supra Concilium potestate; affirmans, hoc rerum statu tempestiuum non esse de huiusmodi re disceptare. Scire *Cæsaream* Maiestatem, seque etiam ipsum, *Carolum V.* fœlicis memoriæ in hoc articulo contrariam opinionem tenuisse, & cauendum inprimis, ne occasionem aliquam *Cæsari*, alijsque Principibus præbeant declarandi, quid hac de re sentiant. Hisce addebat illud, quod ipse *Lotharingius* ad se scripserat, scilicet, non esse iam tempus tractandi difficultatem, quam adferebant illa verba *Vniuersalem Ecclesiam, &c.* & simul, quod *Tridento* perscriptum erat, illum Cardinalem asseuerare, non posse aut se, aut Præsules Gallos ea admittere; ne canone sanciant opinionem toti Galliæ contrariam. Et falli eos, qui crederent, vbi ventum esset eò, vt aperte quisque loqueretur, & peteretur declarari, quòd Papa non sit supra Concilium, illam opinionem non plures & fautores & propugnatores habituram, quam plerique somniarent. Ex quibus facilis erat coniectura, in Aula Im peratoris de hoc articulo serio tractatum. Hæc cum apud se reputaret Pontifex, venit in eam opinionem, solidam responsionem *Cæsaris* literis reddendam, eamque, actionibus suis passim approbandis, etiam circumquaque mittendam.

Ad Cæsaris literas Pontifex respondet.

Rescripsit igitur ad Imperatorem Pontifex; se conuocasse Concilium re cum illo, & alijs Regibus ac Principibus comunicata, non quod Sedes Apostolica in administratione Ecclesiæ, cuiuscunque authoritatis consensum exspectare opus habeat, cui plena potestas à *Christo* attributa. Omnia antiqua Concilia authoritate Pontificis Romani fuisse congregata, nec vnquam aliquem Principem huic se negotio interposuisse, præterquam vt merum executorem. Nunquam venisse sibi in mentem, vt Concilium aut suspenderet, aut dissolueret; verùm semper iudicasse, ad Dei honorem summam ei manum imponendam. Neque impediri, sed adiuuari potius libertatem Concilij consultationibus, quæ super ijsdem rebus *Romæ* habebantur. Nullum vnquam extra Pontificis præsentiam Concilium celebratum, quò à Sede Apostolica missa non fuerint mandata, Patribus etiam religiosè obseruata. Exstare adhuc formulas mandatorum, quibus *Papa Cælestinus* Legatos ad Concilium *Ephesinum*, *Leo* ad *Chalcedonense*, *Agatho* ad *Trullanum*, *Adrianus I.* ad *Nicænum* secundum, & *Adrianus II.* ad octauum generale *Constantinopolitanum* missos instruxit. Quod ad proponendi ius in Concilio, cum Romanus Pontifex Concilijs adesset, ipsum solum res non modo semper proposuisse, sed & solum de ijsdē decreuisse, nec Concilium aliud eò contulisse, quam approbationem: at absente Pontifice proposuisse Legatos, aut

ab ipso deputatos, qui proponerent. atque ita Concilium *Tridenti* decreuisse, vt Legati proponerent; idque dummodo aliquis ordo seruetur, esse necessarium. Siquidem magnam rerum confusionem secuturam, si Patribus liceret tumultuose, & quandoque contra se mutuò, res seditiosas & ineptas in medium afferre. neque tamen vnquam negatum, omnia quæ vtilia essent, adducere in publicum. Displicuisse sibi, quod intellexerat coitiones à diuersis factas contra authoritatem ab *Christo* Sedi Apostolicæ datam. Plenos esse libros Patrum & Conciliorum, quod Pontifex successor *Petri* & Vicarius *Christi*, Pastor sit Ecclesiæ Vniuersalis. contra istam tamen veritatem multa *Tridenti* esse facta conuenticula, multasque molitiones. Veruntamen Ecclesiam illam dicendi formulam semper vsurpasse, sicuti Maiestati eius facile esset videre ex locis, quos vnà mittebat in charta inclusa, citatis. Omnibus præsentibus malis caussam dedisse, quod Legati sui, quorum erat prohibere, ne malæ linguæ Concilij libertati obstreperent, conniuendo, authoritatem suam in contemptum venire passi sint: vnde Concilium licentiosum potius, quàm liberum dici posse. De reformatione verò, eam se cupere & rigidam, & integram; & perpetuò Legatos sollicitasse, vt eam sancirent. Nam de Curia sua reformanda, notum esse omnibus, quàm multas prouisiones instituerit, cum redituum etiam suorum diminutione. & si quid etiam faciendum restat, id non prætermissurum: sed *Tridenti* certe commodè fieri non posse. nam cùm Præsules illi Curiæ Romanæ statum non satis intelligant, pro reformatione, deformationem inuecturos. Interea cupere se aliquam reformationem cernere in alijs etiam aulis, quæ non minus opus habent emendatione, in rebus equidem Ecclesiasticis. de his enim se loqui, & fortasse ab ijs corruptelis, quæ in aulis Principum occurrunt, malum præcipue oriri. De petitionibus ab Oratoribus Maiestatis suæ alijsque propositis, semper se scripsisse vt examinarentur & discuterentur, sed singulæ tempore opportuno. instituta iam continuataque ratione determinandi in Concilio pariter dogmata fidei, & reformandi abusus, qui ad ea pertinent, non posse eum ordinem sine confusione & indignitate mutari. Atenim tametsi Maiestas sua multa in Concilio emendanda attigerit; omisisse tamen id, quod est caput omnium, à quo tanquam à fonte cætera manarunt, nempe, quòd qui legem à Concilijs accipere debent, eam dare velint. quod si *Constantini* pietas & *Theodosiorũ duorũ* imitatores haberet, & ab ijs exempla caperentur, Conciliũ & sine vlla inter Patres dissensione, & in summa apud omnes existimatione futurum. Nihil sibi esse optabilius, quàm vt ipse coràm Concilio interesse possit, vt in ordinem redigat, quæ parum ex ordine fiunt; sed per ætatem ingrauescentem, & aliorum non minùs grauium negotiorum molem, fieri nullo modo posse, vt *Tridentum* proficiscatur. neque de transferendo in eum locum Concilio, quò proficisci posset, verba facturum, ne forte moueat suspicionem.

Ferdinandus Philippus 2.

Verebatur Pontifex ne vtilitates *Imperatoris* & *Regis Galliæ* cum suis vlla ratione possent coalescere. ideo de illis parum sibi promittebat, & minùs sperabat: cùm de Concilio nihil pensi haberent, nisi quatenus ipsos premeret, & ditionum suarum interesset. De Concilio igitur ipsos non vltrà laborare, quàm vt populo sibi subdito satisfacere, & gratificari possint: id si obtinere nequeant, paratos impedire, ne desinat Concilium, vt suos diutius aliqua spe sustentent. At *Hispaniæ* Regem, cuius subditi Catholici sunt, istis aspectibus non posse moueri. hunc ad voluntatem ipsius Pontificis sine præiudicio regnorum suorum sese conformare posse. quin & esse ei conducibile ad gratias impetrandas secum quàm arctissimè coniungi. quamobrem illum necessariò continuis officijs sollicitandum, spemque ei ostentandam omnia ad libitum consequendi. Interea commodùm *Romam* venit *Ludouicus Auila* extra ordinem missus à Maiestate Catholicâ, quem Papa habuit perhonorificè. Locus ei in quo diuersaretur datus in palatio, in ijsdem cœnaculis vbi habitare solebat Comes *Fredericus Borromeus* Pontificis nepos, adhibitaque erga ipsum omnia humanitatis officia. Causæ ob quas missus, erant hæ, vt impetraret à Pontifice, continuationem subsidij super Clerum sibi concessi, in aliud quinquennium, & facultatem vendendi de possessionibus Ecclesiarum feudalibus ad viginti quinque millia Coronatorũ. Erat etiam ei commissum, vt procuraret dispen-

Pontifex Cæsaris & Gallorum studia ab suis diuersa cõspicatus de Hispano sibi conciliando cogitat.

Ad quam rem opportunè Orator ab Hispania Romam venit.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

diſpenſationem Matrimonij inter Principem Regis ſororem, & Carolum eius filium. quod in Hiſpania pro facili habebatur, plurimis ibi etiam priuatis diſpenſationes obtinentibus, vt matrimonium contrahant cum fratris aut ſororis filia, nempe pari conſanguinitatis gradu cum eo, qui Patris ſororem ducit; præterquam, quod ex eiuſmodi matrimonio nati *Moſes* & *Aaron*. Hæc cum propoſita fuiſſent, de matrimonio Papa vltro ſe eouſque progreſſurum obtulit, quoad ſeſe extenderet authoritas Pontificia, ac breui curaturum, vt res in conſultationem deduceretur. Sed per infirmitatem, quæ Regis ſororem mox afflixit, ſpe omni matrimonij erepta, ea quoque tractatio euanuit. De ſubſidio & alienatione, oſtendit quidem Pontifex animum à ſe promptum, ſed difficultatem ſummam efficiendi, interea dum Prælati magno impendio in Concilio hærebant; promittens, ſi adiutaret Rex in maturando Concilij exitu, ſeque ea moleſtia liberando, poſt ipſi ea de re gratificaturum. De negotijs Concilij, D. *Ludouicus* primis, quibus ab Pontifice auditus eſt, vicibus, mentionem multam non fecit; hoc tantùm obtulit, ſe daturum operam, vt authoritas Pontificia ſalua eſſet. Dehortatus eſt etiam Pontificem à conſociatione inter Catholicos concilianda; ne & hæretici eiuſmodi facerent inter ſe, & Gallia nimis præcipitanter ad quaſuis concordiæ conditiones cum Hugonotis deſcenderet.

Pontificis reſponſum.

Præſules Hiſpani Cæſareis & Gallis de vſu calicis non accedunt.

Dum hæc geruntur, varia *Tridenti* conuenticula fiebant. Oratores *Cæſarei* congregarunt Præſules Hiſpanos in ædes Archiepiſcopi *Granatenſis*, ad perſuadendum ijs, vti vellent conſentire, vt vſus Calicis in Concilio concederetur. quippe, quibus erat ſtatutum, illam materiam de nouo proponere: ſed eos ita alienos offenderunt, vt coacti ſint eam rem ſilentio obruere. Cardinalis *Lotharingius* multas Congregationes habuit cũ ſuis Prælatis & Theologis, vt locos à Pontifice ad Imperatorem miſſos in charta, de qua ſupra memoraui, examinarent; ſimul eos, qui miſſi erant ad ipſum ab Imperatore ſuper ijs verbis, *Vniuerſalem Eccleſiam*, vt videret, an rectè citati eſſent, & genuino ſenſu, quò aliud ſcriptum formarent (quod & poſtea factum) in eius confutationẽ. Hos eoſdẽ locos curauerat Imperator Hiſpanis cõmunicandos, vt eorũ ſententiã exquireret. quod vbi factũ, Quinqueccleſienſi & omnibus Prælatis Hiſpanis ea de cauſa congregatis, reſpondit *Granatenſis*, nihil opus eſſe, vt Maieſtas *Cæſarea* eam operam apud ipſos ponat, qui Concilium *Florentinum* recipiunt, ſed cum Gallis agendum, qui agnoſcunt *Baſileenſe*. Hoc euentu permoti nonnulli ex ipſis, poſt diſceſſum *Quinqueccleſienſis* auctores ſunt, vt conſcribantur literæ ad Pontificem, ad euellendam ſiniſtram eam opinionẽm, quam de ipſis conceperat. quibus repugnans *Granatenſis* dicebat, ſatis eſſe, ſi ex ſuffragijs ipſorũ cognoſcat Papa ſe hac in re ei non aduerſari, neque ideo æquum eſſe, vt adulationibus Italorum ſubſeruiant. dein hæc ipſiſſima verba addidit, Reſtituat ille nobis quod noſtrũ eſt, nos ei plus quam ſuum eſt, relinquimus. Item, iniquum eſt vt ex Epiſcopis, eius vicarij deueniamus. Sed & alio die ijdem Oratores *Cæſarei* cum Gallis conuenientes, decreuerunt omnes ſimul inſtare, vt proponeretur Decretum de Reſidentia à Cardinale *Lotharingio* formatum; quod tamen nec ipſi, nec *Lotharingius* impetrare à *Varmienſi* & *Simoneta* potuerunt, abſente ob aduerſam valetudinem *Seripando*.

Galli chartam à Pontifice cum citationibus locorũ miſſam examinant.

Granatenſis in loquendo libertas.

Theologus Gallus ad ſermonem de Reſidentia dilabitur.

In Congregatione XVII. Martij, vnus è Theologis Gallis opportunitatem nactus digrediendi à continentia Sacerdotum ad Reſidentiam, in hanc excurrens, totam orationem in hoc argumento conſumpſit; tum adductis authoritatibus & exemplis, quibus perſuadebat eam eſſe *de iure diuino*; tum reſpondens illi obiectioni, quòd ſi fuiſſet à Deo præcepta, tot Pontificum Canones & decreta ad eam denuo imperandam fruſtra adhiberentur. Atque in eam rem hoc acumine vſus eſt. Ius diuinum eſſe ceu fundamentum aut columnam reſidentiæ, ius canonicum ædificium, aut concamerationem. iam vt ſublato fundamento corruit ædificium, & ſublata columna, quod concameratum, decidit, ita impoſſibile eſſe, reſidentiam ſartam tectam ſeruare ſolo iure Canonico: immo qui eam huic ſoli aſcribere volunt, aliud non ſpectare, niſi vt eam demoliantur & deſtruant. Attulit etiam exempla temporum præteritorum, id inſigniter animaduertendum cenſens; ante omnes Canones & decreta humana reſidentiam exquiſitè ab omnibus obſeruatam, quod quiſq; ſe à Deo obligatum crederet. At poſtquam in nonnullorum mentes ea perſuaſio inuaſit, nulla alia ſe obli-

gatione teneri; quàm à Legibus humanis deriuata, vtut illæ sæpius renouatæ fuerint, & pœnarũ denuntiatione corroboratæ, nihilominus cuncta semper in peius vertisse. *Ferdinandus Philippus 2.*

Eodem die cum Præsulum, immo Tridentinorum omnium communi dolore, excessit è viuis Cardinalis *Seripandus*, sumpto manè Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, quod lectulo egressus, flexis genibus accipiendum putauit. Ex eo lecto redditus, præsentibus quinque Prælatis, Secretarijs Veneto & Florentino, totáque familia sua, orationem latinam habuit, quam, quoad spiritus eum defecit, continuauit. Fidem professus est in omnibus cum Ecclesia Catholica Romana consentientem. Verba fecit de operibus hominis Christiani, de resurrectione mortuorum, & de rebus Concilij. Eius progressum Legatis & Cardinali *Lotharingio* commendauit: etiam de modo aliquid annectere cupiens, deficiente spiritu dixit, prohibuisse Dominum, ne vltra procederet; verum ipsam diuinam Maiestatem tempore, & loco elocuturam. ita verbo nullo addito, emigrauit. Card. Seripandi obitus Tridenti.

Comes *Lunensis* ab aula *Cæsarea* scripsit ad Secretarium *Martinum Gazdellunum*, misitque vnà exemplar literarum, quas Rex ad se dederat: quibus significabat, Pontificem apud se de Præsulibus Hispanis conquestum. ac tametsi existimet Sanctitatem eius, rem omnem non satis edoctum, cum persuasum habeat eosdem Prælatos non deesse testificandæ suæ erga Sedem Apostolicam obseruantiæ: tamen Comiti in mandatis dabat, vbi *Tridentum* venisset, eos ita moderaretur, vt rebus Papæ fauerent, salua tamen ipsorum conscientia; daretque operam, ne Sanctitas eius de se meritò queri posset. In eandem quoque sententiam Comes ipse ad *Granatensem*, *Segouiensem*, & *Legionensem* perscripsit. Hispaniarum Rex monitos vult Præsules suos, vt rebus Papæ faueant, sed salua conscientia.

Decimo octauo Martij, quo die ob *Seripandi* exsequias congregatio habita non est, Oratores Galli duos Legatos solemnem in modum adeuntes, non sine doloris significatione commemorant, per vndecim iam menses, ex quo primũ *Tridentum* venerunt, ab aduentu suo ad eum vsque diem, se Galliæ miserias exposuisse, & pericula Christiani nominis ob religionis dissidia. Ostendisse, remedium & summè necessarium, & præcipuum esse, accuratam & plenam reformationem morum, & in legibus positiuis nonnullam moderationem. Spem bonam sibi semper factam, & verba adhibita satis benigna, sed nihil quicquam effectum. Reformationem, quantum fieri possit, fugitari. Patrum & Theologorum plerosque duriores quàm vnquam, & magis seueros, nihil vt condonent temporis necessitati. Itaq; rogant, vt cùm animis suis reputent quot homines probi moriantur, ante quã boni quidpiam ad publicã vtilitatẽ operari possint. Cuius rei exemplo esse Cardinales *Mantuanum* & *Seripandũ*. Quamobrẽ ipsis aliquid tentandum, dum licet per tempus, ad conscientias suas deonerandas. Respondent Legati, molestum esse sibi, res adeo in longum extrahi: in caussa esse ea, quæ insperatò euenerunt in morte *Mantuani* & *Seripandi*. Se solos tantum pondus sustinere non posse. Rogare vt *Moronum* & *Nauagerium* expectent, qui breui adfuturi essent. Huic responso acquieuerunt, quòd Oratores etiam *Cæsarei* instarent, vt lentè procederetur, exspectantes successum negotij, quod ab Oratoribus *Cæsareis Romæ* cum *Ludouico Auila* coniunctis gerebatur. Hi omnes vnà institerant apud Pontificem, vt in Concilio, & non *Romæ*, vniuersalis reformatio totius Ecclesiæ fieret in Capite & in membris. Vtque reuocaretur decretum de solis Legatis in Concilio proponentibus, vtpote contrarium libertati Oratorum, & Præsulum, in ijs postulandis, quæ hi Ecclesijs suis, illi Politijs vtilia iudicabunt, Id Imperator primùm à Pontifice, dein in Concilio peti optimum existimauit. Oratores Galli Legatos obtestantur, vt dum tempus est, aliquid bono publico in re reformationis aggrediantur. Legatorum responsio. Oratores Cæsaris & Auilæ Regis Hispaniarum Orator, iunctim Pontificem Romæ super reformatione & alijs solicitant.

Nec tamen istis Principibus inter se per omnia conueniebat. Nam tametsi D. *Ludouicus* eadem seorsim peteret, tamen adhæc Pontificem rogabat Imperatori persuadere, vt desisteret à Calice postulando, & Matrimonio Presbyterorum: dicebatque Regem, Oratori suo, qui *Tridentum* iturus erat, dedisse in mandatis, vt curaret ne eiusce mentio fieret, & si sermo incidisset, vt Prælati Hispani fortiter sese opponerent. Hortabatur inde Pontificẽ, vti incumberet hæreticis lenitate & benignitate conciliandis. neque Nuncios missitaret, sed Imperatore & alijs Principibus, qui authoritate pollerent, tanquam sequestris vteretur; Gallorum postulatis annueret; Concilio libertatem permitteret, ita vt omnes proponere possint, neque in decidendo Etiam Auila seorsim, de nonnullis cum Pontifice agit.

 prensatio

Pius 4. Elizabetha. Carolus. 9.

Oratoribus iunctim respondet Pontifex.

prensatio adhibeatur. Respondet Pontifex Oratoribus in hunc modum: Decretum illud de *Proponentibus Legatis*, ita interpretatum iri, vt futurum sit in potestate cuiusq; proponere quod velit: seq; Legatis dudũ profectis libertatem reliquisse omnia quæcunque in Concilio occurrerent, etiam se inconsulto decernendi. Cupere se reformationem, ac pro ea sæpe institisse; quòd si homines eam *Româ* flagitassent, iam dudum rem factam, & executioni mandatam habituros fuisse. Sed quoniam *Tridento* eam vellent, si minus succederet, caussam non aliò conijciendam, quam in difficultates, quæ inter Patres inueniebantur. Se Concilij finem & desiderare, & procuratum ire, & solicitare, nec de suspendendo eo vel cogitationem aliquam habere; & his conuenienter scripturum Legatis. Et scripsit hercle in hanc sententiam; Decretum illud *Proponentibus Legatis* factum ad tollendam confusionem; nolle se tamen vt quisquam è Prælatis impediatur, id proponere, quod opportunum videbitur. Velle se etiam, vt materiæ ex sententijs Patrum expediantur, nec *Româ* mandatum aliquod exspectetur. Verùm has literas satisfaciendi caussa, non efficiendi comparatas constabat. Nam Cardinalis *Moronus*, Legatorum Caput, mandatis secretioribus erat instructus, regulam etiam daturus ijs, quæ *Româ* imperata, si qua essent.

Dein Auilæ seorsim.

At *Ludouico Auilæ* respondit seorsim Pontifex, se Concilium aperuisse inuitatum promissis Regis Catholici, se eius protectionem suscepturum, & saluam fore authoritatem Sedis Apostolicæ; verùm comperisse sibi verba data. nam ab Præsulibus Hispanis maiorem oppositionem experiri, quàm à cæteris omnibus. Eos simul cum toto Clero Hispaniæ, ob concessionem subsidij, inimicitias contra se suscepisse. De Maiestatis eius propensa voluntate non dubitare se; verùm inde malum omne nasci, quod nec *Romam*, nec ad Concilium Oratores fidos misisset. Aequum sanè esse, Concilium liberum relinquere, idque se supra omnes cupere: non placere tamen sibi licentiam, nedum vt in seruitute sit eorum Principum, qui nihil nisi libertatem crepant, dũ ipsi imperium affectant. Omnes quidem fatigare se postulatis pro libertate in Concilio, & tamen nescire se, an isti omnes benè expenderint, quanti referat, Prælatorum licentiæ frænos laxare. Nam licet ex eo numero sint aliqui præstanti & probitate, & prudentia; esse tamen etiam nonnullos, in quibus aut eorum vnum, aut alterum, aut simul vtrumq; requiras: à quibus omnibus sit periculũ, nisi regula quadam, ne exorbitent ab officio, contineantur. Suâ minus fortasse quàm reliquorum omnium referre, ea de re cogitare. Nam cum authoritatem suam in promissis diuinis fundatam habeat, ijs confidere. Principum pluris interesse eò animum aduertere, ob incommoda quæ inde consequi possunt. Immo si Prælati nimiæ illius libertatis forent compotes, Maiestatem Catholicam ea fortasse re inprimis dolituram. Quod ad reformationem attinet, eius impedimenta à se non proficisci. Se libenter dilaturum fuisse postulata Principum de Communione Calicis, & eiusmodi alias nouitates, prout eius Maiestas desiderabat; at hic considerandum, quemadmodum non eadem est mens Maiestati suæ cum alijs in hisce duobus, de Calice & Presbyterorum matrimonio; ita in quacunque re alia, esse qui instent, & qui eius desiderijs aduersentur. Quapropter penes eius Maiestatẽ esse, finem fructuosum celeremque Concilij videre. à quo si semel liber esset, eam quemliber fauorem sibi polliceri posse.

Legati nihil tractandum in Congregationibus, aut proponendũ cẽsent, sed nouorum Legatorũ aduentũ exspectandũ.

In Concilio XX. die Martij finem dicendi fecerunt Theologi, de omnibus Matrimonij articulis. Conuenere Legati ad deliberandũ, an essent sibi proponenda in Congregationibus Patrum doctrina & Canones de Matrimonio. Sed cum considerarent Gallos & Hispanos sese oppposituros, atque de ipsis maiores quam hucusque controuersias excitari posse, & si abusus tantùm proponere vellent, fore vt omnino occasionem darent *Cæsareis* & Gallis in materia reformationis insistendi, aqua ipsis hærebat. Expediebat sane id tentari, vt aliquot ex ijs difficultatibus conciliarentur, & huc inclinabat *Varmiensis*. Verum è contra *Simoneta* metuebat, ne, quòd Collegam parum firmum perspiceret, graue aliquod præiudicium succederet; cumque omnium, quæ in Concilio præter ordinem euenissent, culpam in duos Legatos mortuos conferret, quasi in materia de residentia magis ex proprio sensu, quam ex vsu Ecclesiæ procedentes, nimia sua bonitate tanti mali authores

extitissent;

extitissent ; neque in periculum maioris alicuius mali veniendum existimaret, ob has causas non consentiebat, vt de vlla earum verba fierent. Itaque ad extremum statuerunt, tractationes omnes intermittendas vsque dum alij Legati venissent. Quod cum ita constitutum esset, *Lotharingius* interea *Venetias* vsque excurrere decreuit, vt ex itinere animum paulum relaxaret, recenti dolore ob mortem *Franciæ* Prioris fratris sui exulceratum, quæ molestiæ plagam, quam ex alterius fratris morte ceperat, renouabat.

Ferdinandus Philippus 2.

Interea Lotharingius animo ab dolore relaxando Venetias excurrit.

Cæterum difficultates eæ, de quibus iam dictum est, erant sex. Vna super decreto antea facto, vt soli Legati proponerent. Secunda, de Residentia, an esset de iure diuino. Tertia, de institutione Episcoporum, an authoritatem suam immediate habeant a *Christo*. Quarta, de authoritate Papæ. Quinta, de augendo numero Secretariorum, & suffragijs exactè fideliterque computandis. Sexta, atque omnium maxima, de reformatione generali. Quas hoc loco in vnum colligere visum est, cum vt esset anacephalæosis eorum de quibus hactenus turbatum; tum proœmium turbarum, quæ deinceps commemorandæ.

Controuersiæ quæ Patribus inprimis molestiam exhibebant, hic VI. commemorantur.

Quod *Tridenti* nunciabatur de postulatis *Cæsaris* ad Pontificem *Romam* missis, id nouum non erat. nam id sic fore Oratores *Cæsarei* & Galli publice renunciauerant, vt postea ad Concilium se coniunctim conuerterent, eadem postulaturi. Et Cardinalis *Lotharingius* solitus variè loqui, dicebat, si Principibus ijs satisfactum esset; petitionibus eorum de Reformatione propositis in Synodo, & reformatione instituta citra diminutionem authoritatis Pontificiæ; sine mora facturos, vt reliquæ illæ petitiones interquiescerent. Et addebat insuper, Papæ facile fore negotio reformationis se extricare, & ad Concilij expeditionem venire, si apertè intelligendum daret, quæ Capita nollet attingi, vt in cæterorum tractationem incumbere liceret: ita contentiones eas cessaturas, quæ dilationes subinde pariunt. Nonnullos enim suum erga Sanctitatem eius obsequium ambitiosius testatum cupientes, quia animo præceperint, earum petitionum partem aliquam Sedi Apostolicæ esse damnosam, omnibus se opponere. Alios contra pernegare vllum inde præiudicium Pontifici creari. Sic caussam dari negotio in longum extrahendo. at si Sanctitas eius mentem suam disertè explicaret, difficultates desituras. Communicarant Oratores *Cæsarei* permultis *Tridenti*, exemplum literarum Imperatoris ad Papam; vnde Legatis visum, etiam spargendum curare exemplum earum, quas ipsi ad *Cæsarem* tum dederant, cum à se scriptas ad Pontificem, ad ipsos misit. Quod responsum secundum mandata, quæ Romà acceperant, factum, eosdem cum literis Papæ sensus animorum continebat.

Card. Lotharingus in sermone rationẽ expedit, qua & Papæ satisfieri, & Concilium procedere in speciem possit.

Pontifex collatis ijs, quæ proposita sibi fuerant ab omnibus Oratoribus, cum eo quod à Cardinale *Lotharingio* dictum acceperat, tanto magis animo confirmabatur, non esse sibi consentiendum propositionibus de reformatione à Gallis exhibitis. Et profecto non modo acri quispiam ingenio, multumque in negotijs versatus, qualis erat Pontifex, sed mediocri quiuis iudicio, laqueum detexisset, etsi artificiosè contextum, ad se (nisi præcauisset) irretiendum. Considerabat id quod dicebatur; vt vellet declarare, quænam è petitionibus sibi non placerent, ac de cæteris deliberari permitteret, nihil aliud innuere, nisi vt deliberatione de his concessa, viam aperiri sineret, introducendis postea reliquis certum sibi præiudicium daturis. Et cuinam dubium esse poterat, quin primas obtinere, non finis, sed gradus esset, quò ad destinata peruenirent? Nam relaxare præcepta Ecclesiastica, quæ ad ritus pertinebant, veluti Communionem calicis, cælibatum Presbyterorum, vsum linguæ Latinæ, videri quidem primo aspectu authoritati Pontificiæ derogare non posse: nihilominus ex istis ritibus quouis vno mutato, subrui continuò fundamenta prorsus omnia Ecclesiæ Romanæ. Esse nonnulla, quæ primo intuitu videntur addmitti posse, sine authoritatis diminutione; sed prudentis esse non tam principia, quàm fines rerum animaduertere. His de causis certus hanc viam non insistere, neq; primo hoc aditu cedere, atq; ad alia quæ superessent remedia animum applicans, facilè ad primas redijt cogitationes. Regem *Hispaniæ* nec vtilitate, nec affectu proprio moueri, ad petitiones exhibitas prosequendas. Imperatorem, & Gallos cogitationem in ijs defixam habere, sperantes se subditis

Pontifex versutiam Lotharingi rebus suis patũ oportunam subodoratus, vt annosa vulpes, laqueo se capi non patitur.

Et ad alia decurrit cõsilia, inprimis de

suis

Imperatore per Moronũ Card. Tridentum tendentẽ in suam sententiam pertrahendo.

suis hac ratione sperantes posse satisfacere, & discordias ciuiles pacare. Quod si his persuasi esset, hæreticos reformationẽ ideo inculcare, vt hoc prætextu seiuncti segregatique ab Ecclesiæ communione permaneant, neque tamen se reduci passuros, etiamsi esset perfecta; reputabat Principes ea semel opinione imbutos, neque amplius instituros, & finem Concilio quietè imponi permissuros. Totum igitur se conuertit ad difficultates, per hanc viam superandas. Porro omnibus rationibus consideratis, faciliùs sibi videbatur Imperatori persuasurus, vtpote, qui solus decernere de rebus suis poterat, & erat faciliori ac mitiori ingenio, ab artificijs & versutijs abhorrens, nec vlla belli necessitate circumseptus; cùm in *Gallia*, Rege puero, multis administrationis consortibus, ijsque ingenio artificioso, quique varijs finibus ducantur, difficile esset operæ fructum consequi. Itaque totus huc dilapsus, decreuit, vt Cardinalis *Moronus* ante quam rebus Concilij principium daret, huius rei caussa ad Imperatorem proficisceretur. Et subeunte animum memoria quid olim Cardinalis *Lotharingius Tridenti* dixisset, de profectione Imperatoris *Bononiam*, vt Coronam acciperet, placuit animum illius Cardinalis tentare, an adduci posset, vt in eam rem operam suam tanquam sequestrem conferret, quo deinde in eam vrbem Concilium etiam transferret. Præcepit itaque Episcopo *Vintimiliensi*, vt postquam se in eius familiaritatem insinuasset, tentaret eum inducere, ad operam suam non repugnanter in hoc negotio ponendam. Atque vt ei occasionem daret colloquendi, curauit vt à *Borromeo* ei prouincia demandaretur verbis suis consolandi ipsum in morte fratris sui *Franciæ* Prioris.

Item, de Imperatore & Synodo Card. Lotharingii opera Bononiam transferendis.

Verum Cardinale iam *Patauium* versus profecto, antequam hæc mandata venissent, Episcopus re cum Cardinale *Simoneta* communicata, existimans neque tanti rem momenti comperendinationem admittere, nec aliter tractandam quam coram; decreuit *Lotharingium* sequi: studium prætexens videndi nepotis cuiusdam sui graui morbo Patauij laborantis. Quò cùm venisset, Cardinale salutato, literisque *Borromæi* redditis, officium condolendi præstitit, sed grauioris negotij indicium nullum edidit. Inter sermones tamen sciscitante Cardinale, quid tandem noui *Tridento* adferret post suum discessum, & verumne esset quod ferebatur, Cardinalem *Moronum* ad Imperatorem iturum? post multa de vtroque verba, reuocat ei in memoriam, quid ab ipso olim sibi *Tridenti* dictum: Si Pontifici animus esset *Bononiam* se transferendi, Imperatorem eò venturum. eam occasionem fore commodam *Cæsaris* coronandi: idque Sanctitatis eius plurimum interesse, ad possessionem Coronationis retinendam, quam *Germania* oppugnabat. Id cùm denuo à Cardinale confirmatum esset, subiunxit Episcopus, se tum ea de re *Romam* significasse, iamque eiusmodi responsum accepisse, vnde facile colligit bellissimam occasionem Amplitudini eius Illustrissimæ offerri, insigni bono Ecclesiam Dei beandi, si operam nauare dignetur, vt consilium adeo vtile sortiatur effectum. Nam si *Cæsari* author esse velit, vt *Bononiam* proficiscatur, Concilio in eandem vrbem vocato, procul dubio Sanctitatem eius illud iter suscepturam. Papæ & Imperatoris auspicijs negotia Concilij celerem & fœlicem successum habitura. Cardinali autem præ se ferente desiderium videndi, quid ei scriptum esset, Episcopus specie liberè & apertè cum eo agendi, ostendit ei literas Cardinalis *Borromæi*, & vnà schedulam à *Tolomæo Gallo* Pontificis Secretario.

Episcopi Vintimiliensis, cui id negotij datum, cũ Card. Lotharingo super ea re colloquium.

Quibus perlectis Cardinalis respondit, se cùm *Tridentum* reuerterit, animo Imperatoris luculentiùs perspecto, simul cognito, quid Pontifex Maiestati eius responderit, ex eo deinde statuere posse, quid sit agendum; nec si opus sit, operam suam defuturam. Cum instaret Episcopus, Pontificis mentem clarè ex literis ipsi commonstratis posse intelligi, ac frustra plus luminis desiderari; Cardinalis aliò sermones diuertit, nec vnquam Episcopus, tametsi eòdem relaberetur, aliud elicere potuit in summa, quàm eandem responsionem. Hæc tamen ei dixit. Se de itinere *Bononiam* locutum, ob significationem quam Papa tum dabat Imperatori, esse illi reformandi animum. Sed postquam tanto tempore apparuit, vtcunque Sanctitas eius prolixè promittat, & plus etiam quam postulatur, tamen in Concilio promissa non præstari; Imperatorem, & cæteros Principes credere,

Lotharingius nihil de re definit, sed ad amplius cogitandum morã interponit.

Interea quàm iustæ sint Imperatori alienationis à Põtifice causse liberè explicat

credere, Sanctitati eius nunquam fuisse re vera in animo reformationem instituere: alioqui eius voluntati exequendæ Legatos haud defuturos. Imperatorem certe de voluntate Pontificis addubitare, quia cum Sanctitas eius animum ostenderit mense Ianuariò *Bononiam* proficiscendi, de repente refrixit: tum quia, cum Imperator dixisset se in Concilio adfuturum, Sanctitas eius omne studium contulit ad ipsum ab ea cogitatione retrahendum. Et solita sibi dicendi varietate vsus, addidit, Imperatorem haud inducturum animum *Bononiam* proficisci, ne Principes offendat, qui dubitare possent, ne cum eò venerit, Sanctitas eius ad nutum suum res administrari vellet, & Concilio finem imponi, ad voluntatem suam, nulla reformatione facta. Narrabat, sibi significatum esse de postulato *Ludouici Auila* nomine Regis Catholici, id sibi gratum esse testatus: Tum ad particularia descendens, aiebat, esse necessariũ, vt id fiat, ab *Alpha* vsq; ad *Omega*; & ex re publica fore, si auferantur è Concilio Episcopi ad quinquagnita, qui semper se opponunt omnibus recte consultis. Se ante hac existimasse plures esse in *Gallia* abusus, quàm alijs in locis; sed post cognouisse etiam in *Italia* non deesse, qui facessant negotium. Siquidem conspici Ecclesias in manibus Cardinalium, qui nihil aliud respicientes, nisi vt reditus percipiant, eas desertas relinquunt, curâ pauperculo alicui Presbytero commissâ. ex quo nasci Ecclesiarum ruinas, Simonias, & infinita alia mala; in quibus medicandis & Principes, & eorum ministros lento pede progressos, sperantes tandem aliquando factam iri desideratam reformationem. Se quoque caute & circumspectè egisse; sed cum cernat iam tandem tempus esse, vt pro Dei honore liberè & fortiter se gerat, nolle diutius conscientiam suam aggrauare, sed quam primũ sententiam dicturus esset, statuisse hac de re verba facere. Suam familiam pro conseruatione religionis, & cultus Diuini tam multa perpessam (quod omnes scirent) vt duo etiam sibi fratres dudum perierint. Se quoque lubenter eodem in opere vitam positurum, tametsi non vt illi in armis. Non esse cur Sanctitas eius ijs aures adhibeat, qui ipsam à pia sua destinatione auertere conantur, sed illud apud se statuere debere, hanc sibi mercedem apud Deum promerendam, auferendis abusibus Ecclesiæ. Dicebat denique, aduentantibus nouis Legatis, quibus Pontificis mens est abunde perspecta, hinc cognosci posse, quo animo sit de reformatione; neq; vltra ipsos excusationem habituros, quò eam protollant. Et licet Episcopus sæpius eum reuocare vellet ad sermonem de itinere *Bononiensi*, orationem semper aliò conuertit. Hæc omnia *Vintimiliensis Romam* perscripsit, interposito etiam super ea re iudicio suo; nimirum, licet antea mentionem fecerit Cardinalis profectionis *Bononiam*, animo tamen ab ea fuisse auerso; atque illud astutè tunc ab illo dictum, vt mentem Sanctitatis eius & Curiæ eliceret. Sed bene cessisse, quod iam se prodiderit. nam si operam suam pollicitus esset, negotium in longum producere potuisse; atque interea, vt multa damna ac detrimenta rebus Pontificijs darentur, efficere.

Ferdinandus. Philippus 2.

Et quam necessaria sit ijs temporibus reformatio.

Item, quæ fuerint ac futuræ sint suæ ac suorum partes in caussa religionis.

At *Romam* allatum est, inter Regem *Galliæ* & Hugonotos de pace conuentum, etsi de particularibus pacificationis conditionibus nondum constaret. Id cùm quorundam Prælatorum opera factum crederetur, qui etiamsi se apertè Protestantum doctrinam amplecti non declarassent, illas tamen partes sequebantur, decreuit Pontifex eos detegêre, illud verbi frequenter vsurpans, plus damni se accipere à personatis hæreticis, quàm à manifestis. Itaque in Consistorio die Martij XXXI. Imperatoris ad se literis priùs lectis, & responso à se reddito, rerum inde Gallicarum perturbationes cõmemorans, subiunxit, Cardinalem *Castellionæum*, cùm deposito nomine Episcopi *Bellouacensis*, Comitis *Bellouacensis* appellationẽ sibi sumpserit, seipsum pronunciasse galero Cardinalitio priuatum. Tum illi, Archiepiscopo *Aquensi*, & Episcopo *Valentino* cum nonnullis alijs, omnium in Gallia malorum culpâ attributâ, etsi notius id putaret, quam vt maiori luce ac declaratione indigeret, decreuit tamen, vt Cardinales Inquisitioni præpositi, contra ipsos quæstionem exercerent. Cumque respondisset Cardinalis *Pisanus*, ad eam rem opus esse propria & speciali authoritate; statuit Pontifex, vt noua *Bulla* conderetur. quæ data die VII. Aprilis, in summa continebat. Se Pontificem Romanum, Vicarium *Christi*, cui ille oues suas pascendas commisit, vt errantibus ad ouile reducendis inuigilet, & temporalium pœnarum

Pontifex audito pacem in Gallia factã, desæuit in Præsules aliquot Gallos, quos Protestantum partibus fauere ceperat.

Bulla Pontificia, qua armantur Inquisitores ad quæstionem contra eos exercendam.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

narum timore eos coërceat, qui admonitionibus auscultare recusant, id munus exequi, iam inde à primo assumptionis suæ ad Pontificatum tempore, nunquam destitisse. Veruntamen nonnullos Episcopos, non solùm in errores hæreticos incidisse, sed etiam alijs hæreticis fauere, fidem oppugnantes. Cui vt prouideat, præcipere se Inquisitoribus *Romæ* generalibus, quibus aliàs idem in mandatis dederit, vt contra eiusmodi procedant, etiamsi Episcopi fuerint, & Cardinales, habitentque in locis, vbi secta *Lutherana* admodum potens est, data facultate citandi eos per Edictum *Romæ*, aut etiam in confinijs oppidorum Ecclesiæ, vt personaliter compareant, &, si non comparuerint, procedendi vsq; ad sententiam, quam ipse in Consistorio secreto pronunciaturus esset. Cardinales Pontificis mandata exequentes, Edicto citarunt, vt coràm Romæ se sisterent, ad eluendum hæreseos crimen, quódque hæreticorum fautores essent, *Odetum Colignium Cardinalem Castellionæum*, *Sanromanum* Archiepiscopum *Aquensem*, *Iohannem Monlucium* Episcopum *Valentinum*, *Iohannem Antonium Caracciolum* Episcopum *Trecensem*, *Iohannem Barbansonum*, Episcopum *Apamiensem*, & Carolum *Gilarum* Episcopum *Carnutensem*.

Ab Inquisitoribus Romam citantur.

Cæterum *Tridenti* & absentia *Lotharingij*, & exspectatio aduentus nouorum Legatorum, & opinio concepta formam procedendi in Concilio mutatam iri, diesque Passionis, & Paschæ, qui instabant, nonnihil quietis negotijs dedere. Die Veneris, qui humanæ redemptioni sacer, redijt Cardinalis *Madrucius*, vt Legati *Moroni*, qui exspectabatur, aduentum cohonestaret. Is Sabbatho Sancto ad vesperum ingressus est vrbem magnificè, superlato Vmbraculo; ac procedentibus obuiam Legatis, Oratoribus, & Patribus Concilij, cleroque ciuitatis, deductus est ad Ecclesiam Cathedralem: vbi adhibitæ Ceremoniæ in recipiendis Legatis solennes. Postridie, qui dies erat Paschæ, rem diuinam cũ apparatu fecit in Sacello: quo die aduenit *Comes Lunensis*, multis Prælatis atque Oratoribus illi in occursum euntibus. Ingressus est vrbem medius inter *Cæsareos*, & Gallos, cum plurima amoris significatione. A Gallis cum viserent ad eum, dictum est, sibi commissum à Rege & Regina, omnia negotia cum ipso communicare, seque ipsi offerre operam suam, ad promouendas omnes Regis Catholici Domini sui vtilitates. Ad quæ respondit, sibi itidem in mandatis datum, vt cum ipsis communicet, nec testificandis mutuis officijs defuturum. Legatos visitauit, apud eos verbis perquam humanis, & officijs generalibus vsus.

Moronus legatus venit Tridentum.

Et Comes Lunensis Regis Hispaniarum Orator.

XIII. Aprilis, Congregatio habita est excipiendo Cardinali *Morono*: in qua, perlecto Breui Legationis suæ, orationem ad rem accommodatam habuit. Bella (dixit) seditiones, aliasque calamitates præsentes, & ceruicibus ob peccata imminentes cessaturas, si ratio ac remedium inueniatur Deo propitiando, & restituendæ veteris innocentiæ puritati. Eam ob causam Papam optimo studio ac voluntate Concilium conuocasse. In hoc adesse duos Cardinales, Principes & nobilitate, & omnibus virtutibus insignes; Oratores & *Cæsareæ* Maiestatis, & potentissimorum Regum, liberarum Ciuitatum, Principumque, ac Nationum; tot Præsules egregia, doctrina ac probitate, tot Theologos eruditissimos. *Mantuano* autem & *Seripando*, in ipso rerum agendarum cursu ereptis, Papam ipsum suffecisse, adiuncto etiam *Nauagerio*. Se id muneris deprecatum, & grauitatis oneris, & virium suarum imbecillitatis conscium. Sed eum timorem victum obedientiæ necessitate. Venisse igitur iussum, & ad *Cæsaream* Maiestatem iam iam profecturum, sed mox reuersurum; vt vnà cum cæteris Legatis ea, quæ ad salutem populorum, ad Ecclesiæ splendorem, ad *Christi* gloriam pertinent, pertractet. Duo certe præcipua secum adferre. Alterum, optimam voluntatem Pontificis ad doctrinam fidei ab hæresibus repurgandam, mores emendandos, necessitatibus Prouinciarum prospiciendum, pacem denique & vnionem etiam cum aduersarijs, quantum fieri potest, saluâ pietate, atque Apostolicæ Sedis dignitate, constituendam. Alterum, propensam à se voluntatem, ad ea peragenda, quæ Sanctitas eius verbo præcepisset. Obtestari itaque Patres, vt remotis contentionibus atque discordijs, quæ magnum orbi Christiano offendiculum præbent, remotisque quæstionibus inutilibus, in necessaria serio incumbant.

Card. Moronus in Congregatione Breue legationis profert, & orationem habet.

Cæterum Comes *Lunensis* totus erat in agendo cum Prælatis omnibus Regis sui ditioni subiectis, & Hispanis, & Italis, aut alioqui in suis Dominijs beneficiatis suadens

Comes Lunensis Præsules Regi suo

suadens ijs Maiestatis suæ nomine, vt studia coniungant ad honorem Dei, & reuerentiam testentur versus Sedem Apostolicam, nec se mutuò contumelijs afficiant, edicens, sibi commissum vt singillatim, quemadmodum quisque se gerit, significet; etiam Maiestatem suam rationem singularem habituram eorum, qui ad ipsius voluntatem actiones suas componunt. Nec eam tamen esse, vt quicquam dicant contra conscientiam suam. Atque ita locutus est, vt quiuis intelligeret hæc vltima verba serio dicta, priora dicis tantùm causa.

subiectos, monet officij, quod à Rege expectatur.

Et auebat quidem Cardinalis *Moronus* ante discessum suum ad Imperatorem, *Lotharingium* videre: sed is reditum suum consultò differebat, vt occasionem vitaret, cum ipso colloquendi. Nam cum Venetijs sermonem habuisset cum Cardinale *Nauagerio*, & ad bonam partem mandatorum Pontificis penetrasset, statuit congressum *Moroni* declinare, ne ille cõmunicato aut toto negotio, aut parte aliqua eius, quod cũ Imperatore tractandũ habebat, ipsum sibi aliquatenus obnoxiũ redderet. Itaque XVI. Aprilis *Moronus* dedit se in viam, itineris sui non aliam caussam professus, nisi vt approbaret *Cæsari* Pontificis propensam voluntatem erga progressum Concilij, atque vt ad integram Ecclesiæ reformationem sine vlla exceptione veniretur. Neque tamen erant in obscuro cætera illi commissa. quæ eo pertinebant, vt Maiestatem *Cæsaream* dimoueret à cogitatione proficiscendi *Tridentum*, & ostenderet eam profectionem reformationi multa impedimenta allaturam; excusaret Pontificem, quod ipse in Concilio adesse non posset; oraret, finem eius accelerari; proponeret eiusdem translationem *Bononiam*, vbi posset Maiestas eius cum Pontifice interuenire (illam rationem vti vnicam probabat) atque in adeo celebri conuentu Imperij coronam accipere: rara fœlicitate, & quæ post hominum memoriam cæterorum Imperatorum contigisset nemini. Habebat etiam in mandatis ipsum orare, vt authoritatem Sedis Apostolicæ sartam conseruare vellet, contra tot machinationes ad eam minuendam, imo funditus tollendam comparatas; vt reformatio Curiæ Romanæ non instituatur *Tridenti*, verùm ab ipso Pontifice; ne tractetur de reuocandis ad examen ijs, quæ sub *Paulo* & *Iulio* in eodem Concilio constituta erant; vt patiatur decreta Concilij fieri *proponentibus tantum Legatis*; ita tamen, vt ipsi rem prius communicent, & consensum impetrent Oratorum Maiestatis suæ, & aliorum Principum. Ac super hæc, vt spem faceret Maiestati eius, Pontificem ipsi seorsim concessurum, quicquid pro populis sibi subditis postulauerit; vtque animum eius amoueret à communione consiliorum cum Rege *Galliæ* in Concilij negotio, ostendens, sicuti rerum non idem esset status in Regno *Galliæ*, & in *Germania*, ita fines Maiestatis suæ & illius Regis diuersos esse oportere, & consilia longe alia. Cæterùm Legati qui remanserant, facile discedendi veniam Prælatis concedebant, atque ijs præsertim, qui tenebant Institutionem Episcoporum, & residentiam esse *de iure diuino*.

Moroni congressum vitat Lotharingius.

Capita tractationis Card. Moroni cum Imperatore, etiam de quibus in secreto actum.

Vicesimo die Aprilis, reuersus est Cardinalis *Lotharingius*, cui obuiam itum ab Oratoribus *Cæsareis*, *Poloniæ*, & *Sabaudiæ*; eodemque die nuncij recentes venerunt de pace facta à Rege *Galliæ* cum Hugonotis, in beneficium partis Catholicæ. Nam post prælium *Drocense*, de quo supra dictum est, partium res quasi in æquilibrio constiterant vsque ad mortem *Guisii*. Sub eam, *Colignius* arcem *Cadomi* & oppugnauit, & expugnauit, tanta sua cum existimatione, tantaque diminutione opinionis partium Catholicarum, vt decretum fuerit in Concilio Regis, finem imponendum tractationi de pace; de cuius conficiundæ rationibus à prælio continuò actum. Die VII. Conuentus hanc ob causam habitus: quò etiam perducti captiui Condæus, & Momorantius; & cum tractatum aliquamdiu fuisset, dimissi sunt fide data, vt pacis conditiones concluderent. Septuaginta duo Hugonotorum Ministri coitione inter se facta, decreuerunt conuentionibus non consentire, nisi saluo edicto Ianuarij, sine aliqua exceptione, aut conditione; his quoque adiunctis, vt religio quam illi profitentur, in posterum non appelletur noua; vt liberi ipsorum non rebaptizarentur, vt matrimonia pro Legitimis haberentur, liberique ex ijs suscepti. Ab his conditionibus cum Ministri nullo pacto abduci se paterentur, *Condæus*, nobilesque belli pertæsi conuenere, Ministris non aduocatis. Capita autem ad religionem pertinentia, in quæ consenserant, hæc erant. Vt quibuscunque locis Nobiles Hugonoti in iurisdictionibus

In Gallia finis imponitur tractationi de pace.

Cadomi arx à Colinio expugnata.

Ecclesiarum Pastores 72. alias pacis cõditiones deposcũt, & Edictũ Ianuarij saluum cupiunt.

Condæus pertogatis tantum nobilitatis sententijs, etiam

Pastoribus inauditis, in has pacis leges cum Regina conuenit.

dictionibus suis merum imperium habentes, possint in ædibus suis frui libertate conscientiæ, & exercitio religionis reformatæ, vna cum familijs, & subditis suis. Vt alij Nobiles feudatarij, qui non subsunt alijs Dominis Catholicis merum Imperium habentibus, sed immediatè Regi, eadem libertate potiantur in ædibus suis, in suum tantum & familiæ vsum. Vt in quauis Præfectura domus vna assignetur in suburbijs, ad publicum reformatæ religionis exercitium in vsum omnium, qui sunt eius iurisdictionis. Vt in ædibus suis cuique liceat liberè viuere, nullo creato periculo, neque molestia cuiquam religionis ac conscientiæ nomine. Vt in omnibus vrbibus, in quibus vsque ad VII. diem Martij, eius religionis exercitium obtinuit, idem vno aut duobus Vrbium locis continuetur; ita tamen ne liceat Catholicorum templa occupare. quin & in omnibus occupatis homines Ecclesiastici rebus suis restituantur, sic tamen vt nihil antestari possint propter illorum templorum ruinas & demolitiones. Vt in Ciuitate & Præfectura *Parisiensi*, non sit liberum exercitium eius Religionis. qui tamen in ijs ædes aut reditus habent, eò reuerti possint, suoque frui, ita vt nulla ijs molestia exhibeatur, nec vllum illis, aut rerum ante actarum, aut futurarum caussa periculum inferatur, nomine conscientiæ & religionis. Vt omnes bonis, dignitatibus & officijs restituantur, nequicquam obstantibus sententijs in contrarium ab obitu *Regis Henrici* II. datis vsque ad eum diem, adque effectum mandatis. Vt Princeps *Condæus* & quicumque eius partes religionis caussa secuti sunt, existimentur bono fine & animo fecisse, & ex fide erga Regem, quæcunque gesserunt. Vt omnes aut bello capti, aut à Magistratibus religionis causa incarcerati, liberi dimittantur absque vllo redemptionis pretio. Vt publicè sanciatur obliuio præteritorum, prohibeantur omnes contumeliosis verbis se mutuò lacessere, disputare, aut contendere de religione; sed vti fratres, amicos, & ciues decet, amanter vna viuant.

Colinius rebus Protestantium florentibus conditiones has ipsis parum æquas censet.

Hæc conuenta stabilita sunt XII. Martij, haud satis æquo animo ferente Colignio, ac dictitante non esse eo statu res ipsorum, vt in conditiones adeo iniquas consentire debeant. Olim sub initio belli propositam sibi fuisse pacem ex edicto Ianuarij, nunc cum maius aliquid obtinere debeant, rebus suis decedere. Nam illud, vt in singulis Præfecturis vnus tantum locus assignetur ad exercitium Religionis, quid aliud esse, quàm Deo totum auferre, & ei deinde vnam portionem concedere? Sed vicit communis inclinatio totius nobilitatis, vt acquiescere cogeretur. Et super his conditionibus expeditæ sunt literæ Regiæ XIX. eiusdem mensis, hac Regis præfatione.

Eæ tamen obtinent, & Edicto regio confirmantur.

Quandoquidem Deo visum est permittere, vt ab aliquot annis Regnum agitatum fuerit seditionibus & tumultibus religionis causa, & ob conscientiæ scrupulos excitatis; adeoque ad arma ventum sit, cum infinitis cædibus, vrbium deuastationibus, violationibus templorum, nec dum mali finis appareat; se, experimento edoctum, bellum non esse remedium huic morbo accomodatum, existimasse subditorum suorum voluntates ad vnionem concordiamque reuocandas, sperantem, & tempus ipsum, & fructum Sancti alicuius liberi Generalis, aut Nationalis Concilij, huic rei firmitatem aliquam deinceps allaturum. Et hic subiungebantur Articuli ad Religionem spectantes, præter alios, qui ad Rempublicam pertinebant. Hæ literæ publicatæ fuere, atque in acta Curiæ Parlamenti relatæ, publicéque promulgatæ *Parisijs* eiusdem mensis die XXVII.

Patribus Tridentinis Galliæ pax displicet.

Hoc factum in Concilio plerique Patrum vituperabant, dicentes, id esse, res mundanas diuinis anteponere, imo & has, & illas vnà funditus euertere. nam sublato fundamento sacrorum in Republica quauis, necessariò exinde etiam secularia labefactari & corruere. Id exemplo manifesto apparuisse in Edicto priore; ex quo non quies & tranquillitas, vti sperabatur, sed bellum atrocius quàm antea consecutum est. Et erant etiam è Prælatis nonnulli qui dicerent, Regem & Consiliarios omnes excommunicationem incurrisse, tot Decretalibus & Bullis denunciatam, quòd pacem hæreticis dedissent. adeoque sperandum non esse prosperum rebus illius Regni successum, in tam manifesta detrectatione officij erga Sedem Apostolicam; donec Rex & Consiliū Regiū se à censuris absoluendos procurent, & hæreticos totis viribus persequantur. At contra quidam è Gallis pacem factam defendebant, asserentes, calamitates continuas quæ vniuersam Galliam afflixissent, & omnibus conspicuum

Quorū nonnullis Rex & Consiliarij in censuram excommunicationis incurrisse videntur.

imminens

imminens periculum ruinæ ipsius Regni, id factum satis tueri contra oppositiones eorum, qui nihil aliud quam proprias vtilitates respicerent, nec considerarent eam, ad quam Rex se deductum senserat, necessitatem; quæ omnibus legibus fortior est: adserentes etiam illud *Romuli*, Salutem populi supremam esse legem. Sed hæ rationes parui ducebantur ab ijs, quibus edictum Regis displicebat vel maximè, quòd in procemio diceret, spem esse, tempus & fructum liberi alicuius sancti generalis, aut nationalis Concilij, tranquillitatis stabilimentum allaturum; id Generali Concilio contumeliosum putabant, quod disiunctiuè cum Nationali positum esset. Tum illud, quod inter authores Concilij de pace facienda nominati essent Cardinales *Borbonius*, & *Guisius*; id verò dicebant fieri magna cum contumelia Sedis Apostolicæ.

Ferdinandus. Philippus 2.

Et Concilij Nationalis mentio in Edicto stomachum mouet.

Intestinus etiam quidam in Concilio motus, cui etsi à caussa leuicula datum initium, magnam tamen sermonibus materiam præbuit. F. *Petrus Soto*, qui per eos dies obijt, triduo antequam moreretur, literas dictauit, & subscripsit, Pontifici mittendas; in quibus confessionis formâ declarabat mentem suam de capitibus in Concilio controuersis. Illud verò nominatim hortabatur Pontificem, vt assensum commodaret *Residentiæ* & *Institutioni Episcoporum* declarandis *de iure diuino*. Et missæ quidem ad Pontificem literæ, sed exemplo à quodam Fratre *Ludouico Loto Soti* comite reseruato. Qui memoriam amici cohonestatam cupiens, cœpit id disseminare. ex eo diuersi sermones erant; nonnullis actione viri in Theologia Doctoris, vitæ inculpatæ, etiam eo tempore cum morti proximus esset, valde commotis; contra dicentibus alijs motu proprio illius Patris id factum non fuisse, sed instigatione Archiepiscopi *Bracarensis*. Data est opera à Cardinale *Simoneta* vt colligerentur exempla quæ circumferebantur; sed aucta inde curiositate, eo magis vulgata omnium manus peruagabantur. Illud haud dubium, ex hoc euentu earum opinionum assertores multo sibi plus animi sumpsisse. Iam Hispani sæpe conueniebant in ædibus Comitis *Lunensis*, vbi *Granatensis* dum edocet eum de ijs quæ tum occurebant, quæque in Concilio antea occurrissent, ac commodùm discessissent Episcopus *Leriensis* & *Pacensis*. Hi, inquiebat, sunt de numero perditorũ, qui tanquã muli clitellarij sarcinis sese onerari patiuntur, & aliorum voluntate & arbitrio regi, nec ad aliud vtiles, quàm ad numerum explendum. Tum subijcit, si in rebus decernendis suffragiorum numerus attenditur, sicut hucusque factum, parum boni sperari posse. Ideo opus esse, vt negotia tractarentur per nationes. Ad ea Comes; & huic rei & multis alijs necessariò prouidendum, initio facto à reuocatione decreti, quo soli Legati proponunt, & à constabilienda Concilij libertate: quibus de rebus nominatim sibi à Rege mandatum erat. Nam his semel constitutis facile reliquis prouideri posse. Legatis cæterisque Pontificijs displicebat quòd, cernerent Prælatos Hispanos sibi aduersos, à Comite vix vnquam abesse. atque vt fit, cum nouus quispiam accedit, vbi sunt factiones contrariæ, quisque eum conciliare sibi sperat, curabant & ipsi aliquos ei adiungere Prælatos, Regis subditos, sed quos, propterea quod idem secum sentirent, beneuolos appellabant, vt adiuuarent in loco, & sicuti dicebant, fucum Comiti factum detegerent, & veritatem ipsi notam facerent. Adhibuerunt etiam ad eam rem Oratorem *Lusitanum*, cui cum plurimæ darentur opportunitates cum Comite colloquendi (quod eorum Regum vtilitates in rebus Ecclesiasticis pene eædem essent) quod multis nominibus Pontifici obstrictus esset, perquam dexterè proponebat ea, quæ à ministris Pontificijs suggerebantur, pro vtilitate Curiæ Romanæ.

F. Soto in cõfinio mortis mentem suam per literas Põtifici aperit de capitibus in Concilio cõtrouersis.

Quæri exempla Simoneta studet supprimere.

Præsules instar animaliũ veterinorum ad vecturam idonei.

Legati studẽt inserere in familiaritatem Comitis Lunensis Prælatos sibi fauentes.

Cum instaret dies XXII. mensis Aprilis Sessioni destinatus, die præcedenti habita est Congregatio, vt eius prorogatio decerneretur. Proponitur à duobus Legatis prorogatio vsque ad tertium Iunij. At *Lotharingius* aliter sentiens, dixit esse admodum probrosum toti nomini Christiano, quod toties ea Sessio prorogata fuerit, nec vnquam habita, & offensionem maiorem in modum auctum iri, si denuo in certum diem indicatur, & postea iterum differatur. Quapropter, cùm de tot rebus propositis & tractatis, tam super residentia, quàm in materia de Sacramento Ordinis, & de Matrimonio nihil adhuc constitutum sit, parum rectè diem aliquem certum præstitui posse: verùm exspectandum vsque ad vicesimum Maij, vt tum dies Sessionis decernatur. Tunc enim omnium rerum progressus posse melius cerni, diemque

Dies præfigitur, quo de prorogatione Sessionis in certum diem statuendũ sit.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

diemque certum assignari. Interea ne temporis fiat iactura, sententias esse dicendas super articulis de abusibus Sacramenti ordinis: ante id tempus vero simile esse Cardinalem *Moronum* ab Imperatore reuersurum, cum ampla determinatione, secundum quam & res controuersæ componi possint, darique opera, vt Concilium intra duos aut tres menses finiatur. Hanc sententiam secutus est Cardinalis *Madrucius*, & Patres tanto numero, vt obtinuerit: ac proinde decretum, vt ad vicesimum Maij dies præfigeretur, quo deinde futura Sessio esset celebranda.

De Tridentina ciuitate Episcopi Buduensis scomma, sed mysticum.

Finita Congregatione, *Antonius Ciurelia* Episcopus *Buduensis*, solitus & antea cum sententiam diceret, Patres aliqua urbanitate oblectare, addita sæpe aliqua prophetia, quæ nihilo secius quiddam haberet facetum aut ridiculum, quæ etiam prophetiæ in varias partes emanabant. vnam ex eo genere edidit de Ciuitate Tridentina, plerasque illas imitatus apud *Esaiam*, vbi multarum Ciuitatum grauamina & calamitates prædicuntur. Dicebat in summa *Tridentum* gratiam obtinuisse, vt eligeretur tanquam vrbs, vbi generalis concordia inter Christianos sarcienda putabatur; sed propter inhospitalitatem suam, indignam redditam eo honore, breui odium vniuersale incursuram, tanquam seminarium maiorum discordiarum. Hæc sententia vtut varijs ænigmatibus in forma prophetiæ poeticæ palliata, & tanquam velo cooperta, facile tamen intelligebatur.

Lotharingij in Synodo existimatio Pontificijs cordolium creat.

Cæterùm quod *Lotharingius* tanta cum existimatione, omnium penè assensum obtinuerat, magnam in animis Pontificiorum æmulationem concitauit, qui obseruato honore ipsi propridie habito ab ijs qui obuiam ei processerant, & quod tot in eius sententiam concessissent, eam rem non solùm contra Legatorum dignitatem reputabant, verùm etiam quasi aditum apertum, contra Decretum, *vt soli Legati proponerent*. Nec cessabant etiam publicè agnoscere, rectè à Pontifice dictum, eum Cardinalem partis cuiusdam caput esse; atque illum haud dubiè protrahere Concilij finem, eiusque translationem *Bononiam* impedire. At Cardinalis parum sollicitus quid *Tridenti* diceretur, negotio cum Imperatore gerendo inuigilabat, ad eum nobili quodã misso cum sententia Doctorum suorum, super Articulis ab Cæsarea Maiestate in consultationem deductis. Ei exponendum curauit, quàm necessarium esset, ad maturandum Concilij progressum, vt non mollibus verbis, sed vegetis & acribus cum Cardinale *Morono* vteretur, ostenderetque, quàm magno desiderio teneatur videndi benè ac fortiter a Patribus consulta ad Dei gloriam. Notum etiam fecit Maiestati eius, studium omnium bonorum Patrum, obsecrans ne à Concilio longiùs abscederet, quòd eius vicinitatem bonum aliquem fructum allaturam Patres sperarent, continendis quibusque in officio, & impediendis eorum conatibus, qui de eo in alium locum transferendo cogitationem habebant, & (sicuti intellectum erat) machinabantur. Tum vt antequam *Oeniponte* discederet Maiestas sua, satis acciperet libertatem Concilij, cuius ille protector esset, saluam fore. Misit ad eum exemplum Edicti Pacificatorij Regis *Galliæ*, & quarundam literarum Reginæ Scotiæ, in quibus narrabat se à magna quadam coniuratione liberatam, & deliberationis eius certam, in religione Catholica viuere ac mori. Postremò orat Cardinalis Maiestatem eius, vt aliquod temperamentum inueniat, ne de præcedentia inter *Galliam* & *Hispaniam* in Concilio disceptetur: ne forte ea res Synodi progressum interrumpat.

Ille nihilo secius Imperatorem, iam cũ Card. Morono collocuturum, quid facto opus sit monet.

Decretum de electione Episcoporum, Oratoribus Regum non placet.

Interea Legati duo, ne dum exspectatur reditus *Moroni* nihil agerent, XXIV. Aprilis communicant Oratoribus Decreta super abusibus, qui ad Ordinem pertinebant, formata, vt de ijs considerarent: dein XXIX. eadem tradunt Prælatis. Ex ijs primum de Episcoporum electione, qualitates in illis secundum veteres Canones requirens, Regum Oratoribus non placuit; cum ijs videretur nimis restrictè authoritatem Principum suorum in ijs præsentandis aut nominandis præfinire. Et omnem operam adhibuerunt per omnes eos dies, præsertim *Comes Lunensis*, vt commodè mutaretur, aut potius prorsus omitteretur, dicens se non videre, quorsum eo Capitulo opus esset: quæ res Legatis etiam perquam placuisset. Sed & Cæsarei etiam difficultates immittebant, quibus erat consilium consectari occasionem tractandi de electione Cardinalium, & quod consequens erat, Papæ.

Card. Nauagerius de

Eodem die Cardinalis *Nauagerius*, cùm fama tota vrbe manasset illum postridie ingressurum,

ingressurum, vt occursationes & ceremonias fugeret, de nocte *Tridentum* venit. Is prædicabat, cum *Roma* discederent Pontificem ipsis edixisse, vt bonam ac rigidam reformationem instituerent, conseruata authoritate Sedis Apostolicæ, quod caput omnium maximè necessarium esset ad Ecclesiam in formula & regula officij retinendam.

Card. Nauagerius de nocte Tridentum venit, pompam & ingressus solemnia vitans.

At Pontifex nihilo secius in sermonibus quos habebat cum Oratoribus apud se residentibus rogabat, vt sibi notum facerent, cuiusmodi reformationem ipsorum Principes desiderarent. quo postulato Papa id vnum consectabatur, vt exhibitis sibi petitionibus, abstinerent ab ijsdem in Concilio edendis; ipse verò opportunitate ea vteretur, ostensa in singulis difficultate insuperabili, ad reformationis studium, opinionum incertitudinne fluctuans, in illis sedandum. Atque hunc eundem scopum respiciens, sæpe etiam in sermone cum Oratoribus dictitabat, errare vehementer Principes, qui credant reformationem ad hæreticorum conuersionem sufficere; nam ipsos apostatasse primùm, tum abusus & deformationem Ecclesiæ in prætextum sumpsisse. Non Ecclesiasticorum corruptelas, sed administrationum ciuilium, veras esse causas, quæ hæreticos impulerunt, vt falsos doctores sectarentur: atque adeo etiam defectibus Ecclesiasticorum ad plenum emendatis, ipsos haud quaquam se ad bonam frugem recepturos; sed alios colores quæsituros, vt in pertinacia sua pertendant. Hos abusus in Primitiua Ecclesia, & Apostolorum tempore non extitisse: attamen etiam ijs temporibus hæreticos fuisse, & totidem quot iam sunt, ad bonorum & fidelium numerum habita proportione. Se ex animo cupere Ecclesiam reformatam, & abusus sublatos, sed liquido cernere eos, qui ista procurant, in hoc recto scopo mentis aciem defixam non habere, sed in proprijs suis emolumentis: quæ si consequantur, ad maiores abusus viam daturos, nec præsentibus sublatis. A se non prouenire Reformationis impedimentum, sed a Principibus, & Prælatis Concilij. Eam se lubenter instituturum, & bene rigidam: sed cum ad rem ventum erit, dissentiones inter Principes, ex his vno ad hunc modum, alio in contrarium eam flagitante; tum Prælatorum non minus inter se altercantium, rem omnem remoraturas. Illud se præuidere, & pro comperto habere, esse indecorum id tentare, quod defectus & vitia communia magis sit retecturum. Tum eos, qui reformationem zelo perciti deposcunt, eum adhibere (sicut ait D. *Paulus*) sine prudentia Christiana: nec si quis reformare velit, aliud operæprecium facturum, quàm, sicuti iam innotuerunt defectus in Ecclesia, ita illud etiam omnibus innotescat, eosdem esse immedicabiles: &, quòd est deterius, aliud maius inde malum sequuturum, vt tanquam legitimæ consuetudines defendi incipiant, & vindicari.

Pontifex apud Regum Oratores reformationis studiū profitetur, sed vt petitiones sibi, non in Synodo exhibeantur.

Exspectabat penè impatiens moræ, exitum negotij, quod à *Morono* gerebatur; à quo acceperat, Imperatorem tempus ad respondendum sumpsisse, deque articulis adhuc consultationem continuari; in qua & *Lotharingium* magnas partes habere suspicabatur; & pro certo etiam tenebat, omnia mandata & consulta, quæ ex *Gallia Romam*, & ad Concilium veniebant; ab eius opinione & iudicio pendere. Atque vt omnes rationes tentaret illius Cardinalis in suas partes trahendi, quandoquidem cum Cardinale *Ferrariensi* in *Italiam* è *Gallia* breui redituro, *Lotharingius* in colloquium venturus esset multas ob res quæ ad communes nepotes pertinebant; scripsit ad eum, vt cum *Lotharingio* ageret, quò eius voluntate Concilium *Bononiam* transferatur. Vt autem de rebus, quæ in Concilio agitabantur, meliùs edoctus veniret, constituit, vt *Vintimiliensis* ei obuiam proficisceretur, antequam ad Colloquium accederet, cum mandatis Legatorum, præter ea quæ ipse intelligebat.

Et Card. Ferrariensi negotium dat, vt pro virili adnitatur, Lotharingium in suas partes attrahere.

Initium habuit mensis Maius à sermonibus de pace *Galliæ* renouatis, propter literas Regis ad *Lotharingium* & Oratores Gallos allatas, quæ rem omnem ipsis communicabant: commissumque, vt omnia Patribus in Concilio significarent, aut in generali, aut in particulari, prout expedire iudicarent. Eæ literæ datæ fuerant decimo quinto mensis præcedentis, & in eo præcipuè versabantur, vt osten-

Regis Galliarum ad Oratores suos literæ, vt Patribus Concilij veras pacis

ostenderent; se in illa pace animum non habuisse, vt aut nouæ Religioni introducendæ, aut in illo Regno stabiliendæ faueret; verùm vt posset minori cum lucta & difficultate populum vniuersum ad eandem sanctam & Catholicam religionem reducere, positis armis, calamitatibus cessantibus, & intestinis dissensionibus extinctis. Verùm ad id opus nihil æquè adiuuare posse, ac sanctam & seriam reformationem, semper à Concilio generali & libero speratam; adeoque ad eam solicitandam decreuisse Præsidem *Biragum Tridentum* mittere. Interea, ipsis Oratoribus, qui iam *Tridenti* sunt, committendum existimasse, vt Patribus, vbi primum occasio dabitur, significent, se, cum acri adhuc intimoque sensu afficiatur calamitatum & miseriarum, quas opinionum de Religione discrepantia in suo Regno suscitauit, cum extremo discrimine & euidenti ruina status publici; potius quam eò ærumnarum redeat, constituisse, nisi Concilium generale faciat quod est officij sui, quodque ab ipso diu speratur de Sancta aliqua & necessaria reformatione, Nationalem Synodum conuocare: postquam & Deo & hominibus satisfecisse videri debeat, toties tamque continuis petitionibus & apud Patres, & apud Papam instans, vt à Concilio generali remedium communi malo obtineatur. Atque quò facilius optatum finem consequatur, misisse D. *Oiselium* ad Regem Catholicum, & D. *Allegrium* ad Pontificem; & *Birago* præcepisse, vt munere suo perfunctus cum Patribus in Concilio, ad Imperatorem proficiscatur: certè periculum facturus, an horum Principum ope tantum beneficium possit impetrare.

[Margin: factæ caussas edant, & reformationem solicitent.]

[Margin: In eundem finem ad Regem Hispaniæ, Pontificem, & Imperatorem Oratores mittit.]

Nec dubium est quin Pontifex pacem eam factam admodum molestè acceperit, tum propter authoritatis suæ diminutionem, tum etiam quod de ea conclusum esset se inconsulto, qui tantum pecuniæ ad id bellum contulerat. Verùm ea ægrius adhuc ab *Hispaniæ* Rege accepta: qui videbatur sibi & operam & pecuniam perdidisse. Nam qui cum milite suo & belli & victoriæ socius fuisset, & tantum impensæ in id bellum fecisset, haud æquum putabat sine ipso pacem firmare, cum fraude etiam religionis, quam ille defendendam & vindicandam suscepisset. Præsertim verò, quod adeo ipsius interesset, ob detrimentum, quod capiebat in *Belgij* administratione: prosperis Hugonotorum in *Gallia* rebus, populo Belgico ad perseuerandum, imò ad animum in contumacia obfirmandum, animos addituris. Quibus fretus rationibus Orator Regis Catholici in *Gallia* grauem, nec sine fremitu querimoniam habuit. Atque ob hanc præcipuè causam Oratores extraordinarij *Romam*, & in *Hispaniam* missi, vt notum facerent, non propriam voluntatem Regem, Regisque Consiliarios ad pacem faciendam impulisse; sed meram necessitatem, metumque, ne valida nouaque auxilia Hugonotis è *Germania* accederent; quæ iam contrahi iuxta *Argentinam* alijsque in locis dicebantur. Germanis enim, qui in Gallia militauerant, domum redeuntibus præda onustis, facile alij ad proficiscendum, & rem suam augendam inuitabantur. Neque omnino metu vacabant, ne ea occasione Principes Imperij *Metim*, *Tullum*, & *Virdunum*, & alia oppida Imperij recuperare tentarent; neuè *Angliæ Regina* auxilijs quàm antea valentioribus Hugonotos adiutaret, aliumque aliquem locum, (vt iam ** Gratiæ Portum*) occuparet.

[Margin: Pacem in Gallia factam Pontifex & Hispanus, qui ad bellum pecuniam contulerant, ægerrime accipiunt.]

[Margin: At Rex id necessitate factum per Oratores causatur.]

*[Margin: * New-hauen Franciscopolim.]*

Sed præter hunc finem, vtriusque Legationis principalem, *D. Oiselio* in mandatis porro datum proponere, vt Concilium *Tridento* remoueatur, & *Constantiæ*, *Wormatiæ*, *Augustæ*, aut aliquo alio *Germaniæ* loco congregetur. Ac insuper, Regi exponeret, cùm celebrandum esset in gratiam *Germanorum*, *Anglorum*, *Scotorum*, atque ex parte etiam *Gallorum*, aliarumque nationum, quibus certum erat *Tridentino* nec adhærere, nec vnquam acquiescere; frustra eo in loco continuari. Huius negotij proponendi auctor erat *Condæus*; qui hac ratione, si succederet, sperabat partes suas multo auctiores reddere, si eas cum tot Regnorum & Principum vtilitatibus coniungeret: aut saltem partem Catholicam debilitare, si *Tridentino* Concilio difficultatem adferret. Sed res non successit. nam Rex *Hispaniæ* auditâ ea propositione, (quod à me per anticipationem hic dicitur, ne ad hoc negotium deinceps sit redeundum)

[Margin: Et de Concilij in aliquam Germaniæ vrbem translatione agit cum Hispano, sed irrito conatu.]

[Margin: Regis Hispaniæ responsum.]

Ferdinandus. Philippus. 2.

deundum) quò tenderet facile perſpexit, & ſic plenè reſpondit. Concilium *Tridenti* congregatum more ſolenni, de conſenſu omnium Regum & Principum, etiam ſolicitante *Franciſco* Galliæ Rege. In ea vrbe Imperatorem ſupremam auctoritatem habere, non minus quàm in alijs, quæ nominatæ; vt idoneè cauere poſſit omnibus, ſi cautio iam data non videatur ſufficere. Itaque fieri aliter non poſſe, quàm vt continuetur, ac bonum validumque ſit, quicquid decernitur. Et Papæ rem omnem ſignificauit, eumque certiorem fecit, ſe ab ea ſententia nunquam diſceſſurum.

At Gallis qui *Tridenti* erant, irritum videbatur inſtare apud Patres ſecundum mandata Regia ante reditum *Moroni*: cum apud omnes conſtitutum eſſet, actiones Conciliares eò vſque differre. Verùm Imperator Cardinalem eum nondum expedierat. quin & eo ipſo tempore *Lotharingio* ſignificat, ob varia quæ inciderant, & propter rerum propoſitarum pondus ac momentum, maturam deliberationem & conſultationem requirentium, non potuiſſe ſe adhuc certum ei reſponſum dare; ſperare tamen id ita tempore & loco factum, vt omnes intelligant, actiones ſuas reſpondere deſiderio, quo tenetur videndi, quæ geruntur in Concilio ad commune beneficium comparata. Ideo rebus alijs relictis, etiam vrgentibus aliarum Prouinciarum neceſſitatibus, ſibi in animo eſſe *Oeniponte* commorari, vt præſentia ſua libertati Concilij adminiculetur, quamdiu operæ fructum aliquem videndi ſpes oſtentatur. Cardinali *Morono* tam diutina mora non placuit; neque illud quod Imperator Theologis & Conſiliarijs negotiationes ſuas remitteret. Et metuere cœperat tum ipſe, tum Pontifex, ne nollet quidquam certi ante ſtatuere, quàm *Biragum* audiſſet, quem iam inaudierant tranſlationem Concilij in Germaniam, Hugonotorum gratia propoſiturum. Cui rei Pontifex decreuerat omnino non aſſentiri, cum propria voluntate, tum etiam vniuerſo Patrum purpuratorum Collegio, totaque Curia ea de re ipſum interpellante. Et mirabatur eam Gallorum varietatem, qui ex altera parte reformationem poſtulabant; ex altera Concilij tranſlationem; hinc Eccleſias oneratas volebant ſubſidijs ad ſoluendum Regium æs alienum, inde ſe earundem adeo ſtudioſos demonſtrabant.

Imperator excuſat ſe Lotharingio, quod definitè ei nō reſponderit. Interim ſignificat ſibi conſtitutum Oeniponte non diſcedere, dummodo boni quidpiam Synodus polliceatur.

Pontifici ſtat ſententia de tranſlatione Concilij in Germaniam Gallis non concedere.

Verùm ita ſe res habebat. Galli apud ſe pro certo ſtatuentes non poſſe quicquam à Concilio impetrari, quod eſſet in rem ſuam, dum Itali numero ſuperarent, cœperant ſpem omnem abijcere, neque vlla Concilium exiſtimatione habere, quandiu *Tridenti* conſiſteret. Itaque ſtipendia Theologis à Rege miſſis auferunt, diſcedendi, ſi quis vellet, poteſtate facta: ſed vt vnà relinquerent manendi libertatem. Vnde hi citiùs, illi ſeriùs diſcedunt penè omnes. *Benedictini* tantum duo vſque ad finem remanſerunt, quibus ab ipſorum monaſterijs præbitiones ſubminiſtratæ, & *Hugonius*, cui abunde ſuppeditatum à Pontificijs, loco & victu in Monaſterio ei procuratis, præter quinquaginta coronatorum penſionem ei tertio quoque menſe perſolutam.

Galli abiecta ſpe colligendi fructū ex Cōcilio, Theologis ſuis diſcedendi poteſtatem faciunt.

Cardinalis *Lotharingius* allegationibus à Papa ad Imperatorem miſſis, tam per ſe, quàm per alios examinatis, & ſuper ijs Cenſura quadam adhibita, eam ad Maieſtatem eius tranſmiſit. Idque ſecretò à ſe factum credidit; ſed à ſupradicto Theologo non ſolùm res patefacta eſt, verum etiam Legatis eius ſcripti copia facta. Qui cum breui *Moronum* exſpectarent, ex mandato Papæ, ſcripſerunt ad Epiſcopos, qui *Tridento* diſceſſerant, vt ad Concilij actiones denuo capeſſendas redirent. Interea X. die Maij, facta eſt Congregatio, ad recitandas literas *Reginæ Scotiæ*, à Cardinale *Lotharingio* exhibitas; quibus declarabat, ſe Concilio ſubmittere ſe, commemorataque ſpe ſucceſſionis ſuæ in Regnum Angliæ, promittebat, vbi ea contigerit, ſe vtrumque Regnum obedientiæ Sedis Apoſtolicæ ſubiecturam. Literis recitatis, Cardinalis eleganti oratione Reginam excuſauit, quod neque Prælatos, nec Oratores ad Concilium miſiſſet, cum omnes heretici eſſent: eam nunquam à verâ religione deuiaturam pollicitus. Reſponſum eſt Synodi nomine, gratijs actis. Ridebant nonnulli id officium Reginæ, tanquam

Lotharingius cenſurā ſuam ſuper locis citatis à Pontifice ad Cæſarem mittit.

Mariæ Scotiæ Reginæ ad Concilium literæ.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

priuatæ personæ, non Principis: propterea quod ne vnus quidem subditus Catholicus inuentus esset, qui mandaretur. At prudentiores iudicabant hoc officium emendicatum potius, & extortum, qui scirent penes illam fuisse hoc satis pro Principe præstare; cum nunquam apud eam Catholici non pauci defuerint.

Lotharingius comperto Legatorum verba & actiones cum Pontificis ad se literis pugnare, & sibi illudi putat, & Concilio nullam esse libertatem queritur.

Redierat *Roma* Secretarius *Lotharingij*, ab ipso missus vt dilueret criminationes in se coniectas, quasi factionis caput se præberet. Is acceptus à Pontifice cum significatione beneuolentiæ; ostensumque, eius orationi fidem adhiberi: simul datæ ad Cardinalem literæ, quibus significabat, satis sibi placere, vt quæ sunt contentiosa omittantur, de dogmatibus Ordinis, deque residentia nihil dicatur; verùm cura omnis sit de reformatione. Eas literas *Lotharingius Simonetæ* communicauit, vt de opere inchoando constituerent: sed hic ad *Moroni* reditum rem remittendam censebat. Displicet id *Lotharingio*, quasi à Pontifice sibi illusum esset. Vnde hoc responso addito ad nuncium quem acceperat, nempe, *Moronum* cum Imperatore colloquentem de libertate Concilij, dixisse, ipsum & Oratores Gallos eam magis quàm alios impedire; apud omnes, quibuscum ei sermo erat, qualibet occasione conquestus est, Concilio nullam esse libertatem. Neque tantum *Româ* exspectari iussa de singulis, etiam minimis quibusque; sed insuper non satis dignos reputari Patres, ne ipsum quidem, & Cardinalem *Madrucium*, qui cognoscant quid *Româ* Imperatum sit; vt ad voluntatem Sanctitatis suæ saltem se conformare possint. Idque permirum esse visu, quod tam frequentes à Legatis cursores Tridento Romam expediantur, sæpe etiam super eadem materia, & quauis vel minima occasione; nec vnquam tamen intelligatur, quod decretum, quodue responsum inde venerit, ne hoc quidem vniuersè, responsum venisse. Hæc à Pontificijs audita dabant eos in ruborem, quippe, ita manifesta & publica, vt neque negari possent, neque excusari. Plenus istiusmodi offensionum *Lotharingius* die postera vocatur ad consultationem, de resumendis Congregationibus, quòd *Moronus* scripsisset se intra octo dies rediturum. Ibi aliquantisper vtraque pars nullo verbo edito constitère; postea cum in officiosas ceremonias incidissent, nihil de re ipsa locuti, ad extremum à se inuicem discesserunt.

Præsulũ Gallorũ Procuratores in Congregationem admittere recusat Simoneta.

Cum *Tridentum* venissent Procuratores Præsulum Gallicorum, qui in Regno remanserant, postulant Oratores, vt in Congregationem admittantur; Cardinale verò *Simoneta* recusante, *Lansacus* respondit, se id honoris caussa postulasse, non quod Legatos tanquam iudices agnoscere vellet: sed sibi certum esse, vt illa difficultas in Concilio proponatur. Id occasionem dedit tribus Legatis mutandi consilium de expectando *Morono*: proinde Congregationem constituunt ad decimum quartum Maij, vt tractarent abusus ad *Ordinem* spectantes. Vbi *Lotharingius* cum sententiam diceret super primo Capite de *Episcoporum electione*, quod post sublatum est, eas ob caussas, quæ postea commemorabuntur, copiosè disseruit de abusibus, qui in ea materia interueniebant. Atque vt liberè in corruptelas *Romæ* inueheretur, incepit à *Gallia*, ne Regi quidem parcens. Concordata palam damnauit, dicens inter Papam *Leonem* & Regem *Franciscum* collationem beneficiorum regni distributam fuisse, quæ Capitulorum esse debebat: & parum abfuit vt diceret, sicuti præda diuidi solet inter venatores. Id damnabat, penes Reges & Principes esse nominationes Episcoporum & Coenobiarcharum: Et Cardinales Episcopatus possidere. Repræhendit etiam pacem paulò ante factam à Rege cum Hugonotis. Post cum desijsset loqui de Gallia, Curiam Romanam fontem esse asseuerauit, vnde omnes abusus manabant. Nullum reperiri Cardinalem sine Episcopatu, imo sine multis Episcopatibus; & eas tamen functiones esse insociabiles. Inuenta *Commendarum*, *Vnionum ad vitam*, & *administrationum*, quarum interuentu contra omnes leges plura beneficia re ipsa dabantur vni, cum tamen in speciem vnicum haberet, esse diuinæ Maiestatis & religionis ludibrium. Citabat sæpe illum *S. Pauli* locum; *Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* Contra dispensationes

Lotharingius de Episcoporum electione sententiam dicens in Congregatione, in abusus tã Galliæ, quàm Curiæ Romanæ liberrimè inuehitur.

nes pluribus verbis egit, vt quæ vigorem omnium legum tollerent. Atque tanta cum eloquentia, & super tot corruptelis sermonem habuit, vt in eo totam illam Congregationem impenderit. Haud æquis Pontificiorum auribus accepta hæc Cardinalis oratio; quin & *Simoneta* apertè cum multis Prælatis egit, vt sententiæ eius se opponerent, dictitans passim, eum loqui cum *Lutheranis*, & faxit Deus, inquiens, ne cum ijsdem etiam sentiat. Qua re *Lotharingius* plurimùm offensus, grauissimam apud Pontificem de ea querimoniam habuit. In sequentibus Congregationibus nihil dictum est singulare, aut dignum memoratu, nisi quis referre velit adulationes obliquè insertas sententijs eorum, qui consuetudines à *Lotharingio* damnatas defendendas susceperant.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Cuius orationem Simoneta Lutheranismum sapere iactabat.

Interea dum hæc geruntur, Cardinali *Morono* responsum datur ab Imperatore scripto, verbis satis generalibus. Se Pontificis authoritatem contra hæreticos defensurum, si quando opus esset; & moraturum *Oeniponte*, nec vltra progressurum. Concilij translationem *Bononiam* sine consensu Regum *Franciæ* & *Hispaniæ* non esse faciendam. De sua coronatione nihil constitui posse, nisi prius ad Conuentum Ordinum referatur; alioqui si fiat ex improuiso, occasionem multis sermonibus in *Germania* daturam. De Concilij progressu sibi satisfactum fore hisce duabus conditionibus, vt reformatio *Tridenti* fiat, atque vt quiuis possit proponere; vtque tractare incipiant de articulis à se, & à *Gallia* exhibitis. De hoc negotio à Cardinale gesto, deque responso accepto, quæ in publicis documentis repperi memoriæ tradita, ea iam retuli. Sed operæ pretium mea quidem opinione fuerit, id non omittere, quod eò tempore *Tridenti* sermonibus iactatum, atque ab hominibus rerum intelligentibus pro certo creditum, Cardinalem cum Imperatore & filio Rege Romanorum secretiora quædam tractasse. Dicebatur ostendisse ijs, propter diuersos fines Principum & Prælatorum, variosque & magni momenti ad res rationesque suas aspectus, etiam contrarios, & pugnantes, Concilium eum finem consequi non posse, quem eorum nonnulli desiderabant. De materia Calicis, de Presbyterorum matrimonio, deque lingua vulgari, quæ tam serijs petitionibus ab Cæsarea Maiestate, & à Rege *Franciæ* efflagitantur, nunquam aut Regem *Hispaniæ*, aut vllum *Italiæ* Principem illa sibi persuaderi passurum. In negotio item reformationis, omnium ordinum homines præsentem rerum suarum statum conseruatum velle, emendatis alijs; futurum inde, vt singulis reformationem postulantibus, quilibet tamen articulus de emendatione propositus, plures contradictores, quàm fautores reperiat. Vnumquemque sua tantum cogitare, nec aliorum rationes attendere. Immo singulos cupere Papam, à quo tanquam à Capite cuncti arcessunt destinatorum propriorum administrum, nec an quisquam alius offendatur, aliquid pensi habere: Cui tamen nec honestum foret, nec vtile, vni commodare cum alterius detrimento. Omnes gloriam affectare procuratæ reformationis, omnes tamen inueteratos abusus continuare, in Papam solum culpa omni coniecta. Atque vbi de Papa reformando agitur, non placere, vti ea de re quis sit Sanctitatis suæ sensus, aperiat. Verùm in eo, quod ipsum nec attingit, nec tangere potest, quo iure posse quemquam sibi persuadere, illum non facile assensurum, nisi aliquid cognosceret ignotum alijs, vtpote ad quem solum omnium rationes referuntur. Adhæc experimento compertum, quindecim mensium spatio post Concilium apertum, multiplicata partium studia, auctas opinionum differentias, ad summum etiamnum tendere; si longius duret, necessariò magnum aliquod scandalum daturum. Nec in postremis ponendam æmulationem, quæ Principum Germaniæ, & Hugonotorum in Gallia animos insedit. Quapropter, cum perspicuum sit, nullum ex Concilio fructum percipi posse, finem ei quam commodissimè fieri poterit, imponendum. Hisce iactabatur, Principes eos persuasos, nihil boni ex Concilio obtineri posse, optimum iudicasse, cum dignitate illud sepelire; promisisse etiam Cardinali in rebus deinceps tractandis conniuentiam, nec in malam partem accepturos, si Concilium ad exitum perducatur. Ac me hercle siquis reputabit secum eum finem, quem Concilium habuit, nullâ habita cura vt

Imperator tandem Cardinali Morono respondet scripto.

Secretioris Card. Moroni cum Imperatore & filio tractationis capita recensentur.

Imperator cum nullum ex Concilio fructũ expectaret, conniuentiã pollicetur, & vt finẽ habeat non repugnat.

 Principibus

Pius 4.
Elizabetha,
Carolus. 9.

Principibus ijs de postulatis suis satisfieret, facile inducet animum vt credat, eam famam veri nunciam fuisse; sed qui rursus obseruarit, etiam post istam Legationem ministros Cæsareos à petendo & instando non cessasse, rumorem eum vanum existimauerit. At vero si videtur eam viam insistere, qua vtrumque absurdum possit euitari, credibile est, eo tempore Principes illos spe quidem operæprecij omnis abiecta decreuisse Concilio finiendo non obniti: ita tamen vt è dignitate non iudicarint, derepente actioni se subducere; sed potius sensim, & quasi gradatim de contentione sua in postulando remittere: ne iudicij sui defectum proderent, quod vnquam spem aliquam profectus Concilij viâ animis concepissent; neque obseruationi *D. Gregorij Nazianzeni*, qui ab Episcoporum conuentibus contentiones semper exacerbatas se vidisse testatur, fidem adhibuissent. Quicquid est, hujusce rei veritatem in ijs repono, quorum certam cognitionem assequi mihi non datum. hoc tamen certum, Catastrophen negotiorum Concilij, quod nisi tumultuosè desinere non posse videbatur, hoc tempore initium cepisse.

HISTO-





HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER OCTAVVS.



Edijt *Oeniponte Tridentum* Cardinalis *Moronus* Legatione sua perfunctus decimoseptimo Maij, & continuò cœpum est tractari inter Legatos de Sessionis die; appetente iam vicesimo, qui ei constituendo designatus. Cum autem capita illo Consessu definienda neque dum in expedito essent, neque vero satis intelligi posset, quando id foret futurum, die XIX. in Congregatione facta prorogatio in decimum Iunij, vt tum de die certo Sessioni præfigendo constitueretur. In ea Congregatione duo memoratu non indigna euenerunt. Quorum alterum fuit contentio, vtrùm ad Legatos pertineret, an verò ad Concilium, statuere, num Procuratores Episcoporũ in Congregationem admittendi essent, sicut à *Lansaco* postulatum diximus. Asserebant Præsules Galli, Legatis non aliam prærogatiuam deberi, quàm vt sint primi; & seorsim à Concilij Patribus nullam ijs prorsus authoritatem competere: citato in eam rem Concilio *Basileensi*, & alijs ex antiquitate petitis documentis. Pro altera parte dicebatur, Concilium legitimum esse non posse, nisi à Papa congregatum; & ad ipsum solum pertinere potestatem decernendi, ecquis & interesse debeat, & dicendæ in eo sententiæ ius habere. Hanc facultatem Concilio permittere, perinde esse, ac si detur ei authoritas se ipsum generandi. Post nonnullam contentionem, res indecisa relicta. Et cùm ventum ad suffragia ferenda de materia quæ in manibus erat, abusibus nempe ad Ordinem spectantibus, alterum accidit; nempe, Episcopus *Philadelphiæ* longa vehementique declamatione Cardinales incusauit, quod Episcopatus vellent, nec in ijs vel vnicum Suffraganeum alerent: quæ oratio plerisque risum mouit, quasi ille Episcopus, quippe titularis, priuatum commodum respiciens, suam, suique similium caussam ageret.

In Congregatione disceptatur, penes Conciliũ an Legatos ius sit admittendi Episcoporum procuratores.

In Congregatione XXI. Maij, acceptus est *Comes Lunensis*, qui ob controuersiam de honoratiori loco cum Oratoribus Gallis totos quadraginta dies ab aduentu suo in Concilij conspectum se non dederat. Ac licet interea sæpius consultatum sit, de ratione litis eius expediendæ; ab Gallis nihil impetrari potuit, non alium ei locum, permittentibus nisi proximè, & secundum ipsos. Vnde cogitabat medio inter Oratores *Cæsareos* (quibus iniunctum erat à *Cæsare*, vt eum comitarentur) loco pedibus consistere, & iuxta illos stare, dum Oratio fieret, eáque finitâ continuò domum reuerti. Verùm id parum è dignitate Regis videbatur; adeóque

Controuersia de præcedentia inter Oratores Gallos & Hispanum, huius in Cõgregationem aduentum remoratur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

in id incubuit, vti Gallis placeret, eo die, quo excipiendus erat, in Congregationem non venire. Sed illis ne hic quidem assentientibus, statuit eos huc adigere, id operã dans, vt è Præsulibus Hispanis quispiam peteret, ne Oratores laici intersint Cõgregationibus, quippe in antiquis Concilijs neutiquã admissi. at id omnibus simul Principibus offensionem daturum veritus, enitendum sibi statuit potius, vt ab aliquibus Prælatis ea tractanda proponerentur, quibus Oratores Gallos interuenire haud æquum esset: veluti, de damnis quæ euenire possunt Christianæ religioni ob pacem cum Hugonotis factam; aut quid eiusmodi. Id consilij Cardinalis *Lotharingius* vbi resciuit, aduocatis itidem consiliorum copijs, reque cum suis considerata, decreuerunt amplius non reluctari, si quis ei seorsim ab Oratoribus daretur locus.

Comes Lunensis in Cõgregationem admissus de loci prærogatiua sibi debita protestatur.

Itaque die supradicto XXI. Comes *Lunensis* in Congregationem ingressus, cùm ad locum sibi assignatum, in medio Consessus, ex aduerso Legatorum venisset, mandata sui Regis exhibuit. quibus à Secretario lectis, continuo protestatur, in hunc modum. Quamuis in eo Consessu & in quouis alio proximus post Oratores Imperatoris locus sibi debeatur, nihilominus quando neque locus ille, neque causa qua de agebatur, neque tempus ipsum paterentur, propter humanas contentiones rerum diuinarum & salutis publicæ cursum impediri, accipere se illum locum sibi designatum. protestari tamen, ne modestia sua, & studium non remorandi Concilij progressum, vllum præiudicium creare possit dignitati, iurique Principis sui *Philippi* Regis Catholici, & posterorum; verùm ea illæsa maneant, ita vt ijs semper vti possint, perinde ac si in eo Consessu debitum sibi locum obtineret. Instabatque, vt ea protestatio sic inter acta referretur, vt absque illa edi non possint, & vt eius sibi copia fieret. Post id Oratores etiam Galli hac forma protestati sunt. Si ipsi alio in loco sederent, quàm post Imperatorem primo, & ante Oratores aliorum Regum, vbi maiores ipsorum semper sedere consueuerant, & postremo in Concilio Constantiensi, & Lateranensi; Et si nouus ille locus, in quo sedebat Orator Maiestatis Catholicæ præter ordinem Oratorum, aliquid præiudicij sibi aut alijs Oratoribus adferre posset, vti Patres Concilij Ecclesiam Vniuersalem repræsentantes pro officij sui debito ipsos ad antiquum ordinem reducerent, aut Euangelicam admonitionem adhiberent. At tacentibus iam Patribus, neque quicquam dicentibus Oratoribus *Maiestatis Cæsareæ*, quorum non minus quàm ipsorum Gallorum interesset; se, cùm ipsis proximi sedeant, & antiquam possessionem suo Regi conseruent, etiam confisos fide, & affinitate, quam *Rex Catholicus* cum *Christianissimo* colat, nihil aliud in præsens postulare, quàm vt Patres Concilij declarent Comitis factum nullum præiudicium afferre posse antiquissimæ prærogatiuæ, & perpetuæ possessioni Maiestatis Christianissimæ; atque id commentarijs publicis inseri.

Gallorum protestatio in contrarium, longissimi temporis præscriptione ius inuiolabile sibi partum asserentium.

Oratio Petri Fontidonij ad Patres nomine Comitis Lunensis.

Habita est Oratio Comitis nomine, à Theologo Petro *Fontidonio*, qui in summa dixit, Maiestatem Catholicam in extremo decursu Concilij, illum Oratorem misisse, vt renunciaret se paratum ad agendas illas partes, quas *Martianus* Imperator in Concilio *Chalcedonensi* Regibus dixit esse sustinendas; id est vt veritatem per sacrum Concilium inuentam tuerentur, tumultibus obuiam irent exorientibus, exortos coërcerent. Cupere Regem, illam Sanctam Synodum, quam *Carolus* V. Imperator eius pater nascentem fouit, & vt adolesceret summo studio elaborauit, cuius causa bella difficillima & periculosissima suscepit, quamque etiam *Ferdinandus* Imp. eius Patruus sustentat, ad fœlicem exitum perducere. Regem suum nullum officium, quod à Catholico Principe sperari posset, prætermisisse. Prælatos *Hispanos* misisse *Tridentũ*, Doctores præterea omni literarum & virtutis genere præstantes. Illum religionem in *Hispania* conseruasse: Illum hæresin per vtrasque Pyrenæorum montium fauces ex vicinis prouincijs in Hispaniam irruere conantem propulsasse: ad extremos Indos nauigare conantem repressisse, quò omni studio commigrare cupiebat, vt in ipsis Indorum animis nascentis religionis radices inficeret. Huius Principis industria vigere in Hispania religionem, fidem, & doctrinæ puritatem, vt afflicta mater Ecclesia cum reliquas Prouincias erroribus æstuantes lustrat animo, suas miserias consoletur, cum oculos in Hispaniam conuertit, quam sibi portum, sacram anchoram, persu-

perfugium calamitatum intuetur. Tum ad vota decurrens, vtinam, inquit, hanc Catholici Regis seueritatem in coercendis hæreticis Principes omnes & Respublicæ Christianæ fuissent imitati; vtique & ipsos Patres celebrandi Concilij sollicitudine, & Ecclesiam tantis calamitatibus liberaturos fuisse. Regem suum non alio fine *Mariam* Angliæ Reginam vxorem duxisse, quàm vt illam Insulam ad Ecclesiæ sinum reduceret. Commemorabat deinde auxilia recens missa Regi Galliæ, quorum ope, tametsi illæ copiæ exiguæ essent, quibus religio acerrimè propugnabatur, victoria ad Catholicos inclinauit. Progressus inde ad ea, quæ Rex à Patribus expectet, dicebat, postulare Regem à Concilio stabilimentum doctrinæ religionis, & morum reformationem. Laudabat Patres, quòd doctrinæ simul atque morum vulneribus curandis operam darent; licet non defuissent, qui ipsos prorsus à doctrina ad sanandos mores traducere conati essent. Arbitrari Regem, diligenter ab ipsis examinandam illorum piam fortasse magis quam circumspectam sententiam, qui multa Christianæ religionis hostibus permittenda putant, vt indulgentiâ victi ad Ecclesiæ sinum reuertantur. Inuectus est in eos, qui Protestantium imbecillitati aliquid ad illos reducendos condonandum existimarent, dicens cum ijs hominibus agi, quos nulla pietas, nulla flectere possit misericordia. Hortatus est Patres Regis nomine, vt sic illorum saluti, Ecclesiæque maiestati consulerent, vt omnia ex huius potiùs dignitate, quam ex illorum libidine geri viderentur, cum Ecclesia semper ea grauitate atque constantia vsa fuerit, vt multa suis hostibus, quæ honestè concedi potuissent, ad infringendam illorum pertinaciam sæpissimè denegauerit. Desiderare etiam Regem vt infructuosas quæstiones omittant. Concludit, cum hoc tantum Concilium, tanta Patrum frequentia coactum sit, ad opus adeo præclarum, cuiusmodi esset remedium adferre tot malis, quæ Christianam rempublicam perturbarent, si re infecta discedatur, posteritatem in neminem alium, quam in illos culpam collaturam; & ipsis, quibus tanta affuerit sanandæ Ecclesiæ facultas, voluntatem defuisse miraturam. Laudato denique ob singulares virtutes & familiæ suæ gloriam Oratore, perorauit. Responsum ei Synodi nomine; In magno dolore, quem ex communibus miserijs caperent, consolationem Patribus attulisse pietatis Regis Catholici commemorationem. Atque illud inprimis gratum ipsis accidisse, quod ea, quæ sanxerint, defensurum se pollicitus sit. Quod ipsum cùm *Cæsarem* aliosque Reges & Principes Christianos facturos exploratum sibi sit, incitari se, vt operam dent, vti actiones suę tot ac tantorum Principum studijs respondeant. Id & sua sponte, & Pontificis cohortatione iam diu facere, nulla alia in cura atque cogitatione versantes, quam in morum & disciplinæ emendatione, & doctrinæ Catholicæ explicatione. Regi quam maximas gratias se agere, tum pro singulari eius in Catholicam fidem studio, tum pro piæ in Sanctam Synodum voluntatis professione, tum verò, quod talem Oratorem miserit, cuius præsentia communi causæ & adiumentum, & ornamentum adferat.

Ferdinandus Philippus 2.

Synodus respondet.

Displicuit omnibus Oratoribus Oratio *Fontidonij*, vtpote manifesta reprehensio omnium Principum, qui diligentiam Regis Catholici non essent imitati; eaque de re apud Comitem conquesti sunt. respondit ille, non minus sibi displicuisse ea verba: quin & præcepisse Doctori, vt ea eliderer, neque vllo modo pronunciaret; & facturum, vt animi sui offensionem intelligat, quòd non esset sibi obtemperatum. Qui *Romæ* tum commorabantur Galli, grauiter eos, qui *Tridenti* erant, incusabant, quod de loco Oratori Hispano concedendo assensi essent. *Lotharingium* dicebant respicientem suas vtilitates, & vt *Regi Catholico* gratificaretur, graue præiudicium fecisse Coronæ Galliæ: simul in eo, quod Pontifici etiam suadebat, non concedendũ Regi, vt bona Ecclesiastica ad summam centum mille Coronatorum, quod postulabat, alienaret. In omnibus eum se, suaque quærere, adeoque ex quo rei nummariæ procuratio sibi fratrique esset adempta, nolle, vt regi pecunia suppetat alicunde. Cæterum de præcedentia controuersia nondum erat consopita. Nam etiamsi inuentus est locus Oratori Hispano in Congregationibus, tamen idem in Sessionibus ei dari non poterat. Itaque Legati ad Pontificem scribunt, ab ipso mandata, quemadmodum se gerere debeant, accepturi.

Oratio Fontidonij Principum Oratoribus offensioni est.

Et Lotharingius Gallis, qui Romæ.

Post

In Subalpina regione Protestantes alibi superiores, alibi clam tolerantur.

Post admissum Oratorem Hispanum, Cardinalis *Lotharingius* excessit Tridento, cum Cardinale *Ferrariensi* in colloquium venturus. Qui cum in *Pedemontium* descendisset, nihilo meliori conditione res illius regionis inuenit, quàm in Gallia. Siquidem comperit varijs in locis Marchionatus *Saluciæ* Presbyteros omnes sedibus pulsos & eiectos: etiam *Clerij* & *Cunij*, locis ditionis Principis *Sabaudiæ*, alijsque oppidis circumuicinis, multos easdem cum Hugonotis opiniones fouere, in ipsa Ducis aula plerosque eas profiteri; & plures indies ex ijs detegi. Ac licet ante mensem Dux ille Programmate edixisset, vt intra dies octo, omnes earum opinionum sequaces regione excederent, & nonnulli etiam aliò commigrarant: post tamen præcepit Dux, ne contra ipsos vltra procederetur. quin & multis ab Inquisitione condemnatis suppliciorum gratiam fecerat, & actiones contra ipsos, aliosque in quæstionem quidem vocatos, sed nondum condemnatos, irritas esse iussit: aliquibus etiam qui discesserant, redeundi facultate concessa. Et certe Cardinalis cognitis rationibus, quæ Ducem illum impulerunt, concessit in eandem, quam de rebus Galliæ tenuit sententiam; nempe, expedire Catholicis vt ita fiat.

Cardinalium Ferrariensis & Lotharingij congressus *Hostiliæ*.

* Vulgo Hostia dicitur, Venetæ regionis oppidũ inter Veronam & Mantuam.

Eodem loco Cardinalis ille ex Episcopo *Vintimiliensi*, qui ad eum informandum (sicuti supra dictum est) de industria hoc iter susceperat, & statum rerum in Concilio cognouit, & quemadmodum cum *Lotharingio* tractandum esset. Venerat autem vterque Cardinalis **Hostiliam* XXIV. Maij. *Ferrariensis* exposito statu rerum Gallicarum, etiam domesticarum post mortem *Ducis Guisij* & *Prioris*, hortatur eum ad reditum in *Galliam* maturandum, præsentiæ eius necessitate repræsentata. ostendit etiam post pacem cum Hugonotis factam, reformationem in *Gallia* haud amplius salutares eos, qui expectabantur, effectus parituram. Sed præter expectationem, offendit hanc opinionem penitus animo *Lotharingij* impressam, suam dignitatem postulare, vt illud negotium non deserat. Id conquestus est, quod *Moronus* ab Imperatore reuersus, nihil ipsi de negotio, quod gesserat, communicasset, licet rem omnem ab ipso *Cæsare* resciuerit. Dicebat, *Regi Catholico* cum *Imperatore* bene conuenire; sibi item cum *Comite Lunensi* esse consiliorum communionem. in re residentiæ, necessariam esse declarationem: Ea esse Imperatorem mente, Prælatos etiam, si aliquot Italos excipias, penè omnes. atque hanc declarationem ideo requiri, ne Pontifici auferatur dispensandi potestas. Ita Cardinalis *Ferrariensis* operâ parum est effectum. Et *Lotharingius* cum *Tridentum* reuertisset, profitebatur passim *Ferrariensem* egisse secum *Papa* nomine & Legatorum, vt quæstio de residentia decideretur decreto aliquo poenali, nulla facta declaratione, quod sit *de iure diuino*; sed se haudquaquam assensurum.

Moronus Lotharingium inuisit, eique in Pontificias partes attrahendo omnia officiosissimè defert.

At *Moronus* ad *Lotharingium*, prius quam ad seriam negotiorum Concilij tractationem ventum esset, demulcendum, cum sciret opus esse, vt ostendat se paratum illi omnia deferre; venit ad ipsum salutandi causa, Pontificium in morem crucibus prægestatis, & Præsulum caterua comitatus. Ibi post mutua salutationis officia professus est se nihil magis cupere, quam vt *Lotharingius* consulat, imperet, agat, non secus, quàm si vnus esset è Legatis. Pontificem reformationem velle, & eius se capita ad XLII. perquam seuera misisse; tum scripsisse, vt simul reliqua ab Oratoribus *Cæsareis* & *Gallis* exhibita proponantur, ijs modò sublatis, quæ ad Curiam *Romanam* pertinent, cuius reformationem, ad tuendam authoritatem Sedis Apostolicæ Sanctitas eius sibi sumit. At *Lotharingius* suspicatus *Morono* esse animum, ad se alleuandum, aliquam inuidiosi oneris partem in humeros eius imponere, aut occasionem diffidentiæ inter ipsum & Hispanos inijcere; respondit, Legati onus vires suas exsuperare, quibus abunde est sententiam suam, vti Archiepiscopo conuenit, proferre. Laudare se zelum Sanctitatis eius in alijs Ecclesijs reformandis; veruntamen & illud non iniquo animo permittendum, vt Episcopi etiam totidem Capita, Cardinalibus, & cæteris Curialibus emendandis exhibeant. Dignam esse Sedem Apostolicam omni cultu & reuerentia. Sed æquum non esse, vt sub hoc integumento abusus delitescant. Ab hoc Cardinalis responso statuunt Legati circumspecte se gerere, neque consilia temere communicare, quoad res paulo tranquilliores tutioresque sint Sed interea cum Prælatis *Italis* sedulò actum, ne Decretum de residentia declaranda reciperetur.

Lotharingius Morono non fidere certus, confidenter respondet, & reformandæ Curiæ Romanæ desideriũ præ se fert.

Per id tempus accidit quiddam Pontificijs conturbandis, ac prope inter ſe committendis opportunum. Allatum eſt *Tridentum*, Cardinales breui creatum iri: miſſus etiam eorum, qui *Romæ* erant, catalogus. Vnde competitoribus, qui magno numero, pectus ira æſtuabat. atque vt iratis accidere ſolet, non ita intra terminos officij contineri poterant, vt non interdum excideret aliquod verbum, quod & mentis perturbationem indicaret, & animum ad vindictam pronum. Ac nominatim notati *Marcus Antonius Columna* Archiepiſcopus *Tarentinus*, & *Alexander Sforza* Epiſcopus *Parmenſis*, propter magnam familiarum ſuarum in Curia potentiam cæteris confidentiores; quòd dixiſſent, ſe cum *Lotharingio* conſilia communicare velle. quod à Cardinale *Simoneta* creditum, *Romam* etiam nunciatum eſt. Ea re vterque ſibi iniuriam factam exiſtimans, acrem doloris ſenſum verbis expreſſere. Et durauit ad aliquot dies iſthæc animorum exacerbatio, ſed neque Cardinalibus nouis creatis, operâque adhibita, vt iſtis Epiſcopis fieret ſatis, ad extremum res compoſitæ ſedatæque ſunt.

De Cardinalibus creandis rumor Tridenti vulgatus, Præſules aliquot Pontificios eam dignitatem affectantes, & ſpe deluſos male habet.

Ex hoc tempore cæpit Cardinalis *Lotharingius* de animi ardore remittere. nam in *Gallia* ex eorum, quæ hactenus euenerant, obſeruatione, cum manifeſtò cernerent fieri non poſſe vt *Tridenti* aliquid obtineretur, quod in illius Regni beneficium verteret, ac vidiſſent inſuper pacis negotium quotidie magna cum facilitate ſuccedere, vt ſpes iam ſubeſſet, obedientiam Regi in integrum reſtitutum iri, nec opus fore alijs de Religione cogitationibus; fortaſſe etiam communicatis ab Imperatore ijs, quæ cum *Morono* tractata, & ad hæc omnia accedentibus aſſiduis Pontificis apud Reginam per Nuncium ſuum ſolicitationibus, ſtatuunt tandem Galli in res Concilij tanto ſtudio ac ſolicitudine deinceps non incumbere: ſed potius animum Pontificis conciliare, & ſi quid *Tridento* aduenerit rebus ſuis commodum, id accipere, ſed inprimis operam dare, ne quid ſibi præiudicij fiat. Itaque *Regina Romam* ſcripſit, obtulitque omni ope ſe Pontificem adiuturam ad Concilium celeriter finiendum; *Lotharingium* & Præſules *Gallos*, ne authoritatem Papæ impugnent, refrænaturam; effecturamque, vt *Auenione*, & è Comitatu *Venaſcinenſi* milites omnes Hugonoti diſcedant. Ad Cardinalem itidem *Lotharingium* ſcripſit, ſignificans pacis negotium in Gallia optimè procedere, & ad eam perficiendam nihil aliud deeſſe, quam eius præſentiam. vbi cum regno plus commodare poſſit, quàm *Tridenti* (quo loco experientia didicerit ſe nihil proficere) daret operam vt quamprimum rediret, eniteretur Pontifici quocunque modo ſatisfacere, eiusque ſibi beneuolentiam conciliare; nec ad Concilij negotia animum amplius adijceret, quam illum propria conſcientia dignitaſque impellerent: hoc addito, in Gallia eadem authoritate & loco futurum quo antea; adeoque reditum accelerare.

Galli obtinendæ à Pontifice reformationis ſpe deiecti, eius deinceps ſolicitandæ ſtudium deponunt.

In eam rem Regina ad Pontificem & Card. Lotharingium dat literas.

Peruenerunt hæ literæ Reginæ *Romam* & *Tridentum* ſub finem Maij, quæ ſicuti admodum gratæ Pontifici fuerunt, ſpemque ipſi dederant bonum Concilij exitum videndi; ita ei ſummè diſplicuit aliud quiddam, quod tum temporis acciderat. Nam cùm in *Gallia* de leuanda ære alieno Corona conſultaretur, Edicto Regio, & placito Parlamenti confirmatum eſt decretum de alienandis prædijs Eccleſiaſticis ad ſummam centies mille coronatorum. Vnde magnus à Sacerdotibus tumultus excitatus, querentibus priuilegia ſua & immunitates violari, nec poſſe res ſacras vlla de cauſa, niſi authoritate & decreto Pontificis alienari. Ad has turbas compeſcendas, Orator Pontificem de aſſenſu ſolicitat. Significat Regem ſuperioribus bellis exhauſtum ſtatuiſſe res ſuas in ordinem redigere, vt ei tandem negotio incumberet, quod ſemper poſt pacem factam animo deſignauerat, nimirum, vt vniuerſum Regnum ad vnionem in religione Catholica reduceret. vt vim adhibere poſſet, ſi quis repugnaret, cogitationem cepiſſe ſubſidium populo imponendi, & à clero etiam ſuam partem exigendi. Ad id Eccleſiaſticos tanto plus quàm cæteros teneri, quanto magis ipſorum interſit. Omnibuſque perpenſis, nullam rationem faciliorem inueniri, quàm alienatis aliquibus prædijs Eccleſiaſticis, huic neceſſitati ſubuenire. ad eamque rem Sanctitatis eius conſenſum deſiderare. Reſpondit Pontifex, ſpecioſum quidem eſſe prætextum Eccleſiam defendendi, qui huic poſtulato obtenditur; ſed reuera ad eius exitium tendere: ac proinde ei damno euitando conſilium eſſe tutiſſimum,

Ad æs alienũ Regis Galliarum diſſoluendum fit Edictum de Eccleſiaſticorum reditibus alienandis, quod Pontifici ſummopere diſplicet.

Orator Gallus Pontificem de aſſenſu ſolicitat, & ſubſidij neceſſitatem explicat.

Pontifex de aſſenſu Conſiſtorij alienationi conſentire recuſat.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

mum, assensum omnino non commodare. Et licet quiuis facile credat, Gallos etiam citra Pontificis consensum, quod decreuerant executuros, tamen ille ita existimabat, haud postulaturos alienandi licentiam, si emptor absque ea inueniretur; id pro certo tenens, neminem pecuniam suam fortunæ periculo commissurum, præ metu, ne, sicuti incertus est rerum humanarum euentus, ea succedant tempora, quibus Ecclesiastici reditus suos etiam pretio non restituto recuperent. Itaque re proposita in Consistorio, ex sententia Cardinalium decreuit non consentire; sed varijs excusationibus ostendere, id postulatum à se obtineri non posse. *Lotharingius* odio irreconciliabili flagrans aduersus *Hugonotos*, non tam caussâ religionis, quàm factionis, cui cum ipso & familia sua perpetuæ controuersiæ; certus etiam fieri non posse vt concordia cum ipsis sarciatur, permolestè tulit, cum intelligeret pacis negotium bene procedere. Et quod ad reditum suum in *Galliam*, statuit etiam atque etiam cogitandum, quando & quemadmodum sibi redeundum esset. Illud quidem certe rebus suis necessarium iudicabat, cum Pontifice, Curiâ Romanâ, & cum ministris etiam *Hispaniæ*, supra quàm anteactis temporibus factum, congruere. Atque adeo ab eo die remittere cæpit de seueritate in reformatione procuranda; instituitque & maiori reuerentia Papam colere, & cum Legatis eius in medium consulere.

Lotharingius odio Protestantium statuit eum Papa, Curia Romana & Hispano melius quam ante congruere, & de suo in reformationem studio remittere.

Verum præter hanc, ob postulatum de alienatione molestiam, alia non leuior Pontificem anxium habebat. nam cùm Oratori *Gallo* sæpius promisisset, se locum ei suum in festo Pentecostes daturum, atque id curatum vellet; aliquot Cardinales congregauit, vt rationem, qua Oratori etiam *Hispano* satisfieret, excogitarent. Atque hic duo consilia proponuntur. Vnum, vt locus ei daretur infra sinistrum Diaconum. Alterum, vt sederet super scabello in summo subsellio Diaconorum. Sed hæc difficultates non auferebant. Manebat enim adhuc controuersia, quoties Sanctitatis suæ syrma esset gestandum; aut aqua in Missæ celebratione manibus danda: item cum pacis osculum, aut thuris suffumigatio accipienda. De syrmate & aquâ difficultas non tum premebat, cum nec *Papa* celebraturus esset, & adesset Orator Imperatoris. De thure & pace inuentum est temperamentum, vt darentur omnibus à dextera parte, etiam *Florentino*, qui erat vltimus, atque ita demum ijs, qui erant à sinistra. Id *Gallo* non satisfecit, dicenti, *Papam* sibi suum locum promisisse; & *Hispanum* aut non venturum, aut infra se consessurum; & nisi id fieret, abitionem meditanti. Sed neque id Oratori *Hispano* placuit. itaque decreuit Papa ad ipsum mittere, qui significarent, constituisse se locum dare Oratori *Gallo*. Respondit *Hispanus*, si decretum esset *Papæ* ea contumelia se onerare, velle scriptum quoddam eo audiente legere. Qui cum eo tractabant Cardinales *Papæ* nomine, ostendunt non rectè, ac vti decet, facturum, nisi id scriptum prius à Sanctitate eius inspiciatur, ne ex improuiso aliquid nascatur incommodi. Difficilem se præbuit Orator ad id exhibendum, ad extremum tamen acquieuit. Commouebatur *Papa* inter legendum, ob formulam verborum (vt ipse dicebat) ad rem non pertinentium. Introductus demum in Cameram *Papæ*, cum quatuor testibus, ibi flexis genibus legit protestationem suam hoc tenore. Regem *Hispaniæ* præcedere debere Regem *Galliæ* propter antiquitatem, potentiam, & amplitudinem *Hispaniæ*, item propter aliorum regnorum multitudinem, quorum respectu, omnium qui sunt in orbe Regum maximus est & potentissimus. Tum etiam quòd in prouincijs illi subiectis strenuè defensa & conseruata sit fides Catholica, & Ecclesia Romana. Quamobrem si Sanctitas eius declarare velit, aut declarauerit, verbo aut scripto, in *Galliæ* fauorem; contumeliam insignem inferre, & manifestam iniustitiam facere. Adeoque se nomine sui Regis cuicunque declarationi de præcedentia aut æqualitate in *Galliæ* fauorem contradicere: atque eam nullam & inualidam dicere, contra ius notorium Maiestatis suæ *Catholicæ*; & si iam facta sit, esse nullam, vtpote sine cognitione causæ, & aduersæ partis citatione; immo Sanctitatē eius id agentem grauibus per totū orbem Christianum incommodis causam daturam. Respondit Pontifex, admissa protestatione *si & in quantum*: se quidem excusans de citatione omissa, quoniam Gallis nihil dabat, sed tantùm conseruabat locum eum, quo proximè post *Cæsareos* Oratores semper eos viderat. offerens tamen se causam commissurum Collegio Cardinalium, aut toti

Pontifex & Cardinales in controuersia inter Oratores Gallum & Hispanum de prærogatiua loci conciliãda ne quicquam sudant.

Papa iubet significari Hispano, se Oratori Gallo honoratiorem locum daturum.

Vnde statim Orator Hispanus in Pontificis Camera protestatur.

Pontificis super Protestatione responsum.

toti *Rotæ*: quippe qui & Regem amaret, facturusque esset semper quicquid ipsi gratum foret. Ad ea cum regereret Orator, Sanctitatem eius se priuasse libertate faciendi rem gratam Regi, quem tanta iniuria grauarit: Respondit *Papa*, *Non nostra causa sed vestra, beneficiaq; à nobis in Regem collata, non mereri ista verba in protestatione apud nos facta.*

Ferdinandus Philippus 2.

Eodem tempore *Tridentum* venit Præses *Biragus*, quem supra dictum est missum à Rege *Franciæ* ad Concilium & Imperatorem. Is II. Iunij acceptus est in Congregatione, in qua non adfuerunt Oratores *Gallis* inferiores, ne locum ipsi potiorem concederent, cui in literis Regijs, Oratoris titulus non dabatur. Exhibuit literas Regis datas XV. Aprilis, quarum hæc summa. Notissimas esse turbas & bella intestina in suo regno suscitata causâ religionis; quamque ipse operam impenderit auxilijs etiam & subsidijs Principum & Magnatum amicorum suorum fretus, vt armis remedium adferret. Veruntamen ita Deo visum ob iudicia sua inscrutabilia, vt ab illis armorum remedijs non aliud reportatum sit, quàm cædes, immanitates, vrbium excidia, Ecclesiarum subuersiones, interneciones Principum, Procerum, Equitumque, aliæque calamitates & vastationes. vt facilè appareat armorum remedium non illud esse, quod quæri oporteat ad curandam infirmitatem animorum, qui non nisi ratione & persuasione se vinci patiuntur. His quidem se coactum in pacificationem consentire, quemadmodum in literis suis ea de re missis continebatur. Non quò nouæ Religioni stabilem in suo Regno sedem permittat, sed vt, cùm ab armis cessatum fuerit, minore cum lucta peruenire possit ad omnium subditorum in eadem Sancta & Catholica religione vnionem. Id beneficij expectare à misericordia Dei, & bona seriaque reformatione, quam sibi ab sancta illa Synodo promittebat. Et quoniam multa haberet ipsis repræsentanda, & ab ipsis postulanda, statuisse mandare *D. Renatum Biragum*, qui ea omnia viuâ voce exponeret: rogabatque vt ipsum exciperent, & benignè ei auscultarent.

Renatus Biragus in Congregatione Regis Galliarum literas exhibet. Literarum summa capita.

Perlectis literis, verba fecit Præses, singillatim narrans discordias, bella, & calamitates *Galliæ*; tum ad quem statum, ac necessitatem Rex & Regnum reducti fuerint; *Momorantij* Equitum Magistri captiuitatem, & *Ducis Guisii* mortem, quæ Regis brachia amputasse videbantur. Et longo sermone asseruit pacificationem pura meraque necessitate factam: atque in ea meliori esse partem Catholicam, quàm contrariam conditione. Non esse animum Regi & Consilio nouam religionem introducere, aut stabilire: sed è contrario positis armis, & obsequio recuperato, minori cum contradictione, ijsque vijs quas maiores sui tenuerunt, deuios ad obedientiam Ecclesiæ reducere, omnesque in vna sancta Catholica Religione denuo coniungere. qui satis exploratum habeant duarum diuersarum religionum exercitium non posse diu subsistere, ac in vno regno permanere. Sperare Regem breui subditos omnes in vnam & eandem de religione opinionem reduci posse, gratiæ Diuinæ subsidio, & beneficio Concilij, remedij semper ab antiquis adhibiti ad eiusmodi mala, qualia tum Christianam religionem affligebant. Orabat Patres, vt bonam Regis voluntatem, seria reformatione adiuuarent, moribusque ad integritatem & puritatem veteris Ecclesiæ reductis, & controuersijs de religione ad concordiam reuocatis. promisit Regem fore semper Catholicum, & Ecclesiæ Romanæ ad exemplum maiorum suorum addictum. Finem fecit dicendo, Regem de bonitate & prudentia Patrum confidere, ipsos *Galliæ* mala commiseraturos, & remedijs adhibendis operam daturos. Habebat Præses in mandatis, vt postularet Concilium transferri in locum, ad quem Protestantibus liber esset accessus. nam etiamsi & Pontifex, & Concilium cautionem interposuerint, locum tamen illum suspectum habere, velleque locum, vbi Imperator ipsis cauere possit. Verùm hoc caput non attigit, ex consilio Cardinalis *Lotharingy* & Oratorum sui Regis, quibus non visum opportunum eius mentionem facere, sed ob literas ad Papam & ad ipsum *Lotharingium* scriptas, de quibus supra dictum, id pro retractato habere.

Biragi Galliarum Regis nomine oratio.

In qua caput de Concilio transferendo consultò omittit.

Datum erat negotium de consilio Legatorum, vt à Promotore, Synodi nomine

Promotor responsionem

Birago responderetur. Dolere Patribus de infortunijs & calamitatibus Regni Galliæ, & hortari Regem, quoniam necessitate inductus sit ad pacem faciendam, & aliquid Hugonotis concedendum, quo religionem integrè restitueret; vt regno in tranquillo posito, ad honorem Dei, hunc optimum finem quam ocyssimè assequi adniteretur. Missa peracta, antequam in Congregationem intrarent, hanc formulam Cardinali *Lotharingio* monstrant. Qui respondit, non sibi rectum videri, vt Synodus Regis factum approbet, quod dolendum potius videretur, cum in fidei præiudicium tendat, quàm laudibus efferendum: itaque melius esse tempus ad respondendum sumere, vt in rebus maioris momenti fieri solet. Ob eam caussam, mutato consilio constituunt, *Birago* respondere in hunc modum. Quandoquidem res ab ipso commemoratæ propositæque, grauissimæ essent, & multam considerationem requirerent, Synodum tempore opportuno ei responsuram. Displicuit Oratoribus *Gallis* vehementer factum Cardinalis *Lotharingij*; existimantibus, si Legati segniores essent ad actiones Regis laudandas, ab illo pro ratione officij ipsos eò incitandos, imo pro viribus adigendos fuisse: nunc è contrario, cùm ipsi huic facta, sicut iustum & æquum erat, laudem deberi iudicassent, illum dissuasisse. Habita tamen inter se consultatione, statuunt multas ob causas ea de re in Galliam non scribendum, cùm *Lansacus* eò breui rediturus, voce eam relationem, quæ necessaria videretur, facere posset.

iuxta formulam à Legatis præscriptam adornat.

Eam Lotharingius, quod Regis Galliæ factum laudaret, non probat.

Vnde Synodus responsionis formam mutat.

Id Lotharingij factum tanquam parum ex officio Oratoribus displicet.

In Bauaria mense proximè superiori magnus quidam tumultus, populique concitatio facta, propter negatum Calicis vsum, & coniugatis prædicandi facultatem: eòque processerat illa temeritas, vt ad ipsos sedandos Dux promiserit in Conuentu Ordinum, nisi proximo Iunio *Tridenti*, aut à Pontifice aliqua ratione ipsis satisfieret, se vtrumque concessurum. Id simul ac Concilio innotuit, Legati celeriter *Nicolaum Ormanettum* ad Principem allegarunt, qui & illum ab eiusmodi concessione dehortaretur, & promitteret Concilium eius necessitatibus non defuturum. Cui Dux respondit, se ad obedientiam & deuotionem suam erga Sedem Apostolicam testificandam, omnem operam daturum, vt populum suum, quantum fieri possit, distineat; haud dubia expectatione & spe, Concilium id decreturum, quod cerneretur esse necessarium; non obstante Decreto prius facto.

Turbatur in Bauaria ob vsum Calicis & coniugia Sacerdotum.

Ormanettus à Patribus mittitur ad Bauariæ Ducem.

Cum haberentur deinceps Congregationes rebus Concilij tractandis, in earum vna Episcopus *Nemausensis* de Capitibus abusuum, qui Ordinem spectant, verba faciens, delapsus est in sermonem de *Annatis*. Ac tametsi non negaret æquum esse, vt omnes Ecclesiæ contribuant Pontifici ad Aulæ suæ sumptus sustinendos, dicebat tamen neque modum, nec quantitatem in illa pensitatione sibi probari. Non hanc, quòd satis esset, si vicesima tantum pendatur, cùm Annatarum nomine plus fortasse quam decima exigatur. Non modum, quia ad earum solutionem, nisi anno exacto, nemo cogendus sit. Et quoniam Curia Romana omnium Ecclesiarum collationibus sustentanda sit, æquum esse, vt inde quoque aliquid vtilitatis percipiatur, cùm ab eius officialibus multi, & prope omnes abusus in orbe Christiano nascantur. Hac de re ab Synodo Sanctitati eius significandum, vt prouideat. Ac nominatim ad disserendum de ordinatione Presbyterorum, qui Romæ fiunt, descendens, in ijs dicebat nec Canones, nec Decreta obseruari; idcirco necessariò decernendum, si Presbyteri *Romæ* ordinati idonei non fuerint, vt Episcopi non obstante illa ordinatione possint eos suspendere; nec fas sit suspensis per viam appellationis, aut alterius recursus Prælati decretum impedire. Postremus in eadem Congregatione verba fecit Episcopus *Auximanus*. is censebat, sicuti iam collecti essent abusus ad Ordinem spectantes, ita rectè Patres facturos, si agatur etiam de pænitentijs, quæ iniungi solent, & simul de Indulgentijs, quod hæ tres materiæ sint inter se connexæ, &, quasi manus sibi mutuo dent.

Episcopus Nemausensis in Annatis quid emendandum censeat, exponit.

Et in Presbyteris Romæ ordinatis, qui inidonei.

Auximanus de pænitentijs & indulgentijs vna cum Ordine agendum censet.

In alia quadam Congregatione, Episcopus Guadicensis longissima oratione vsus, inter alia inuectus est in Episcoporum titularium Ordinationem, sumpta occasione dicendi ab vno de Capitibus abusuum, quod datum erat ordine quartum; In quo dicebatur,

Episcopus Guadicensis in Episcoporum titularium Ordinationē inuehitur.

dicebatur, ad occurrendum ingentibus scandalis, quæ perpetuò nascuntur per occasionem eius generis Episcoporum, plures non creandos sine vrgente necessitate; & eo casu antequam ordinentur, prouidendum ipsis à Pontifice vnde viuant pro dignitate Episcopali. At enim dicebat ille Episcopus, esse dignitati Episcopali annexum, tanquam rem essentialem, habere locum & diœcesin. Episcopum & Ecclesiam relatiua esse, sicuti maritus & vxor, quorum vnum sine altero esse non potest. Adeoque naturam contradictionis non pati, vt vlla causa creandi Episcopos titulares dicatur legitima. Et affirmabat eorum ordinationem esse Curiæ inuentum; etiam hoc ipso verbo vsus, *figmentum humanum*. Eius apud antiquos nullum cerni vestigium. Nam si Episcopus olim Episcopatu exutus esset, aut Episcopatum renunciasset, id sic acceptum, quasi non amplius esset Episcopus, sicuti cui vxor deest, non est amplius maritus. Itaque legi apud antiquissimos Doctores Canonistas, inualidas esse ordinationes habitas ab eo, qui Episcopatum renunciauit. Simonias, & ineptias quibus dant causam istiusmodi Episcopi, aliasque disciplinæ corruptelas, nihil esse præ hoc abusu concedendi nomen Episcopi ijs, qui verè non sunt, & institutionem Christi, ac Apostolorum immutandi.

Ferdinandus. Philippus 2.

Simon de Nigris Episcopus *Sarsanensis*, cum sententiam diceret, in eandem materiam ingressus, dixit in Episcopo considerari debere, ordinem & iurisdictionem; quod ad ordinem, aliud non habere, quàm quòd Minister est Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, & Constitutione Ecclesiastica authoritatem habeat multarum Consecrationum, & benedictionum quæ simplicibus Presbyteris sunt prohibitæ. Verum quoad iurisdictionem, authoritatem habere in Ecclesiæ gubernatione. Episcopis titularibus potestatem duntaxat Ordinis esse, sine iurisdictione; adeoque non esse necessarium vt Ecclesiam habeant. Quod si antiquitus non consecrabatur Episcopus sine data ipsi Ecclesia, hoc ideo factum, quia ne Diaconi quidem aut Presbyteri consecrabantur sine titulo. At postquam apparuit plus facere ad Dei cultum & Ecclesiæ amplitudinem, vt Presbyteri sint sine titulo; idem de Episcopis etiam concludendum. Sed tamen vt abusibus obuiam eatur, conuenire, ne ordinentur sine dimenso vnde alantur, ne ad indignitates adigantur. De cætero, necessarium esse vt creentur, ad Episcoporum impotentium munus supplendum, aut eorum, qui ex causa legitima absunt à suis Ecclesijs, aut denique illustrium Prælatorum, qui maioribus negotijs implicantur; adeoque se illud Caput sicuti declaratum erat, approbare.

Eorundem ordinandorum necessitatem tuetur Episcopus Sarsanensis.

Episcopus etiam *Lucensis* de despensationibus disseruit, multa esse, de quibus si Synodus decreta velit formare, & ea indispēsabilia declarare, ad cultum Dei & Ecclesiæ beneficium plurimum adiumenti afferret. Quod eò se non dicere, vt Synodus Sanctitati eius Leges præscribat, sed tantummodo, quod nonnulla sint, quæ Pontificum dispensationes non admittunt. Et si casus aliquis, rarissimè contingens, semel in seculo causam iustam in his dispensandi offerat, ne illo quidem casu dispensationem iustam fore & excusabilem. Siquidem conuenire, vt priuatus quiuis aliquid grauaminis sustineat, dummodo id insigni beneficio publico cedat. Quinetiam vbi casus frequentes occurrere possunt, qui dispensationem mereantur, ad demendas occasiones impetrandi supplicationes & gratias surreptitias, quæ in animarum damnum vertunt, præstare præparcum esse quàm liberalem.

Episcopus Lucensis in plerisque Pontificibus dispensandi facultatem non permittit.

Inter eas difficultates, quæ Synodum maximè solicitam habebant, vna erat, quod nonnulli Præsules de syncera Episcopi *Tilesij* Secretarij fide addubitantes, sæpius postulabant, vt acta Concilij à duobus conscriberentur. Hæc difficultas sua sponte cessauit, *Tilesio* propter grauissimos calculi dolores vt incideretur abitionem cogitante, & suffecto in eius locum Episcopo Campaniensi. Cuius primus actus fuit in Congregatione VII. die Iunij, legendo responso, quod Legati Præsidi *Birago* reddendum concinnauerant. Id cum esset longius, ex improuiso propositum, neque voce cuiusquam è Legatis commendatum, tum etiam conceptum verbis ambiguis, quæ vel in laudem, vel in vituperationem pacis à Rege factæ trahi possent, non ab omnibus eodem sensu accipiebatur: vnde diuersæ de eo erant Prælatorum opiniones. Cardinalis *Lotharingius* primus super eo copiosè verba fecit, sed in

Tilesius Concilij Secretarius prouinciam illam alteri relinquit.

Forma responsionis Birago reddendæ à Legatis confecta Card. Lotharingio

non placet: vnde responsum iterum differtur: quod Præsules Gallos offendit.

in hunc modum, vt vtrum ei placeret, an secus non intelligeretur. Cum finem dicendi fecisset, Cardinalis *Varmiensis* instigatus à *Morono*, rogat, vt apertè animi sui sensum proferat. Tum ille sibi non placere respondit: magna cum offensione *Moroni*, quòd *Lotharingius* antea præ se tulisset id satis sibi probari, quando id ipsi ostendendum curauerat. *Madrucius* proximo loco sententiam rogatus, rem remittendam censuit Patribus. E cæteris alius probabat, alius non sibi placere dicebat. Hîc queruntur Præsules Galli, responsionem hanc & dilatam, & disputatam, contra quàm à Patribus in re simili fieri soleat. Episcopus ille, qui Orator *Ducis Sabaudiæ*, cum eius essent dicendi vices, negotium censuit relinquendum prorsus Legatis, & duobus Cardinalibus. Iam perrogatis sententijs, consurgens Archiepiscopus *Lancianensis* dixit, se quidem in sententia proferenda aliter statuisse; at nunc ex quo Oratorem audisset, se in eius sententiam ire: atque id communi omnium applausu comprobatum.

Lotharingius tuetur assertionem Gallorum Concilium esse supra Papam.

Vndecimo die Iunij habita est consultatio à Legatis, Cardinalibus, & viginti Prælatis, vt rationem inuenirent stabiliendi doctrinam de Institutione Episcoporum. Cardinalis *Lotharingius* in sententia dicenda, diuertit in eam Gallorum assertionem, quòd Concilium sit supra Papam, adijciens, ita definitum à Concilio *Constantiensi* & *Basileensi*. Non requirere se aliam ab illo Concilio declarationem: attamen, si cum Gallis consentire velint, necesse esse, vt Decretis iam conficiendis nulla verba inserantur, quæ ipsorum sententiæ præiudicent. Cùm Archiepiscopo *Hydruntino* esset dicendi locus, multus fuit in Cardinale redarguendo, repetens & refutans quicquid ille pro Concilij superioritate dixerat; & subiunxit, esse nonnullos, qui eam opinionem de superioritate Concilij adeo veram ac indubitatam credant, atque illud, *Verbum caro factum est*: neque tamen videre se, quemadmodum ea de re in conscientia sua securi esse possint. Quibus verbis *Lotharingium* perstringebat, quem passim iactabatur ea comparatione vsum. Postea descendens ad disserendum de institutione Episcoporum, affirmauit, nullam in ea re controuersiam futuram, nisi formula à Cardinale *Lotharingio* proposita occasionem dedisset. Respondit Cardinalis, se, cùm *Tridentum* venisset, reperisse difficultates illas hinc inde agitatas; formulam illam non composuisse nisi rogatum, animò pacis & concordiæ conciliandæ, controuersiasque componendi: id quando sibi non successerit ex voto, gratulaturum se Archiepiscopo, si ille eum honorem demerebitur, quem ipse reportare non potuerit. Gratias ei insuper agebat, quod veluti Magister se reuocaret in viam, quando aliqua in re exorbitaret. Quod ad quæstionem de superioritate Concilij, dicebat nec se, qui in Gallia natus esset, vbi ea opinio vulgò recepta est, nec cæteros Gallos posse eam deserere; nec quod eam teneant, credere se ad abiurationem Canonicam cogendos. Regerebat Archiepiscopus se reprehendere formulam illam, vt imperfectam; vnde natæ essent eæ difficultates. De cætero, non esse illum locum respondendi; seque iniurias sibi factas parui pendere: Sed id sanè sibi dolere, esse nonnullos, qui ex professo Legatorum actiones criminantur, mentem parum candidam prodentes. Tacuit Cardinalis, neque vllam edidit conceptæ offensionis significationem.

Inter Card. Lotharingium & Archiep. Hydruntinum altercationes, animorum vtrimque exasperatorum indices.

Quo nomine Comes Lunẽsis Hydruntinum obiurgat.

De hoc facto Comes *Lunensis* siue instinctu proprio, siue Gallis impellentibus Archiepiscopum obiurgat, affirmans, si ad aures Maiestatis Catholicæ peruenerit, ipsi id haud dubiè displiciturum. Et Prælatus quidam Gallus, siue id negotij ei datum esset à *Lotharingio*, siue voluntate susceptum, Cardinali *Morono* significauit, illum Archiepiscopum officij metas longè egredi, etiam cum Cardinale iampridem, quando de residentia tractabatur, egisse inciuilius. Necnon Cardinali significatum, quotidie in ædibus eius famam ipsius vellicari: neque illic honoratiori titulo dignum iudicari, quàm hominis veneno tumentis. ad quæ cùm hoc quoque postremum accesserit, expedire, vt vterque vnà ad consultationem non aduocetur. nam id Cardinalem haud æquo animo laturum. Ad ea præcisè respondit Cardinalis *Moronus*, sibi *Romæ* mandatum omnibus consultationibus illum Archiepiscopum adhibere; eiusque rationem eximiè habendam, cum circiter quadraginta suffragia ab eius ore ac sententia pendeant. Hoc responsum ad *Lotharingium* relatum, vehementer ipsum contra Cardinalem *Moronum* incendit; sic accessione facta ad id quod paucis ante

At Moronus cum propter XL, quæ ab eo pendent, suffragia, magni faciendum censet.

ante diebus, cum inter ipsos Legatos & Cardinales de responsione *Birago* reddenda consultaretur, (quæ à Congregatione ad ipsos remissa) *Moronus* ei exprobauerat, quòd responso prius formato semel contentus, postea in Congregatione generali contrarium dixisset. Et cogitabat sedulò apud se *Lotharingius* quomodo istum sui contemptum vindicaret; præsertim cum etiam Româ accepisset, Papam illum tanquam scandalosum accusare, & cui animus sit, Catholicos cum Protestantibus vniendi. Verùm consideratis vtilitatum suarum rationibus, quæ suadebant, non magis magisque seipsum ab *Roma* segregare, sed viam potius in gratiam cum *Roma* redeundi tentare, vicit vtilitas iracundiam; fecitque, vt in proposita sibi sententia perseuerarit, omnem deinceps operam ad Concilium finiendum, & Pontifici satisfaciendum conferendi.

Ferdinandus Philippus 2.

Apud Lotharingium vtilitatum suarum ratio iustis offensionũ caussis præponderat.

At Præses *Biragus* responso, quousque sibi visum è dignitate, exspectato, XIII. die *Tridento* Oenipontem proficiscitur, vt alterum mãdatorum caput apud Imperatorem exequeretur. Id erat, vt congratularetur de electione Regis Romanorum, exponeret causas pacis cum Hugonotis factæ, eique de restitutione vrbis *Metensis* & aliorum oppidorum Imperialium responderet. Habebat etiam in mandatis, agere cum *Imperatore*, vt coniunctis cum Rege *Hispaniæ* officijs, vnà omnes translationem Concilij in *Germaniam* solicitarent. Hoc cum Cardinale *Lotharingio* communicato, vt ab ipso addisceret rationem illi negotio maxime accommodatam, aut certe prorsus omitteret, sicuti nuper *Tridenti* factum; Cardinalis ob easdem rationes, id quidem existimauit Imperatori exponendum; sed vt optandum potius, quàm aut sperandum, aut tentandum.

Biragus, non expectato diutius Synodi responso Tridento discedens ad Imperatorem proficiscitur mandata ei expositurus.

In mandatis Comitis *Lunensis*, vno capite disertè erat imperatum, vt premeret retractationem illius Decreti *Proponentibus Legatis* &c. At post eius aduentum, per eosdem dies nouæ superueniunt à *Rege* literæ, in quibus significabat postulasse à se *Reginam Galliæ*, vt Concilium, quò libero in loco sit, in *Germaniam* transferatur. se respondisse, non sibi id videri necessarium, cùm ratio iniri posset, quâ, quantumuis Tridenti continuatum, omni libertate fruatur. Itaque Comiti mandat, det operam, vt plena ibi libertas sit, initio facto à reuocatione illius Decreti: quo vigente, liberum id nullo modo appellari posse. Orator haud vltra differendum ratus, exponit Legatis, quid sibi commissum esset; & ipse haud secus ac imperatum erat, Regis nomine vehementer instat, vt Decretum illud vel tollatur, vel declaretur. Id æquum esse, quòd Germani inter alias causas, ob hanc nominatim ad Concilium venire renuissent: & quod Imperator, vt ipsos ad Concilium recipiendum inducat, id summè necessarium iudicet. Ad ea Legati respondent, Decretum illud communi omnium Patrum consensu factum: veruntamen re considerata, se quod æquum videbitur, constituturos, si ille postulatum suum scripto exhibeat. Ab Oratore traditum, Legati statim mittunt ad Pontificem, tametsi *Morono* dicente, id esse superuacaneum; &, nullâ exhibitâ Sanctitati eius molestiâ, responsionem in longum extrahendam. In Principum negotijs, præsertim quæ Status vitalia non attingunt, solet euenire, vt licet ipsi pro rerum mutationibus opinionem quoque mutent: tamen propter significationes ab ijs ante mutationem factas, res contra succedant, quam in præsentia vellent. Ita hic accidit, Reginæ matris apud Regem *Hispaniæ* solicitationibus, priusquam in Concilij negotio Pontifici per omnia gratificari constituisset, hunc literarum Regis effectum producentibus. Sed *Moronus* qui in eius negotij intima penetrarat, eas non tanti, quanti ab alijs æstimabantur, faciebat.

Lunensis de Regis sui mãdato vrget abrogationem Decreti Proponentibus Legatis.

Legati postulatum eius Scripto exhibitum ad Pontificem mittunt.

In Congregatione XV. Iunij, proposuit Cardinalis *Moronus*, vt habendæ Sessioni dies certus decimus quintus Iulij statueretur. *Segouiensis* cum paucis aliquot alijs dixit, se non videre, quomodo tam breui spatio, tot difficultates, quæ præ manibus erant, de Hierarchia, de Ordine, de institutione Episcoporum, de præeminentia Papæ, de residentia possint determinari. Satius esse decidere primùm controuersias, (nam tum pro arbitrio breuem terminum Sessioni præfigi posse) quàm diem præstituere, vt postea cum indignitate prorogetur. Sed quod hi qui contra dicebant, pauci essent, quod propositum à Legato, facilè obtinuit.

Dies XV. Iulij Sessioni præfigitur, licet Patrum nonnullis reclamantibus.

Lainezij Iesuitæ sententia, quæ in Papæ & Curiæ Romanæ præiudicium ante dicta essent, refellens. De dispensationibus.

Postero die, *Lainezius Iesuitarum Generalis* in sententia dicenda orationem conformauit ad respondendum ijs omnibus, quæ ab alijs non satis congruenter ad doctrinam Curiæ dicta; idque tanta vi ac vehementia verborum, ac si de propria salute agendum foret. In materia dispensationum effusior, arguit vti absurdam, orationem eorum qui dicerent, non esse aliam potestatem dispensandi, nisi interpretatiuam, & declaratiuam. Sic enim maiori esse Doctorem eruditum, quàm magnum Præsulem authoritate. item affirmare, per dispensationem Papæ non posse obligatione liberari eum, qui coram Deo abligatus est, non esse aliud, quam docere homines, propriam conscientiam authoritati Ecclesiasticæ præferre. Quæ conscientia cum erronea esse possit, & plurimùm à recto aberret, ei se remittere, esse, Christianum quemlibet in abyssum periculorum demergere. Negari non posse Christo authoritatem de quacunque lege dispensandi. Cum autem Pontifex Vicarius sit Christi; cumque idem sit tribunal, & idem Consistorium principalis & vicem eius gerentis, confitendum, Papam eadem authoritate munitum. Hoc priuilegium Ecclesiæ Romanæ indultum; &, quoniam hæresis sit, de illius Ecclesiæ priuilegijs quidquam detrahere, id diligenter cuilibet cauendum: alioqui negari authoritatem ipsi à Christo concessam. Progressus dein ad ea confutanda, quæ de Curiæ reformatione dicta, asseruit eum, qui superior est cunctis Ecclesijs particularibus, superiorem esse etiam multis simul congregatis, &, si Curiæ Romanæ sit reformare quamlibet Ecclesiam, quæ Episcopum habet in Concilio; neque vlla earum Romanam reformare possit, quia non est discipulus supra magistrum, aut seruus supra dominum; necessariò consequi, Concilio potestatem non esse manum huic operi admouendi. Multos ita loqui, vt abusui ascribant ea, quæ benè penitiusque examinata, aut necessaria, aut saltem vtilia inuenientur. Esse nonnullos, qui cupiant res ad eum statum reductas, quo erant temporibus Apostolorum, aut in Ecclesia primitiua: sed hos tempora distinguere nescios, quid istis, & quid illis conueniat, non animaduertere. Id esse manifestum, diuina prouidentia & benignitate Ecclesiam opibus ditatam: nihil esse dictu ineptius, quàm Deum Ecclesiæ diuitias, & non vnà earum vsum donasse. De annatis dixit, Esse *de iure diuino*, vt à populo decimæ & primitiæ ordini Ecclesiastco pendantur, sicuti *Leuitis* à populo *Hebræo*; & sicut *Leuitæ* decimas soluebant summo Sacerdoti, eadem obligatione totum ordinem Ecclesiasticum teneri Papæ. Beneficiorum enim reditus esse decimas, & annatas decimarum decimas. Hæc oratio multis displicuit, & nominatim Gallis. nec deerant Prælati, qui ex ea multa annotarunt, animo refellendi, si daretur occasio, cum ad eos peruenissent loquendi vices.

De reformatione Curiæ Romanæ.

De Annatis.

Lainezium Legati præ cæteris fauore prosequentes, suspicionem mouent illum ipsorum instinctu loqui.

Hispani & Galli in ea opinione fuerunt, illum Patrem de mandato, aut saltem consensu Legatorum ita disseruisse; coniecturam capientes à plurimis, quibus eum quacunque occasione ornabant, fauoris indicijs. nominatim verò, quod cum moris esset, vt cæteri Generales in dicenda sententia pedibus consisterent, & loco suo; *Lainezius* in medium euocatus, sedere iubebatur. Tum quòd sæpius in eius solius gratiam Congregatio habita, scilicet, vt ei quantum vellet dicendi daretur opportunitas. Et licet omnes in dicendis sententijs essent dimidio quàm ille, breuiores, ille tamen laudabatur, ij verò contra quos locutus, nunquam ita succinctè dixerunt, vt nimietatis reprehensionem effugerint. Ceterùm *Lainezius* intellecta offensione, quam *Galli* præ se ferebant, mandat *Torrensem* & *Cauillonum* è societate sua, excusatum apud *Lotharingium*; qui dicerent reprehensiones suas non in Amplitudinem eius Illustrissimam; nec in quemquam è Prælatis Gallicis eiaculatas; sed contra Theologos *Sorbonæ*, quorum opiniones Ecclesiæ doctrinæ parum essent consentaneæ. Quæ excusatio Cardinali in Congregatione Gallorum, quæ in ædibus eius habebatur, renunciata, cum offensione omnium audita est, & à nonnullis eorum petulans, ab alijs etiam derisoria credita. Grauius etiam accepta est à paucis illis, qui remanserant, Theologis, adeo vt vel ipse *Hugónius*, quamuis precio corruptus, eam intolerabilem reputarit. Præter cæteros *Verdunus*, qui sibi perstrictus videbatur, & ideo ad respondendum obstrictus; Cardinalem orat, vt respondendi veniam illi permittat & occasionem: promittens se cum modestia dicturum, & ostensurum

Dum Lotharingio se excusatum cupit, Gallos omnes grauius offendit.

Verdunus in congregatione Gallorum, ab Lo-

ſurum *Sorbonæ* doctrinam Orthodoxam eſſe, & Ieſuitæ contra nouam & inauditam. Nunquam antea in Eccleſia intellectum, à *Chriſto* datam eſſe clauem authoritatis, ſine claue ſcientiæ. Spiritum Sanctum pro Eccleſiæ regimine donatum, à diuina Scriptura Spiritum veritatis appellari, eiuſque operationem in Eccleſiæ gubernatoribus & *Chriſti* miniſtris hanc eſſe, deducere in omnem veritatem. Hanc adeo ob cauſam *Chriſtum* miniſtros ſuos authoritatis ſuæ participes feciſſe, quod ſimul ipſis lumen doctrinæ communicarit. *S.Paulum* cum ad *Timotheum* ſcribit ſe Apoſtolum conſtitutum, id ita declarare, hoc eſt Doctorem gentium: & duobus in locis præſcribentem Epiſcopi conditiones, doctorem requirere. Si vſum Eccleſiæ primitiuæ intueamur, inuenturos, idcirco fideles ad Epiſcopos pro diſpenſationibus & declarationibus recurriſſe, quod ad id munus aſſumpti eſſent, in doctrina Chriſtiana optimè & perfectiſſimè inſtituti. Omitti etiam poſſe antiquitatem. nam Scholaſticos & Canoniſtas pleroſque conſtanter tenuiſſe, haud aliter validas eſſe Prælatorum diſpenſationes, quàm *claue non errante*. *Hugonius* etiam ſe offerebat tractaturum de illa aſſertione, quòd idem ſit *Chriſti* tribunal & Papæ, tanquam propoſitione impia & ſcandaloſa; quæ immortalem mortali adæquet, & iudicium corruptibile diuino. Ab ignorantia hoc naſci, cum Papa ſeruus ille, ſit præpoſitus *Chriſti* familiæ, non vt faciat officium Patris familias, ſed tantùm vt cuique diſtribuat; non arbitrariò, ſed quod ab eodem Patre ordinatum. Obſtupeſcere ſe, quomodo aures Chriſtianæ audire ſuſtineant, totam *Chriſti* poteſtatem alij cuiquam communicatam. Et locuti quidem omnes, hoc vnam, illo alteram ex Ieſuitæ aſſertionibus cenſurâ ſuâ prædamnante. At Cardinalis eos monuit, rem magnam factum iri, id ſi obtineatur, vt in publicis Concilij decretis aditus ad iſtam doctrinam non aperiatur; atque ad hoc tantùm efficiendum omnium oculos intendendos. Iam ad hunc finem facilius peruenturos, rem ſilentio tegendo, & memoriam eius obliuione obruendo, quàm altercando & contradicendo; vnde aliquod veritati præiudicium creetur. Acquieuerunt quidem, non ita tamen, vt in priuatis congreſſibus non multus ea de re fuerit ſermo.

[Margin: ...tharingio reſpondendi veniam petit, & quibus argumentis, Ieſuitæ doctrinam eſſet confutaturus, oſtendit.]

[Margin: Et Hugonius eius aſſertionem, idem eſſe Chriſti & Papæ tribunal, vti impiã refellere geſtit.]

[Margin: Lotharingius contra ſilentium ſuadet, & obliuionẽ iſtiuſmodi opinionum, ne nimia altercatione veritas luat.]

Cæterum Legati duo illa Capita de inſtitutione Epiſcoporum, & de reſidentia verbis generalibus adeo commodè pertexuerant, vt vtrique parti, ſimul *Lotharingio* ſatisfieret. Sed aduocatis deinde in conſultationem Theologis Pontificijs, & aliquot Prælatis Canoniſtis, iſti refragantur, quòd verba interpretationem admitterent, authoritati Sedis Apoſtolicæ, & conſuetudinibus Curiæ præiudicãtem. Epiſcopus *Neocaſtrenſis*, qui ſæpè in Congregationibus ea de re pro curiæ Romanæ commodis contenderat, aperte profitetur ex illa dicendi formula colligi, totam Epiſcoporum iuriſdictionem à Papa non prouenire, ſed eius vnam partem immediate à *Chriſto*: quod nullo modo eſſet ferendum. Idem tenebant ceteri Pontificij, ſiniſtrè quamlibet voculam interpretati, niſi expreſſè diceretur, Epiſcoporum omnem iuriſdictionem manare à Pontifice. Legati capita ſic reformata ad Pontificem mittunt, non tam vt *Romæ* examini ſubijciantur, quàm ne quid in materia tanti momenti inſcio Pontifice proponatur. Quæ cum à Cardinalibus his negotijs præpoſitis viſa eſſent, & examinata, iudicarunt, ſecundum illam formulam omnes Epiſcopos in propria diœceſi æqua cum Pontifice conditione eſſe. Pontifex verò Legatos reprehendit, quod eam ad ſe mandaſſent. nam ſatis ſcire ſe, Concilij Patres maiorem partem eſſe Catholicos, & Eccleſiæ Romanæ deuotos, ſeque his confiſum, permittere lubenter, vt in Concilio propoſita ac deliberata ſe haud conſcio *Tridenti* decernantur. Neque ideo tamen velle ſe in ea, quæ ſibi præiudicium afferunt, conſentire, ne malo illis exemplo præeat; & in cauſa ſit, vt & ipſi nonnullis rebus contra conſcientiam aſſentiantur.

[Margin: Decreta de Inſtitutione, & reſidentia emendata ad Pontificem mittuntur.]

[Margin: Neocaſtrenſis & Pontificij nullam partẽ Iuriſdictionis Epiſcopalis à Chriſto immediatè proficiſci volunt, ſed totam à Pontifice.]

Per id tempus aliud negotium non minoris operæ Pontificem ſolicitum habuit. nam cùm ab *Rege Romanorum* mittendi eſſent Oratores, qui de ſuâ electione Pontifici ſignificarent, non putauit ad exemplum aliorum Imperatorum & Regum, quos nulla premebat difficultas, ſibi ad voluntatem Papæ quiduis promittendum ac iurandum: ſed ratione habita Principum, & cæterorum *Germaniæ* Proteſtantum, ne ipſos vltro offenderet, voluit ſibi prius declarari, quibus verbis vtendum eſſet. Ea re

[Margin: Maximilianus Rex Romanorum Electionis ſuæ confirmationem poſtulans, reuerentiam & obſe-]

quium Papæ vltro defert, sed de obedientia præstanda iurare recusat.

Temperamentum proponitur, vt de obedientia det fidem iureiurando, non quà Cæsar designatus, sed vt Rex Hungariæ & Bohemiæ.

Ridiculus controuersiæ exitus, Papa obedientiam accipiente quæ non promittitur.

re in Cardinalium consultatione posita, decreuerunt illi, postulandam ei Electionis confirmationem, & in obedientiam Sedis Apostolicæ ad exemplum omnium aliorum Imperatorum iurandum. Quibus respondit, falsos illos fuisse: se verò nunquam in aliquid consensurum, quod fraudi futurum sit successoribus suis; sicut nunc decessorum suorum actiones ad suum præiudicium trahuntur: cum id non aliud sit, quàm se vasallum profiteri. Mandat itaque vt Orator suus his verbis vtatur. Maiestatem eius omnem reuerentiam, deuotionem, & obsequium Sanctitati eius & Sedi Apostolicæ præstituram: ac promittere, se Sanctam fidem Catholicam non solum saluam conseruaturam, verum etiam, quantum poterit, amplificaturam. Cum inter eos non conueniret, huius negotij tractatione iam annum continuata, existimant tandem *Romæ* commodum se temperamentum inuenisse, hoc proposito, vt de obedientia fidem daret, non quà *Imperator*, sed quà Rex *Hungariæ & Bohemiæ*. negari enim non posse aiebant, Regem *Stephanum* anno salutis humanæ millesimo Regnum Apostolicæ Sedi donasse, illudq; vnà cum titulo Regio, postea eidem acceptum tulisse, & se ei in clientelam dicasse. & *Vladislaum Ducem Bohemiæ*, accepta ab *Alexandro II.* facultate mitram gestandi, ad solutionem centum argenti marcarum in annos singulos se obligasse. Quæ ab *Germanis* in consultationem adducta, quòd non alijs niterentur firmamentis, quàm Papæ *Gregorij VII.* affirmatione, in ridiculis habita: ijsque responsum, opus esse documentis recentioribus, & certioribus, ac titulo iuris minus ambigui. Multi vltro citroque nuncij commeabant, cum varijs propositionibus, responsis, & replicationibus, quibus omnibus omissis mihi consilium est negotij modo exitum referre, qui eiusmodi fuit. Post mensem vicesimum, venit *Romam* Comes *Elfestenius* Orator illius Regis, quicum renouatæ eædem de postulanda confirmatione, & obedientia iureiurando promittenda tractationes. Sed illo dicente, se habere in scriptis orationem, quam totidem verbis recitare debeat, imperatumque, ne vnum eius apicem commutaret; *Papa* facta congregatione generali rem Cardinalibus proposuit. Illi post longam consultationem denique statuunt; quamuis nec confirmatio petatur, nec promittatur obedientia, tamen in responsione ad Oratorem dicendum, sanctitatem eius Electionem Regis confirmare, omnes defectus, qui in illa de facto & de iure interuenerunt, supplendo; & obedientiam Regis accipere, nullà interim, vtrum postulata fuerit, an non postulata, promissa an secus, mentione adiecta. Atque hæc ceremonia parum ex sententia animi Pontificis, minus etiam ad mentem Collegij Cardinalium est peracta.

Pontifex solicitantium importunitate victus concedit, vt decretum *Proponentibus Legatis* suspendatur. At Moronus in contrarium obstinate pertendit. Ille plus æquo sibi arrogans collegarum inuidiam sibi conflat.

Sed vt ad ea tempora, de quibus nunc scribo, reuertar, id restabat Pontifici, vt crebris Oratorum apud se, & Comitis *Lunensis Tridenti*, solicitationibus prouideret, de Decreto cum clausula *Proponentibus Legatis* auferendo. Itaque tantam molestiam pertæsus, scripsit ad Legatos, vt proponeretur in Congregatione de eo suspendendo. Verùm Cardinalis *Moronus* respondit Oratoribus, qui mandatum quod à Pontifice acceperat, vrgebant, se nunquam ei assensurum, & potius quam in eiusmodi declarationem consentiat, cum bona Sanctitatis eius venia Legati muneri renunciaturum. Hoc responsum cæteris Legatis inconsultis datum, vnà cum alijs nonnullis quæ Cardinalis ille solus statuerat, inuidiam ipsi collegarum conflauerat, quasi plus æquo sibi præ cæteris arrogaret. quippe existimantium, vtcunque mandata seorsim haberet, non debuisse tamen ea exequi, nisi omnibus ante sibi significatis, & integrè communicatis; saltem cùm ad executionem veniendum.

Birago absenti à Synodo responsum datur.

Fumanus Secretarius Tilesio iungitur.

In Congregatione habita XXI. Iunij lecta est responsio Præsidi *Birago* reddenda, à Legatis & Cardinale *Lotharingio* formata; ac sine vlla controuersia admissa. & quoniam ei iam absenti voce reddi non poterat, ad eum scripto transmissa est. Concilij Secretarius deputatus *Adamus Fumanus*, qui *Tilesio* adhuc valetudinario adiungeretur. Sed manentibus adhuc, aut potius gliscentibus controuersijs super Articulis de Institutione Episcoporum, & de authoritate Papæ, Prælati cum cernerent, de ijs in Congregatione verba faciendo difficultates augeri, quasi communi consensu statuunt, de ijs priuatim tractare, & ad temperamentum controuersijs inueniendum rationes inuestigare. Nonnulli, qui controuersias sopitas cupiebant, vt aliquem Concilium progressum faceret, cum nullam perspicerent concordiæ rationem, suadebant,

vtramque

vtramque materiam prorſus omittendam. Et quanquam hæc ſententia ad extremum obtinuit, principio tamen in varias incurrit oppoſitiones. Obluctabantur *Hiſpani*, id vnum ſatagentes, vt definiretur, iuriſdictionem Epiſcopalem à *Chriſto* prouenire. Et Cardinalis *Lotharingius* longius etiam progreſſus, id definiri volebat, eſſe à Deo immediatè ipſorum & vocationem, & loci aſſignationem. At *Galli* ſtudebant authoritatem Pontificis declarari ijs limitibus circumſcriptam, vt nequeat aut contrauenire, aut diſpenſare in ijs, quæ à Concilio generali definita eſſent. Alij dicebant, ratione propoſita tantummodo dilationem quæri, citra vllam profectus, aut commodi inde percipiendi certitudinem. Nam priuſquam ad Concilij finem peruentum fuerit, neceſſariò tractandum, de omnibus ijs, quæ hactenus examinata, definiendis. ita euigilaturas, quæ conſopitæ fuerant, difficultates. Quod ſi fortè Galli prius diſcedant, ſicuti ipſos conſtituiſſe, ferebatur, ab ſchiſmate periculum impendere, ſi poſt eorum diſceſſum quidquam controuerſi tractetur. præterquam, quòd ob communia *Lotharingio* cum Imperatore conſilia, credebatur ab ijs, qui nouas vtriuſque cogitationes ignorabant, diſcedentibus Gallis Maieſtatem eius Oratores ſuos reuocaturam. Quo caſu, Concilij continuationem parum exiſtimationis habituram, & ſi quid decerneretur, multos id ſine authoritate factum exiſtimaturos.

Patres alij controuerſijs ſopiendis vtramque quæſtionem de Inſtitutione Epiſcoporum, & auctoritate Papæ omiſſam volunt, alijs refragantibus.

Non minor erat alia difficultas ſuper articulo de Electione Epiſcoporum. ſiquidem è Patribus magna pars dici volebant, digniores neceſſariò eligendos: & in eius rei confirmationem magno numero Canones & teſtimonia è Sanctis Doctoribus adferebant. Cui ſententiæ reclamant Pontificij, aſſerentes, id eſſe authoritatem Pontificis reſtringere eum in modum, vt nunquam cuiquam gratificari poſſit; nec alium eſſe vſum in Curia receptum, à tempore cuius non exiſtat memoria, quàm, vt dignus eligatur. Sed & Oratores etiam Galli & Hiſpanus repugnabant, poteſtatem Regum in nominationibus plus ſatis circumſcribi, cauſſati, ſi digniſſimum exquirere tenerentur. Permulti è Patribus circumibant prenſantes, ne id caput etiam ſine vllo additamento de eligendis dignioribus reciperetur. Nominatim Epiſcopus *Britinorienſis*, & *Lainezius* Ieſuitarum generalis annotationes quaſdam, & obſeruationes à ſe factas, Patribus diſtribuentes conabantur oſtendere, magna ex illo Decreto incommoda conſecutura. Nam in eo contineri, vt vacante Eccleſia Cathedrali Metropolitanus ad Capitulum nomen eius, qui eſſet promouendus, tranſmitteret: Id pro concione publicè propoſitum in omnibus Ciuitatis Eccleſijs parochialibus die Dominico, etiam portis Eccleſiæ affigeretur: ac poſtea Metropolitanus ad Ciuitatem vacantem profectus, teſtes de perſonæ qualitate examinaret; lectiſque in præſentia Capituli omnibus eius codicillis, & teſtimonijs, quicunque aliquid contra perſonæ dignitatem opponere vellet, audiretur. Quæ omnia tabulis conſignata mitterentur ad Papam in Conſiſtorio legenda. Hanc Conſtitutionem diſſerebant cauſam fore ſeditionum, & calumniarum: tum hac ratione certam authoritatem populo dari, qua fretus, Epiſcoporum electiones, (ſicuti aliàs) eſſet vſurpaturus. His alij excitati, eadem opponunt contra articulum de promouendis ad ordines maiores; quò dicebatur, nomina ipſorum apud populum tribus Dominicis promulganda, & valuis Eccleſiæ affigenda: literas item teſtimoniales quatuor Presbyterorum, & totidem laicorum eiuſdem parochiæ chirographis ſubſcribendas. nullam enim authoritatem laicis, in his negotijs, quæ ſunt merè Eccleſiaſtica, concedendam. In his difficultatibus Legati quid facerent incerti, temporis vſura fruebantur, interea, expectantes ſi qua daretur aditus ad Concilij exitum, cuius aſſequendi tamen nullam rationem conſpiciebant.

Alia controuerſia ſuper electione Epiſcoporum, an non obligentur ad digniores eligendos, an verò ſatis ſit dignos eligi.

Incommoda commemorantur ex decreto ſequutura.

Sed & noua quædam tractatio cœpta eſt de reformatione Cardinalium. Nam cùm Pontifex intelligeret, per omnes Principum aulas hac de re ſermonem haberi, atque *Tridenti* Oratores *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, & *Luſitaniæ* conſtituiſſe inter ſe, id à Concilio poſtulare, per literas Legatos conſulit vtrum *Romæ*, an *Tridenti* id tractari expediat. Idipſum in Conſiſtorio deinde propoſuit, Congregatione, ad eam conſultationem indicta: præſertim verò ad præcauendum, ne Principes in electione Pontificis in Conclaue ſe ingererent. Atque vt in negotio tanti momenti circumſpectiùs procederet, miſit *Tridentum* multa Reformationis capita è Concilijs deſumpta, cum mandatis

Pontifex Cardinalium reformationem cogitans, varia capita Tridentum mittit ad Legatos, Patrum præcipuis impartienda.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

Lotharingij & Madrucij responsum.

datis ad Legatos, vt re cum primarijs Prælatis communicata, quid ipsis videretur, rescriberent. Respondent Cardinales *Lotharingius* & *Madrucius*, se quid sentiant non ante dicturos, quàm mentem Pontificis intelligant: sed & tum quoque etiam atque etiam cogitandum. Et *Lotharingius* nominatim multa dixit, digna correctione existimari, quæ tamen ipse iure reprehendenda non putet: & alia in parte culpari posse, sed non absolutè. Ac particulare illud tangens de Episcopatibus, dicebat non esse inconueniens, vt Presbyter Cardinalis Episcopatum teneat; sed haud sibi rectum videri, vt Cardinalis Diaconus sit Episcopus. Ob hanc causam se suasisse fratri suo Cardinali, vt Archiepiscopatu Senonensi cederet. Verùm hoc reformandi Cardinales studium subito obmutuit. nam cùm qui *Tridenti* erant omnes eò inclinarent, vt à Papa potius & Collegio tractaretur, & galeri purpurei Candidati, ne multa desiderijs suis objicerentur impedimenta, timerent; factum inde, vt facilè id negotium conticuerit. Cogitabat etiam Pontifex, de constitutione sancienda, ne Episcopi *Romæ*, & in statu Ecclesiastico functionis secularis procurationem suscipiant. Sed ab Legato *Simoneta* alijsque suis Prælatis monitus est, id magno Ecclesiasticorum præiudicio cessurum in *Gallia*, *Polonia*, & alijs Regnis, in quibus Regibus sunt à consilijs, & alia regni munera amplissima sustinent, quæ facile fuerit ijs abrogare, Principibus exemplum Sanctitatis suæ imitantibus, & nobilitate seculari vtilitatum propriarum aspectu, ad id procurandum excitata. Quocirca si ita constitutum haberet, exequi quæ destinasset, rebus id ipsis faceret, non lege scripta; ne ordine Ecclesiastico alijs in Regnis tam graue præiudicium adferret.

Reformationis studium subitò conticescit.

Pōtificis consilium de interdicendo ne Episcopi Secularibus sese implicent officijs, Simoneta, alijque remorantur.

Imperator cōperto vicinitate sua Concilium non promoueri, Oeniponte discedit.

Ad vicesimum quintum mensis Iunij, Imperator siue per id tempus, siue ante duos menses, cùm *Moronus* secum esset, rerum experimēto edoctus suam vicinitatem Concilio, non modo fructum eum quem sperabat, non adferre, sed effectus potius contrarios producere: quòd Præsules Pontificij suspicione iam concepta, Maiestatem eius contra authoritatem Curiæ Romanæ consilia inijsse, cuncta timerent, vnde difficultates & suspiciones tum acerbitate tum numero augescebant; cumque alia non deessent, in quibus vtilius operam impenderet, *Oeniponte* discessit. Scripserat iam ante ad *Lotharingium*, quando esset ita compertum, vt quasi manu contrectari posset, nihil boni à Concilio effici posse, se existimare, esse Principis Christiani, & prudentis æquo animo potius præsens malum perferre, quam eius remedia quærendo grauiora accersere. Et *Comitem Lunensem*, qui triduo ante ad ipsum per equos dispositos excurrerat, scribere iussit ad Regem Catholicum; super Decreto *Proponentibus Legatis*; & suis verbis Maiestatem eam hortari, vt Decreti neque reuocationem, neque declarationem quæreret. quod si quis Maiestati eius scrupulus restaret, ne eo non declarato quidpiam præiudicij futuris Concilijs adferatur, posse, si opus sit, in fine huius Concilij declarationem institui. Et iam certior factus, *Romæ* & *Tridenti* tractari, de lite instruenda contra *Reginam Angliæ*; scripsit ad Pontificem, & Legatos, quoniam ex Concilio is fructus, qui desiderabatur, percipi non poterat, vt Catholici omnes vnanimi consensu in reformationem Ecclesiæ incumberent; saltem hæreticis occasio non daretur, arctiorem inter sese societatem ineundi: quæ tum sanè offerebatur, cùm tractabant de anquirendo in *Reginam Angliæ*: Ex quo sine dubio communis omnium consociatio contra Catholicos esset nascitura, eaque magna incommoda datura. Hac Imperatoris admonitione adeo efficaci factum, vt & *Romæ* *Papa* desistendum curauerit, & mandata Legatis *Tridenti* data reuocauerit. Iam Pontifex animaduersa Hispanorum offensione, ob locum Oratori, quem cupiebat, *Romæ* negatum, vt eosdem placaret, auscultauit tandem petitioni *Vargæ*, per multos dies assidua molestáque interpellatione instantis, vt, quemadmodum rationem adinuenisset, qua Comes Regis sui Orator in Congregationibus *Tridenti* interuenire posset; ita appropinquante Sessionis celebrandæ tempore, Sanctitas eius modum excogitare velit, quo & huic quoque interesset. Etenim post multam ea de re cum animo suo cogitationem, & cum Cardinalibus consultationem, huc denique ventum est, in Sessione quoque dandum Comiti *Lunensi* locum separatim ab alijs Oratoribus. atque vt competitioni inter Oratores in thure ingerendo, & pace deferenda occurratur, duo thuribula adhibenda, ad Gallos & Hispanum simul eodem momento temporis

Imperator Pontificem & Legatos monet, ne Reginę Angliæ dicam scribere pergant: cuius admonitioni auscultatur.

Pontifex Vargæ Oratoris Hispani Romæ petitionibus de loco in Sessionibus Comiti Lunensi concedendo indulgens, controuersiæ de præcedentia renouandæ viam aperit.

poris suffumigandos; itidemque duas tabellas (pacis nomine indigitant) his & illi eodem articulo temporis ad deosculandum præbendas. Atque vt id fieret ad Legatos scripsit, his præcipiens, vt negotium vsque ad tempus rei perficiendæ esset tectissimum: ne si emanauerit, incommoda præparatò interponantur.

Ferdinandus Philippus 2.

Cardinalis *Moronus* Papæ mãdato obsecutus, ita clam habuit quod erat iniunctum, vt Gallis id nunquam notuerit. Die XXIX. Iunij, qui erat *S. Petri*, congregatis in sacello Ecclesiæ Cathedralis Cardinalibus, Oratoribus, & Patribus post Missam inchoatam, quam celebrabat Episcopus *Augustanus* in Pedemontana regione, Orator *Ducis Sabaudiæ*, ex improuiso effertur è Sacrario sedile holoserico ferruginei coloris contectum; quo inter vltimum Cardinalem, & primum ex Patriarchis collocato, continuò comparens Comes *Lunensis* Orator Hispanus, in illo consedit. Hic Patrum singulis, eos, qui proximi sedebant, compellantibus, murmur ingens hac de causa excitatur. Cardinalis *Lotharingius* expostulat cum Legatis rem subitam, séque inscio factam. Oratores *Galli* Magistrum ceremoniarum ad eosdem allegant, vt dolorem suum ijsdem de causis profiteantur; positis ei ante oculos thuris & pacis ceremonijs. Ad id cum responderent Legati, remedium huic rei præparatum duobus thuribulis, & duplici Pace; *Gallis* satisfactum non erat, apertè dicentibus, se ius suum conseruatum velle; quod non in parilitate, sed in præcedentia consisteret. &, si quid innouabitur, protestatione facta discessuros à Concilio. In his itionibus & reditionibus continuatum vsque ad finem Euangelij, tam crebris omnium susurris, vt Epistola & Euangelium non audirentur. Cum conscendisset suggestum Theologus ad concionem habendam, concesserunt in Sacrarium Legati Cardinalesque, Oratores Imperatoris, cum *Ferrerio* vno è Gallis, vbi de hac re deliberatum; sed finita prius concio, quàm quidquam esset conclusum. Dum Symbolum decantatur, eius in medio silentium indictum est; Et egressi statim Cardinalis *Madrucius* cum *Quinqueecclesiensi* & Oratore *Poloniæ*, ad colloquendum cum *Comite Lunensi*, orant Legatorum verbis, vt æquo animo ferat, si tunc temporis neque fumigatio thure, neque pax cuiquam daretur, quò impediatur tumultus improuisus, qui magno alicui malo causam præbere poterat: promittentes, se, quocunque alio tempore id peteret, mandata Sanctitatis suæ de duobus thuribulis, & duabus Pacis tabellis simul adhibendis executuros; quod quidem vbi re multum deliberata fiet, & illum, & ipsos, & alios omnes constituere posse, quemadmodum prudẽter in negotio se gerere possint. Tandem post longum sermonem intro redierunt; responsum ferentes, Comiti persuasum esse. Qua re sic constituta, egressi omnes Sacrario ad suum quisque locum redeunt, Missáque, sicut dictum est, sine Fumificatione & Pace processit. Vbi verò dictum, *Ite Missa est*, Comes *Lunensis* solitus in Congregationibus postremus omnium exire; tunc Crucem præcessit: quem secuti magna ex parte Præsules *Hispani*, & *Itali*, Regis sui subditi. Post discesserunt Legati, Oratores, & Prælati more consueto.

Card. Lotharingius & Galli ob concessionem improuisam, & sibi antea non cõmunicatam, fremunt, ac tumultuantur.

Comes Lunẽsis à Patrum nonnullis persuasus, Legatorum desiderio ad tumultum sedandum concedit.

Legati ad sese odio liberandos, quo onerabantur, quod in re tanti momenti furtim, & quasi fraudulenter processissent, coguntur publicare mandata expressa, quæ *Roma* acceperant, vt eo tempore, modo, ac loco, etiam re nemini communicata, agerent. *Ferrerius* palam profitebatur, se, nisi reuerentiâ cultus diuini retineretur, fuisse protestaturum, sicut à Rege imperatum erat. neque sibi deinceps temperaturum, nisi solitæ ceremoniæ thuris & pacis, restituantur, dato sibi in ijs debito loco. Dedit etiam Cardinalis *Lotharingius* ad Pontificem literas satis vehementes, exponens iniuriam quam suo Regi imponere meditabantur, modestéque conquestus, Sanctitatem eius ipsi significandum curasse, se tantum ei confidere, vt ipsi omnia Concilij negotia communicata vellet. cuius propensæ voluntatis etsi nullum effectum cerneret, tamen id sibi non dolere: sed hoc certe non leuiter angi, quod Legatis interdixerit, ne sibi res suas proprias communicarent, idque, quod melius quam aliud quidquam in bonum vertere poterat: adijciens, non euenisse totum id malum, quod alioqui erat euenturum, nisi ipse se negotio interposuisset. Cuius culpa omnis quandoquidem in Sanctitatem eius conferatur, obsecrare, ne tantorum malorum author & causa esse velit. Mittit vnà ad ipsum equis celeribus *Musottum*, qui ei fusiùs & expli-

Legati ad sui excusationem omnia de Põtificis mandato expresso facta profitentur.

Vnde Lotharingius Pontifici exprobrat iniuriam tam Regi, quàm sibi factam.

catiùs

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

catiùs exponeret, quid Oratores Galli constituissent, & quid periculi immineret. At Comes *Lunensis* de *Gallorum* proteruia queri, patientiam & modestiam suam deprædicare, instareque apud Legatos, vt proxima Dominica ad locum & ceremonias æquales ex mandato Papæ admitteretur. Non deerant etiam, qui dicerent, totum hoc Pontificis esse stratagema, ad Concilium dissoluendum. Pontificij verò, qui *beneuoli* appellabantur, dicebant, si omnino ad dissolutionem veniendum esset, se optaturos fuisse, vt ob controuersiam potiùs euenisset, de verbis Concilij *Florentini*, quòd Papa rector sit Ecclesiæ Vniuersalis: existimantes sic faciliùs Sanctitatem eius vti culpæ huius exsortem posse excusari, eamque omnem in *Gallos* posse conferri.

Pontificis stratagema putatur Concilio dissoluendo.

Mane sequenti vltimi mensis Iunij, Comes Prælatis *Hispanis*, & multis Italis congregatis dixit; se pridie eius diei non ideo venisse in sacellum, vt aliquam rebus turbandis occasionem daret, sed ad Regis sui iura conseruanda, & præscripto Pontificio vtendum. Ex eo tempore intellectum sibi, cum in sacellum redierit, *Gallos* protestationem interposituros. quod si fiat, committere se non posse, quin ad eundem modum ac formulam, quam ipsi vsurpabunt, respondeat; tam nomine Sanctitatis suæ, quam quà sui Regis Maiestatem attingit. Respondent Prælati, si huc deueniatur, vnumquemque ex ipsis ad obsequium Sanctitatis eius, fore promptissimum; nec dignitati Maiestatis Catholicæ, quatenus sibi conueniat, defuturos. Orat ipsos denuo Comes, vt ad omnia, quæ in simili casu occurrere possint, intenti excubent. se quoque eò paratum venturum; quippe qui sciat *Gallis* necessariò vtendum vna è tribus his exceptionibus, aut contra Legatos, aut contra Regem, aut contra se Oratorem: quarum singulis commodam responsionem sit adornaturus. Cæterorum Principum Oratores omnes apud Legatos instant, vt temperamentum inueniant, ne qua deinceps sequatur similis perturbatio. Quibus illi, se facere non posse, quin Papæ mandatum exsequantur, id præcisè & sine vlla reseruatione iubentis: promisisse etiam Comiti, se quandocunque id postulauerit, effecturos. Cardinalis *Lotharingius* protestatus est Legatis, si id facere attentarent, se suggestum conscendentem, ostensurum, quanti hæc res sit momenti, quantamque toti Christiano nomini ruinam allatura; *Christi*que crucifixi imagine in manum sumpta clamaturum, *Misericordia*! immo persuasurum Patribus & Populo, vt ex Ecclesia discedant, ne adeo tremendum schisma videant; & cum hoc dicto, Qui saluam rem Christianam cupit, me sequatur, excessurum Ecclesiâ: bona cum spe, futurum, vt non nemo sequatur. Ea re permoti Legati, statuunt agere cum Comite, vt boni consulat, si Dominica sequente nec sacrum in sacello fiat, nec de more supplicatio: ac rem omnem Pontifici nunciant.

Lunensis Hispanos & Italos suarum partium monet vt ad omnes occasiones excubent.

Illi se obsequibiles fore pollicentur.

Oratores Principum in re perplexa temperamentum quærunt; Legatis verò de Pontificis mandato nihil remittere audentibus, Lotharingius extrema remedia se tentaturum profitetur.

Conueniebant frequenter Præsules in ædes Oratorum *Gallorum* & *Hispani*; quorum hic nunc spem dabat sibi satisfactū esse; nunc instabat, vt ad Ecclesiam iretur, ad Pontificis præscriptum de thure & pace exequendum. At Oratoribus *Gallis* certū erat protestatione facta discedere: dicebantq; apertè, contra Legatos se minimè protestaturos, quod meri essent alienæ voluntatis executores; nec contra *Hispaniæ* Regem, aut Comitem Oratorem suum, quod causam propriam prosequerentur; neq; contra Sedem Apostolicam, quam maiorum suorū vestigijs insistentes semper essent veneraturi, sed contra Pontificis personam, à quo præiudicium omne, & innouatio procedebat: vt qui partibus illis addictus, schismati causam daret, atque ob aliam etiam causam; cum appellatione ad futurum Pontificem legitimè electum, & ad Concilium verum & Legitimum: addita interminatione discedendi, & Concilium nationale celebrandi. Prælati & alij Galli dicebant seorsim apud omnes, Oratores protestationes habere contra personam Pontificis, qui se pro Papa gerebat, cum legitimus non esset, electione scilicet inualida & nulla, propter vitium Simoniæ: innuentes eam Syngrapham, quæ Cardinali *Carafæ* data à Duce *Florentiæ*, cum promissione certæ pecuniæ, quam Cardinalis ille postea ad Regem Catholicum misit, asserens confici non potuisse, nisi de consensu Pontificis, antequam ad Papatum assumeretur. Simul illam alteram syngrapham manu ipsius Papæ, tum cum Cardinalis esset, in conclaui Cardinali *Neapolitano* factam, de qua supra dictum est. Et Præses *Ferrerius* orationem

Oratores Galli, nisi sibi satisfiat, se protestaturos minantur contra personam ipsam Pontificis, qui mali fons.

Cuius electionem perstringunt, vt parum legitimam, & affectam vitio Simoniæ.

Ferrerius Orator Gallus o-

nem præparauerat Latinam satis pungentem, cum protestatione: quæ oratio tametsi habita non est, typis tamen fuit mãdata, & à Gallis vulgata; & adhuc extat excusa, perinde acsi recitata fuisset: cuius hic summã referre non erit ab instituto nostro alienum, vt appareat non quid dixerint, sed quem sensum Galli saltem ad Cõcilium attulerint.

rationem cum protestatione adornat, ijs vsurus, nisi sibi satisfiat.

Dicebat in summa. Quandoquidem id Concilium opera *Francisci* & *Caroli* fratrum, *Galliæ* Regum, congregatum esset, molestè ferre Oratores *Gallos* à Rege missos, quod discedere cogantur, aut diminutioni Regiæ dignitatis consentire. Notam esse ijs qui in Iure Pontificio & Ecclesiæ Romanæ historijs versantur, *Regis Galliæ* prærogatiuam; nec minus his, qui Conciliorum volumina frequentarunt, quem in ijs locum tenuerint Regij Oratores. certe superioribus Concilijs generalibus Oratores Regis Catholici Regis Christianissimi Oratoribus posteriores fuisse. At hoc tempore factam esse mutationem. non ab ipsis Patribus; quibus si libertas constaret, nullum illi Principem possessione sua moturi essent. neque ab *Rege Catholico*, amicitia & affinitate cum Rege *Galliæ* coniunctissimo. verùm à Patre omnium Christianorum, qui *pro pane* filio primogenito *petram* dederit, & *pro pisce serpentem*, vt vno ictu simul & Regem, & Ecclesiam *Gallicanam* feriret. *Pium IV.* semina discordiæ spargere, vt pacem inter Reges concordes turbet; mutato per vim & iniuriam ordine sedendi ab Oratoribus semper obseruato, etiam postremùm in Concilijs *Constantiensi* & *Lateranensi*; idque vt se Concilijs superiorem demonstret. Sed neque posse ipsum Regum amicitias interturbare, nec doctrinam Synodorum *Constantiensis* & *Parisiensis*, *quod Concilium sit supra Papam*, antiquare. Didicisse *S. Petrum* à rerum mundanarum iudicijs abstinere. hunc verò Successorem eius, sed non imitatorem, honorum Regibus conferendorum & auferendorum potestate inprimis se venditare. Lege diuina, gentium, & ciuili primogeniti rationem haberi, Patre & viuo & mortuo; *Pium* tamen Regem primogenitum alijs multo post tempore natis non præferre. Deum *Salomonis* dignitatem imminuere noluisse Patris *Dauidis* intuitu: *Pium* tamen *IV.* nullo meritorum *Pipini*, *Caroli*, *Ludouici*, & aliorum *Galliæ* Regum aspectu, suo decreto prærogatiuas successoris tantorum Regum abrogatas velle. Contra Leges diuinas & humanas, sine vlla causæ cognitione Regem condemnasse, abstulisse antiquissimam ei possessionem, contra causam pupilli & viduæ pronunciasse. Antiquos Pontifices dum Synodus Generalis haberetur, nunquam quicquam sine eius approbatione fecisse; *Pium* tamen præter sententiam Concilij, quod Ecclesiam Vniuersalem repræsentat, deturbare de possessione voluisse Oratores Regis pupilli, non citati; etsi non ad illum, sed ad Synodum missos. Ac ne huic malo præuorteretur, omni studio decretum suum celandum curasse, denunciatã Legatis pœnã excommunicationis, nisi id secretum occulerent. Considerandum Patribus esse, an hæc *Petri* & aliorum Pontificum facta sint, & annon ipsi Oratores inde discedere cogantur, vbi *Pius* legibus non reliquit locum, neque Concilio libertatis vestigium, in quo nihil Patribus proponitur, aut publicatur, nisi prius *Romã* mandatum. Contra illum *Pium IV.* solummodò se protestari, venerantes certè Sedem Apostolicam, & Summum Pontificem, & Sanctam Ecclesiam Romanam; sed recusantes tantùm *Pio* obedire, & illum pro Vicario Christi agnoscere. Patres ibi congregatos, magna semper in veneratione se habituros. Sed quoniam quicquid fit, non *Tridenti* geratur, sed *Romæ*, & decreta in publicum emissa, *Pij IV.* potius sunt quàm Concilij Tridentini; ea pro decretis Synodi generalis non recepturos. Postremo Regis nomine Prælatis & Theologis præcipit, vti discedant, tum redituri, cum Deus suam formam & libertatem Concilijs generalibus restituerit; & Rex sibi debitum receperit locum.

Summa capita Orationis Ferterij.

Item Protestationis.

In hunc modum protestari statuerat *Ferrerius*, si ita res exigeret; sed protestatione vtendi occasio non erat. Nam Comes *Lunensis* cum animo suo reputans, tametsi Præsules Hispanorum causæ fautores, eos qui Gallis fauebant, numero vincerent: tamen, quando qui à Pontifice pendebant, & re adhuc recenti, à suis partibus erant futuri, quòd Sanctitatem eius id velle cognoscerent; iam ea occasione elapsa, cognitoque nuncium ea de causa *Romam* missum, viderentur existimaturi negotio supersedendum, dum responsum & noua mandata Roma expectantur: hisce autem cum Gallis coniunctis suam partem fore debiliorem; ad aliquam concordiæ ratio-

Cæterorum Oratorum interuentu controuersia interquiescit, vt Gallorum protestationem res non exegerit.

Ferdinandus. Philippus 2.

rationem ineundam animum inflexit, cæteris omnibus Oratoribus, & Cardinale *Madrucio*, vt id fieret, adnitentibus. Post multam disceptationem, conuênit tandem, vt in ceremonijs publicis nec thus nec pax adhiberentur, donec à Rege *Hispaniæ* responsum venisset. Ea transactio displicuit multis; tam ijs, qui à Pontifice pendentes, eam occasionem auidè amplexabantur, vt interrumpendo Concilij progressui maximè opportunam; quàm illis, qui tam diuturnam *Tridenti* moram pertæsi, neque satis perspicientes, quem aut progressum aut exitum Concilium habere posset, (vt in malis minimum) illud interruptum cupiebant, ne discordijs maioribus materiam daret. Illud certum, ipsum Pontificem, cum ei significatum esset de concordia inter Oratores inita, id ægerrime tulisse; quippe eodem metu perturbatum, ne discordiæ euaderent maiores, & ne quid grauius succederet. Ministri autem Regis *Hispaniæ* quotquot erant in *Italia*, omnes Comitem culpabant, quod occasionem Regis sui rebus adeo commodam è manibus amisisset.

Pontifici & Pontificijs dolet inter Oratores esse transactum.

Sedata hac controuersia, Legati in celebrationem Sessionis, cuius tempus iam instabat, intenti, qua ratione potissimum dissidia sint remouenda, consultant. Ab Cardinale *Lotharingio* hæc ratio proposita, omittendam tractationem de *Institutione Episcoporum*, & de *authoritate Pontificis*, quod in his Patres affectibus nimium indulgerent: neque de Episcopis vltra agendum, quàm quod ad potestatem Ordinis attineret. Id quibusdam è Pontificijs salutare remedium visum est: alijs eorum non probabatur. Dicebant enim fore, vt id Pontifici attribuatur, cui minus placuisset formula paulò ante missa. etiam Principibus mirum videri posse, cur Pontifici satisfactum non sit, cum eadem potestas quam habebat *D. Petrus*, ipsi fuerit attributa: quod hæreticis etiam sermonis materiam daturum videretur. Quid quod Hispanis & Gallis hæc occasio maiorem in modum debilitatura esset spem omnem in futurum, vlla de re inter Patres conuenire posse. inde infinitas difficultates in cæteris etiam materijs orituras. Sed & ancipitem esse rei propositæ euentum. quoniam fieri posset, vt permulti è Patribus peterent ea capita non omitti, sed declarari. *Cardinalis Lotharingius* Gallorum nomine obtulit, illos nihil amplius postulaturos; seque ita cum Hispanis acturum, vt & ipsos ea re contentos fore non dubitet. quod si Legati idem ab Italis impetrent, qui nimis affectatè alijs se opponebant, rem totam compositum iri.

Rebus inter Patres pacificandis, Lotharingius censet omittendam eorum tractationem, quæ dissidijs dant caussam. Id remedium plerisque non probatur.

Commodum allata ab *Imperatore* ad Oratores suos mandata, vt omnem operam darent, ne Concilium de authoritate Papæ verba faceret. Id à Cæsarea Ma[te] factum, quòd maiorem partem procliuem cerneret ad eam amplificandam; quòdque metueret, ne quid decerneretur à Patribus, concordiam cum Protestantibus difficiliorem facturum. Ea opera ab Oratoribus apud Legatos, Card. *Lotharingium*, & alios primæ notæ Prælatos posita, in causa fuit, vt statuerint & id caput omittere, & alterum de *Institutione Episcoporum*. Multis igitur in eam rem habitis consultationibus, introductisque ad eos Prælatis maximi nominis, & partium antesignanis, nunc pluribus, nunc paucioribus, ad res in eum modum disponendas, vt omnibus satisfieret, data sunt Patribus Decreta super abusuum emendatione. Ac circa primi capitis, quod erat de Episcoporum electione, eam partem, qua Metropolitani examen instituere iubentur eorum, qui ad Episcopatus promouendi, de quo supra dictum est; Oratores Hispanus & Lusitanus acriter sese opposuerunt: dicentes, id esse, Reges subijcere Prælatis subditis suis, quibus obliquè authoritas datur, nominationes Regias repudiandi. Oratores Galli hac de re appellati, ostendunt sibi nihil pensi esse, siue decerneretur, siue omitteretur. Vnde Pontificij existimantes authoritatem Papæ per eam imminui, dicebant totum illud caput omitti posse: præsertim quòd in quinta Sessione satis huic rei esset prouisum. Sed hic alijs magno conamine se opponentibus, de communi consensu placuit demum, ad sequentem Sessionem id caput differri, vt daretur tempus ad illud ita temperandum, vt omnibus placere possit: nec publicationi rerum, de quibus hactenus conuenerat, inde impedimentum obijciatur.

Imperator Oratoribus suis mandat, non attingendam Pontificis auctoritatem.

Caput Decreti de Electione Episcoporum, qua parte Metropolitanis examen promouendorum præscribitur, propter varias oppositiones in aliam Sessionem differtur.

Eadem difficultas exorta est super vltimo ex capitibus propositis, vbi præscripta erat formula professionis fidei, ad quam se iureiurando obstringerent, qui ad Episcopatus, Abbatias, & alia beneficia, quibus annexa animarum cura, designati essent, priusquam ad examen venirent. quod caput quando ita cohærebat alteri de Electione, vt

Item caput aliud de professione fidei, ac certis capitibus, in quæ à

vt separari non possent; decretum est, vt hoc quoque differretur. Sed quoniam tamdiu dilatum est, vt nunquam deinde de illo decernendo sit constitutum, & ad extremum tumultuariè remissum est ad Pontificem, quemadmodum suo loco dicetur; non erit alienum à præsenti proposito, eius summam hic recitare. Erat autem eiusmodi. Vt non solum postularetur ab ijs, qui ad Episcopatus, aliasque animarum curas aliquos designant, verum etiam cum admonitione & præcepto in virtute obedientiæ iniungeretur omnibus Principibus, cuiuscunque maiestatis & excellentiæ, ne quem ad aliquam dignitatem, magistratum, aut officium admittant, nisi prius facta inquisitione de eius fide & religione, & nisi prius liberè sponteque confessus sit, & iurauerit ea capita, quæ in illa formula continebantur: quam in hunc finem præceperat etiam transferri in linguam vulgarem, & publicè legi singulis Dominicis, in omnibus Ecclesijs, vt à cunctis intelligeretur.

promouendis iusiurandum erat concipiendum.

Capita hæc erant. Vt Scripturas vtriusque Testamenti, quas Ecclesia pro Canonicis habet, recipiat, velut à Deo inspiratas. Vt agnoscat vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, sub vno Romano Pontifice *Christi* Vicario, eiusque fidem & doctrinam constantissimè teneat, quandoquidem Sp. Sancto dirigente errare non possit. Vt auctoritatem Conciliorum generalium tanquam certam & indubitatam veneretur, resque ab illis semel ordinatas in dubium non reuocet. Vt Traditiones Ecclesiasticas successiuè receptas constanti fide credat. Vt Patrum Orthodoxorum consensum & sententiam sequatur. Vt Constitutionibus & præceptis Sanctæ Matris Ecclesiæ ad plenum obediat. Vt credat & confiteatur VII. Sacramenta, & eorum vsum, vim, fructumque, secundum id quod hactenus Ecclesia docuit. Super omnia verò, in Sacramento altaris esse verum Corpus & Sanguinem *Christi* realiter & substantialiter, sub speciebus Panis & Vini, virtute & potentia verbi diuini à Sacerdote prolati, solo Ministro ex institutione *Christi* ad id ordinato. Vt agnoscat id offerri Deo in Missâ pro viuis & mortuis, in remissionem peccatorum. Denique vt recipiat, firmiterque teneat, cuncta piè, sanctè & religiosè à maioribus obseruata, vsque ad id tempus: neque se ab ijs vllo modo dimoueri patiatur, sed omnem dogmatum nouitatem fugiat, tanquam venenum pestiferum; quoduis schisma auersetur; quamuis hæresin detestetur; prompteque & fideliter Ecclesiæ contra omnes hæreticos opitulari promittat.

Professionis, in quam conceptis verbis erat iurãdum, capita recensentur.

Cum constitutum esset, sicuti dictum est, hoc etiam caput omittere; proxima cura fuit in accommodando articulo de Residentiâ: sublatis omnibus, quæ aut his, qui eam *de iure diuino* tenebant; aut illis, qui à iure *positiuo* stabant, offensioni esse poterant. Cardinalis *Lotharingius* in partium conciliationem summa diligentia & studio incubuit: Sessionem tempore præstituto omnino habendam certus. Nam cum per eos dies à Pontifice literas singularis beneuolentiæ indices accepisset, quibus inuitabatur *Romam*, vt cum ipso colloqueretur, iamque constituisset Sanctitati eius in totum gratificari, decreuit finem discordijs imponendo, & controuersias inter Prælatos componendo, tanquam arrhabone desideratissimo fidem ei suam pignerari. Verùm de itinere *Romam*, respondit verbis ambiguis, vtpote responsum prius è *Gallia* exspectaturus. Sed & aliud impedimentum tametsi ob causam non magni momenti, progressum morabatur, scilicet, tractatio de *Ordinis* functionibus, ea de re proposito amplo & longo capitulo, in quo omnes explicabantur, initio facto à Diaconatu, vsque ad officium Ostiarij. Hoc cùm principio decreta formarentur, conditum fuit à Deputatis, tanquam necessarium, quod Protestantibus opponeretur; qui dicunt eos ordines non esse à *Christo* institutos, sed lege Ecclesiastica introductos: & officia quidem ad bonum & ordinatum in Ecclesia regimen non incommoda, nec inutilia; sed tamen non esse Sacramenta. Id Caput Decreti desumptum è Pontificali, cuiusque functiones describebat, quod longum sit referre, & superuacaneum; cum eodem in libro cuique legendum extet. Declarabat insuper id Decretum, functiones eas exerceri non posse, nisi ab eo, qui ab Episcopo promotus gratiam à Deo acceperit, & impressum characterem, vt id efficere possit. Sed cum id sanciendum esset, magna difficultas oborta est, ad veterem ac peruulgatam obiectionem soluendam; quid opus esset charactere, & potestate spirituali ad exercendos

Card. Lotharingius Pontificis literis Romam ad colloquium inuitatus, controuersias inter Præsules componendo, fidem ei suam pignerari studet.

Caput de varijs *Ordinis* functionibus antea conditum, à Patribus denuo examinatur.

Super eo capite veteres controuersiæ renouantur.

 dos

ac primum de *characteris* necessitate.

dos actus corporales? veluti legere, accendere candelas, & pulsare campanas, quæ non solùm possunt æquè rectè fieri, sed & melius etiam à non ordinatis, quam ab ordinatis: præsertim ex quo ordinati eas functiones obire desueuerant. Consideratum, hoc Decreto Ecclesiam damnatam iri, quæ iam tot annos eius rei vsum intermisisset. Neque in procliui esse, si eum reuocatum vellent, modum, quo id fiat, excogitare. nam ad ordines minores non pueros, sed viros ordinandos, vtpote ad obserandas Ecclesias, campanas pulsandas, exorcizandos energumenos. quod si fieret, contraueniri illi alteri decreto, quod ordines minores gradus essent necessarij ad maiores. De *Diaconatu* etiam non constabat ratio, ad quem modum ei tria illa munera ministrandi ad altare, baptizandi, & prædicandi restituerentur. Similiter de *Ordine exorcistarum*, qua ratione id officium exequerentur; cum vsu inueterasset, vt à solis Sacerdotibus Dæmoniaci adiurentur. *Antonius Augustinus* Episcopus *Ilerdensis* censuit, illam tractationem prorsus abijciendam. Nam vti certum sit esse Ordines & Sacramenta, ita non temerè persuaderi posse, in Ecclesijs Primitiuis, quando paucissimi erant Christiani, locum ijs fuisse. Non esse è Synodi dignitate ad tam minuta descendere. Satis esse, dummodo dicatur, Ordines minores esse quatuor, nec vltra ad specialia in doctrina descendendum; in praxi nihil innouandum. Ad hæc opponebatur, doctrinam Protestantium, qui illas ordinationes ceremonias otiosas appellant, ita non condemnari. Verùm Cardinalis *Lotharingius* mediæ cuiusdam viæ author fuit, vt illud Caput omitteretur; res verò ipsa tribus aut quatuor verbis perstringeretur, remissa ad Episcopos executione, qui illa obseruanda pro viribus curarent.

Tum de Diaconis & Exorcistis.

Episcopus Ilerdensis tractationem eam, præsertim de ordinibus minoribus omittendam censet; Lotharingius verò perstringendam.

Hisce ita constitutis, placuit omnia perlegi in consultatione illorum magni nominis Præsulum, vt in Congregatione generali summa cum tranquillitate res transigeretur. Vtrique parti satis est factum, nisi quòd occasione sexti anathematismi, vbi dicitur *Hierarchiam* diuina ordinatione institutam, Archiepiscopo *Hydruntino*, & alijs Prælatis Pontificijs nata suspicio, cùm illa verba terminis adeo generalibus expressa, significent omnes ordines sacros sine discrimine à *Christi* institutione esse; inde inferri posse, Episcopos æquales esse Summo Pontifici. Sed hic Theologi & Canonistæ Pontificij hortantur eos, ne se difficiles præbeant, cum ex Canonibus antecedentibus & sequentibus clarum esset, de rebus ad ordinem duntaxat pertinentibus tractari; in quo Pontifex alios Episcopos non excedit; de iurisdictione verò nullam mentionem fieri. Iidem etiam suspecta habuere verba procemij in Capite de residentia, vbi dicebatur; *præcepto diuino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, oues suas agnoscere* &c. inferentes, hunc esse modum quendam declarandi, residentiam esse de præcepto diuino. Sed ipsorum Pontificiorum pars maior in contraria sententia fuit, asserentes, singula illa, quæ dicuntur à Deo mandata ijs, qui curam habent animarum, posse etiam absentes præstare, etsi à præsentibus accuratius adimpleantur: præsertim, cùm verbis sequentibus satis prouideatur, ne quid Beatitudo eius detrimenti capiat. Ad hæc, caput illud eâdem formâ à Cardinale *Mantuano* concinnatum, sæpissimè in consultationem adductum: nec vnquam super eo suspicionem illam cuiquam obortam esse; sed & *Romæ* itidem non incommodum iudicatum. Verùm ista *Hydruntinum* & eius sequaces de sententia dimouere non poterant.

Dum præcipui è Prælatis Decretorum verba sic concinnant, vt omnibus satis fiat, Archiep. Hydruntinus de nonnullis vt suspectis excipit in Anathemate sexto.

Item in Capite de Residentia.

Nec à suis, hoc est, Pontificijs à sententia deijci se patitur.

Ex *Hispanis* nonnulli interea fortiter vrgebant declarationem institutionis Episcoporum, & residentiæ *de iure diuino*: sed Collegarum plerisque à *Lotharingio* persuasis, & ipsi coguntur desistere. Argumentis verò apud eos vsus est à conscientia & officij ratione. Non esse rem tutam, aut Deo gratam, cum videant se non posse id bonum præstare, cuius cupientissimi sint, velle superfluo quodam & inutili studio mali auctores esse. Id sufficere, quod præiudicium præpedierint, ab nonnullis veritati intentatum contrarijs opinionibus stabiliendis. si id omne quod desiderabatur, obtineri in præsens non possit, attamen spem esse, in posterum aliquid Dei ope impetrari posse. At *Granatensis*, *Segouiensis*, cum aliquot alijs à sententia deduci non poterant: sicut ex altera parte impossibile erat *Patriarcham Hierosolymitanum* & Archiepiscopum *Hydruntinum*, cum adhærentibus inflectere: quibus inter se conuenerat,

Lotharingius Hispanorum plerisque persuadet desistere à petendo, vt institutio Episcoporum & Residentia declarentur de iure diuino. At Granatensis, Segouiensis & alij in sententia perstant.

nerat, quicquid demum proponeretur, oppugnare. quippe quæ dicerent non tollendis controuersijs, sed ad tempus sopiendis tantummodò conducere: ijsdem temporis progressu maiori vi & impetu haud dubiè erupturis. quodsi omnino ad apertum dissidium veniendum esset, id ante celebratam Sessionem contingere, quàm postea, optabilius. neque poterant Legati vllis rationum momentis aliud ijs persuadere.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus. 9.

Neque tamen per hasce contradictiones factum, quin rebus ab cæteris Præsulibus primi nominis constitutis, nono die mensis Iulij cœperint Congregationes generales. vbi perlectis primùm ijs quæ ad doctrinam & Canones de Ordine pertinebant, Cardinalis *Lotharingius* exemplum alijs daturus, breuiter, neque vllâ, controuersiâ interpositâ sententiam dixit: quem secuti cæteri vsque ad *Granatensem.* Is affirmat rem esse indignam, tanto tempore Patribus illusisse, tractando de fundamento Institutionis Episcoporum; iamque illud penitus omittere. Eius declarationem *de iure diuino* requirebat, dicens se mirari, cur eiusmodi articulus, veritatis adeo indubitatæ, non declaretur. Certè prohibendos tanquam hæreticos omnes eos libros, qui contrarium asserant. Cui sententiæ adstipulatur *Segouiensis*, affirmans expressam esse veritatem, quam nemo negare posset, & declarandam esse, ad hæreticorum opinionem damnandam, qui contrarium tenebant. Sequebantur *Guadicensis*, *Aliphiensis* & *Montis Marani*, cum alijs Prælatis Hispanis, è quibus aliqui dicebant opinionem suam esse adeo veram, atque præcepta Decalogi. Episcopus *Conimbricensis*, conquestus est publicè per fraudem præiudicium fieri veritati, dum conceditur, Episcopos titulares posse ordinari: hoc esse, declarare iurisdictionem non esse Episcopatui essentialem, neque recipi immediatè à *Christo*; & instabat vt contrarium decerneretur, iterans sententiam illam sæpè iam dictam; adeo essentiale esse Episcopo Ecclesiam habere, & subditos fideles; ac marito vxorem.

In Congregatione generali Decreto de Ordine perlecto Patres plerique omnes id approbant. Granatensis tamen & socij obfirmant animum non assentiri, nisi Institutio Episcoporum declaretur.

Postea proposito decreto de Residentia, Cardinalis *Lotharingius* id approbauit eâdem breuitate. illud tantum suggessit, vt eo loco, vbi enumerantur absentiæ causæ, positâ inter cæteras *euidente vtilitate Ecclesiæ*, adiungeretur illa vox, *vel Reipublicæ*, idque adeo ad remouendum quoduis impedimentum, quod decretum illud adferre posset, ne Prælati ad Officia & Consilia publica admitterentur; quæ sententia communi omnium applausu accepta. Secutus est Cardinalis *Madrucius*, ad eandem sententiam locutus.

Dein Decretum de residẽtia proponitur & plerisque probatur.

Super eo Decreto *Patriarcha Hierosolymitanus*, *Archiepiscopus Verallus*, *& Hydruntinus* sententiam suam dicere nolebant. quam ob rem Archiepiscopus *Bracarensis* cum eius essent sententiæ dicendæ vices, ad Legatos conuersus, redarguentis in morem, monet authoritate vtendum, & adigendos Præsules, vt sententiam dicant: mali moris exemplum introduci in Concilium, quasi aut tacere cogantur, aut ambitione quadam loqui nolint, nisi sequacibus comitati. Vnde factum, vt alij, qui eos imitari constituerant, mutato proposito Decretum approbauerint.

Bracarensis de Prælatis queritur, qui de residentia sententiam dicere recusabant.

Pergunt porro concordes, cæteris decretis, sicuti lecta erant, assentiri; excepto quod *Granatensis* instabat, vt residentia declararetur de *iure diuino*, verbis apertis. verba enim ambigua procemij, indigna esse (aiebat) Concilio, ad auferendas, non ad augendas difficultates congregato. Tum vt prohibeantur libri, qui contrarium docent; vtque in Decreto expressè & nominatim comprehendantur Cardinales. Postremum illud de Cardinalibus multis placuisse apparebat: Vnde à Cardinale *Morono* responsum est ea de re consideraturos, vt alio tempore verba faciant. Cætera facilia & expedita fuere, & ad extremum Patriarcha quoque, & duo Archiepiscopi Decreto assensi sunt. Atque hinc primùm spes facta est, Sessionem suo tempore celebrari posse, quod antea impossibile visum; sed Cardinalis *Lotharingij* dexteritate negotium quasi ex alto in portum deductum est.

Granatensis declarationem super Residentia apertam petit, non ambiguam. Et vt Decreto comprehendantur Cardinales.

Sequentibus diebus de cæteris reformationis capitibus suffragia à Patribus lata, citra vllam alicuius momenti innouationem; præterquam quòd ob seriam *Pompeij Zambeccarij* Episcopi *Sulmonensis* petitionem, sublata est à Capite de prima tonsura particula, qua dicebatur; promotos, si aliquod delictum intra sex menses post ordinationem commiserint, fraude ordinatos censeri, neque priuilegio fori gauisuros. Atque iterum, vbi decernitur, nullum ordinandum, cui non certa Ecclesia assigne-

In Capite de prima Tonsura, instante Episcopo Sulmonensi nonnulla immutantur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

ſignetur, adiuncta erat renouatio decretorum Concilij *Lateranenſis*; vt ij etiam qui ad titulum patrimonij ordinantur, ad alicuius Eccleſiæ Miniſterium applicentur, in qua ſub munere fungantur, alioqui priuilegiorum participatione excludendi: hoc quoque ſublatum eſt. In cæteris leui mutatione verborum, quæ ad rem ipſam parum ſpectabant, omnibus Patribus ſatisfactum.

Granatenſis cum ſuis ſuadent Comiti Lunenſi vt proteſtetur, niſi Inſtitutio Epiſcoporum declaretur. Comes viciſſim monet eos, vt cæteris velint accedere, ſaltem ſententiam ſuam modeſtè proferre.

Hiſpani, qui declarationem, quam deſiderabant, de Inſtitutione Epiſcoporum in Congregatione obtinere non potuerant, XIII. die veſperi conueniunt in ædes *Comitis Lunenſis*. Ibi *Granatenſis* cum fautoribus ei ſuadent, vt proteſtetur apud Legatos, niſi id Caput definiatur. Et alij contrà nonnulli diſſuadent, quod ea res magnum tumultum ciere poſſit. Ita tota illa Congregatio diſputationibus conſumpta, in contentionem deſijt, dilata in craſtinam concluſione. Tum *Comes* auditis denuo diſcrepantibus ſuorum ſententijs, conſideratoque, magnam id apud Pontificem & Epiſcopos omnes Italos, quin & omnes etiam Gallos, qui ſibi perſuaderi paſſi eſſent, offenſionem habiturum, orat *Granatenſem*, cum adhærentibus, vt eiuſdem cum cæteris opinionis eſſe vellent; quod nullum hic eſſet conſcientiæ negotium, neque ageretur vtrum hoc potius, quàm illo modo eſſet definiendum; ſed duntaxat vtrum definiendum, an omittendum. Verùm *Granatenſi* nullatenus aſſentiente; & ſibi in conſcientia perſuaſum aſſeuerante neceſſariam eſſe illam determinationem; obſecrat deinde, vt ſententiam ſuam quietè & liberè promat, haud moleſtè tamen ferens, ſi eam alij non amplectantur; & contentionibus parcens: quod & ille & cæteri ſe facturos polliciti ſunt.

Vtrum Cardinales inſtar aliorum Præſulum ad reſidentiam teneantur: & annon ante legitimam ætatem admittendi.

Poſtero die, qui Seſſionem proximè anteceſſit, facta eſt Congregatio generalis, in qua propoſitum ab Cardinale *Morono*, an placeret Patribus, vt in Capite de Reſidentia, & in eo quod de ætate ordinandorum tractat, Cardinalium mentio fieret. De ætate, pauci aſſentiendum putabant, pleriſque omnibus ſic ferè reputantibus, non eſſe occaſionem in collegium Cardinalium iuuenes cooptandi, niſi Principes, in quibus ætas minimè inſpicienda: propterea quòd Ordini Eccleſiaſtico, cuiuſcunque ſint ætatis, ornamento ſunt. atque adeo fruſtra vbi abuſus non ſit, de decreto conficiendo laborari. Verùm quod ad reſidentiam attinebat, maior pars nominandos cenſebat. Refragabantur tamen nonnulli, dicentes, hoc modo approbari, vt Cardinales Epiſcopatus habeant, & conſequenter probari etiam commendas. id verò æquum non eſſe, ſed præſtabilius proprijs illos conſcientijs relinquere, quarum dictamine agnoſcant, ſe à præcepto generali minimè exemptos, quàm ipſis nominatis duos ſimul abuſus, pluralitatem beneficiorum, & commendas probatum ire. De alijs deinde quibuſdam non magni momenti actum; quibus determinatis, lectum eſt denuo totum id, quod in Seſſione publicandum erat, Patribus ſententiam dicentibus ſolo verbo *Placet*. Nonnulli Hiſpani & aliquot Itali reſponderunt, *non placere*; numero circiter XXVIII. cæteri omnes numero CXCII. conſenſerunt: vnde concluſit *Moronus* Seſſionem habitum iri. Gratias egit Patribus qui Decreta accepta habuiſſent; cæteros hortatus, vt ſe cum ipſis coniungerent: etiam *Comitem Lunenſem* orans, vt ageret cum ſuis Prælatis, ne communem totius Concilij in vna ſententia conſenſionem conſpicati, ipſi ſoli diſſentire velint. Qua de re explicatiùs cum ipſo poſt Congregationem locutus, promiſit ei, quandocunque poteſtas *Papæ* ſecundum formulam Concilij *Florentini* declararetur, etiam tum declaratam iri inſtitutionem Epiſcoporum *de iure diuino*. Prælati Hiſpani eodem die ſub veſperam in ædibus Comitis congregati, poſt multam diſceptationem, promiſſione à *Cardinale* Comiti facta ſubnixi, concludunt omnia ſe accepturos.

Hiſpani aliquot & Itali diuerſum à reliquis Patribus ſentientes, Lunẽſis rogatibus & Moroni promiſſionibus victi, tandem cæteris accedunt.

Ses. XXIII. ſub Pio IV. ſeptima.

Cùm veniſſet igitur Iulij dies XV. manè ordine ſolito, omnes Eccleſiam adeunt. Adhibitis ceremonijs conſuetis, Miſſam celebrauit Epiſcopus *Pariſienſis*; Orationem habuit Epiſcopus *Aliphienſis*; in qua offendit Gallos, Regem *Hiſpaniæ* ante Regem ipſorum nominans, & Polonos, Regem *Luſitaniæ* Regi *Poloniæ* præponens, & *Venetos* facta primum mentione Ducis *Sabaudiæ*, & poſtea ipſorum Reipublicæ. Vſus eſt etiam verbis, quibus indicabat illam celebrationem Concilij, continuationem eſſe præcedentium ſub *Paulo* & *Iulio*, quod Cæſareis, ſimul & Gallis diſplicuit. Tum ſermonem ingreſſus de fide & moribus hæreticorum, & Catholicorum, dixit,

ſicuti

ſicuti melior eſſet fides Catholicorum, ità multo melioribus eſſe hæreticos, quàm Catholicos moribus. Id auerſis auribus acceptum ab ijs, qui recordabantur illud *Christi*, & *D. Iacobi*, *fidem non niſi ex operibus oſtendi.* Verumtamen ne ceremonias publicas perturbarent, querimonijs per id tempus temperatum eſt. At ſequenti die Oratores *Galli*, *Poloni*, & *Veneti*, inſtant apud Legatos, ne orationem illam imprimi ſinerent, aut in acta Concilij referri. Finitâ Miſsâ, cæteriſque precibus, leguntur Breuia legationis Cardinalium *Moroni*, & *Nauagerij*: mandata Regis *Poloniæ*, & *Ducis Sabaudiæ*; literæ *Reginæ Scotiæ*; & *Regis Catholici* mandatum. Poſtea recitantur decreta ad fidei doctrinam ſpectantia; omnibus aſſenſum commodantibus, niſi quod à maiori parte Hiſpanorum dictum eſt, ſe aſſentiri eâ lege, vt firmum maneat promiſſum à DD. Legatis Oratori Regis ſui factum. *Ferdinandus Philippus 2.*

Continebat fidei Decretum in ſumma. IV. Capita Doctrinæ de Sacramento Ordinis.

I. Sacrificium & Sacerdotium in omni lege coniuncta. Cum igitur in Nouo Teſtamento Sacrificium ſit viſibile, nempe Euchariſtia, fatendum etiam ibi viſibile eſſe & externum Sacerdotium, atque in eo ex diuina inſtitutione traditam eſſe poteſtatem conſeruandi, offerendi, & miniſtrandi Euchariſtiam, & peccata dimittendi, & retinendi.

II. Cum id Sacerdotium diuina res ſit, conſentaneum fuiſſe, vt plures eſſent Miniſtrorum ordines, qui ei deſeruirent, qui per minora ad maiora miniſteria aſcenderent. Nam ſacras literas Diaconorum apertam mentionem facere; & ab ipſo Eccleſiæ initio, miniſteria Subdiaconi, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris & Oſtiarij, in vſu fuiſſe: Subdiaconatu tamen inter maiores ordines relato.

III. Et quoniam per Sacram ordinationem gratia confertur, Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis.

IV. In quo cùm character imprimatur, qui deleri non poteſt, Synodum eorum ſententiam damnare, qui aſſerunt Sacerdotes temporalem tantummodo poteſtatem habere: ita vt rite ordinati, iterum laici effici poſſint, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Itidem & eos, qui dicunt omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos, qui nihil aliud facere videntur, quam Eccleſiaſticam Hierarchiam (quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata) confundere. Ad quem Hierarchicum ordinem Epiſcopos præcipuè pertinere, eos Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros ordinare, & alia pleraque peragere poſſe, ſibi peculiaria. Docere inſuper Synodum in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, non eſſe abſolutè neceſſarium conſenſum, vocationem, ſiue authoritatem populi, aut Magiſtratus, aut cuiuſuis poteſtatis ſecularis; quin potius eos, qui tantummodo à populo, aut ſeculari poteſtate, ac Magiſtratu vocati, & inſtituti, aut propria temeritate, aſcendunt ad Miniſteria Eccleſiaſtica, non Miniſtros eſſe, ſed Latrones.

Hanc doctrinam ſequuntur octo Anathemata. De Sacramento Ordinis Canones VIII.

I. Si quis dixerit non eſſe in Nouo Teſtamento Sacerdotium viſibile, vel non eſſe poteſtatem conſecrandi & offerendi, & peccata remittendi, ſed officium tantum & nudum miniſterium prædicandi Euangelium; vel eos, qui non prædicant, non eſſe Sacerdotes.

II. Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe alios ordines maiores & minores, per quos velut per gradus in Sacerdotium tendatur.

III. Si quis dixerit, Sacram ordinationem non eſſe propriè ſacramentum; aut eſſe figmentum quoddam humanum; aut eſſe tantùm ritum quendam eligendi Miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum.

IV.

Ferdinandus. Philippus.

IV. Si quis dixerit, Per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum; aut non imprimi Characterem; aut Sacerdotem, laicum rursus fieri posse.

V. Si quis dixerit, Sacram unctionem & alias ceremonias quibus Ecclesia vtitur, non requiri, sed contemnendas, & perniciosas esse.

VI. Si quis dixerit, In Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.

VII. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine consensu aut vocatione populi, aut potestatis sæcularis irritas esse; aut eos qui ab Ecclesiastica potestate ritè ordinati non sunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum Ministros.

VIII. Si quis dixerit, Episcopos qui authoritate Roman. Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros, sed figmentum humanum.

Decreti de Reformatione Capita XVIII.

Lectum est deinde Decretum de reformatione, quod XVIII. Capita continebat. Primum spectabat ad illam adeo vexatam materiam de Residentia. Vbi dicebatur,

I. Præcepto diuino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbi diuini prædicatione, sacramentis, ac bono exemplo pascere; pauperum curam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ cum impleri non poßint ab his, qui gregi suo non inuigilant, neque aßistunt, Synodum eos admonere, vt in iudicio & veritate pascant, & regant. Ne vero ea quæ de Residentia sub Paulo III. sancita fuerant, in sensus à Synodi mente alienos trahantur, ac si quinque mensibus abesse liceat; declarare, omnes qui Episcopatus habent, quocunque titulo, etiamsi Cardinales sint, obligari ad personalem residentiam, neque abesse posse, nisi id postulet Christiana charitas, vrgens neceßitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ vel Reip. vtilitas: decernere etiam, has causas pro legitimis à Pontifice approbandas aut à Metropolitano; nisi cum notoriæ fuerint, aut repentinæ; ita tamen, vt Concilium Prouinciale cognoscat & iudicet de licentijs conceßis, ne abusus interueniat: Vtque prouideant absentes, vt populus ex ipsorum absentia nullum damnum accipiat. Et quoniam breuis absentia isto nomine digna non est, extra prædictas causas, velle Synodum eiusmodi absentiæ spatium nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, siue continuum siue interruptum, & æqua ex causa, & absque gregis detrimento; quod abscedentium conscientiæ relinquat. Admonere eosdem, ne tamen vllo pacto absint diebus Aduentus Domini, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, aut Corporis Christi. Si quis contra hoc decretum abfuerit, præter alias pœnas aduersus non residentes sub Paulo III. impositas, ac mortalis peccati reatum, eum non posse pro rata temporis absentiæ fructus percipere tuta conscientia. Eadem Synodum decernere de quibuscunque alijs, qui curam animarum habent, qui cùm ex causa per Episcopum probata abfuerint, Vicarium idoneum ab Episcopo approbandum substituant, cum debita mercede. Et hoc Decretum sicuti & illud alterum sub Paulo III. in Concilijs Prouincialibus & Episcopalibus publicandum.

Ex cæteris Capitibus ad Ordines spectantibus, quæ Decretum continebat, secundum erat.

II. Vt quicunque Episcopatum tenent quocunque titulo, etiam Cardinales, si consecrationem intra tres menses non susceperint, fructus amittant; si intra totidem

dem alios id facere negligant, priuentur Ecclesijs. Consecrationem extra Curiam Romanam factam, in propria Ecclesia, aut in prouincia, si commode fieri posset, celebrandam. Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

III. Episcopi per semetipsos ordines conferant; quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam iam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

IV. Prima tonsura non detur nisi confirmatis, & fidei rudimenta edoctis, quique legere & scribere sciant, & qui vitam clericalem elegerint, vt Deo fidelem cultum præstent; non sæcularis iudicij fugiendi fraude.

V. Ad minores ordines promouendi, testimonium habeant à Parocho, & à Magistro scholæ; atque ex commissione Episcopi, nominibus eorum publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum natalibus, ætate, moribus, & vita diligenter inquiratur.

VI. Nullus ante decimum-quartum annum beneficium possit obtinere, neque fori priuilegio gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut habitum clericalem, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiat, vel in seminario, aut in aliqua Schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi versetur. Et in Clericis coniugatis seruetur constitutio Bonifacij octaui, ea conditione, vt & ipsi Ecclesiæ seruiant, in habitu & tonsura ab Episcopo deputati.

VII. Quando Episcopus ordinationem faciet, omnes feria quarta ante ipsam ordinationem ad ciuitatem euocentur, & ab Episcopo adscitis sibi Sacerdotibus, & alijs viris prudentibus legis Diuinæ & Ecclesiasticarum peritis, diligens de ijs examen fiat.

VIII. Ordinationes statutis à iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, præsentibus Ecclesiæ Canonicis celebrentur. Si autem alio Diœcesis loco, præsente clero loci, & in digniori Ecclesia. Vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur, nec cuiquam permittatur ab alio promoueri, nisi ordinarij sui testimonio commendetur.

IX. Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium statim illi conferat.

X. Vt Abbates, & alij exempti, primam tonsuram aut ordines minores non conferant cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, nec ipsi, aut Collegia, vel Capitula literas dimissorias clericis sæcularibus concedant, vt ab alijs ordinentur.

XI. Ordines minores his qui linguam Latinam intelligant, per temporum interstitia conferantur: cumq; hinc ad altiores gradus sit ingressus, nemo ijs initietur, quem non scientiæ spes maioribus dignum ostendat, vtq; à postremo gradu minorum ordinum suscepto, non nisi post annum ad sacros promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.

XII. Nemo ordinetur ad Subdiaconatum ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum: neque ab hoc sint exempti Regulares.

XIII. Subdiaconi & Diaconi antequam ordinentur, prius in minoribus ordinibus probentur, sperent se continere posse, Ecclesijs quibus ascribentur, inseruiant, sciantq; maximè decere, si saltem diebus Dominicis & solennibus cum altari ministrauerint, communionem percipiant. Subdiaconi ad altiorem gradum non ascendant,

Ferdinandus. Philippus 2.

diant, si per annum saltem in eodem non sint versati. Duo sacri ordines eodem die ne regularibus quidem, aut quouis modo priuilegiatis conferantur.

XIV. Ad Presbyteratum nemo ordinetur, qui non in Diaconatu ministrauerit ad minus annum integrum, quique idoneus comprobetur ad populum docendum, & ministranda Sacramenta, & à quo bonorum operum Exemplum possit exspectari. Curet Episcopus, vt ij saltem diebus Dominicis, ac festis sollennibus; & si curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

XV. Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, nullus tamen possit confessiones audire, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo approbetur.

XVI. Nullus ordinetur, qui alicui Ecclesiæ, aut loco pio non ascribatur, vbi suo munere fungantur: & si locum deseruerit inconsulto Episcopo, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus item clericus peregrinus sine commendatitijs sui Ordinarij Literis ad ministerij exercitium admittatur.

XVII. Vt ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia receptæ, & pluribus in locis intermissæ, in vsum reuocentur: nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur; illa ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, & Prælati huiusmodi functiones curent restituendas. Quod si ministerijs quatuor minorum ordinum exercendis Clerici cœlibes præsto non erunt, suffici possint etiam coniugati (dummodo non bigami) ad ea munia idonei.

XVIII. & Vltimum caput erat de institutione Seminariorum; in eo statuitur, *Vt singulæ Ecclesiæ Episcopales certum puerorum numerum habeant, in Collegio prope ipsam, aut alio loco conuenienti educandum; qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint. Hos Episcopus in classes diuidat, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina Ecclesiastica progressum. Tonsura atque habitu clericali semper vtantur, Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam, sacram Scripturam, libros Ecclestasticos, homilias Sanctorum, Sacramentorum (maxime quæ ad confessiones pertinent) & rituum ac ceremoniarum formas ediscant. Et ad hos sumptus, vltra ea quæ ad instituendos pueros sunt in aliquibus Ecclesijs destinata, quæ huc applicata censeantur, Episcopus cum quatuor ex Clero portionem aliquam ex omnibus beneficijs Diœcesis detractam, nec non beneficia aliquot simplicia applicet. Episcopi item cogant Scholasterias obtinentes, aut aliud lectionis munus; ad docendum in Scholis Seminarij, per seipsos, aut idoneos substitutos. De cætero dignitates, quæ Scholasteriæ dicuntur, nonnisi Doctoribus & Magistris in Theologia, aut iure Canonico conferantur. Si verò in aliqua prouincia Ecclesiæ tanta paupertate laborent, vt Collegium in aliquibus erigi non possit; in Ecclesia Metropolitana, vel alia prouincia commodiori, vnum aut plura collegia ex fructibus duarum aut plurium Ecclesiarum erigantur. Et in Ecclesijs amplas Diœceses habentibus, possit Episcopus, prout sibi opportunum videbitur, vnum vel plura in Diœcesi habere Seminaria, quæ tamen ab illo quod in Ciuitate erectum est, dependeant.*

Lectum vltimo decretum Indictionis proximè futuræ Sessionis, in decimum sextum Septembris; & illud expressum, in ea tractatum iri de Sacramento Matrimonij,

nij, & de alijs ad doctrinam fidei pertinentibus, quæ expediri possint. Item de prouisionibus Episcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, ac de diuersis reformationis articulis. Durauit isthæc Sessio ab hora nona vsque ad decimam sextam, magnâ cum voluptate Legatorum & Præsulum Pontificiorum, quòd res adeò tranquillè, & de communi omnium consensu successissent; præ cæteris verò laudabant Cardinalem *Lotharingium*, huius boni illum auctorem præcipuum agnoscentes.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Inter omnia huius Concilij acta, nullum tam flagranti desiderio homines auebant inspicere, quàm istius Sessionis, postquam in lucem exijt; cupidissimis quibusque videndi, quid tandem illud esset, quod tot Prælatos decem totos menses *Tridenti* in contentione, omnesque Principum Christianorum aulas in negotio detinuisset. Verum accidit, quod est in Prouerbio; *Mons parturijt, at ille murem peperit.* Non erat, qui in eo deprehendere posset quicquam, quod non modo tanti temporis operâ assiduâ, sed ne breui quidem paucorum dierum impendio ab tot viris præstantibus dignum esset. Desiderabant homines aliquantulum in rebus Theologicis versati, vt declararetur aliquando, quid sibi vellet Concilium per illam potestatem *retinendi peccata* ex sensu suo, quæ facta erat pars authoritatis Sacerdotalis; cum declarasset quemadmodum intelligeretur altera, nempe peccata *remittendi.* Legebatur ab alijs cum admiratione declaratio ea, *ordines inferiores gradus tantùm esse ad superiores, & omnes ad Sacerdotium:* cùm clarè constet ex antiquæ historiæ Ecclesiasticæ lectione, ordinatos ad munus aliquod aut ministerium, illud vt plurimum perpetuò exercuisse: & eiusmodi translationem & ascensum ad gradum sublimiorem, fuisse quid fortuitum, & è raro contingentibus, necessitatis tantùm, aut magnæ vtilitatis causa adhibitum. Ex septem Diaconis ab Apostolis institutis nullum ad altiorem gradum ascendisse, & in ipsâ Ecclesiâ Romanâ, in qua antiquitus Diaconi ad Confessiones Martyrum attendebant, eos ad Presbyterales titulos transcendisse, nusquam apparere. Descriptam esse ordinationem *Ambrosii* in Episcopum; *S. Hieronymi, S. Augustini*, & *S. Paulini* in Presbyteros; & *S. Gregorij Magni* in Diaconum, sine transitu per alios gradus. Non equidem damnandam rationem temporibus posterioribus introductam, sed mirum videri eam tanquam rem semper vsitatam prædicari, cuius contrarium manifestè constet esse verum.

De Sessionis huius Decretis varia hominum iudicia & censuræ.

Alij explanatum cupiebant quæ esset potestas retinendi peccata.

Alijs vsquequaque verum non videbatur, minores ordines gradum semper esse ad superiores.

Speciosum inprimis iudicabatur Decretum illud, vt Ministeria ordinum à Diaconatu vsque ad Ostiariatum non exercerentur, nisi à promotis ad ordinem cuiusque proprium. Sed satis difficile videbatur obseruatu, vt nullæ in Ecclesia pulsari possent Campanæ, aut portæ obserari, vel aperiri, nisi ab ostiarijs ordinatis; sed nec accendi lampades, & candelæ, nisi ab acolytis, munera illa manuaria exercentibus, vt ad Sacerdotium peruenire possent. Et videbatur nonnihil contradictionis habere, quod absolute decreuissent, vt illa ministeria non obirent nisi ordinati; & postea Prælatis præcepissent, vt ea, quantum commodè fieri posset, restituerent. nam obseruato decreto absoluto, ex necessitate fieri, vt, vbi ad illarum functionum exercitium personæ ordinatæ haberi nequeant, ijs exercendis supersedeatur. quod si exerceri possint sine ordinibus, tametsi minus commodè, rectius absolutum illud decretum omitti potuisse. In decreto de Presbyterorum ordinatione admodum conueniens omnibus visa conditio præscripta, vt apti sint ad populum erudiendum: sed hoc non videbatur satis cohærere cum illa altera doctrina, & consuetudine, Sacerdotio non esse essentiale, habere curam animarum. vnde Presbyteris qui ordinantur, nec in animo tamen habent eum vnquam in se suscipere, non esse necesse, vt sint apti ad populum docendum. Illud vero, assignare vti conditionem necessariam in minoribus ordinibus, linguæ Latinæ intelligentiam, dicebant nonnulli manifestam declarationem esse, Concilium generale non constare ex omnibus nationibus Christianis; nec hoc decretum vniuersale esse posse, & natione Africæ, & Asiæ obligare, aut magnam etiam Europæ partem, vbi huic linguæ nunquam fuit locus.

Et impossibile, vt non alij, quàm Ordinati minorum Ordinum functiones obeant.

Nec ista cohærere, Presbyterum ordinatum esse idoneum populo erudiendo; neque tamen animum habere curam eam suscipiendi.

Nec quod de vsu linguæ Latinæ decernitur, ad Africanos & Asiaticos extendendum.

In *Germania* notam & reprehensionem non effugit sextum Anathema, de *Hierarchia* articulum fidei constituens, voce & significatione Sacris literis, & consuetudini primitiuæ Ecclesiæ non modò aliena, verum etiam contraria; & voce inuenta à quodam

Germanis Hierarchiæ vox & sensus displicet, quibus

Hierodiaconiæ & Hierodulæ voces ad Christi praxin propius accedere videbantur.

dam fortasse satis antiquo, sed de quo haud plane constet, quis, aut quando fuerit: scriptore cæteroqui hyperbolico, quem nec in illius vocabuli vsu, nec in alijs ab ipso excogitatis quisquam antiquorum imitetur. Quod si stylum dicendi, & modum operandi Christi Seruatoris nostri, & Sanctorum Apostolorum, & antiquæ Ecclesiæ sequi voluissent, non *Hierarchiam*, verùm *Hierodiaconiam* quandam, aut *Hierodulam* statuendam fuisse. Hasce & alias obiectiones contra doctrinam Concilij *Petrus Paulus Vergerius* in *Valle-Telina* concionum suarum subiectum faciebat: Episcoporum inter se contentiones nec reticens, & quantum poterat non solùm verbis, sed etiam literis ad alios ministros Protestantes & Euangelicos, quæ & in eorum Ecclesijs coram populo recitatæ, actis Concilij omnibus detrahens. Ac tametsi Episcopus *Comensis*, mandatu Pontificis, & Cardinalis *Moroni*, nihil intentatum reliquit, vijs etiam vsus quibusdam satis extraordinarijs, vt eum ex illa regione abigeret; nunquam tamen id assequi potuit.

Vergerius apud Heluetios contra Synodi decreta concionatur.

Decretum de Residentia nihil noui, tantoque hiatu dignum continet.

Verùm de Residentia cum iam tam multa dicta scriptaque essent, neque aliud quicquam ijs temporibus magis in sermone hominum versaretur, & præclaram aliquam decisionem omnes exspectarent, pro determinatione controuersiæ, id demum pronunciatum, quod erat omnibus manifestissimum, nempe peccatum esse non residere sine causa legitima: quasi lege naturæ cunctis non esset exploratum, peccare quemque, qui à suo munere, cuiuscunque id generis sit, sine legitima causa absit.

Præsules Hispani se ab Cardinali Lotharingio desertos queruntur.

Huius Sessionis euentu dirempta ea communio consiliorum, quæ vsque ad id tempus inter Cardinalem *Lotharingium* & *Hispanos* intercesserat: dolentibus hisce, quòd in materia de *institutione Episcoporum*, & *Residentia*, deserti fuissent ab eo, qui sæpenumero testatus erat se in his capitibus cum ipsis sentire, sedulamque operam promiserat, vt ea opinio decerneretur; nec vllam ob causam, de hoc studio remissurum. Addunt, nihil reliquum esse spei, de ipsius in cæteris promissis præstandis constantia; qui à Pontifice in suas partes pertractus sit pollicitatione Legationis Gallicæ; aliaque id genus parum ex illius dignitate. At ille altera parte existimationem suam defendebat, dicens, oblatum id quidem sibi ad diffidentiam inter ipsum & amicos suos inijciendam; sed responsum dedisse, se non ante auscultaturum, quàm reformatio instituatur in Concilio. Verùm ne hic quidem in eadem sententia perseueraturus credebatur.

Legati reliqua capita proponunt, & ad finem festinandi studio, formam tractationis immutant.

Cæterum Legati omni studio ad Concilij finem festinantes, mox finita Sessione, ad reliqua expedienda animum adijciunt, nimirum, quod ad fidei materiam, *Indulgentias*, *Inuocationem Sanctorum*, & *Purgatorium*. Eâ gratiâ decem Theologos eligunt, duos Fratrum Generales, & pro quolibet Principe duos; hoc est *Papa*, *Rege Galliæ* (ex qua natione pauci plures supererant) *Hispaniæ*, & *Lusitaniæ*: dato ijs negotio, vt considerent, qua ratione opinio Protestantium in ea materia breuiter confutari posset. Atque vt vbi inter ipsos conuenerit, illorum sententiæ in Congregatione generali proponantur; super quibus Canones formentur eodem tempore quo de matrimonio agendum sit, vt omissis disputationibus Theologorum, quibus audiendis multum temporis antea datum, res ad celerem exitum deducantur.

De Reformatione Principum instituenda Legati denuo mentionem inijciunt.

In reformationis materiâ agunt Legati cum Cardinale *Lotharingio*, cumque Oratoribus *Cæsareis & Hispano*, vt patiantur etiam de Reformatione Principum pariter tractari. A quibus responso accepto, æquam rem esse, abusus tollere, vbicunque reperiantur, omnia eorum capita colligenda curarunt, quicquid reliquum vnica Sessione definiri posse sperantes. Sed Oratori *Hispano* propter sui Regis rationes illa acceleratio non placuit; cœpitque multas difficultates obijcere. Inprimis necessarium esse, ante Concilij finem id curare, vt protestantes interueniant; irritum alioqui laborem esse, nisi Decreta illi accipiant: nec esse spem vllam accipiendi, nisi Concilio intersint. Respondentibus Legatis, Pontificem quod suarum partium erat, & literis scriptis, & Nuncijs ad omnes hac ipsa de causa mandatis; neque quicquam amplius fieri posse ad eorum contumaciam liquidò coarguendam. Tum Comes, non se postulare, vt id fiat, nomine Sanctitatis eius, cum manifestum sit, id non ad eos inuitandos, sed longius amoliendos valiturum, verùm vt Concilij nomine rogentur, adiectis ijs quas par esset, promissionibus, & adhibita Imperatoris interces-

Orator Hispanus altera parte proponit, omni studio curandum vt Protestantes ad Concilium veniant accipiendis Concilij Decretis.

sione

sione. Cùm Legati ad extremum dixissent, super ea re se consideraturos; referunt ad Pontificem, vt cum *Hispaniæ* Rege agat, tum diuertendis istiusmodi sermonibus, tum ad persuadendum Concilij finem. Postulabat præterea Comes, vt Theologi publicè sicut consueuerant, verba facerent; de Indulgentijs nominatim, cæterisque materijs; Præsules quoque hortatus, ne omissa rerum maximè necessariarum examinatione, aut ordo procedendi mutaretur, aut imminueretur Concilij existimatio.

Ferdinandus Philippus 2.

Item vt in cõtrouersijs, quæ supersunt, examinandis, ac potissimum de Indulgentijs, non persunctoriè, sed seriò agatur.

De hisce omnibus Pontifex certior factus, eo conturbatior erat, quòd à *D. Ludouico d'Auila*, & à *Varga* Regis apud se Oratore, ei promissum, Maiestati Regiæ non displiciturum, vt ad Concilij finem veniretur. Ijs igitur ad se accersitis, de Comitis propositione grauissime conqueritur. Ac principio de inuitandis Protestantibus dixit, neminem maiori quàm se desiderio teneri ipsos ad Ecclesiam reducendi. Argumento esse, quæ à Prædecessoribus suis per quadraginta annos, & à se tentata, missis ad eos omnes Nuncijs peculiaribus, posthabita ea, cui se, Sedemque Apostolicam objiciebat, indignitate. Ad hanc rem Imperatoris interuentum, & sedulam omnium Principum Catholicorum operam, adhibuisse. Sibi certum esse, ipsorum indurationem esse voluntariam, meditatam, & obstinatam: adeoque cogitandum, non de ipsis ad officium reducendis (quod factu impossibile) sed de morigeris conseruandis. Quamdiu vlla spei scintilla perditos recuperandi reliqua erat, tempus postulasse, vt omnis opera adhiberetur ad eos deliniendos; exstincta verò omni spe, necessarium esse ad bonos conseruandos diuisionem confirmare, & partes irreconciabiles inter se reddere. Atque vt id agatur rationes etiam Regis ipsorum postulare, qui sero tandem intellecturus sit necessariò eam viam fuisse tenendam, postquam in Belgio cunctatione lenibusque consilijs vsus fuerit. Respiciendum Regi, quantum boni natum sit è suppliciorum seueritate adhibita cum *Hispaniam* primùm ingressus est: vbi si lentè procedendum putasset, ad conciliandam gratiam Protestantium, pro acquirenda ipsorum per lenitatem ac mansuetudinem beneuolentia, sub eorundem malorum sensu, quibus nunc *Gallia* conflictatur, ingemiscendum illi fuisset. Pergit deinde dolorem suum profiteri, quòd Comes modum etiam præscribere vellet capitibus Theologiæ examinandis, atque ipse decernere, quando demum essent bene digesta. Postremò queritur, ab ipsis sibi promissum, Regem contentum fore, vt Concilium finiatur: Comitis tamen officia in contrarium tendere. Cumque Oratores Comitem excusassent, & subiunxissent, verissimum esse, quod ei dixerant de Regis voluntate circa finem Concilij; sibi satisfactum esse præ se ferebat, dummodo paterentur vt id diceret, vbi opus esse iudicaret. Illis assentientibus, dat negotium Papa Nuncio suo in *Hispania*, vt apud Regem queratur, eique significet, Non posse se causam deprehendere, cur Oratores Maiestatis eius *Romæ* & *Tridenti* diuersa loquantur; &, cum ipse quantum in se est, illi gratificari studeat, ab altera parte à ministris eius contra fieri. Nam Concilio durante, impediri se, ne multos fauores gratiasque in Maiestatem eius conferat. Quod si aut rebus suis in *Belgio*, aut vtilitatibus Imperatoris in *Germania* promouendis quicquam à Concilio expectet, ipsa experientia satis didicisse, quam difficile esset aliquid *Tridenti* conficere. A se verò ipsos omnia sibi polliceri posse, séque iam decreuisse, finito Concilio, in omnes Prouincias mittere, vt proprijs cuiusque necessitatibus subueniat, cùm *Tridenti* non nisi generales prouisiones institui possint, quas immensæ esset difficultatis singulis locis accommodare.

Pontifex apud Regis Hispaniæ Romæ Oratores, de propositis à Comite Lunensi in Concilio querimoniam habet.

Oratores respondent, & Comitem excusant.

Pontifex apud Regem Hispaniæ de eadem re per Nuncium suum queritur.

Iam super ijs, quæ ab Comite *Lunensi Tridenti* proposita, diuersa fuere Præsulum studia: desiderantibus nonnullis, vt materiæ illæ eò exactius excuterentur, quòd à scriptoribus Ecclesiasticis parum aut nihil de his dictum esset; quodque de cæteris capitibus in Synodo tractatis decisiones exstarent aliorum Conciliorum, aut Pontificum, aut certè concors Doctorum sententia; in his verò omnia adhuc essent in obscuro, quæ nisi in clara luce ponantur, verendum, ne dicatur Concilium rebus maxime necessarijs defuisse. Alijs rursum dicentibus, si in rebus iam decisis, tot occurrissent difficultates, & contentiones, quanto magis metuendum, ne in his

Super modo tractandi capita proposita Patres diuersimodè sentiũt.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

plenis obſcuritatis, vbi Doctores ad veritatem eruendam facem non ſatis lucentem prætulerunt, eatur in infinitum: præſertim cum in hoc argumento campus pateat latiſſimus, ob multos abuſus ad quæſtum ex iſtis faciendum importatos; tum ob difficultates quæ in Bullarum interpretatione naſcuntur, maximè in vocibus *pœna* & *culpa*, quæ nonnullis inſertæ, & in modo, quo Indulgentiæ poſſint mortuis applicari. Quare in his, & ſimul in *Veneratione Sanctorum* vſum duntaxat reliquis omnibus prætermiſſis conſiderandum. itidem de *Purgatorio* opinionem ſolùm hæreticorum damnandam. alioqui id agi, ne vnquam ad finem, aut ad huius difficultatis enodationem perueniatur. Dum variæ hæ ſuper hiſce materijs in poſtremum locum reſeruatis ſententiæ circumferuntur, ſtatuunt Legati tractationem de Matrimonio expedire, & tempori ad Seſſionem habendam conſtituto præuertere, eamque, vt diutiſſimè, ad decimum nonum Auguſti habere. Idque etiam Cardinali *Lotharingio* perplacuit, qui poſt acceptum è *Gallia* reſponſum, vt *Romam* proficiſcendo Pontifici ſatisfaceret, ſub finem menſis, Seſſione iam celebrata, eò ire decreuerat. Et ſanè cogebatur cum Pontifice, ſuiſque arctiùs ſe coniungere, non tantùm ob mandata quæ ex *Gallia* acceperat, verùm etiam quòd Cæſarei & Hiſpani illi diffidere cœpiſſent, ob ea, quæ in rebus præcedentis Seſſionis tractandis ſucceſſerant.

Lotharingius Romam ire conſtituit, vt Pontificis voluntati ſatisfaciat, Seſſione ſequenti celebrata.

Viceſimo ſecundo Iulij, proponuntur anathemata, quoad formam, ab ea, qua tandem decreta ſunt, parum diſcrepantia. In eo maximè variatum, quod vſque ad id tempus de Canone, qui quintus eſt numero, cogitatum non erat, qui damnat diuortia in Codice *Iuſtiniani* conceſſa. Id anathema adiectum rogatu Cardinalis *Lotharingij*, vt Caluiniſtis opponeretur, & eorum opinionem damnaret; facilè tamen obtinuit, quod doctrinæ Scholaſticæ, & decretis Pontificijs conſentaneum eſſet. At in eo Canone vbi de diuortio per cauſam adulterij tractatur, abſtinuerant Canonum formatores vti voce Anathematis; non temerè damnandam putantes illam opinionem, quæ *S. Ambroſij* fuit, multorumque Patrum Græcæ Eccleſiæ. verùm alijs exiſtimantibus, Articulum eſſe fidei, & in id concurrentibus omnium pene Patrum ſententijs, reformatus eſt Canon; addito anathemate, ſi quis diceret adulterio diſſolui vinculum matrimonij, & vnum coniugum viuente altero aliud matrimonium contrahere poſſe: qui Canon poſtea aliam mutationem paſſus eſt, vt ſuo loco dicetur.

De Anathematis, maximè quæ diuortium ſpectant, deliberatur.

In ſequentibus Congregationibus Patres res propoſitas facili manu pertractarunt: ſed de Prælatorum pene omnium voluntate ab his ad clandeſtina matrimonia delapſa eſt tractatio: etſi de illis verba faciendi nondum eſſet aut locus, aut tempus. iamque cœpta eſt detegi opinionum ſuper hoc argumento diuerſitas. In Congregatione matutinâ diei XXIV. admiſſus Epiſcopus *Cortonenſis* Orator *Ducis Florentiæ*, Is breuem Orationem habuit, de pio ſui Principis verſus Sedem Apoſtolicam affectu, & erga Synodum obſequio ac beneuolentia: eique actis gratijs eſt reſponſum. In Congregatione veſpertinâ Oratores Galli petitionem quandam nomine Regis ſui legendam curarunt, vt filij familias ſine parentum conſenſu matrimonium aut ſponſalia contrahere non poſſent. Id ſi filij tentarent, tum in poteſtate parentum eſſet, contractum ratum aut irritum pro arbitrio ſuo facere. Hoc eodem die ſignificatum eſt Patribus, vt abuſus à ſe in matrimonio obſeruatos, Deputatis ſcripto exhibeant.

Orator Ducis Florentiæ admittitur in Congregatione.

Poſtulatum Gallorum de nuptijs filiorum familias ſine parentum conſenſu irritis dicendis.

Pronunciatis ſuper anathematis iam ſuffragijs, duo proponuntur articuli: Vnus, an expediat coniugatos ad ſacros ordines promouere; alter de irritis habendis clandeſtinis matrimonijs. Dictæ breuiter & concorditer à Patribus omnibus ſententiæ de primo articulo, pro parte negatiua, nulla difficultate interpoſita; & Archiepiſcopo *Pragenſi*, ac Epiſcopo *Quinqueeccleſienſi*, qui ad conſideratiùs ea de re loquendum hortabantur, vix auditis. Haud ita de clandeſtinis ſucceſſit negotium. nam CXXXVI. è Patribus ea pro nullis habenda cenſuerunt, LVII. contrariam opinionem tenuere, & X. quá eſſent ſententiâ declarare nolebant. Ex opinione maioris partis formatum decretum. Etſi matrimonia clandeſtina vera matrimonia fuerint, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, ac proinde Synodus anathemate

Diſceptatur in Congregatione, An coniugati ad ſacros ordines ſint admittendi; & negatiua obtinet. Dein an clandeſtina matrimonia pro nullis habenda: & decernitur pro affirmatiua.

mate damnet eos, qui contra sentiunt; nihilominus Ecclesiam illa semper detestatam esse. Et iam incommodis animaduersis decernere, vt in posterum, qui matrimonium aut sponsalia sine præsentia trium testium ad minimum contrahere attentabunt; ad contrahendum inhabiles sint, adeoque eiusmodi contractus irritos & nullos esse. Huic mox additum aliud Decretum, quod trinas matrimonij contrahendi denuntiationes imperabat, cum eo, vt si necessario essent omittendæ, matrimonium tamen celebrari posset, sed in præsentia Parochi & quinque ad minimum testium, ac denunciationibus postea ante illius consummationem publicatis; idque pœnâ excommunicationis aliter contrahentibus intentatâ. Cæterum magnus ille Patrum numerus, qui clandestina matrimonia nulla esse volebant, in duas abijt partes; è quibus vna sequebatur opinionem eorum Theologorum, qui personas inhabiles reddendi; altera eorum, qui contractum irritum faciendi Ecclesiæ potestatem concedunt. Inter ipsos etiam Legatos parum conueniebat. *Moronus* nullam definitionem recusabat, modò res maturaretur. *Varmiensis* in ea opinione erat, Ecclesiæ nullam esse in hac re potestatem, & omnia matrimonia cum consensu contrahentium quocunque modo celebrata, pro validis habenda. *Simoneta* dicebat, distinctionem contractus matrimonialis à matrimonio, potestate Ecclesiæ in illum, non in hoc concessa, sophisticam sibi videri, & fabricam Chymericam, in id propensior, vt nihil innouaretur.

Ferdinandus. Philippus 2.

Item trinæ denũciationes imperantur.

De clandestinis matrimonijs Legati ipsi sententijs discrepant.

Circa abusus Matrimonij; plerique Præsules id consideratum volebant, causas matrimonia impedientes, & contracta rescindentes, tot esse, & tam frequentes, vt rara occurrant alicui ex istis defectibus non obnoxia. Et, quod plurimum refert, quosdam ex ignorantia aut iuris aut facti, aut etiam obliuione contrahere; in ijsque post, cognitâ veritate, innumerabiles perturbationes & scrupulos, litesque ac controuersias de prolis legitimatione & dotibus etiam nasci. Proferebatur nominatim vti maximus abusus, impedimentum cognationis in baptismo contractæ, quòd nonnullis in locis inuitabantur viri ad viginti aut triginta, compatres, totidemque mulieres commatres; quos inter omnes ex constitutione Ecclesiastica spiritualis cognatio contrahitur: cumque sæpenumero inter se non nossent, post accidebat, vt matrimonio coniungerentur. Multis videbatur hoc impedimentum omnino tollendum; non quòd à principio non esset iustis de causis institutum, sed quòd sublatâ penitus institutionis causâ, effectum quoque cessare æquum esset. Nam eo tempore, quo ij, qui infantes ad baptismum sistebant, eosque de sacro fonte suscipiebant, simul fideiussores erant apud Ecclesiam de ipsorum fide futura, adeoque ad eos instituendos obligati; consentaneum fuisse, vt ad eos, cum licebat per ætatem, catechizandos, sæpe & familiariter cum persona baptizata, parentibus eius, alijsque etiam sponsoribus versarentur. Inde natam inter ipsos cognationem quandam, quæ non immeritò in reuerentia habita, & coniunctionem coniugalem prohibebat, perinde sicut cæteræ omnes, quibus reuerentia debetur, cognationes. Verùm sequutis temporibus, postquam vsus quicquid erat solidi aboleuisset, & susceptor baptizatum vix vnquam cerneret, neque vel minimâ de eius institutione cura tangeretur, cessante reuerentiæ causâ, cognationi huic nihil loci esse relictum.

Abusus multiplices in matrimonio.

An cognatio spiritualis in Baptismo inter compatres & Commatres contracta, sit legitimum matrimonij impedimentum.

Impedimentum itidem affinitatis contractæ per causam fornicationis, matrimonia rescindens vsque ad quartum gradum, quòd in secreto nasceretur, causam dabat multis illaqueandis; qui post contractum, certiores facti ab ijs, qui in causa erant, perturbationibus exagitabantur. Aduersus parentelam quoque tum consanguinitatis, tum affinitatis obijciebatur, cum eius ratio ab hominibus tunc temporis, non, vt olim, haberetur, atque in personis illustribus vix quarti gradus memoria & reuerentia esset, id quoque impedimentum quoad illum gradum omitti posse. Qua de re multa fuit disputatio. Nonnulli existimabant, sicuti per tot sæcula illa impedimenta inueterauerant vsque ad septimum gradum, cum *Innocentius III.* ex ijs tres vno tempore sustulit, impedimentum hoc ad quartum gradum reducens, duabus rationibus admodum communibus adductis, scilicet quod quatuor sint elementa, & quatuor in humano corpore humores: at nunc cum constet quatuor illos sine mul-

Item an affinitas contracta per fornicationem, & quousque.

De impedimento consanguinitatis, & affinitatis, an vltra tertium gradum extendi debeat.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

tis incommodis obseruari non posse, iustioribus de caussis ad tertium posse restringi. In contrarium disserebant alij, ab hoc principio facilem ad maiorem restrictionem transitum esse, & ad eam, quæ est in *Leuitico* denique perueniri posse, quod esset *Lutheranorum* opinioni fomenta dare; concludentes innouationem periculo non vacare. ac post multam disceptationem hæc sententia obtinuit. Non deerant, quibus videbatur impedimentum ob fornicationem, cum secretum esset, penitus tollendum: sed neque hæc sententia placuit, obseruato illo incommodo, quod multa initio secreta, postea elucescant.

Vtrum facultas dispensandi à prohibitionibus matrimonialibus, melius committi debeat Episcopis, quàm Curiæ Romanæ, disceptatur in vtramque partem.

Multorum hæc erat sententia, in istis prohibitionibus nihil innouandum, sed *Episcopis* concedendam facultatem dispensandi: quæ multò melius ipsis, quàm *Curiæ Romanæ* committatur. Etenim cum merita caussarum & personarum de facto certius cognoscant, iustitiam distributiuam exactius exercere posse. Romanam certe Curiam dispensationes dare ignotis, sæpe etiam per fraudem eas impetrantibus; neque facile esse propter regionum longinquitatem, quantauis diligentia huic malo mederi. præter hæc, cum eæ dispensationes vulgo offensionem habeant apud omnes, propter opinionem hominum mentibus impressam, quòd non nisi pecuniosis dentur, hoc pacto sublatam iri eam infamiam. Hanc in rem *Hispani* & *Galli* totis neruis adlaborabant. Sed *Itali* id vnum eos studere aiebant, vt sese omnes tanquam Pontifices gerant, neque Sedem Apostolicam recognoscant. *Romam* quidem difficulter mandari, neque negotium sine labore & impensa expediri; sed vtilem esse eam difficultatem: quod ita fiat, vt matrimonia pauca in gradibus prohibitis contrahantur. Verùm vbi concessa Episcopis illa potestate res erit in procliui, breuissimo tempore prohibitiones in nihilum abituras, & Lutheranos voti compotes futuros. Ob hanc causam inclinabant penè omnes ad decernendum, ne à prohibitionibus dispensatio cuiquam concederetur, nisi vrgentissima de causa. in quam sententiam concesserunt etiam illi, qui facultatem eam pro Episcopis non impetrarant: quibus è dignitate Episcopali magis videbatur, si quod erat negatum ipsis, alijs non concederetur. Post multas disceptationes in Congregationibus, decretum restringere cognationem spiritualem, affinitatemque ob sponsalia & ob fornicationem, & dispensationes etiam coercere intra terminos, quos mox dicam, cum decreta recitabo.

Et concluditur omnino non dispēsandum, nisi grauissimis de caussis.

An Reges, & Principes, aliique Superiores possint cogere subditos ad matrimonium cum ijs, quos ipsi illis præscribunt, contrahendum. Affirmatiuam tuetur Episcopus Barcinonensis.

Habuit nonnihil controuersiæ Caput IX. quo interdicitur superioribus, ne minis aut pœnis subditos suos adigant ad matrimonia contrahenda, in quo nominatim Imperator & Reges comprehendebantur. In contrarium asserebat *Gulielmus Cassadorus* Episcopus *Bercinonensis*, non esse existimandum, magnos Principes sese in matrimonijs, nisi grauissimis de causis, & bono publico interposituros. Minas pœnasque tunc improbandas, cum contra legum præscripta adhibentur; verùm præcepta pœnalia legibus consentanea iusta esse, neque reprehendi posse. Si quo casu (aiebat) Superior matrimonium iustè imperare potest, & ad id celebrandum mandato pœnali posse quoque adigere. Ab Theologis id esse definitum, iustum timorem non efficere actionem inuoluntariam. Volebat igitur excipi causas legitimas, atque Decretum ita formari, vt eos tantùm comprehenderet, qui contra ius & legum ordinem adigunt ad matrimonia. Multos casus occurrere posse, in quibus publici boni necessitas postulet, vt matrimonium contrahatur; in quibus leges diuinas & humanas oppugnaturus sit, qui dixerit, Principem non posse & id præcipere, & ad id contrahendum constringere. Ad hanc rationem firmandam attulit exemplum, quod anno MDLVI. secundo Ianuarij, *Paulus IV.* monitorio quodam denunciauerat *Ioannæ Arragoniæ* vxori *Ascanij Columnæ*, ne quam è filiabus sine licentia sua nuptum daret: si secus faxit, matrimonium nullum fore, etsi post etiam consummatum. Quod ab illo Papa sapientissimo, & notæ probitatis factum non fuisset, nisi Principibus facultas esset boni publici causa subditos in matrimonio coniungendi.

Et opinionem suam firmat exemplo Pauli IV. Pontificis.

Alij contrarium tuentur, in matrimonio, cum sit res sacra nihil iuris esse secularibus.

A multis hactenus assensum est, vt Principum nulla mentio fieret, & nomen Imperatoris, Regum, & Principum expungeretur. sed ab alijs acerrimè repugnatum, hac sola ratione, quod matrimonium res sit sacra, in quam potestati seculari nulla competat authoritas. quod si etiam causa sit legitima, ob quam adigi possit aliquis

ad matrimonium, id fieri non posse, nisi potestate Ecclesiastica. Porro mentio illa monitorij *Pauli IV.* multam mussitationem in Congregatione excitauit, & postea materiam varijs sermonibus dedit. Alij dicebant id à Pontifice factum, non tanquam Principe, sed vt Papa; & cum ratione factum, cùm *Ascanius Columna* eius esset perduellis, nolletque Pontifex illum filiabus elocatis, nouas sibi affinitates adiungere, quarum fauore in contumacia confirmaretur. Alij dicebant Papam, quà *Christi* Vicarium, nullos habere rebelles in causis temporalibus; & fundamento nullo subniti opinionem eam, si quis existimet, Papam authoritate Apostolica matrimonia posse aliter rescindere, quam per viam Legum, aut Canonum Vniuersalium. nam vt de singularibus personis Canones sanciat, eius rei nunquam vllam rationem adduci, nec aliud exemplum inueniri posse. Erant etiam qui negabant eiusmodi Pontificum actionibus tanquam fundamento aliquid posse superstrui, vt quæ demonstrent potius, quousque potestatis abusus possit pertingere, quàm quousque eius legitimus vsus extendatur.

Ferdinandus. Philippus 2.

Excusatur factum Pauli Papæ.

Non minor difficultas erat, quòd Decretum illud Patres etiam, & matres, aliosque superiores domesticos complectebatur, qui filios aut alios à se prognatos, fœminas præsertim ad contrahendum matrimonium adigerent. Et videbatur perquam arduum in eiusmodi casibus ad excommunicationem venire; neque destitere in contrarium niti, qui prius defenderant, liberos teneri, vt parentibus hac in re morem gerant. Propositum est temperamentum, vt post inhibitos sub pœna excommunicationis Superiores Politicos, admonerentur etiam domestici, ne filios & filias detrectantes cogant. Verum resistentibus adhuc ijsdem, qui iniquum esse dicebant, Parentibus potestatem à Deo ipsis concessam auferre, decretum est tandem hanc partem prorsus tollere, non cessante Episcopo *Barcinonensi*, & paucis aliquot eiusdem opinionis, dictitare; sicuti certam habeant, aut saltem in dubium reuocare nolint potestatem paternam, & Superiorum domesticorum in matrimonijs, adeoque de illa verbum nullum faciendum censeant; eandem rationem habendam authoritatis superiorum Politicorum.

De superiorum Domesticorum, Patris, Matris, & Aui ad cogendum potestate quæritur.

Finitis super ea re congregationibus, quarum vltima fuit XXXI. Iulij, cœptum est priuatim de clandestinis nuptijs verba habere. cumq; pars vtraque in propria opinione perseueraret, exstiterunt nonnulli nouæ cuiusdam sententiæ authores, dicentes, illam difficultatem dogma fidei præsupponere, adeoque determinari non posse, cum à notabili numero contradiceretur. Id permolestè accidit ijs, qui clandestina matrimonia pro irritis haberi cupiebant, cum aditum sibi interclusum ad eam rem obtinendam existimarent.

Obijcitur, hunc articulum continere doctrinam fidei, eoque tam multis dissentientibus stabiliri non posse.

Per eos dies nata difficultas quædam, tametsi priuata, caussam contentioni dedit. Nam cùm Patres super Indice deputati, *Bartholomæi Caranzæ* Archiepiscopi *Toletani* opera quibusdam Theologis examinanda dedissent, ijque retulissent, nihil in ipsis censura dignum reperiri; Congregatio librum approbauit, eiusque rei, postulante id Procuratore Archiepiscopi, fidem publicam fecit. Sed cum ille liber, authorque libri sub *Hispanicæ Inquisitionis* censura essent, *Castellunnus* Secretarius ea de re significauit, & cum Comite *Lunensi* conquestus est, qui apud Patres illius Congregationis dolorem testatus, retractationem sententiæ postulauit. Verùm illis à reuocatione Decreti quod fecissent, quodque iustè factum videbatur, alienioribus, Episcopus *Ilerdensis*, siue à Comite impulsus, siue alia de causa, contra Decretum excipit, illudque reprehendit, adductis è libro locis, qui sinistra interpretatione digni censura videbantur; & quod magis referebat, perstricto etiam iudicio & conscientia illorum Episcoporum. Archiepiscopus *Pragensis* vtpote caput illius Congregationis, ad se & Collegas culpæ eximendos, queritur apud Legatos; postulatque, vt aliquod exemplum edant iniuriæ vindicandæ: professus palam, se nulli actui publico interuenturum, donec Congregationi condignè satisfiat. Interposuit se Cardinalis *Moronus*, & concordiam his conditionibus conciliauit, vt Fidei factæ aliud exemplum non daretur, vt *Ilerdensis* verbo Congregationi satisfaceret, & *Pragensi* nominatim; vtque ab vtraque parte quod commissum, obliuione & silentio obrueretur. Et *Comes Lunensis* precibus ijs, quibus resisti non poterat, ab Agente *Toletani*, Fidem illam

De libro Archiep. Toletani controuersia, quem Patres ad id deputati probãt, vti nihil continentem fidei contrarium; licet ab Hispanica Inquisitione censura dignus iudicaretur.

Pius. 4. Elizabetha. Carolus 9.

lam quam impetrauerat, in manus suas reuocauit; atque hoc modo tumultus ille sedatus est.

Comes Lunensis deputatos per singulas nationes eligi postulat ad capita reformationis examinanda, sed Lotharingio & alijs refragantibus, frustra est.

Legati Oratoribus capita reformationis, numero XXXVIII. communicant (ea post diuisa sunt, parsque assignata Sessioni proximæ, pars reliqua deinde sequenti, ob causas quas post commemorabo) in eum finem, vt de ijs, quid sibi videretur, proponerent, antequam Patribus darentur, vt de ijs verba facerent. Comes *Lunensis* cæteros Oratores prensabat, vt peterent deputatos eligi per singulas nationes, qui super ijs, quæ reformanda essent, considerarent; cum formula à Legatis exhibita, atque ad vtilitates Curiæ Romanæ comparata, alijs regionibus accommodari non posset. At hic Cardinalis *Lotharingius*, Oratores *Galli*, & *Lusitanus* contradicunt, asserentes, posse quemlibet, quid sibi de capitibus propositis videretur, liberè profari, & alia, si opus sit, proponere. itaque nihil necesse esse Pontifici & Legatis hanc offensionem creare, quorum auribus permolesta est vel sola suffragiorum in Concilio per Nationes mentio. cui sententiæ cum accederent etiam Oratores Cæsarei, Comes id consilium abiecit; affirmans tamen, super propositis multiplicem considerationem habendam.

Lotharingius Card. Varmiensi ingenuè fatetur animi in deterius mutationem; & simul mutationis caussam profitetur, nihil in Concilio sanum.

Cardinalis *Lotharingius* Legatis auctor est, ad faciliorem negotij exitum, tollenda omnia ea capita, quæ sine multa pugnantium opinonum lucta perspiciant non posse definiri; adiungens, quanto pauciora tractantur, tanto melius se rem habere. Ad id verbi cùm admirabundus obstupesceret Cardinalis *Varmiensis*, *Lotharingius* id quod erat suspicatus, eum interpellat, percunctando, Ecquid miraretur, quòd non videret in se eundem ardorem & desiderium reformationis, quo aliàs æstuabat? & subiunxit, desiderium certè idem esse, & eandem animi mentem, vt totis viribus in id incumbat. sed experientia edoctum, non solùm in Concilio peragi non posse quicquam aut perfectum aut mediocre, sed etiam quicquid in eo genere tentabitur, in deterius versurum. Egit etiam Cardinalis cum Comite *Lunensi*, ne quæreret, reformationem in vniuersum differre. at si in ea quidquam esset, quod sibi prorsus non satisfaceret, de illo nominatim significaret; se certè operam daturum, vt id illi ex animi sui sententia succedat.

Oratores Cæsarei ad articulos de reformatione sibi ab Legatis exhibitos, VIII. addi petunt.

Primi omnium Oratores Cæsarei Iulij vltimo responsionem suam scripto exhibent; qua ostendunt se, cùm vniuersalem reformationem in capite & membris desiderent, articulis exhibitis perlectis, quædam adiunxisse, aliqua notasse, ac iam postulare, vt ita correcti proponantur Patribus discutiendi. Et quoniam *Cæsar* cum Oratoribus multorum *Germaniæ* Principum, Conuentum Ordinum celebret *Viennæ*, in quo multa etiam ad Concilium pertinentia tractantur, boni consulant, si mandatis nouis ab eius Maiestate acceptis, alias etiam deinceps considerationes ipsis repræsentent. In præsentiarum ad articulos ab se propositos octo superaddere.

I. Vt seria & durabilis reformatio Conclauis in Concilio instituatur.

II. Alienatio bonorum Ecclesiasticorum sine libero & firmo consensu Capituli prohibeatur: ac præcipuè in Ecclesia Romana.

III. Commendæ & coadiutoriæ cum futura successione auferantur.

IV. Scholæ & Academiæ reformentur.

V. Negotium detur Concilijs prouincialibus emendandi statuta omnium Capitulorum: itidemque detur ipsis authoritas reformandi Missalia, Breuiaria, Agendas, & Gradualia. qua petitione non tantùm Romanorum reformationem desiderabant, sed quæ omnium passim Ecclesiarum essent.

VI. Laici *Romam* non citentur in prima instantia.

VII. Causæ à foro seculari ad Ecclesiasticum non reuocentur, prætextu denegatæ iustitiæ, nisi prius de supplicationis veritate constet.

VIII. In causis profanis non dentur defensores.

Nonnulla ab eisdem in articulis à Legatis exhibitis annotata.

Atque in capitulis à Legatis exhibitis multa notarunt, quorum partem aliquam, vtpote non magnæ rei, omittere visum. Grauiora hæc fuerunt.

I. Vt *Cardinales* ex omnibus regionibus eligantur, quò Pontifex vniuersalis ab electoribus creetur, qui omnium sint nationum.

II. Pro-

II. Prouisiones super *pensionibus*, *reseruationibus*, & *regressibus* non solum de futuris caueant, sed etiam ad præterita extendantur. *Ferdinandus. Philippus 2.*

III. Osculum Euangelij in Missa ab *Imperatore* & *Regibus*, quorum est id defendere, non auferatur.

IV. Vt declaretur quænam sint negotia sæcularia Ecclesiasticis prohibita, ne contradicatur ei, quod iam conclusum est, in Decreto de residentia.

V. In Capite de non aggrauandis Ecclesiasticis, excipiatur causa subsidij contra *Turcas*, & alios infideles. Non fuit adeo molesta Legatis hæc propositio, vtcumque capita continebat, quæ concoquere non erat facile; quam metus iniectus ne à Conuentu *Viennensi* postulatum aliquod extraordinarium proficisceretur, de mutandis *ritibus* ab Ecclesiâ Romana receptis, & præceptis *de iure positiuo* relaxandis.

Die III. Augusti exhibuerunt Galli obseruationes suas; inter quas hæ fuerunt præcipuæ. *Ab Oratoribus Gallis super eisdem articulis obseruata.*

I. Vt numerus Cardinalium non excedat XXIV. neue creentur noui, donec numerus præsens ad tam paucos reducatur.

II. Ex omnibus Regnis & Prouincijs assumantur.

III. Ne duo creentur ex eadem Diœcesi, nec plures quàm octo ex vna natione.

IV. Ne sint minores XXX. annis.

V. Ne assumi possit frater aut nepos Pontificis, aut cuiusquã Cardinalis viuentis.

VI. Non liceat ipsis Episcopatus habere, vt adsint semper Pontifici. cumque sint omnes dignitate pares, etiam reditus omnium sint æquales.

VII. Nemo plus vno beneficio possideat, sublatâ differentiâ bonis seculis incognitâ, simplicium, & curatorum, compatibilium & incompatibilium; & qui in præsentia multa tenet, intra breue tempus vnum ex ijs eligat. *De pluralitate beneficiorum.*

VIII. Resignatio in fauorem prorsus auferatur.

IX. Ne prohibeatur Collatio beneficiorum ijs duntaxat, qui linguam callent vernaculam, quoniam leges *Galliæ* sine vlla exceptione exteris quibusuis prohibent habere officia, aut beneficia in Regno.

X. Ne causæ Criminales Episcoporum vllo modo iudicari possint extra regnum; cum antiquissimum sit *Galliæ* priuilegium, ne quisquam Gallus sponte, vel coactus extra *Galliam* iudicetur.

XI. Episcopis restituatur facultas absoluendi in omnibus casibus, sine vlla exceptione.

XII. Ad præcidendam litium materiam super beneficijs, auferantur *præuentiones*, *resignationes* in fauorem, *mandata*, *expectatiuæ*, & alij modi illegitimi obtinendi beneficia.

XIII. Prohibitio, ne Clerici negotijs secularibus se immisceant, ita explicetur, vt semper se abstineant ab omnibus functionibus, quæ sacræ non sunt, aut Ecclesiasticæ, & ordini suo propriæ.

XIV. Pensiones auferantur, quæ iam impositæ sunt, & abrogentur. *De pensionibus.*

XV. In caussis iurispatronatus in *Gallia* non discedatur ab antiquo instituto iudicandi in possessorio, pro eo qui vltimo possedit, & in petitorio, pro eo qui legitimum habet titulum, aut longam possessionem.

XVI. In omnibus caussis Ecclesiasticis legibus *Galliæ* non præiudicetur; vt possessorium iudicetur à iudicibus Regijs, & petitorium ab Ecclesiasticis, sed non extra Regnum.

XVII. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, nemo minor XXXV. annis assumatur.

XVIII. Quod ad Caput de reformatione Principum, vt inprimis in hac Sessione reformetur integrè ordo Ecclesiasticus. quod autem dignitatem & authoritatem Principum tangit, id reseruetur ad aliam Sessionem subsequentem; neue tum de eo quicquam statuatur, nisi ipsis Oratoribus ante auditis; qui iam Regi ea de re, deque alijs quæ proponenda habebant, significarant. Iam tametsi capita hæc ita ardua proponerent, dicebant tamen passim quibusuis, deditaque opera, vt publicè innotesceret, sibi non propositum multùm insistere, nisi in his duntaxat, quæ ad

iura

Oratorum Venetorum, Florentini, & Sabaudi postulatum.

iura Regni sui resque seculares pertinerent. Oratores *Veneti* postularunt, vt caput de iure patronatus ad eam formulam componeretur, vt nullam innouandi occasionem daret, circa illa quæ ad ius Reip. & Principis sui spectabant. quod ab Oratoribus Ducum *Sabaudiæ* & *Hetruriæ* similiter petitum.

Acutum & acre Cæsaris postulatum, vt in Indice librorum nihil statuatur de Recessibus in Conuentibus Germaniæ.

Per hos dies Oratoribus Cæsareis à Principe suo mandatum, agerent cum Legatis, (quod & factum) vt in recensione Indicis librorum prohibitorum, nulla mentio fieret *Recessuum in Dietis Germaniæ*, qui à *Paulo IV.* prohibiti iam fuerant. Et habebat id Imperatoris mandatum nonnihil acrimoniæ, quasi Patres, quibus res Ecclesiasticæ tractandæ erant, formam dare vellent politiæ *Germaniæ*, & occasionem dare populis, qui illis legibus vterentur, etiamsi nolint, se ab Ecclesia Romana alienandi. Hisce ab Oratoribus expositis, responsum est, ipsum Episcopum *Pragensem*, vnum ex ijs, & illius Congregationis Caput, scire posse, an ea de re verba facta essent. Quod si non essent, Imperatoriæ Maiestati de suo sibi Oratore confidendum: cui etiam in omnibus ad vtilitates Maiestatis eius spectantibus, & se, & Pontificem esse fauturos.

Oratoris Hispani super eisdem capitibus, quæ ab Legatis exhibita, postulata.

Die VII. Orator Hispanus suum scriptum exhibuit, quo profitebatur sibi abundè satisfactum de omnibus capitibus, nec quicquam postulatum velle, sed monitos tantum Patres de mutatione quarundam vocum, siue quò melius declarentur, siue quòd superfluæ & non necessariæ sibi videantur. Et ea ferè omnia attigit, quæ authoritatem Episcoporum augebant, verba ita temperans, vt mutatio in re ipsa penè nulla videretur, sed quæ facto tamen eam restringeret potius, quàm amplificaret. Instabat etiam tractationem institui de Conclaui; id Regi Catholico desideratissimum affirmans. Tum vt differretur in aliam Sessionem illa pars, quæ Principes seculares attingeret. Scripto autem exhibito postulauit, vt cum absoluissent sententias dicere de his capitibus à Legatis propositis, Patres aliquot nationatim deputarent, qui ea colligerent, quæ ipsis necessaria videbuntur ad cuiusque regionis reformationem, vt ita cum vniuersali omnium applausu desinat. Respondit *Moronus* omnium nomine, non posse se alium modum procedendi approbare, quàm cui hactenus in alijs materijs consuessent. Qua de re cum vtrinque multa dicta essent, à *Comite* Concilium seruum esse innuente, & à *Cardinale* in eius libertate demonstranda, subiunxit *Moronus*, neminem iure queri de ipsis posse, libertatem dicendi sibi præreptam: respondit alter, non se credere aliquod indignum facinus ab ipsis patratum: sed illud tamen haud sibi tacendum existimare, in Concilio valde obmurmuratum de congregationibus priuatis præcedentibus diebus factis; & ita existimari, eas ad captanda suffragia habitas. Legati, cùm ad id crimen eluendum dicerent, esse officij sui in pugna opinionum veritatem indagare, & dissidia sarcire, quò materiæ tractatæ vnanimi consensu constituantur; subiunxit Comes, rectè id quidem, sed illud parum rectè, solos *Italos* vocari, præter duos, vel tres *Hispanos*, & totidem *Gallos*, quibus cum cæteris suæ nationis non conueniat. Contra defendebant Legati ex proportione vocatos. nam esse in Concilio *Italos CL.* & ex omnibus alijs nationibus haud amplius quàm *LX*. Hic Comes monstrabat sibi satisfactum. vnde discedens dixit suis Prælatis, Legatos, licet sermonem exorsi essent, vt ostenderent, nullam nationis rationem habendam; eum ita conclusisse, vt declararint se summam eiusce semper tenuisse rationem.

Eiusdem cum Cardin. Morono, super nonnullis Patrum nationatim deputandis,

Tum super Concilij seruitute ac libertate deligatio.

Priuata inter Legatos super Oratorum in capita reformationis obseruationibus consultatio, & Card. Lotharingij de modo procedendi sententia.

Consultatio habita est postridie inter Legatos & duos Cardinales, de Oratorum animaduersionibus; tum de capitibus reformationis ea forma concinnandis, quâ Patribus exhibenda erant; déque modo, qui tenendus, dum super ijs verba fierent. In qua Cardinalis *Lotharingius*, acceptis nuper alijs è *Gallia* literis, cum mandato, vt ipse & Præsules Galli rebus Papæ fauerent, totus in id intentus, quemadmodum Legatis satisfaceret, author fuit vt constituerent, de tot simul capitibus in suffragium non eundum; sed ea secundum varietatem materiarum diuersis temporibus sumenda: atque vna parte finita, de altera dicendum. Ita Sessionem accelerari posse, sepositis ijs, quæ aliquid difficultatis habere deprehenderint; ijsque solis conclusis, in quibus omnes aut magna pars consentiunt; & nominatim abstinendo ea in principio proponere, quæ Oratores non probant.

Die

Die XI. cœperunt Congregationes pro constituendis anathematis, & decretis de Matrimonio. ac statim dum tractatur super propositione Gallorum, de irritis declarandis matrimonijs à filijs familias sine parentum consensu contractis, inter prima suffragia opinionibus variatum est. Cardinalis *Lotharingius* eam approbabat, citatis Scripturæ locis, qui Patribus potestatem attribuunt filijs vxorem dandi, in exemplum adductis nuptijs Patriarcharum *Isaaci*, & *Iacobi*, additis etiam legibus Imperialibus, *Institutionum* & Codicis, à Principibus etiam Christianis, & laudatissimæ memoriæ sancitis; Canone etiam quodam, sub nomine *Euaristi*, & alio Concilij *Carthaginensis*, à *Gratiano* comportatis. Narrationem denique pertexuit incommodorum, quæ inde nascuntur. Ex altera parte Archiepiscopus *Hydruntinus* contrariam opinionem tenuit; opponens, id esse, authoritatem dare laicis super sacramenta; & facere, vt ipsi credant eam authoritatem irrita faciendi matrimonia, à patria potestate pendere, & non ab Ecclesiastica. præterquam quòd id decretum directè contrarium esset S.Scripturæ, expresse dicenti, *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ*. Quod incommoda spectat, multo inde maiora nascitura, liberis in eo, quod conscientiam spectat, ad arbitrium parentum remissis. Nam si quis Pater nunquam filij Matrimonio consentiat, & ille donum continentiæ non habeat, certè ipsum in summas animi angustias coniectum iri. In illa Congregatione verba fecerunt XXIX. & ex his XX. eius sententiæ fuere, ab illius materiæ tractatione abstinendum. è cæteris, alij decretum ita vniuersè propositum approbabant; alij in filijs ad annum ætatis vicesimum, in filiabus ad decimum octauum illud restringendum putabant.

In Congregatione disceptatur de matrimonijs filiorum familias absque consensu parentum. Ea irrita declaranda tenet Card. Lotharingius.

Contrariam opinionem tuetur Archiepisc. Hydruntinus.

In fine Congregationis, Oratores Veneti postulatum quoddam suum recitandum curarunt, super anathemate de Diuortijs: cuius hæc summa. Quandoquidem ipsorum Respublica habeat in potestate Regna *Cypri*, *Cretæ*, *Corcyræ*, *Zacynthi*, *Cephaloniæ* à Græcis habitata, quibus ab antiquissimo tempore in more positum est, vxorem adulteram repudiare, aliamque ducere; de quo ritu toti Ecclesiæ notissimo nunquam ab aliquo Concilio damnati aut reprehensi sunt: iniquum esse illos absentes, nec ad hoc Concilium vocatos condemnare. Rogare igitur Patres, Canonem, qui de illa materia loquitur, ita velint attemperare, ne quid ipsis præiudicij adferat. Hoc cum Legati acceptum proposuissent; nullo super eo exactiori facto examine, eam ob causam statim inter Patres est mussitatum: & in sequenti Congregatione nonnulli ex ijs chorda eadem oberrantes denuo profitentur, haud æquum esse, *Græcos* damnare inauditos, & non citatos. Surgens ex aduerso Archiepiscopus *Pragensis* asserit, isthoc dici non debere. nam omnium Christianorum generali citatione, intelligi etiam ipsos à Pontifice vocatos. Et subiecit Cardinalis *Varmiensis*, Pontificem peculiarem Nuncium ad *Ducem Moscouiæ* mandasse, vt eum inuitaret. & quamuis exploratum non habeat, an cæteros *Græcos* speciatim vocarit, nihilominus id præsupponendum, totam nationem etiam speciali inuitatione vocatam. præterquam quod sufficere debeat, quemadmodum Archiepiscopus dixerat, inuitatio generalis. Vnde Legati negotium dant Secretario, vt è petitione Oratorum supradictorum ea particula deleatur, nempe, *Græcos vocatos non fuisse*. Cæterùm cùm propter ipsorum expositionem, tum quod in medium denuo prodirent ij, qui reueriti opinionem *D. Ambrosij*, abstinendum putabant Anathematis voce; inuentum est temperamentum; Non vt ij damnentur, qui dicunt, adulterio matrimonium solui posse, & aliud contrahi, quod *D. Ambrosius* & alij Patres *Græci* tenuerunt, vtque apud Orientales moris est: Sed vt ij anathemate feriantur, qui dicunt, Ecclesiam errare, cum docet, propter adulterium matrimonij vinculum non posse dissolui, nec licere aliud matrimonium contrahere: quod affirmant Lutherani. Atque accepta hac formula magno coronæ assensu, laudantibus eam multis, ac dicentibus, non esse Concilium congregatum, nisi opinionibus Protestantium damnandis; non autem ad aliarum nationum opiniones excutiendas. Restabat tamen in quorundam animis ille scrupulus, quomodo damnari possit, qui dicit Ecclesiam errare, cum aliquem articulum docet; cuius contrarium tamen non damnetur. Sed cum id cernerent à tot alijs intelligi & comprobari, ipsi hac de re acquiescendum esse sibi existimarunt.

Oratores Veneti in Anathemate de diuortijs, rationem Græcorum Reipubl. suæ Subditorum haberi postulant.

Quo sensu Græci possint dici ad Concilium vocati.

Ne in Lutheranis Ambrosij sententia damnetur, subtile temperamentum, sed parum sibi constans, inuenitur.

Et

Cũ hypothesi de matrimonijs filiorum familias irritis faciẽdis, Thesis tractatur, An Ecclesia possit matrimonia facere irrita.

Et quoniam quod erat propositum de filijs familias, occasionem dabat quæstioni ad Thesin reducendæ, An penes Ecclesiam sit matrimonia irrita facere, tendebant huc omnia suffragia, vt de ista quæstione denuo disceptarent, tametsi de ea iam tractatum esset, & suffragia collecta, lectumque Decretum ex ijs formatum, sicuti supra dictum est. Cardinalis *Madrucius* pro sententia dixit, irrita fieri non posse; multis rationibus ad propugnandam opinionem suam adductis, & satis clarè significans, se contrariam sententiam etiam in ipsa Sessione fuisse oppugnaturum: quod à *Varmiense* & *Simoneta* quoque dictum. Sed turbas in primis pariturum videbatur, quòd *Lainezius Iesuitarum Generalis* scriptum quoddam diuulgans, sententiam de matrimonijs in irritum ducendis planè reijciebat. Id enim occasionem præbuit multis animum in illa opinione obfirmandi. Vnde in Congregationibus cœperunt rationibus contrarijs hinc inde respondere, tanta cum prolixitate, vt Legati prope animum induxerint, illud caput omittere, ne Sessionem impediret; præsertim, quòd Episcopus *Sulmonensis* primus omnium in publica Congregatione disceptandum existimauerit, vtrum ea materia de matrimonijs irritis decernendis, ad doctrinam spectaret, an ad reformationem. Post illum Episcopus *Segouiensis*, longissima oratione conatus est ostendere, non posse ad dogma reduci, adeoque cum maior pars approbauerit eiusmodi matrimonia irrita dicenda, Decretum pro definito habendum. Eandem sententiam secutus Episcopus *Mutinensis*, addidit, eam materiam tanquam dogma tractando, cuilibet reformationi aditum intercludi. In omnibus enim Articulis eandem difficultatem moueri posse, vtrum Ecclesia habeat, necne, authoritatem super illo particulari, quo de agitur, definiendi: quod esset arma hæreticis in manus tradere, omnemque authoritatem Ecclesiæ adimere; cum iniustum sit, manum in id inijcere, de quo ambigitur, an ad id attingendum potestas propria se extendat. Et questus est ab his illud, vti controuersum, in arenam emissum, quibus pro manifesto & deciso haberi debuit.

Episcopus Sulmonensis dubitationem inijcit, vtrum hæc controuersia ad doctrinam spectet, an ad reformationẽ.

Placuit multis hæc sententia, qui dicebant nunquam in disputationem esse vocandum, an Ecclesia aliquid possit, an non; sed pro determinato habendum, sicuti *Christo* data est omnis potestas in cœlo & in terra, ita pari potestate munitum *Pontificem Romanum* eius Vicarium. Quæ authoritas cum ab ipso communicata sit Concilio generali, firmiter credendum, non deesse ei potestatem, quicquid expedit faciendi, citra omnem disceptationem, an dogma præsupponat, necne. Placuit & his, qui Concilij exitum desiderabant, cùm difficultatem propositam ei finiendo remoram inijcere, & scandali causam præbere animaduerterent. Itaque ab Legatis & Italorum primarijs actum est seorsim, ne ea de re verba fierent: cùm superuacaneum esset tractare siue cum Gallis, siue cum Hispanis, quod omnes essent eius opinionis, clandestina matrimonia irrita decernenda esse. Ad hunc finem Prælati & inter se, & cum Legatis multoties conuenere; statutumque, non solùm id Decretum cum capitibus doctrinæ non ponendum, ne dogma videretur: verum etiam nec separatim in capite proprio collocandum, ne venire vnquam possit in dubitationem, an pro tali aliquando habitum fuerit. Quin & constitutum, ita Decretum formare, vt non ex professo videretur agi de eiusmodi matrimonijs in irritum ducendis, sed vt primo capiti de abusibus (quo prouisum erat restituendis denunciationibus, ordinatis ab *Innocentio III.* sed intermissis) admisceretur. Atque in stabiliendis tum his, tum cæteris omnibus, quæ ad formam publicam matrimonio dandam pertinent, conditionibus, verbo vno aut altero quasi obiter adderetur, omnes contractus aliter factos nullos esse. In hunc sensum caput illud sæpius formatum fuerat, & reformatum, sed verbis semper admodum perplexis, & formula posteriore, prioribus multo difficiliore. Inter cæteras in reformando mutationes, id caput nominatim mutatum, quod institutum ante diximus, vt præsentia trium testium ad integram matrimonij validitatem sufficeret. Eorum vnius loco substitutum est, vt sine Sacerdotis præsentia quodcunque matrimonium nullum esset. Ea res ad amplificandam dignitatem Ordinis Ecclesiastici summè faciebat, dum actio in administratione Politica, & Oecumenica tanti momenti, vsque ad id tempus in eorum tantum potestate posita, quorum intererat, iam tota Clero permittitur: nulla deinceps remanente via, aut ratione

De Ecclesiæ potestate nũquam disputandum, sed vt Christo, ita Pontifici omnem potestatem tribuendam, quo expedit.

Caput de matrimonijs clãdestinis, nec inter dogmata reponendũ, nec seorsim collocandum, sed capiti de abusibus obiter inserendũ statuitur.

Præsentia Sacerdotis in matrimonio decernitur esse necessaria.

matri-

matrimonium celebrandi, si duo Sacerdotes, nempe *Parochus* & *Episcopus*, licet fortasse priuatis suis vtilitatibus adducti, assensum suum præstare recusent. Equidem inter libellos memoriales reperire non potui, ecquis tantæ accessionis author fuerit; sed & multa alia magni ponderis particularia mihi incomperta sunt, quorum libens alioqui mentionem fecissem. Sed vtcunque debito honore fraudandus non est *Franciscus Belcarius* Episcopus *Metensis*, qui vnus, cùm impossibile videretur sensus adeo varios, in formam quæ probaretur, redigere; eorumque reseruationes & respectus adeo subtiles representare, eam tamen formam dedit, quæ publicè conspicitur: diuersis certe interpretationibus obnoxiam, sed simul diuersis opinionibus valde accommodam. Ea in Congregatione proposita suffragatores habuit CXXXIII. & qui expressè refragabantur, Patres LVI.

Ferdinandus. Philippus 2.

Episcopus Metensis Decreti huius fabricator.

Legati hæc omnia Pontifici significantes, consulunt eum, quid sibi faciendum esset, & an tam multis Patrum contradicentibus, dummodo instando & solicitando flecti nequeant, Decretum sit stabiliendum, necne. Incussit Patribus nonnihil timoris rumusculus excitatus, *Oeniponte* pesti laborari; iamque multi discessum cogitabant, nisi Cardinalis *Moronus*, omnia ad Concilium finiendum bene præparata existimans, quid eius rei esset, nunciandum curasset. Nimirum *Sborrij* (is locus distat ab *Oeniponte* ad vicesimum milliare) mortuos esse ex morbo contagioso multos ex ijs operarijs, qui metalla effodiunt, funesta tabe è locis subterraneis afflatos: Verùm *Oeniponte* ab incolis ita accuratè prouisum, vt periculum non esset ne eò penetraret. quin etiam in ipso oppido *Sborrio* malum indies mitescere.

Patribus Tridentinis inijcitur metus, quòd allatum esset pestem Oeniponte grassari.

Accidit etiam per id tempus motus magnus inter Prælatos *Italos*, & nominatim Regni *Neapolitani*, & Status *Mediolanensis*, hac de causa. Contenderat ante mensem *Rex Catholicus* à Pontifice, vt *Mediolani*, sicut in *Hispania*, Iurisdictionem Inquisitionis constitueret, eique Præsulem aliquem Hispanum præficeret; affirmans, propter vicinorum locorum contagem, exquisitam diligentiam in cultus diuini, & religionis conseruatione necessariam. Cumque cognitum esset rem in Consistorio deliberatam; & quamuis quidam Cardinales contradicerent, Papam ad eam concedendam inclinasse, ex consilio Cardinalis *Carpensis*, eam operam vtilem asserentis ad Ciuitatem *Mediolanensem* in officio versus sedem Apostolicam retinendam, (quod ab illo dictum, ob occultam spem, ab Oratore Hispano focillatam, fore, vt isthoc officio fauorem Regis Hispaniæ demereretur ad Papatum consequendum) Ciuitates illius Status ad Pontificem, *Sforzam Moronum*, ad Regem Catholicum, *Cæsarem Tauernam*, & *Princisualem Bisostum*; & ad Concilium *Sforzam Briuium* amandarunt. Hunc oratum omnes Præsules & Cardinales istius Status, vt miserari vellent sortem patriæ communis, quæ intolerandis angarijs ad miseram pridem conditionem redacta, huic quæ alias omnes superabat, planè esset succubitura, multis iam ciuibus ad solum vertendum se comparantibus: vt qui satis sciant id tribunal in *Hispania* non semper ad medicandam conscientiam, sed perquam sæpe ad loculos etiam exhauriendos, aliosque fines sæculares respexisse. Quod si ij, qui eiusmodi officio propositi sunt illic in oculis Regis, ita rigidè in conciues suos dominantur, ecquid facturos *Mediolani* hominibus, tam longè à remedio dissitis, & ipsis multò minus dilectis? Et exposuit quidem *Briuius Tridenti* quanta molestia & anxietate, ciues in vniuersum, ob tam tristem nuncium inquietabantur; Prælatorum opem implorans. Verùm ea narratio maiorem ipsis Prælatis solicitudinem attulit, qui ab Inquisitione plus metuebant, quàm Sæculares. Etiam Præsules *Neapolitani*, si *Insubribus* iugum illud imponeretur, verebantur, vt ipsi id recusare possent, sicut ante aliquot annos fecissent. Congregati itaque inter se Prælati *Insubres*, constituunt ad Pontificem, & ad Cardinalem *Borromæum* dare literas communiter à se subscriptas. Quibus & huic significarēt, id magno ipsi præiudicio futurum, ad quem attinebat, tanquã *Archiepiscopum*, esse in illo Officio principem: Et Pontifici commonstrarent, non easdem subesse causas & aspectus *Mediolani*, atq; in *Hispania*, ad Inquisitionē adeo rigidam ibi constituendam; quæ præter manifestum illius status exitium, detrimentum etiam *Sanctæ Sedi* esset datura. Eam enim negare non posse, quin *Neapoli* quoque introducatur; tum occasionem datum iri cæteris Principibus Italis, vt & in sua quisque ditione idem fieri postulet.

Consilium Philippi Regis de instituendo auctoritate Põtificia Mediolani Inquisitionis tribunali, ciuium animos exasperat, & pene tumultũ ciet. Apud Papam consilij eius fautor Card. Carpensis.

Prælati Insubres, qui in Concilio, nihilo minori quam seculares solicitudine inquietantur.

Vnde constituunt ad Pontificem dare literas de præiudicio Sedis Apostolicæ ab ea Inquisitione.

Cum-

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

Cumque illa Inquisitio Iurisdictionem exerceat in Prælatos, non esse cur Sancta Sedes ab ijs multum obedientiæ expectare debeat, quibus ad Principum secularium, qui ipsos ea ratione habebunt sibi obnoxios, gratiam consectandam, necessariò erit confugiendum. Adeoque si forte noui Concilij occasio esset, Pontificem paucos Prælatos sibi fidos reperturum, & quibus liberè possit imperare. Neque credendum esse, quod Hispani forsitan dicturi sunt, Inquisitionem *Mediolani*, subiectam fore ei, quæ est *Romæ*, cum experientia constet, quemadmodum se gesserint in causa Archiepiscopi *Toletani*; semperque recusarint processus, licet ea de re sæpius rogati, Romam transmittere. quod & Inquisitores *Regni Siciliæ* faciunt, ab *Hispania* pendentes. Nec contenti Præsules Pontificem ita solicitasse, & Cardinales, aliosque *Romæ*, apud quos aliquid poterant; proponunt porro, vt Concilij decretis inseratur aliquod verbulum, in fauorem Episcoporum, quod eos aut Iurisdictione ea eximat, aut satis ipsis caueat; item vt decernatur modus processuum in illa materia formandorum: idque tametsi proxima Sessione perfici non possit, de eo in subsequentem deliberandum. Cardinalis quidem *Moronus* eos in spem erexit posse ipsis satisfieri. Sed casus hic valde Concilium distinebat, ob ingentem eorum numerum quorum intererat. Et nisi paucis post diebus nunciatum esset, Ducem *Suessæ*, intellecta vniuersali offensione, & ex indicijs quibusdam ad eius aures perlatis, metuentem, ne ciues *Mediolanenses* à *Belgis* exemplum sumerent, qui hoc nomine Gueusij euaserunt (ita in illis regionibus appellantur qui religionis sunt reformatæ) quòd Inquisitionis iugum ipsis imponere tentatum esset: simul cognito, quàm intempestiuum esset tractare id negotium, Oratores ad Regem destinatos retinuisse, promittentem, se id curaturum, vt Statui satisfieret, aliquid grauius haud dubie accidisset.

Etiam in Synodo Patres obsecrant vt Decreto aliquo sibi subueniatur.

Ducis Suessani Insubrum Præfecti operâ apud Philippum Inquisitionis consiliũ omittitur.

Pontifex perlectis responsis ab Oratoribus datis ad Capitula à Legatis proposita tanto magis in sententia confirmabatur Concilij finem maturandum, alioqui grande aliquod scandalum secuturum: & incommoda præuisa pro leuibus habebat, maius aliquid metuens ab improuiso. Sed cùm perdifficile cerneret ei finem imponere, nisi ad exitum prius perductis, ob quæ Concilium congregatum erat, & Principibus in id consentientibus, decreuit ea de re cum horum singulis agere. Scripsit itaque ad Nuncios suos in *Germania*, *Francia*, & *Hispania*; egit cum omnibus Oratoribus apud se Residentibus, etiam Principum Italiæ, hac loquendi formula vsus, *se plus debiturum ijs, qui ad finiendum Concilium adiuuabunt, quàm si armorum auxilia in magna aliqua necessitate contulissent.* Legatis suis rescripsit, hunc sibi præcipuè scopum præfigerent, Concilij exitum: & ad eum assequendum concederent, quicquid eidem obtinendo negari non posset: tantum, quæ damno fraudiue sint, quàm parcissimè admitterent. prudentiæ & fidei ipsorum, qui in re præsenti erant, se totum negotium permittere; modò vt Concilium claudatur quàm celerrimè.

Pontifex solicitat Principes per Nuntios suos, & ipsorum Oratores, de assensu ad Concilium finiendum.

Idem Legatis vnicè commendat.

Cæterum postquã Legati cum aliquot Prælatis considerassent ab Oratoribus proposita super reformatione, & eorum rogatu sex capitibus omissis, cætera ad XXXII. reduxissent; XXI. *Augusti* Patribus, vt super ijs verba faciant, traduntur. Cardinalis *Lotharingius* peculiares ex *Gallis* illis examinandis habuit Congregationes. quod Legatorum voluntate factum, non solùm quia pro certo habebant, ipsum eodem cum illis tendere: verumetiam quòd cuperent ea ad communem Patrum sensum accommodata, antequam de ijs in Congregatione Generali verba fierent. Dederántque negotium Archiepiscopis *Hydruntino* & *Tarentino*, & Episcopo *Parmensi*, vt eorum quisque separatim in proprias ędes conuocatis suis sequacibus ea examinarent, & quid communiter satisfacere possit, intelligerent. cumque complures dies in eo continuatum esset, ab Hispanis, & cæteris Italis ad priuatas istas congregationes non vocatis obmurmuratum est, facta ad capita illa oppugnanda conspiratione.

Galli auctore Lotharingio, & Præsules aliquot alij mãdatu Legatorum priuatas in ædibus suis habent congregationes rebus maturandis: quod cæteris offensioni est.

De eadem re Orator *Regis Catholici* admonuit *Archiepiscopum Hydruntinum*, in ædes eius salutandi gratia venientem, dicens, se nisi perinuitum nullis apud Regem officijs fungi, quæ ipsi credat displicitura. Congregationes illas particulares in adeo malam partem à bonis Præsulibus acceptas, vt facere non possit, quin de ijs Maiestati suæ significet. Ille excusabat, quicquid eius esset, id fieri in bonum finem ad materiam faciliùs expediendam, & ad prouidendum difficultatibus ante Congregationem

Orator Hispanus Archiepisc. Hydruntino significat, se, illum & alios ob priuatas Cõgregationes

nem Generalem. Ac superueniente eo ipso tempore Episcopo *Ischiensi*, vt *Comitem* conueniret nomine Cardinalis *Moroni*, ille eodem proposito continuato ostendit ei, displicere sibi priuatas Congregationes, seque existimare eas non ad alium finem haberi, nisi ad difficultates inijciendas, & capitulorum partem omittendam, quò celeriùs Sessio habeatur. Veruntamen Legati, vt Prælatis satisfieret, solicitiores, quam vt Oratori, his visis, quæ in illis Congregationibus animaduersa fuerant, ea vti rectè annotata benignè accipiunt, & varijs locis immutatis, in alijs, nonnullis secundum emendationes additis, Decreta accommodant.

ad Regem delaturum. Ille verò factum excusat.

Ea verò sic emendata cum exhibituri essent, Archiepiscopus *Pragensis* secundùm mandata per cursorem quendam dudum aduenientem ab Imperatore accepta, obnixè rogat Legatos, ne reformationem Principum secularium proponant, donec ipsi responsum habeant à Maiestate eius Cæsareâ: quod ipsum petijt etiam postea *Comes Lunensis*. Id Legatos admodum solicitos habuit, Gallis antea, nunc Imperatore & Hispania haud sibi satisfactum esse palàm testantibus: atque ex diuersa parte, cunctis Patribus communi voto desiderantibus, vt reformatio integra simul fieret. Congregati igitur in ædibus *Nauagerij*, infirma tum valetudine, cum viderent necessarium esse Oratoribus satisfacere, vtrum tota reformatio differenda esset, an illud solum Caput de Principibus, consultant. *Lotharingius* id solummodo differendum, & reliquam reformationem prosequendam censebat. Quæ sententia placuisset, nisi restaret scrupulus, sic Prælatis causam dari metus, ne reformatio secularis prorsus omittatur, atque inde occasionem sumptum iri, tum priuatim, tum in publicis Congregationibus reclamandi. Itaque decreuerunt & Oratoribus satisfacere, dilata reformatione Principum: & ne Prælati id malè interpretentur, differre dimidium, vt minimum, cæterorum capitum, etiam ea, quæ maximi momenti, reliquis quem ad modum illa correxerant, propositis, vt sic ad suffragia eatur, & Sessio celebrari possit: vtcunque difficultates, quæ occurrebant in Decreto de clandestinis nuptijs, illis dubitationem adferrent. Et sexto die Septembris prolata capita reformationis XXI. institutumque, vt postridie Congregationes inciperent. In his formandis omni arte & ingenio vsus est Cardinalis *Simoneta*, cum cæteris suis, id temperamentum sequutus, vt neque Curia Romana multum detrimenti acciperet, & Orbi Christiano reformationem postulanti, ac Oratoribus eam solicitantibus; quodque caput est, Episcopis satisfieret. quorùm, si Concilium finitum vellent, volentiam concurrere erat necessarium.

Vt satisfieret Oratoribus, reformatio Principum differtur, & ne id offenderet Prælatos, aliorum capitum pleraque.

Card. Simonetæ in capitibus reformationis concinnandis industria, vt neminem offenderet.

Episcoporum vnicus erat scopus, administrationem habere liberiorem. Hoc se consecuturos credebant, tribus prouisionibus factis. Primò, si Parochi ab ipsis pendeant: quod erat futurum, concessa ipsis collatione beneficiorum cum cura. Hoc verò præter alias difficultates, manum immittebat in *reseruationes*, & *regulas Cancellariæ*, ac proinde magnam fenestram aperiebat ad arcana *Curiæ Romanæ* scrutanda; immò manifestè portam patefaciebat, ad collationes in vniuersum ipsis auferendas, hoc est, ad omnem potestatem, & vitam ipsam illis adimendam. Itaque ventum est ad temperamentum, vt Curiales reseruationes firmiter retinerent; verùm Episcopis potestas fieret curas, quibus commodum videretur, examinis prætextu concedendi. Atque ad hunc finem conditum est caput XVIII. exquisito artificio, vti cuiuis videre est, quod speciosa ratione Episcopum arbitrum facit beneficium dandi, cui placuerit, & tamen nihil Curiæ de lucro demit. Alterum Caput erat de exemptionibus; in quo genere Episcopis diuersimode iam antea prospectum fuerat; & tamen additum vndecimum caput quasi in cumulum. Restabant exemptiones Ordinum *regularium*, venerantque in spem Episcopi, se posse eas prorsus tollere, aut saltem ita moderari, vt regulares sibi magna ex parte subijcerentur.

III. Impedimenta liberæ administrationis Episcoporum, quibus prouisum cupiebant. I. erat à reseruationibus.

II. impedimétum ab exemptionibus.

Iam inde ab anni principio indicta fuerat Congregatio super reformatione Regularium, quæ interuenientibus Generalibus, & ex consilio aliorum religiosorum, qui Synodo intererant, magnum fecerat progressum, &, nemine contradicente commoda decreta stabilierat. Nam quod ad ea, quæ foris sunt, & hominum oculis patent, ipsi *Regulares* à reformatione non abhorrebant; quinimo eam cupiebant. Interiora

Regulares reformationem non respuunt.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Sed Episcopis subijci recusant.

teriora verò, & quæ in Monasterijs obseruanda, satis sciebant sese in rem suam interpretaturos, & prout sibi collibuisset, acturos. Quinetiam rebus suis expedire putabant, reformationem habere in scripto strictissimam; omnibus ipsorum regulis longè aliud in scripto, ab eo quod est in obseruatione, præferentibus. Verum vbi cœptum est agi de moderandis exemptionibus, & ipsis saltem ex parte Episcopis subijciendis, simul ab omnibus Generalibus Ordinum, & Theologis tumultuatum est. Dein ad Oratores Principum sese recipientes, ostendunt ijs, quantum conducunt ipsi populis, Ciuitatibus, & Rebuspublicis; offerunt, si quid apud se abusus esset, remedium mox adhibitum iri; nullam se reformationem recusare, & vbi ad suam quisque prouinciam administrandam redierint, eam seueriùs etiam executuros, quàm Decretis esset ordinatum. sed subijciendo Monasteria Ordinarijs, ea protinus deformari. Nam ipsos, vtpote vitæ regularis, & seueritatis disciplinæ, qua id genus vitæ conseruatur, rudes, omnia temerè permissuros. contra Episcopi dicebant priuilegium esse semper coniunctum cum detrimento, & præuaricatione legis; reuocationem verò esse quiddam fauorabile, quo negotia ad suam naturam reuertuntur: non esse nouitatem, priuilegium tollere, sed res in pristinum statum reducere. Respondebatur ab altera parte, Regularium exemptionem adeo antiquam esse, tamque firma præscriptione niti, vt non amplius priuilegium, sed lex communis appellari possit. Tunc temporis cum Monasteria Episcopis erant subiecta, disciplinam Ecclesiasticam in ipsis, & ipsorum Canonicis adeo amussitatam & seueram fuisse, vt in omnes inspectio meritò ijs tribueretur. Quod si antiquitatem restitutam velint, id in omnibus eius partibus faciendum. Si Episcopi antiquum obtinerent, Monasteria vt illis temporibus, itidem nunc ipsis subijci posse. sed minimè æquum esse, vt Monasteriorum inspectionem deposcant, priusquam se ad eam formam composuerint, ad quam necessarium est vitam instituere Rectores vitæ regularis. Fauebant Regularibus Oratores, etiam Legati vtilitatibus Curiæ adducti, quæ egregio instrumento orbata fuisset, nisi ab ea sola penderent. Nec deerant ex Prælatis nonnulli, qui ipsorum fautores, bonis eos rationibus niti fatebantur. Durauit hic motus per aliquot dies, ita tamen, vt sensim remitteret; propterea quod qui eum excitarant Episcopi, maiorem indies in ea re difficultatem perspiciebant.

Episcopi caussam suam tuentur.

Regulares respondent, Episcopos non eadem esse vitæ integritate, qua olim, cum Monasteria ijs subiecta.

Oratores, Legati, & Præsulum nonnulli Regularibus fauent.

Tertium impedimentum à Magistratibus secularibus Episcoporum potestatem coarctantibus. Huic medicina à reformatione Principum, quæ iam dilata.

Tertium erat caput, de impedimentis, quæ Episcopis à Magistratibus secularibus obiecta. Hi ad conseruandam authoritatem temporalem, non patiebantur Episcopos exspatiari in absoluto illo imperio exercendo, quod non solùm in Clerum, verùm etiam in populum affectabant. Ad hunc finem comparatum erat Caput de Reformatione Principum, de quo facta est mentio, suo loco plenius dicendum. Hæc pars vnà cum alijs ei annexis dilata erat in aliam Sessionem, quòd eam pro difficili haberent, & rem in longum extrahere posse videretur. Enimuerò Episcopi hanc perendinationem interpretabantur ea gratia factam, vt ista reformatio planè obmutesceret: & querebantur, cum de tota Ecclesia emendanda esset agendum, solum tamen Clerum reformari. Legati ad eos compescendos omne studium conferunt, ostendentes, non hanc solam partem, sed & alia capita differri, tractatu etiam necessaria: immo prorogationem illam non alia de causa factam, nisi vt res maiori cum maturitate procedant, easque sine dubio tractatum iri polliciti. necessariam esse facilem istius Sessionis expeditionem, quæ ad alteram sit præparatoria, in qua quod reliquum erat omnino tractetur. In id vnum Legati erant intenti, vt Sessio haberetur tempore præstituto, necessarium illud iudicantes, vt Concilium celeriter expedirent, quod Papa per singulos cursores ordinarios, sæpè etiam per aliquem extraordinarium de expeditione illis instabat, vt ipsum Concilij molestia liberarent.

Orator Magistri & Ordinis Equitum Ioannitarum, siue Melitensium, in Congregatione admittitur.

In Congregatione ad septimum Septembris acceptus est *F. Martinus Roias* Orator Magistri ac totius Ordinis Xenodochij *S. Ioannis Hierosolymitani*, qui Equites *Melitenses* dicuntur; cuius admissio vsque ad id tempus dilata fuerat, quod Episcopi primi nominis magno conatu insisterent, ne locus ei superior daretur; iniquum esse dicentes, vt societas aliqua Fratrum, tot Prælatos in vnum corpus congregatos præcederet. Verùm re ad extremum composita, in Congregatione publicatum fuit, locum ipsi inter

ter alios Oratores dari, absque præiudicio Prælatorum, honoratiorem sibi deberi prætendentium. Oratione sua *Magnum* Ordinis *Magistrum* excusauit, quod tamdiu distulisset *Tridentum* mandare, ob rumores de Turcica classe, & incommoda, quæ à *Dragutio Archipirata* accipiebant. Patres hortatus est, vt præsentibus malis remedium adhiberent, quæ haud parum etiam Fratres suæ societatis attingerent, tanquam non otiosa Reip. Christianæ membra. Vt hæreses falsasque persuasiones exstirparent; Magni Magistri & societatis nomine spondens, ipsos patrocinium & defensionem decretorum ab Concilio, suscepturos, nec fortunas modò & facultates, sed vitam & sanguinem (si opus fuerit) effusuros. Exposuit originem Ordinis sui, cuius fundamenta iacta quadraginta annis ante bellum sacrum, *Godofrido* Duce, pro terra sancta recuperanda gestum; facinora gloriosa ab ipsorum maioribus edita, quibus ipsi in præsentia pares esse non possent, quòd magna parte terrarum & possessionum suarum spoliati essent. se *Siciliæ* & *Italiæ* contra Barbaros propugnaculum esse. Itaque orare Patres, vt memores antiquitatis, nobilitatis, meritorum & periculorum illius societatis, efficerent, vt possessiones & commendæ per vim & iniuriam ereptæ, ipsis restituerentur; vtque Concilium decerneret, ne in posterum alijs ab Ordine eo alienis conferrentur: confirmatis illius immunitatibus & priuilegijs. Responsum est ei à Promotore, Synodi nomine, illam, eius excusationem, vt iustam, accipere. de conseruandis verò commendis & priuilegijs illius Ordinis, promittere, se eam, quam eius postulatum merebatur, rationem habituram. Sed tametsi sequentibus diebus sæpius apud Legatos idem petere institerit, ipsique de ea re ad Pontificem retulerint, ab illo non aliud responsum, nisi eius rei curam ad se pertinere, atque in eam suo tempore incubiturum.

Ferdinandus. Philippus 2.

Et orationem habet.

Respondet Synodi nomine Promotor.

In illa & sequentibus Congregationibus rogata suffragia super XX. capitibus reformationis propositis: in quibus etsi nihil fuerit insigne, tamen pro historiæ serie, & multarum rerum, quæ post acciderunt, declaratione, non abs re fuerit præcipua attigisse. In primo capite de Electione Episcoporum, cum diceretur, obligari promouentes, vt digniores præficiant; renouata difficultas antea tractata, id esse nimis arctè ligare manus tam Pontificis, in collationibus, quàm Regum & Principum in nominationibus, si ad vnam solam personam nominandam restringantur. censebatque maior pars, sublato illo comparatiuo, dicendum solummodo, *ipsos teneri, vt de persona digna prouideant*. Verùm ex altera parte id consideratum volebant alij, à Patribus semper vsurpatam hanc loquendi formulam, *digniorem esse præferendum*. & rationem adducebant, culpa vacare non posse, qui minùs dignum, tametsi idoneum, digniori anteponit. Post multam disceptationem, inuenta ratio rei componendæ, relicta in speciem voce *dignioris*, terminisque vtendo primum positiuis, dein ad comparatiuos progrediendo, sic vt prouisio libera intelligatur. vnde adhibita est ea dicendi forma, quam impressam cernere est, nempe obligari eos, qui promouendi ius habent, bonos pastores & idoneos promouere; & mortaliter peccare, nisi digniores, & Ecclesiæ magis vtiles præfici curauerint. Quibus verbis manet illa naturalis expositio, multos esse digniores, & magis vtiles, respectu aliorum multorum qui minùs digni & vtiles sunt; intra quem ambitum satis latum habet campum promouentis arbitrium.

Super Electione Prælatorum, alijs sufficere videtur, vt digni promoueantur: alij, vt digniores præferantur, contendunt.

In tertio capite erat difficultatis nonnihil super visitatione Archiepiscoporum. Hi adducentes Canones & consuetudines antiquas, secundum quas Suffraganei obedientiam iurabant Metropolitanis, erantque plenè subiecti eorum visitationi, correctioni, & regimini, non consentiebant vt ei authoritati aliquid decederet; & inter hos admodum incaluit *Patriarcha Venetus*. Episcopi contra, præsertim ex Regno Neapolitano, de conseruanda consuetudine recens introducta laborabant; iuxta quam non authoritate, sed solo nomine discrepabant. Sed quod esset Episcoporum magnus numerus, Archiepiscopi verò pauci; & illis Legati cum Pontificijs fauerent, ideo ne Archiepiscopi suffraganeos sibi subijcientes, authoritate & existimatione freti, Curiæ Romanæ minùs quàm antea, obnoxij essent, factum inde, nihil vt impetrare possent, quò ijs satisfieret, præter vnicum verbum, nempe, haud prohibitum ipsis visitare; *caussâ cognitâ & probatâ in Concilio Prouinciali*. Id verò conquesti

Archiepiscopis visitationes Ecclesiarum Cathedralium sibi deberi contendentibus, & Episcopis id negantibus, additur clausula, qua id Archiepiscopis permittitur, *caussâ à Concilio prouinciali approbata*. quod instar nihili esse dicebant.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

questi sunt, prorsus nihil esse. nam cum interesset Concilio Prouinciali vnus tantum Archiepiscopus, Episcopi autem complures, pro certo tenendum, eam occasionem nunquam nascituram.

Caput sextum quòd Præsulibus Hispanis satisfieri non poterat, omissum est in aliud tempus.

Sextum Caput erat de exemptionibus Capitulorum Cathedralium Ecclesiarum ab authoritate Episcopali. in quo cum plurimum interesset Præsulum Hispanorum, & eorum contemplatione *Comitis Lunensis*, multæ restrictiones & ampliationes factæ sunt. quibus tamen ijs Prælatis satisfactum non est, vtcunque sæpius mutatum fuerit. vnde ad extremum fuit omissum, & in aliam Sessionem dilatum, vt post dicetur.

Decimum tertium Caput, qua parte de pensionibus statuebat, verbis vtebatur generalibus, nimirum, vt nullum beneficium maioribus *pensionibus* grauari posset, quam tertiæ partis fructuum, aut valoris eorundem, secundùm id quod vsu obtinuerat, cum pensiones introductæ sunt. Verùm id Cardinali *Lotharingio* non expedire videbatur: quòd essent beneficia quædam admodum opima, quæ tametsi duas tertias soluerent, grauari tamen non intelligerentur: alia verò adeo tenuia, vt pensionem perferre non possent; adeoque iniquam esse hanc distributionem. quare satius esse prohibere, ne Episcopatus valoris mille Coronatorum, & parochiales Ecclesiæ centum, pensionibus grauarentur; de cæteris nulla mentione facta. Quæ sententia obtinuit, cum summa Legatorum & Pontificiorum voluptate, propter absolutam libertatem Pontifici in opulentis beneficijs relictam. Multa quidem dicebantur ab ijs, qui postulabant moderationem in pensionibus, & fructuum reseruationibus iam impositis, item in accessibus & regressibus. Sed difficultas negotij vnumquemque adegit, id omne silentio obruere, ob confusionem & perturbationem, quas consecuturas præuidebant. Siquidem omnes queribundi, excusaturi erant, se beneficia nisi illis conditionibus haud resignaturos; & ij maximè, à quibus pro eiusmodi gratijs obtinendis aliquid esset Cameræ persolutum, occasionem habituri conquerendi, auferri sibi gratias concessas, nec pecuniam restitui; quam si quis reposceret, impossibilia captabat. Denique sat cuique videbatur, in futurum prouidere, omissa de præterito cogitatione.

De beneficijs & Episcopatibus exiguis non grauandis pensionibus, prouisio qualis qualis instituitur: moderatio verò pensionum &c. ob rei difficultatem omittitur.

Decimum quartum Caput quod detestabatur, & prohibebat omnes solutiones alicuius partis fructuum pro collatione, prouisione, aut admissione ad possessionem, *Gallis* perplacuit; dicentibus, ijs verbis tolli solutionem *Annatarum*. Et sanè qui ea considerate examinat, alium ijs sensum non temere appinget: vtcunque euentus ostenderit *Romæ* caput illud longè aliter intellectum esse.

Galli Annatarum solutionem XIV. capitis verbis tolli ex suo sensu interpretantur; sed longè alia Curiæ mente.

In decimo septimo, vbi prohibetur beneficiorum pluralitas, sed duo conceduntur, si vnum non sufficiat; requirebatur à quibusdam hæc additio, vt illa duo beneficia non ampliùs, quàm vnius diei itinere distarent, quò is cui prouisum erat, in eorum vtroque residere posset. Sed id obtinere non poterant; nec huius sententiæ authores multum laborabant, præuidentes Decretum illud, quemadmodum etiam totum caput, nusquam nisi contra nonnullos tenuiores, executionem habiturum.

Duo beneficia quando vnum non sufficit permittuntur, sed vt vnius diei itinere tantũ distent, id non conceditur.

Decimum octauũ etsi placebat, quatenus restituebat re ipsa Episcopis prouisionem beneficiorũ cum cura; attamen Galli formæ examinis cõtradixere, quod videretur ipsis Episcoporũ potestatem nimis in speciem restringere. Vtebãtur hac ratione, illum concursum petitorum locum dare nimis apertum & publicum ambitioni. Prisci temporis Patres professos, Ecclesias ab se dari recusantibus eas; noua autẽ ista ratione introduci, vt non modo illas apertè procurare, sed etiam dignum se profiteri, & captare fas esset.

Forma examinis in collatione beneficiorum Gallis non placet.

Super decimo nono Capite, Episcopus *Conimbricensis* longa oratione disseruit contra *exspectatiuas*, vt quæ ad mortem alterius exoptandam, & fortasse procurandam inuitent. Et de *reseruationibus mentalibus* progressus est eousque, vt diceret, esse fraudes, & mera latrocinia. Immo melius esse integram collationem omnium beneficiorum relinquere Pontifici, quam artificijs adeo indignis vti, cuiusmodi erat, vim dare cogitationi, quam nulla collatio, nulla publica significatio secuta; quæque suspicioni locum relinqueret, nihil tale in animo fuisse, sed post rem factam adinuentum esse. Sed Cardinalis *Simoneta* eius orationem interrupit, dicens, abusus reprehendere, antequam remedium sit decretum, ratione non carere, scilicet vt id procuretur: sed cum communis animorum inclinatio cernatur ad remedium, iamque formatum sit Decretum,

Conimbricensis fususinuectus contra *expectatiuas*, & *mentales reseruationes*, interpellatur à Simoneta, quasi Patres, ad id quod iam actum, agendum existimans.

tum, satis esse id assensu stabilire, nec in reprehendendo vbi nullus est locus, frustra per ambitionem, verba multiplicanda.

Ferdinandus. Philippus 2.

Vndecimo Septembris Oratores *Galli* literas accipiunt à Rege, datas XXVIII. Augusti, quibus significabat, se accepisse articulos ipsis à Legatis communicatos; & videre, res longè ab ea spe, quam conceperat, abesse. nam eos stabiliendo Regibus vngues præcidi, & Ecclesiasticis crescere. quod cum ipse decreuerit non tolerare, velle, vt Patribus prudenter, dexterè & acriter repræsentent; sicuti cuiusque Principis officium est, dum Concilium, vt par est, incedit, ei cum omni zelo & feruore fauere: ita vulnus occultare, quod præsentibus malis causam præbet, & cum præiudicio Regum grauius infligere, procul abesse ab eo, quod expectabatur. Vidisse se, quàm leui brachio defungantur reformatione Ecclesiasticorum, à quibus data sunt scandala ijs, qui ab Ecclesia Romana secesserunt; quamque sibi authoritatem assumant, Regibus iura & prærogatiuas auferendi: Constitutiones Regias, consuetudines præscriptione & quidem immemorabili firmatas, rescindendi: anathemate feriendi, & excommunicandi Reges & Principes. quæ omnia ad subditorum aduersus Principes suos contumaciam disseminandam, seditionemque aut rebellionem tendunt: cum manifestum sit omnibus, potestatem Patrum & Concilij non nisi ad reformationem ordinis Clericalis pertinere, nec pertingere statum, potestatem & iurisdictionem secularem, quæ ab Ecclesiastica prorsus distincta est. quoties autem Patres & Concilia eiusmodi rerum tractationem sibi arrogarunt, continuò Reges & Principes ipsis obstitisse: ex quo multæ exortæ seditiones, & Bella Christianæ Reip. damnosissima. Hortarentur igitur eos, vt ad id attendentes, quod erat sui muneris, & ad præsentia negotia necessarium, istiusmodi conatus missos facerent, qui cum nunquam aliquid boni peperissent, tum illis tēporibus longè pessimos effectus viderentur producturi. Quod si his persuasionibus Patres ab incœpto non dimouentur, vti Oratores viriliter sese opponant. id vbi fecerint, non expectato illorum iudicio, nec negotio ipsorum prudentiæ remisso, discedant Venetias; Prælatis Gallis significantes, vt operam in Concilio honori diuino propagando nauare porro pergant; haud dubiâ fiduciâ, vbi quicquam animaduerterint in deliberatione positum, iuribus, prærogatiuis, & priuilegijs *Regis*, & *Ecclesiæ Gallicanæ* contrarium, continuò discessuros: quod de Maiestatis eius voluntate sedulo ipsis est curandum. Scripsit etiam ad Cardinalem *Lotharingium*, eodem tenore, quo præceperat Oratoribus, cæteros Præsules affari; nempe, ne præsentia sua quidquam approbaret in Concilio contra iura Regia tractatum; sed sese mox subtraheret, si Patres videret extra muneris sui metas egredi. De cæteris remittere sese ad ea, quæ Oratoribus dederat in mandatis.

Regis Galliarum ad Oratores suos Tridenti literæ, quibus quid Patribus Concilij significatum velit super reformatione Principum, perscribit.

Item aliæ ad Lotharingium.

Galli his literis acceptis, totaque re cum Cardinale *Lotharingio* communicata, eam de illius consilio Legatis etiam impertiunt, simul eiusce rei rumorem spargentes per Concilium, vt hoc intellecto, & Episcopi à reformatione Principum postulanda, desisterent; nec ipsis occasio daretur sese Patribus opponendi, & ad protestationes veniendi. Verum id contra accidit. nam Episcopi aliquanto quietiores facti dum expectabant futurum, vt finita Sessione proponeretur Principum reformatio, nouitate hac audita, cum animaduerterent id agi, vt hoc negotium planè consilesceret; cœperunt inter se statuere vlterius in ijs, quæ ad Concilium pertinerent, omnino non progredi, nisi exhibitum esset, & in deliberationem vnà cum cæteris positum, illud etiam caput, quod de Principibus tractabat. Eoque factiones processere, vt ex ijs centum pacti inter se constanter in hac sententia permanere, eaque pactione chirographis omnium subsignata, Legatos conuenerint, postulantes, vt articuli de reformatione Principum proponerentur, & patribus excutiendi darentur, declarantes quasi formâ protestationis, se neque deinceps verba facturos, neque de cæteris quicquam, nisi pariter cum illis determinaturos. Legati benigne eos compellabant, consilio, & spe hunc animorum impetum frustrandi. In hoc motu comparuit denuò *Comes Lunensis*, cum illo sibi familiari postulato, vt Decretum cum formula *Proponentibus Legatis*, reuocaretur, quò Prælatus quisque ea proponere posset, quæ reformationis indigere iudicaret. Et petijt, vt ad gustum Prælatorum Hispanorum accommodaretur sextum Caput, sublatis prorsus exemptionibus è Capitulis Canonicorum

Literis Regis Gallorum plerique Præsules non tam à petenda Principum reformatione deterrentur, quam ad eam vrgendam animantur, Centum ex ijs in eandem sententiam conspirantibus.

Comitis Lunensis crambe recocta de Decreto Propon. Legatis reuocando.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Ecclesiarum Cathedralium, ipsisque Episcopo subiectis. Cumque *Tridenti* apparuisset procurator quidam nomine eorum Capitulorum, in contrarium tendens, prohibuit ne de ea re verbum vllum faceret.

Sessio in XI. diem Nouembris prorogatur.

Hoc rerum statu, cogitabant Legati Sessionem super sola Matrimonij materia celebrare. Sed huic consilio aduersabatur, quod nondum ad maturitatem perductæ essent omnes de clandestinis nuptijs difficultates: metuebantque Oratores, ne, si vna aliqua Sessio haberetur sine reformationis mentione, spes omnis intercideret de ea vnquam deinceps tractatum iri. Cumque satis constaret, sperandum non esse, vllam reformationis partem in parato futuram, tempore ad Sessionem habendam destinato, Legati facta Congregatione generali die XV. huius mensis, retulerunt de ea vsque ad XI. Nouembris proroganda: idque ita decretum est. Tam longæ dilationis causa fuit, quod Pontifex animaduersis difficultatibus, quæ finem Concilij impediebant, partim ex controuersijs inter Prælatos, partim per Oratoris Hispani oppositiones exortis, omnem spem superandarum difficultatum posuit in Cardinali *Lotharingio*. Vnde scripsit ad Legatos, vt, si Sessio haberi non posset tempore determinato, prorogaretur ad duos menses: idque factum, vt Cardinali daretur opportunitas *Romam* proficiscendi, & cum ipso conferendi de ijs, quæ neque literis, neque internuncijs erant committenda: vtque interea præparatis & dispositis omnibus, ad executionem veniretur. Vsque ad id tempus Papa omnino constitutum habebat, Concilium terminare: sed tum certò decreuit, si id non posset, (quandoquidem mera necessitate impelleretur ad se, quocunque modo eius molestijs liberandum) illud omnino dissoluere. Transmisit igitur facultatem Legatis, eius suspendendi, aut transferendi, prout de consilio Patrum magis expedire videretur; per literas significans, velle se prorsus quacunque ratione eo liberari, aut finem ei imponendo, si fieri posset, quod in primis desiderabat, sin minus, alterutro è duobus illis remedijs adhibito. Itaque omni ope incumberent in aliqua occasione aucupanda, qua ipsi ad id solicitarentur, ne innotesceret se authore id procurari: simul *Lotharingij* profectionem accelerarent. Ille verò, cùm de proroganda Sessione constitutum esset, postridiè se dedit in viam.

Pontifex spem omnem in Card. Lotharingio reponit.

Et Legatis facultatem mittit Concilij suspēdendi, aut transferendi, nisi commodè finiri possit.

Lotharingius Romam proficiscitur.

Cessauerant quidem in Pontifice omnes offensiones à *Gallia*, contemplatione Concilij: neque tamen deerant continuæ alijs nominibus ab eo regno molestiæ. Angebat illi animum quotidiana solicitatio, de assensu commodando alienationi centum mille Coronatorum de bonis soli Ecclesiasticis; assiduæque detractiones, quibus intelligebat ab Hugonotis & seipsum, & Apostolicam Sedem diffamari. Præcipuè erat ei molestum, quòd Cardinalis *Castellionæus*, qui (sicuti dictum est) habitu clericali posito, se Comitem Bellouacensem dici voluit, postquam intellexerat se à Pontifice in Consistorio vltimo die Maij galero Cardinalitio priuatum, ad Cardinalis habitum redijsset, & eo indutus vxorem duxisset, immo in celebri illo ac solenni Principum ac procerum *Rotomagi* conuentu XIII. Augusti, quo Rex in Senatu maiorennis, & regni administrandi capax declaratus, præsente tota Nobilitate Gallica eodem vestitu comparuisset. Id vero ab omnibus ad summum dignitatis Pontificiæ contemptum pertinere existimatum est; eoque commotus Pontifex, hoc tempore eius è Collegio circumscriptionem typis mandari curauit, eiusque multa exemplaria per *Galliam* disseminari.

Pontificis è Gallia molestiæ.

In quibus cōtemptus & ludibrium, à Card. Castellionæo, quem ordine mouerat.

Paucis ante diebus quàm Cardinalis *Lotharingius* Romam peruenit, eòdem venerat Nuncius Pontificis, qui in *Gallia* residebat, missus à Regina, vt ei suaderet colloquium quoddam inter *Sanctitatem* eius, *Imperatorem*, *Regem Hispaniæ*, & *Regem* filium suum; in cuius comitatu ipsa quoque ventura erat. Pontifici huius consilij executio impossibilis visa; licet propositio ipsa non displiceret, quippe quæ admodum conducere posset ad Concilium finiendum. promisit igitur se nuncios ad *Imperatorem*, & Regem *Hispaniæ*, ea gratia missurum: Episcopo *Vintimiliensi* in *Hispaniam* (quem ideo *Tridento* reuocat) & *Ischiensi* ad *Imperatorem* destinatis.

Regina mater Galliæ, Pontifici per Nuncium ipsius proponit colloquium, cui ipsa interuentura.

Cardinalem *Lotharingium* cum eximij honoris significatione acceptum, omnibus officijs amplexus est. Ad eum visendum (quod erat illi infrequens) publicè profectus est in hospitium, quod ei in palatio assignauerat. Sermones inter ipsos in parte

A Pontifice erga Cardin. Lotharingium honoris & a-

te habiti de Colloquio, tametsi Cardinali quoque id minimè successurum videretur. Tractatum de distrahendis CCC. librarum millibus: cui alienationi vtrum promouendæ, an impediendæ Cardinalis operam nauarit, incertum. Quin, cùm per eos dies Pontifex ad nouam Oratoris super ea re petitionem respondisset, se Concilio rem permittere; à multis effugium illud à *Lotharingio* inuentum iudicabatur. Sed colloquij caput fuit de finiendo Concilio, quàm rem & maximi momenti Papa existimabat, & sciebat difficillimam. De quo summâ inter ipsos fiduciâ actum, postquam Cardinalis ei ostendit rationes vtilitatum suarum eòdem collimare, & post fratrum suorum mortem liquidò perspexit, non superesse aliud medium sustentandæ in *Gallia* religioni, & familiæ suæ dignitati, quàm cum Sede Apostolica coniunctionem. Pollicitus est ei Papa, se facturum Cardinales quos vellet, & eiusmodi verbis vsus est, quæ animum proderent, illum sibi successorem in Pontificatu designandi. Quibus quò maior fides esset, professus est illius Cardinalis amplitudinem ad fines propositos sibi, magnum quidpiam meditanti, esse conducibilem. Siquidem sermonum suorum cum quibusuis hæc ferè clausula fuit; oportet Concilium obserare, & pecuniam parare; post fiat, quod Deo visum.

moris significationes; & inter vtrumque sermones.

Significauit Pontifex Cardinali, quotiescunque afferebatur nuncius aliquis de dissidijs Patrum, & machinationibus aliquorum de rebus in longum extrahendis, toties subire animum ipsius cogitationem de Concilio suspendendo: sed ab eo reuocari consideratione scandali, quod homines, quibus incomperta est rei veritas, inde essent accepturi. Ex vna parte, id sibi videri maximum malorum, quæcunque possent occurrere: sed alia parte, id multo minoris ducere, quàm periculum, quod authoritati suæ intentabatur. nam ad hunc scopum & Principes, & Episcopos, & omnes in vniuersum collineare. quam ob rem tandem necessarium fore, sepositis omnibus alijs aspectibus id consilij capessere. Cardinalis eum ab hoc proposito dehortatur, ostendens, illam medicinam non conducere ad morbum sanandum, sed ad eum duntaxat cum maiori periculo differendum. nam breui noua postulata de Concilio restituendo subsecutura, & molitiones eorum, quos offensiores haberet. Sed & Concilium suspendere, maioris esse operæ, quàm finire. Synodi enim ad exitum perductæ nihil necesse esse causas allegare; hic sufficere, res ad scopum dirigere, quid facto opus, præuidere, & exsequi. Suspensionem contrà requirere causæ dictionem, de qua vnusquisque ex animi sui sententia sit pronunciaturus. Quinetiam plus dignitatis habere, absoluere Concilium, quàm suspendere. quibus rationibus alijsque id genus, consilium suum vt salutare, & fidele Pontifici approbauit; sed & illud insuper suasit, vt apud Regem *Hispaniæ* animi sui mentem apertè promeret.

A Concilij suspensione, in quam Pontifex summè propendebat Lotharingius eum dehortatur.

Sed cum Rege Hispaniarum conciliorum communicationem suadet.

Eam ob rem accitis ad se Oratoribus illius Regis, conquestus est verbis grauissimis, dicens, se Concilium congregasse spe & promissione sibi à rege facta, Maiestatem suam rebus Pontificatus fauorem præstituram, cui ipse omnia indulserit, quæ in cogitationem cadere poterant; plura ei postulanti largiturus, sublatis impedimentis, ab Concilij celebratione obiectis. Nec aliam se gratiam à sua Maiestate, & Ministris eius expetijsse, quàm Synodi finem ad Dei gloriam, & communem vtilitatem: sed hîc pessimè secum agi, neque tamen vllo cum beneficio, quin potius magno cum Regis incommodo. Itaque cogi se eorum rationem habere, qui habeant sui; & in eorum vlnas se conijcere, qui sibi auxilium essent laturi. Cursorem etiam ad Regem mandauit, cum literis propria manu scriptis, in quibus querebatur de Oratoris sui, aliorumque suorum actionibus *Tridenti*, cum his, quæ à Ministris Regijs gereretur *Romæ*, pugnantibus: cum tamen vtrique profiteantur se Maiestatis suæ mandata exequi. ad honorem Dei, Sedis Apostolicæ, & Maiestatis suæ dignitatem in primis facere, vt illud Concilium finiatur. petere itaque, vt apertè declararet, an ad hanc rem adiumenti aliquid sibi esset allaturus. Id quoque consilij dederat ei Cardinalis, ne se præberet difficilem in calice & Presbyterorum coniugio Imperatori concedendis. Sic enim *Imperatoris*, *Regisq; Romanorum*, non assensum modò ad finiendum Concilium, sed etiam fauentiam & adiumentum sibi conciliaturum. Monuit etiam necessarium esse, reformationem Principum missam facere, quæ supra alia omnia negotium in longum extrahere possit.

Qua occasione Pontifex cum Regis Oratoribus primùm expostulat, male relatam sibi ab ipso gratiam.

Deinde ad Regem ipsum dat literas sua manu exaratas.

Lotharingius Pontifici suadet, Cæsarem & filium sibi conciliare Calicis & coniugij Presbyterorum concessione.

Iam

Petente Romam Lotharingio, Episcopi IX. Galliam repetunt.

Iam post *Lotharingij* discessum abierant etiam *Tridento* nouem Episcopi Galli, ad suos redituri. Vnde in Synodo non plures quàm octo, relicti; præter sex illos, qui *Romam* cum Cardinale profecti sunt. Eorum discessu peruasit vrbem rumor, & ipsos in *Galliam* reuocatos, & cæteros mox reuocandos operâ Hugonotorum, vt iam instante Concilij fine, cùm anathemate illi feriendi essent, è Gallis nullus adesset. Legati ad difficultates de clandestinis nuptijs expediendas, publicam disputationem Theologorum instituunt; propugnatoribus & opponentibus designatis: quod nulla vnquam occasione in Concilio prius factum. quanquam nec hac ratione quidquam profectum, singulis in propria opinione exinde obfirmatioribus. Postea ad Congregationes redintegrandas, tractandumque de reformatione, reliquos articulos proponunt, è quibus vltimus erat de *Principum Reformatione*, Prælatorum tumultuatione eò adacti.

Propter frequentem Reformationis Principum mentionem, Articuli XIII. super ea re cōditi, licet nullum de his Decretum factum, recitantur.

Quo de capite ad Principes spectante, cùm toties iam mentio facta sit, postquam in eum locum deuenimus, vt pro rerum consequentium intelligentia expediat id recitare, sciendum est, eo comprehensum fuisse proœmium, cum XIII. Decretis, & Epilogo admodum efficaci. quorum hæc fere summa. Synodum præter ea quæ super Ecclesiasticis personis statuisset, alios etiam abusus à secularibus introductos contra immunitatem Ecclesiæ, emendandos iudicasse, haud incerta spe, Principes id æquis animis accepturos, debitamque clero obedientiam præstandam curaturos. Itaque eos inprimis admonere, vt à suis Magistratibus, Officialibus, cæterisque Dominis temporalibus eam obedientiam deferendam curent, quam ipsi Principes Summo Pontifici & Conciliorum constitutionibus præstare tenentur. Quod vt facilius fiat, eandem vetera renouantem constituere, nonnulla Sacris Canonibus & Legibus Imperialibus decreta, in fauorem immunitatis Ecclesiasticæ, ab omnibus sub pœna Anathematis obseruanda.

I. Vt Iudices fori secularis de personis Ecclesiasticis iudicare non possint, etiamsi ambigeretur de titulo Clericatus, & licet ipsi consentiant, aut rebus impetratis renunciauerint, aut quacunque alia de causa, etiam sub prætextu publicæ vtilitatis, aut seruitij Regij: neque procedere possint in causis *Assasiny* siue sicariatus, nisi verè & propriè eiusmodi sit, & id notoriè constet; & in cæteris casibus Lege permissis id facere non possint, nisi præcedente Ordinarij declaratione.

II. In causis spiritualibus, matrimonialibus, hæreseos, decimarum, iuris patronatus, beneficialibus, ciuilibus, criminalibus, & mixtis, quocunque modo ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, nec super personis, nec super bonis, decimis, quartis, aut alijs portionibus ad Ecclesiam spectantibus, aut super beneficijs patrimonialibus, feudis Ecclesiasticis, iurisdictione Ecclesiarum temporali, Iudices temporales se immisceant, nec in petitorio, nec in possessorio: sublata quacunque appellatione, siue ob prætextum denegatæ iustitiæ, siue tanquam ab abusu, siue quia impetratis renunciatum sit. vtque ij, qui in supradictis causis ad forum seculare decurrerint, excommunicentur, & iuribus priuentur, quæ in ipsis ijs competebant. Atque idem etiam in causis in quacunque instantia pendentibus obseruetur.

III. Ne seculares etiam authoritate Apostolica, aut consuetudine immemorabili, Iudices in causis Ecclesiasticis constituere possint: & Clerici, qui eiusmodi officia à laicis accipient, etiam vigore cuiuscunque priuilegij, ab ordinibus suspendantur; beneficijs, & officijs priuentur; & ad ea sint inhabiles.

IV. Secularis Iudici Ecclesiastico præcipere non possit, ne excommunicet sine licentia, aut vt reuocet, aut suspendat excommunicationem fulminatam, nec eum prohibere possit ab examinando, citando, & condemnando, aut ne apparitores & executores proprios habeat.

V. Ne Imperator, Rex, aut quiuis Princeps, Edicta aut statuta sancire possit, ad causas aut personas Ecclesiasticas quouis modo pertinentes, neque se admisceat eorum personis, causis, iurisdictionibus, aut tribunalibus, etiam ne Inquisitionis quidem; verùm brachium seculare Iudicibus Ecclesiasticis præstare teneantur.

VI. Ne temporalis iurisdictio Ecclesiasticorum, etiam cum mero aut misto imperio, turbetur, neque eorum subditi in causis temporalibus ad tribunalia secularia trahantur.

VII. Ne quis Princeps aut Magistratus promittat per schedulam, aut aliud scriptum, aut spem faciat obtinendi aliquod beneficium in dominio suo positum; nec id impetrare possit à Prælatis, aut Capitulis Regularium; & qui ea ratione aliquod obtinuerit priuetur, & inhabilis fiat. *Ferdinandus. Philippus 2.*

VIII. Ne manum inijcere possint in fructus beneficiorum vacantium, prætextu custodiæ, iurispatronatus, aut protectionis, aut vt discordijs obuiam eant; neque in ijs Oeconomos aut Vicarios constituere; & seculares, qui eiusmodi officia & custodias acceptauerint, excommunicentur; clerici verò ab ordinibus suspendantur, & beneficijs priuentur.

IX. Ne Ecclesiasticos astringant ad soluendos census, vectigalia, decimas, portoria, subsidia, etiam appellatione doni, aut commodati, siue de bonis Ecclesiæ, siue patrimonialibus, exceptis ijs prouincijs, vbi ex antiquissima consuetudine ipsi Ecclesiastici in publicis Comitijs interueniunt, ad subsidia tam laicis, quàm Ecclesiasticis imponenda, contra infideles, aut ob alias vrgentissimas necessitates.

X. Ne manum inijcere possint in bona Ecclesiastica, mobilia, aut soli, vassallos, decimas, aut alia iura: neque in bona Communitatum, aut priuatorum, in quæ Ecclesia aliquod ius habet, neque pascua aut gramen in terris & possessionibus Ecclesiæ elocare.

XI. Vt literæ, sententiæ, & citationes Iudicum Ecclesiasticorum, præcipuè verò Curiæ Romanæ, simulatque exhibitæ fuerint, sine exceptione intimentur, publicentur, & executioni mandentur; nec aut ob hanc rem, aut pro capienda possessione beneficiorum, opus sit requirere consensum aut licentiam, quæ Exequatur, aut Placet, aut quouis alio nomine appellari solet, ne prætextu quidem occurrendi falsimonijs, & violentijs, præterquam in arcibus, & in ijs beneficijs, vbi Principes respectu temporalium agnoscuntur. Quod si quis metus sit, aut falsitatis literarum, aut magni alicuius scandali & tumultus, possit Episcopus, tanquam delegatus Apostolicus, statuere, quod facto opus erit.

XII. Ne Principes & Magistratus diuersari sinant officiales suos, famulos, milites, equos, canes in ædibus aut Monasterijs Ecclesiasticorum; neque ab ijs quicquam pro victu aut transitu extorqueant.

XIII. Quod si aliquod Regnum, prouincia, aut locus, prætendat se ad quidquam supradictorum non teneri, virtute priuilegiorum à Sede Apostolica, quæ actu obseruentur; vt Priuilegia exhibeantur Pontifici, infra annum post finem Concilij, quæ ab illo secundum merita Regnorum aut Prouinciarum, confirmentur; & anno finito, nisi exhibita fuerint, nullius vigoris intelligantur. Iam Epilogi loco erat admonitio quædam ad omnes Principes, vt ea, quæ sunt iuris Ecclesiastici, haberent in veneratione tanquam Deo peculiaria, nec ea ab alijs lædi sinerent, omnes constitutiones Summorum Pontificum, & sacrorum Canonum in fauorem immunitatis Ecclesiasticæ renouando, & sub pœna anathematis præcipiendo, vt, nec directè, nec indirectè, sub quocunque prætextu, aliquid statuatur aut executioni mandetur contra personas & bona Ecclesiastica, aut contra eorum libertatem, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, & exemptionibus, tametsi tempore immemorabili cœptis. *Decreti Epilogus.*

Atque hoc illud est, quod primum Oratoribus communicatum erat, & ab horum singulis ad suum Principem missum, quodque in causa fuit, cur *Rex Galliæ* ea mandata Oratoribus suis dederit, de quibus supra dictum est. *Imperator* certè cum id vidisset, scripsit ad Cardinalem *Maronum*, se, neque quà Imperatorem, neque quà Archiducem, vnquam assensurum, vt in Concilio verba fiant de reformanda iurisdictione Principum, neque de auferenda ipsis authoritate, qua auxilia & contributiones impetrent à Clero; ascribens omnium antemalorum caussam oppressionibus ab Ecclesiasticis contra populos, & Principes tentatis. Caueret ne illos amplius irritarent, & maiorum incommodorum authores essent. *Articuli hi reformandis Principibus destinati, Regi Galliæ & Cæsari displicent.*

Oratores Galli post *Lotharingij* discessum, protestationem suam paratam habebant, vt ea vterentur, si opus esset. Proinde in Congregatione XXII. Septembris, postquam vnus è Patribus pluribus disseruisset, causam omnis deformitatis à Principibus

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Ferrerij ad Patres à reformatione Principum dehortandos aculeata oratio, cum protestatione, si porro pergant.

cipibus procedere, eoque illis reformatione opus esse; & quando Capita iam sint ordinata, tempus esse ea proponendi; neque sibi persuaderi sinerent, vt prolationibus ista reformatio ad nihilum recidat. Postquam, inquam, ille perorasset, Orator *Ferrerius* longa admodum & querula oratione (Galli à planctu dicunt *Complainte*) vsus est. in qua hæc præcipue capita continebantur. Se apud Patres id posse vsurpare, quod ab Iudæorum Legatis Sacerdotibus dictum, *Numquid adhuc in ieiunijs & planctu perseuerare debemus.* Supra CL. annos, Reges Christianissimos à Pontificibus reformationem disciplinæ Ecclesiasticæ flagitasse: eam, & non aliam ob causam Oratores mandasse ad Synodos *Constantiensem*, *Basileensem*, *Lateranam*, ad primam Tridentinam, tandemque ad hanc secundam ventum esse. cuiusmodi eorum postulata fuerint, testari *Iohannem Gersonem* Oratorem in Constantiensi, Orationes *Petri Danesij* Oratoris in primo Concilio Tridentino; *Guidonis Fabri*, & Cardinalis *Lotharingij* in hoc secundo, in quibus, præter morum reformationem in Ministris Ecclesiæ, nihil postulatum. adhuc tamen ieiunandum, & plangendum, non LXX. annos, sed ducentos continuos, & faxit Deus ne trecentos, ac multo plures. Quod si dicat aliquis, Decretis & anathematis huic postulato satis esse factum, ipsis quidem non videri eam idoneam satisfactionem, cùm vnum pro alio datur in solutum. Sin illud dicatur, esse cur satis fiat, magno illo fasciculo reformationis ante mensem proposito; se quid super eo sibi videretur, dixisse, eumque ad Regem misisse: à quo responsum, in eo pauca conspici antiquæ disciplinæ congruentia; quinimò multa contraria. Non esse illud cataplasma *Esayæ* ad sanandum, sed operimentum *Ezechielis*, quo vulnera quantumuis sanata recrudescunt. Illa verò additamenta de excommunicandis & anathematizandis Principibus, esse sine exemplo Ecclesiæ veteris, latamque portam aperire rebellioni; totumque illud Caput de Reformatione Regum & Principum, non aliò respicere, quàm ad libertatem Ecclesiæ Gallicanæ tollendam, & imminuendam Maiestatem, authoritatemque Regum Christianorum. Qui ad exemplum *Constantini*, *Iustiniani* & aliorum Imperatorum multas leges Ecclesiasticas condiderunt, quæ non solum Pontificibus non displicuère, sed & ab ipsis etiam harum aliquot suis decretis insertæ sunt, dignique Sanctorum nomine iudicati, *Carolus Magnus*, & *Ludouicus IX.* præcipui earum authores. Episcopos Ecclesiam Gallicanam ijs legibus administrasse, non solùm post tempora Pragmaticæ, aut Concordati, verum quadringentis & amplius annis ante librum Decretalium. Atque has leges à posterioribus Regibus vindicatas & restitutas, postquam successu temporum ijs derogatum fuisset, Decretalibus in earum locum substitutis. Regem iam administrationis compotem factum, eas leges in obseruationem reuocaturum, & vnà libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, siquidem in illis nihil esse contrarium dogmatis Ecclesiæ Catholicæ, antiquis Pontificum Decretis, aut Concilijs Vniuersalis Ecclesiæ. Illas leges non prohibere, ne Episcopi totum annum resideant, & quotidie prædicent, nedum nouem menses, & diebus festis, sicut vltima Sessione decretum. sed neque vetare Episcopos, ne sobriè viuant & piè, redituumque vsum solum, non vsumfructum habentes, eos distribuant, aut reddant potius pauperibus, veris eorum dominis. Atque ita deinceps cætera in Concilio decreta simili forma ironiæ percurrens, irridere putabatur. Dein subiunxit, potestatem à Deo Regibus datam, ac leges *Galliæ* antiquissimas, & libertatem Ecclesiæ Gallicanæ semper prohibuisse pensiones, renunciationes in fauorem, aut cum regressu, pluralitates beneficiorum, annatas, præuentiones, litigare de possessorio coram alijs, quàm Iudicibus Regijs, & de proprietate, aut alia causa ciuili, vel criminali extra *Galliam*. Prohibuisse insuper, impedire appellationes tanquam de abusu, aut, ne Rex conditor & patronus penè omnium Ecclesiarum *Galliæ*, liberè possit bonis reditibusque etiam Ecclesiasticis suorum subditorum vti, pro instante & vrgente necessitate Reipubl. Dicebat prætera, Regem duo mirari; vnum, ipsos Patres, magna potestate Ecclesiastica in ministerio Dei, ornatos, congregatosque tantùm, vt disciplinam Ecclesiasticam restituant, hoc neglecto, ad eos reformandos se conuertere, quibus obedire conuenit, tametsi discoli essent, & pro ipsis orare. alterum, Reges & Principes, hominibus à Deo datos, posse & debere sine admonitione excommunicari, & anathematizari: quod

quod ne in homine quidem plebeio faciendum esset, in grauissimo aliquo delicto perseuerante. *Michaelem Archangelum* non ausum esse maledicere Diabolo, neque *Michaeam*, aut *Danielem* Regibus impijssimis; & tamen ipsos Patres, omnes maledictiones in Reges & Principes effundere, & in Christianissimum, contra quem imprecationes illæ comparatæ sunt, si leges maiorum suorum & libertatem Ecclesiæ Gallicanæ defenderit. Concludit, Regem ab ipsis requirere, ne quid contra eas decernant; si aliter fecerint, præcipere sibi Oratoribus suis, vt decretis se opponant, sicuti iam tum se opponebant. At si vellent omissis Principibus, ad illud serio attendere, quod ab omnibus exspectabatur, Regi id gratissimum fore, qui ipsis Oratoribus imperasset, vt illud negotium adiuuarent. Hactenus Regis nomine locutus, cœlum dein, & terram, ipsosque Patres inuocat, vt considerent, annon iustum esset Regium postulatum? an honestum foret, eadem omnibus per orbem vniuersum præscribere? annon hoc tempore deceat eos commiserescere, non Ecclesiæ, neque *Galliæ*, verùm dignitatis atque existimationis ipsorum Patrum, & obuentionum suarum, quæ alijs artibus conseruari nequeant, quàm quibus à principio partæ. In tantis confusionibus mutandum esse consilium, nec, cùm *Christus* venit, clamandum, *mitte nos in gregem porcorum*. Quodsi Ecclesiam in antiquam dignitatem restituere velint, aduersarios ad pœnitentiam cogere, & Principes reformare, sequendum exemplum *Ezechiæ*, qui nec patrem impium imitatus est, nec auum, proauum, abauum, atauum imperfectos; sed altius ad imitationem perfectorum maiorum ascendit; ita tum quoque illis non ad proximos præcessores attendendum, tametsi doctissimos, sed ascendendum vsque ad *Ambrosium*, *Augustinum*, & *Chrysostomum*, qui hæreticos debellarunt, non armandis ad bella Principibus, interea ipsi purgandis sibi vnguibus intenti, sed oratione, vitæ probitate, & prædicatione pura. Nam si ipsi prius se in *Ambrosios*, *Augustinos*, & *Chrysostomos* formauerint, & Ecclesiam purgauerint, effecturos, vt Principes etiam euadant *Theodosij*, *Honorij*, *Arcadij*, *Valentiniani* & *Gratiani*: quod cum futurum sperarent, vt ab ipsis id curetur, Deum se precari. atque ita perorauit. *Ferdinandus. Philippus 2.*

Hæc oratio eo ipso tempore quo pronunciata fuit, summè irritauit non tantùm Pontificios, verùm & alios Præsules, etiam Gallos: eaque finitâ ob magnam omnium mussitationem, necessarium fuit Congregationem eam dimittere. Alij eam hæreseos taxabant; alij dicebant vt minimùm, admodum esse suspectam; Et alij, esse aurium piarum offensiuam. Oratorem dedita opera occasionem captare eam habendi, per absentiam Cardinalis *Lotharingij*, qui eiusmodi voces nunquam passurus fuisset; nec alium eius esse finem, quàm vt Concilium interrumpatur. Regibus illum attribuere id, quod ad ipsos minimè pertinet. Perinde loqui, ac si authoritas Papæ necessaria non esset ad bona Ecclesiastica vsurpanda. Regem *Galliæ* ab ipso quasi alterum Regem *Angliæ* fieri. Sed illud præ cæteris omnibus offendit, quod eius verba sic acciperent, ac si dixisset, authoritatem Regis *Galliæ* in personas & bona Ecclesiastica, non esse fundatam in *Pragmatica*, *Concordatis*, & priuilegijs Papæ, sed in ipsa lege naturali, Scriptura sacra, antiquis Concilijs, & Imperatorum Christianorum legibus. Nec deerant, qui Oratores Gallos reprehenderent, dicentes, debuisse ipsos exemplum sumere à Cæsareis & Hispanis, qui, tametsi non minus ipsorum interesset, turbas tamen non conciuissent, vt qui cognoscerent se iniuria id facturos. *Plerique Præsules, etiam Galli oratione Ferrerij irritati, in ea multa reprehendunt.*

Ferrerius caussam suam defendebat, affirmans, promissum fuisse à Legatis Cardinali *Lotharingio*, de illo Capite haud amplius verba factum iri, nisi cum eiusmodi moderatione, vt res Gallicas non attingeret; verum postea contra esse factum. Communicata fuisse Cardinali mandata Regia, adeoque si præsens fuisset, non modò consensum, verùm etiam consilium ad protestandum adhibiturum fuisse. In summa ignoratione versari eos, qui, cum nihil aliud quam decretales viderint, quadringentorum annorum leges; crederent ante eas non fuisse alias leges Ecclesiasticas. Quod si qui Regem reformare voluerint per decretales, eum eosdem reformaturum per Decretum, eosque ad tempora etiam antiquiora deducturum, non solùm *S. Augustini*, verùm & Apostolorum. Non à se *Regem Galliæ*, alterum *Regem Angliæ* fieri; sed iure optimo opponere se ijs, qui iampridem propriam dignitatem augere cœperint cum *Ferrerius criminationes in aduersarios retorquet, & à calumnijs se vindicare nititur.*

Regiæ

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Regiæ diminutione. Quod si illi articuli tantum damni adferrent *Imperatori* aut *Regi Catholico*, quantum *Galliæ*, non in medium fuisse venturos. nec exemplum capiendum ab ijs, quorum non ex æquo intersit. Præter cæteros Archiepiscopus *Senonensis*, & *Abbas Claræuallensis* animi sui offensionem prodebant, dictitantes, ab Oratoribus pessimè factum, quod protestati essent; nec aliud ipsis propositum, nisi interturbare omnia, & Concilio Nationali in *Gallia* celebrando occasionem subministrare. Non esse homines bene affectos; sed Clientes Regis *Nauarræ*, ad Concilium rebus rationibusque eius promouendis missos. Protestatione vsos absque Regis mandato; adeoque cogendos, vt commentarium mandatorum edant. Formandam contra ipsos Inquisitionem, vt qui malè de fide sentiant. hinc inter Oratores & ipsos magnæ dissensiones ortæ. Oratores postridie Regi per litteras significant, quas ob causas protestatione eousque dilata, eam tum temporis adhibere coacti fuerint; subiungentes, se eam in acta Concilij non ante referendam curaturos, quàm eadem à Maiestate sua perlectâ, quid suæ sit voluntatis imperarit.

Archiep. Senonensis, & Abbas Claræuallensis Galli, Oratoribus præter cæteros infensi ac infesti.

Oratores Regi significant ab se protestatum.

Legati, quod orationis illius exemplum nullum esset, ab eorum memoria, qui in audiendo attentiores fuerant, quoddam curarunt recolligendum, vt id Pontifici mandarent. eius cùm *Ferrerio* copia facta esset, queritur ille multa contra suam mentem expressa: nominatim, quòd cum ipse *leges Ecclesiasticas* nominasset, eius loco positum erat, *leges spirituales*: quódque asseruisset, Reges *ad beneplacitum* bona Ecclesiæ sumere posse, cum dixerit tantummodo, *pro causa necessaria*. Eam ob rem necessitatem sibi impositam cernens orationis illius edendæ, eius exemplum mittit *Romam* ad Card. *Lotharingium*, se excusans, si verbis vsus esset minus pungẽtibus, quàm illi imperatum erat in vltimis mandatis, aut in primis, quæ hisce denuo confirmabantur. neque enim committere potuisse, vt Regi non obediret, aut etiam in reprehensiones incurreret Senatorum Curiæ, quas effugere non poterat, si in Concilio Genenerali, se præsenti, res tanti momenti determinatæ fuissent, contra id quod à Curijs supremis tanta accuratione defensum est. Ad hoc cum authoritas Regia, quam ipse vindicatum ibat, Curiæ Romanæ armis sæpius lacessita, quadringentos annos continuos ab Regno *Galliæ* sustentata fuerit, æquum non esse, vt Patres Concilij, maximam partem Curiales Romani, Iudices sint veterum controuersiarum, quæ Regno cum illa Curia intercedunt. Dedit etiam orationis illius exemplum Oratoribus, & cuiuis id postulanti; de qua nonnullorum erat iudicium, aliter ab eo pronunciatam, quàm post scripto esset mandata. Quibus ab ipso responsum est, haud ita dicturos, qui vel mediocriter in Latinæ linguæ cognitione versati. ac licet eadem esset quæ pronunciata, cum Scripta, si tamen eas pro diuersis habere animum induxerint, meminisse debere, ex Synodi consuetudine, nunquam de rebus, sicut erant voce pronunciatæ, sed vt erant scripto exhibitæ, iudicium esse faciendum. itaque ad id animum attenderent, neque de eo, in quo æquius erat sibi credi, quàm cuiuis alteri, controuersiam mouerent.

Ferrerius Orationis suæ exemplum mittit Romam ad Card. Lotharingium, & necessitatem protestandi sibi impositam ostendit.

Et respondet ijs, qui calumniabantur aliter ab eo scriptam, quam pronunciata fuisset.

Postquam exijsset in publicum ea oratio, responsum est ei ab Anonymo quodam Synodi nomine, in hunc modum. Meritò Oratores Gallos comparatos Hebræorum Legatis, cùm vt illi, sic isti iniuriâ contra Deum querimoniam habuerint: & rectè conuenire ipsis eam responsionem, quam Propheta Dei nomine reddidit illi populo; *si per tot annos ieiunassent & planxissent, aut comedissent, & bibissent, id totum sibi*, suarumq; vtilitatum intuitu, *factum*. Reges *Galliæ* omnium abusuum illius Regni causam extitisse, nominatis ad Episcopatus hominibus illiteratis, disciplinæ Ecclesiasticæ ignaris, magisque ad vitam lasciuam, quàm religiosam inclinatis. Non expetere Gallos dogmatum controuersorum decisionem, vt doctrina Christiana semper maneat incerta, & nouis Doctoribus locus detur, qui prurientes aures inquietæ illius nationis scalpant. Haud puditum eos dicere, temporibus adeo turbulentis, esse Regis adhuc adolescentuli de tota Ecclesiæ administratione statuere. Illud etiam asseueranter dixisse, beneficiatos esse tantum vsuarios redituum; & tamen in *Gallia* inde ab eo tempore, quod hominum memoriam exsuperat, pro vsufructuarijs semper se gessisse, cum testamenti factione; & in hæreditatem agnatis proximis succedentibus ab intestato. Nam illud quod dicitur, pauperes esse redituum Ecclesiæ dominos, valde pugnare cum altera assertione eiusdem orationis, nempe, Regem dominum esse

Anonymus quidam Synodi nomine Ferrerij orationi respondet.

esse omnium bonorum Ecclesiasticorum, eaque ad beneplacitum posse disponere. Insigniter esse absurdum, non permittere, vt Rex à Concilio generali reprehendi possit, cùm Rex *Dauid* à Propheta *Nathane* increpitus, reprehensionem boni consuluerit. Hæresis fœtorem nonnihil olere, Episcopos arguere proximorum & præcedentium seculorum, perinde ac si veri Episcopi non fuissent. Extremum illud scriptum fuit diffusius in confutando eo, quod ab Oratore dictum, Principes datos esse à Deo: ac si esset hæreticum, & damnatum ab Extrauagante *Bonifacij VIII. Vnam sanctam*; nisi ita distinguatur, esse à Deo, sed mediante suo Vicario.

Ferdinandus. Philippus. 2.

Hoc scripto commotus Orator, edidit *Apologiam*, quæ vice responsionis Synodo esset: dicens, Patres non posse ipsis respondere, sicut Propheta *Iudæis*; quod ipsi reformationem postularent Ordinis Ecclesiastici, præcipuè in *Gallia*, defectus in eo gnari; non vt Iudæi, quibus, quòd proprios defectus ignorarent, causa ieiunij & planctus imputata. Cauerent Patres, ne dum *Regi Christianissimo* causam ascribunt deformationis Ecclesiasticæ, similiter faciant atque *Adamus*, cum culpam suam reiecit in mulierem sociam sibi à Deo datam. nam ipsos fateri, graue peccatum esse Regum, Episcopos indignos nominare: atqui grauius Pontificum, eos admittere. Reformationem se postulasse ante dogmata, non vt ea relinquerent incerta, sed quoniam de ijs inter omnes Catholicos conuenit, necessarium iudicasse à moribus corruptis incipere, fonte & origine omnium hæresium. Non duci se pœnitentia quod dixisset, multa esse in articulis propositis, antiquis decretis repugnantia; quinetiam ad id adiuncturum, derogare quoque constitutionibus Pontificum proximorum temporum. Se quidem dixisse *Carolum Magnum*, & *Ludouicum IX*. leges Ecclesiasticas sanxisse, quibus *Gallia* administrabatur; non autem Regi animum nunc esse, nouas condendi. quod si etiam ita locutus esset, eum sermonem esse consentaneum sacris literis, legibus Romanorum ciuilibus, eique quod scriptum est ab authoribus Ecclesiasticis, Græcis & Latinis, ante librum Decretorum. Quod dixisset beneficiatos redituum vsum solum habere, veniam eius dicti postulabat; siquidem dicendum sibi fuisse, eos tantummodo administratores esse; ijs verò, qui in malam partem id accipiunt, *Hieronymum* accusandum, *Augustinum*, & alios Patres, qui non solùm tenuerunt, bona Ecclesiastica pauperum esse, verum etiam clericos instar seruorum, Ecclesiæ omnia acquirere. Nunquam sibi dictum, Regem liberam habere potestatem super bonis Ecclesiasticis; verùm omnia esse Principis tempore instantis & vrgentis necessitatis publicæ; & qui eorum verborum vim satis intelligat, facilè cognoscere, eiusmodi tempore locum nullum esse, neque petitioni, nec authoritati Pontificis. Anathema Regibus intentatum se reprehendisse, eo modo quo in articulis scriptum erat: concedere tamen reprehendi posse Principes & Magistratus, quemadmodũ à *Nathane* factum; sed non contumelijs & maledictionibus prouocari. Quod *Ezechiæ* exemplo ad reformationem prisci tẽporis prouocasset, non posse ex eo inferri, vltimorum temporum Episcopos pro veris non haberi: cùm satis intelligat, Phariseos & Pontifices super cathedram *Moisis* sedisse. Cum diceret potestatem Regum esse à Deo, absolutè & simpliciter se locutum, sicut *Daniel* Propheta, & *Paulus* Apostolus scripserunt: nec sibi in mentem venisse, distinctionis *mediatè* & *immediatè*, nec Constitutionis *Bonifacij*, de qua si cogitasset, se, vtpote *Gallum*, id etiam commemoraturum fuisse, quod historiæ referunt de illius *Extrauagantis* causâ & origine.

Ferrerius editâ Apologia causam suam strenuè agit, non tam Anonymo, quàm Concilij Patribus vicem rependens.

Neque verò hac *Apologia* quidquam imminutum de Patrum ab Oratoribus alienatione, sed hoc ipso auxit magis; quod esset (ita ferebatur) non excusatio erroris admissi, sed potius in eo defendendo obstinatio. vnde crebri varijque non tam contra Oratores, quàm contra Regnum ipsum sermones. Dicebant perspicuum esse, quo animo ij sint, qui ad clauum in *Gallia* sedent. Notabant Reginam Matrem, quod nimis *Castellioneis* confideret, præsertim ei, qui nuper Cardinalis. quòd plus æquo apud eam possent *Cancellarius* & *Episcopus Valentinus*, quorum instinctu grauem passi essent repulsam Senatores Curiæ Parisiensis, cum religionis detrimento. Ei intimã familiaritatem esse cum *Cursoto*, & ipsius vxore, quos propter diuersam religionẽ aspectu suo dignari non debebat. Plenam esse aulam Regiam Hugonotis gratiosissimis. Et nihilominus per nuncios solicitare bonorum Ecclesiasticorum alienationem, cum tanto Ecclesiæ præiudicio: & id genus alia.

Regni Galliarum administratio, ac in primis Regina mater, Patrum sermonibus arguitur.

Ex motu qui in Synodo, Lunensis arripit occasionem denuo postulandi abrogationem Decreti Proponentibus Legatis.

Iam dum per has dissensiones Concilium est in motu, Comes *Lunensis* nouas semper difficultates ad eas, quæ ab alijs erant propositæ, adiungere solitus, instat, vt tollatur illud, *Proponentibus Legatis.* Quæ res permolesta accidit ijs, qui nesciebant, quemadmodum ipsi gratificarentur, sine præiudicio Sessionum præteritarum. Etenim non solùm reuocatio, verùm quæuis modificatio, aut suspensio, videbatur apertè declarare, ante acta parum legitimè determinata. Verùm Orator cum in postulato toties iterato, se nihil proficere cerneret, profitetur, hactenus negotium se modestè gessisse, sed coactum iri mutare procedendi morem: tantoque confidentiùs locutus est, quòd sciret Pontificem, antea à se interpellatum, scripsisse, vt id fieret, quod expediebat, adeoque ipsis rem omnem permisisse. Legati vt se molestia Oratoris tam sedulò instantis liberarent, respondent, se Synodo liberum relinquere, vt declarationem, quando commodum videbitur, edat. Ita nomen libertatis in Concilio pro mantelo erat, ei tegendo, quod ab alijs proficiscebatur. Nam Legati interea dum id dicerent, strenuè cum Prælatis coniunctioribus machinabantur, quem in modum mora interponeretur: tum ad hanc rem vsque in finem Concilij protrahendam, tum etiam vt temporis beneficio vterentur, quod fortasse viam aperire posset ad aliam aliquam rationem minus incommodam. Sed *Comes* istis machinationibus detectis, protestationem quandam adornauerat, eique Oratores Cæsareos, Gallos, & Lusitanum subscribere rogauerat. illi verò eum hortati sunt, ne in præsentia rem adeo solicitaret. Nam quando *Cardinali Morono* cum Imperatore conuenisset, ei prouisum fore ante Concilij finem, quamdiu de Concilio finiendo non ageretur, vix videre se, quemadmodum de altero protestari possint. Et Card. *Moronus* vt Comiti satisfaceret, *Paleotum* sæpius ad eum allegarat, ad tractandum cum ipso, de modo postulatum suum exequendi: quem ne ipse quidem satis intelligere videbatur. Nam vt decretis præteritis præiudicaretur, illud omnino non volebat; hac verò conditione posita difficile erat negotio temperamentum reperire. Ad summam, Legati fidem dant Comiti, proximâ Sessione declaratum iri, modo vt excogitari ratio possit, quâ Patribus satisfiat.

Legati eius declarationem pollicentur Sessione proxima.

Oratorum Galliæ Protestatio Romam allata, Pontificem, & Curiam, sed præter cæteros Card. Lotharingium mirifice commouet.

Porro *Romam* cùm allatum esset de Protestatione Oratoris *Galli*, is nuncius mirificè commouit Pontificem, & Curiam vniuersam; à quibus credebatur de industria facta, vt occasionem ministraret dissoluendi Concilij, idque sibi imputandi. Præcipuè verò indoluit Pontifex, quod dum Rex ab ipso gratiam quæreret, & concessionem centies mille Aureorum ex annuis cleri reditibus in *Gallia*, Oratores in conspectu totius Concilij dicerent, illum eosdem absq; se suo sibi iure sumere posse. Maximam autem Card. *Lotharingio* molestiam attulit, qui inde magnum negotijs, quæ cum Pontifice tractabat, impedimentum obijci existimauit. Id summa animi contentione testatū cupiebat, quicquid eius accidisset, cōtra suam voluntatem contigisse, séque, si *Tridenti* tum temporis fuisset, difficultatem eam haud dubiè populsaturum. Mandata illa ad Oratores missa, reliquias esse consiliorū, dum *Rex Nauarræ* adhuc viueret, initorum, quorū executionem procurari à fautoribus illius factionis, inter quos erat Præses *Ferrerius*. Eam factionem tametsi forinsecus religionē Catholicā profiteatur, arctissimam tamen consiliorum communionem habere cum Hugonotis: quibus in votis est, vt Concilium quoquo modo desinat in turbas, ne ad ipsos anathematizandos veniatur. Non esse tamen culpæ immunes etiam eos, qui *Tridenti* negotijs præessent: cum ante suum ab illa vrbe discessum, hoc negotium satis rectè cōpositum esset, Legatis duas res in se recipientibus, quibus Oratorib. erat satisfactum. Vnam, de Regib. & summis Principibus verbum nullum fore, sed tantum de quibusdam Regulis, qui Episcopis nullum exercitium iurisdictionis Ecclesiasticæ permittunt. Alteram, excipienda esse omnia, quæ à gratijs per Papam factis pendeant; veluti indulta, priuilegia, & concessiones sanctæ illius Sedis. At probabile esse, post discessum suum, ipsos Patribus primam formulam exhibuisse, ijs minime erasis, quæ auferre promiserant. Illud tamen pro certo confirmabat, per hæc non futurum, vt impediatur quietus Concilij finis; promisitque se ad Regem nihilominus scripturum, & dolorem suum de ijs quæ facta essent, significaturum; immo bona spe esse, se effecturum, vt Oratores *Tridentum* reuertantur.

Lotharingius mali huius causas Pontifici exponit, & suam in eo medicando operam pollicetur.

Idem ex condicto dat lite-

Scripsit igitur ex constituto in *Galliam*, & ad Oratores. Ad hos in hæc verba:

Actio-

Actionem ipsorum id habere excusationis, quòd facta esset: adeoque pergerent porro officium suum facere, nec aliquid amplius innouarent. Ad Regem scripsit oppositionem ab Oratoribus factam sibi permiram accidisse, eoque magis, quod facta, re cum ipso non ante communicata: nulla idonea aut ratione, aut occasione ad id impellente. Illius mali causam fuisse suam à *Tridento* absentiam. nam Oratores parum opportunè asperum remedium leui malo adhibuisse; se, vbi ad Concilium reuerterit, nullo negotio prouisurum. Verùm cùm facta infecta esse nequeant, orare suam Maiestatem, vti scribat ad Oratores, pergerent officium facere, & consilijs violentis parcerent. Subiunxit, Se Pontificem comperisse erga sanctam & seriam Ecclesiæ reformationem propensum, & benè animatum. Beatam esse Remp. Christianam tam digno Pastore, à quo *Tridentum* iam ipse remittatur, pia sanctaque eius desideria ita benè edoctus, ad conclusionem & finem Concilio imponendum, vt sperari possit, negotium fœliciter successurum. Et quoniam sub finem Concilij Decreta à Patribus & Oratoribus, qui nomine suorum Principum Synodo adfuerant, subscribenda essent; rogabat Maiestatem eius, vt Oratores suos redire iuberet, quò præsentes id absoluerent, quod vicem cumuli futurum erat omnium fauorum, patrocinijque in id Concilium à Maiestate sua, à fratre, patre, auoque collati.

ras ad Oratores Gallos: tum ad Regem ipsum.

Quibus Pontificem miris præconijs efferr.

Neque verò ex hoc negotio Cardinalis emergere poterat, caussam suam apud solum Pontificem agendo; verum etiam ea illi defendenda erat apud Collegium Cardinalium in Consistorio; qui dicebant, Principes velle Concilij libertatem; sed in nulla re quantumuis minima & iustissima, quæ ipsos tangit; tantùm in perniciem Ecclesiasticorum. Pontifex præcipit, vt, quid *Tridentum* de negotio illius reformationis scribendum esset, amplius cogitaretur, dicens, se non ideo facere, vt rebus Concilij manum immitteret (nam Patribus se rem integram permissurum) sed tantummodo ad Legatos per viam consilij informandos. Interea tamen respondet Legatis, si Gallis animus esset abeundi, vti discederent, sed ipsi nullam eis id faciendi occasionem darent, & sollicitè attenderent ad Sessionem constituto tempore celebrandam: quandoquidem per id tempus *Lotharingium* reuersurum. vtque Concilium clauderent alia Sessione vnica, intra duas aut tres septimanas habita: sic tamen vt hoc præscriptum tacitum esset, nec cuiquam, nisi *Lotharingio* communicetur. & si à Cæsareis iniectus esset sermo, responderent, post Cardinalis aduentum, se quid faciendum esset, constituturos. Animos quoque illis addidit, significans, se *Germaniam* & *Galliam* ad suam sententiam perduxisse; reliquam esse *Hispaniam* solam, Regemque respondisse, parum rectè facturum, Concilio finem imponendo, quod multa atque omnium maxima adhuc tractanda restarent: tamen se spe non destitui, illum quoque de sententia dimouendi, & Concilium de communi omnium assensu claudendi. Ac de *Gallia* sanè & *Germania* animi securus erat. nam præter tractationem super eo cum *Lotharingio* habitam, qui abundè ei de *Gallia* satisdabat, per hos eosdem dies acceperat, quid Imperatori esset constitutum. nempe acquiescere ijs quæ facta, & ad Concilij finem maturandum operam suam collaturum. Et licet à Nuncio significatum esset, *Matem Cæsaream* in constituendo animi pendere, & periculum esse, ne mutet sententiam; tamen cum intellexisset *Regem Romanorum* eius Decreti fuisse authorem, dicentem, è re fore ipsum finiri, quòd neque vllum fructum adferret; nec spes subesset vnquam producturum; pro certo habebat Regem illum cùm sua sponte, tum firma ratione permotum, in proposito perseueraturum, adeoque & Patrem in sententia conseruaturum.

Nec apud Papam tantùm, sed etiam apud Collegium Cardinalium suspicionum labem eluere conatur.

Pontifex respondet Legatis, quid facto opus sit, significans.

At *Tridenti* Oratores Galli post eam, quam dixi, orationem amplius in publico non comparuêre. significarant paucis ijs Prælatis qui remanserant, Regis animum esse, vt quinto & secundo capitibus se opponerent, quorum vi personæ & causæ in *Gallia* ad litigandum extra Regnum pertrahi possent: Item decimo-nono, quo *præuentionibus* Canone cauetur, Curiæ verò supremæ, prærogatiuis suis, in causis beneficialibus spoliantur.

Oratores Galli, quibus certum erat Congregationes non adire, monent suos, quibus articulis sese opponere necesse esset.

Legati, post sententias ab omnibus dictas super XXI. capitibus, proponunt, vt de cæteris verba fierent: sed de capite, quod Principes tangit, ab omnibus Oratoribus repugnatum est. Queruntur Patres, cum ageretur de reformatione (sicuti sem-

Oratores omnes tractationi de reforma-

ti ſemper dictum erat) totius Eccleſiæ in Capite & membris, Principes denique nullam reformationem admittere, niſi Ordinis clericalis; qui quidem nec reformari poſſit, ſi Prælati in exequendis ſuis muneribus impediantur; & niſi libertas Eccleſiaſtica ſalua maneat. Principes, qui reformationis ſtudium præ ſe ferebant, illi decreto aduerſari, quod libertatem & iuriſdictionem reformationi neceſſariam ipſis reſtituat. Legati ſe excuſabant, quod committere non poſſent, quin Prælatis aliqua ex parte ſatisfiat. Oratoribus ſatis temporis datum, ad grauamina ſua allegangda, cauſamque iure diſceptandam. nam opponere ſe de facto tantùm, id verò nimis eſſe violentum, & arguere, Concilium pro Ordinis duntaxat Eccleſiaſtici, & non totius Eccleſiæ reformatione fuiſſe conuocatum.

tione Principum repugnant, licet Patribus de iniuria querentibus, & legatis in eorum cauſam pronis.

Per hos eoſdem dies allatum, Imperatorem grauiter ægrotare. Oratores verò Cæſarei Patres monent, ſi ipſum mori contingat, haud ſatis ſecurum fore Concilium. nam cautionis per ſaluum-conductum interpoſitæ adeſſe finem. Qua de re Legati continuò ad Pontificem nuncium expediunt, poſtulantes, vt præſcriberetur ſibi quid faciendum eſſet. ob eamque cauſam Prælati etiam animos magis ad diſceſſum *Tridento*, quàm ad Reformationem Principum conferebant. Itaque ad VII. Octobris habita eſt Congregatio, ad conſtituendum, quid de cæteris reformationis Capitibus, præter illa vnum & viginti, eſſet agendum: præſertim verò de illo, quod ad Principes pertinebat. In qua poſt multam diſceptationem determinatum, Seſſionem celebrare de materia *Matrimonij*, deque vno ac viginti capitibus reformationis; illud verò de Principum reformatione differre. poſtridiéque Oratores Galli (ſicut à Rege mandatum) *Tridento Venetias* conceſſere.

Nuncius de Imperatoris morbo Patres habet ſolicitos, ne illo moriente parum in tuto ſint. Vnde Pontificis mentem exquirunt. Patres de Seſſione ſtatuũt, quid in ea definiendum, quid omittendum. Oratores Galli Venetias concedunt.

Pontifex, tametſi ſibi ſatisfactum eſſet de Cardinali *Lotharingio*, & Gallis ab ipſo pendentibus; nihilominus factioni illi iratus, à qua conſilium de proteſtatione in Concilio facta profectum exiſtimabat, reuertit ad id, quod iampridem à tempore Edicti Pacificationis cum Hugonotis animo deſignarat, nempe, vt *Tridenti* contra *Reginam Nauarræ* procederetur; ſed omiſerat animo præcipiens, ab Oratoribus Cæſareis oppoſitum iri, quemadmodum factum eſt, cùm de procedendo contra Reginam Angliæ ageretur. itaque iam ſtatuit cogitata exequi *Romæ*. Quare XIII. die huius menſis ſententiam publicandam curauit contra V. illos Epiſcopos Gallos antea citatos, ſicuti dictum eſt: fecitque affigi valuis Eccleſiæ *S. Petri*, & in alijs locis publicis citationem contra *Ioannam Reginam Nauarræ*, *Antonij* viduam, vt intra ſex menſes *Romæ* ſe ſiſteret ad ſui defenſionem, rationeſque reddendas, cur declarari non debeat omnibus dignitatibus, ditionibus & dominijs orbata; nullumque illud matrimonium inter *Antonium* quondam *Vindocinenſem*, & ipſam contractum; proleſque illegitima: quódque in cæteras pœnas incurriſſet Canonibus contra hæreticos declaratas. Cardinalis *Lotharingius* antequam Papa ad eas ſententias & proceſſum veniſſet, cum ipſo egit, admonuitque Maximas quæ in *Gallia* obtinent, longe diuerſas eſſe à Romanis. Nam in illo Regno in malam partem acceptum iri, vt cauſæ Epiſcoporum in prima inſtantia iſthic dijudicentur. & citationem contra Reginam, tum eandem ob cauſam, tum quod eſſet cum pœnis temporalibus, materiam ſermonibus daturam, & pleriſque offenſioni futuram. Sed hæc Cardinalis interceſſio à Pontifice eo ſenſu accepta, quo facta erat, alium fructum non protulit, quam eum, quem Cardinalis in ſecreto pectoris ſui deſiderabat. De negotio Colloquij tantoperè à Regina expetiti, quæ per ſingulos curſores ea de re apud Pontificem de integro inſtabat, tametſi ab aula Imperiali ſignificatum eſſet, *Cæſarem* ei non auſcultaturum, & ex *Hiſpania* Regem verbis quidem ampliſſimis teſtari, quo deſiderio teneatur eius perficiundi, ſed cum illa appendice, tempora, rerumque concurſum id non permittere; erat nihilominus Cardinalis in ea ſententia, Pontifici, etſi nulla ſpes eſſet ſucceſſus, Nuncios peculiares huic negotio deſtinatos eſſe mittendos; quòd ab hoc officio multæ aliæ negotiationes penderent, emolumento Sedis Apoſtolicæ ceſſuræ. nominatim verò ad tollenda impedimenta concluſionis Concilij, ſi qua naſcerentur. Miſſi igitur *Carolus de Vicecomitibus* in *Hiſpaniam*, & *Sancti-crucius* in *Germaniam*, ſpecie quidem tractandi de Colloquio, re ipſa cum alijs peculiaribus mandatis.

Pontifex Gallis ob proteſtationem infenſior, iudicium pronunciat contra V. Epiſcopos Gallos, iampridem citatos, & Nauarræ Reginam ad cauſam dicendam Romam citat: Lotharingio licet in ſpeciem diſſuadente.

Et Nuncios mittit in Hiſpaniam ac Germaniam colloquio ſolicitando, ab Regina matre expetito, idq; impulſu Lotharingij, vt alias res ageret, etſi deſperato colloquij ſucceſſu.

At

At *Tridenti* dum exspectatur tempus Sessionis, Legati interea omnes difficultatum occasiones declinantes, proponunt, vt de *Indulgentijs*, *Purgatorio*, *Veneratione Sanctorum*, & *Imaginibus* tractetur, sed super ijs decreta non proxima Sessione, verùm alia subsequente publicentur. Præscribunt etiam modum, qui à Theologis tenendus esset in ijs materijs examinandis; nempe vt sententiam exhibeant scripto, ac tantummodo super eorum vsu; nec sermonem ad alia capita extendentes. Erat etiam Patribus iniunctum, vt super eisdem sententiam breuiter dicerent; addita protestatione, fore vt interpellaretur, quicunque longius extra propositum esset euagatus. A Theologis tamen scripta longissima exhibita sunt, eaque adeo inter se varia, vt Patribus non constaret, quid sibi in illa doctrina tandem esset constituendum.

Materiæ proximo loco excutiendæ proponuntur, & tractationis modus præscribitur Theologis, vt sententiam mandent scripto.

In Reformationis materia tametsi XX. capita iam pertractata essent, & de vicesimo primo cum Comite *Lunensi* etiam tunc ageretur, Præsules tamen Hispani querebantur Caput de Exemptione Capitulorum, & vltimum de primis instantijs, ac appellationibus, immutata fuisse ab ea forma, in quam Prælati assensi essent. Id indignè ferentes tum Legati, tum qui conficiendis Decretis Deputati, respondent, illis, aut probationibus peruincendum, quod dicerent, aut tacendum. Atque ijs asperioribus verbis inter se altercantibus, adueniens Comes *Lunensis*, suscepto eorum patrocinio postulat, vt ratio habeatur exceptionum ad illa duo capita à suis Prælatis allatarum. Sed & illud insuper, vt in quinto capite, vbi reseruatæ erant Pontifici causæ criminales Episcoporum, declaratio fieret eum in modum, ne quid præiudicij crearetur Inquisitioni Hispanicæ: quod ab Oratore Lusitano, in eius Regni fauorem, ante postulatum. Respondentibus autem Legatis, iam decisas esse illas materias, Comes regerit, sibi certum, si illo modo proponantur, in Sessionem non venire; nec permittere, vt suorum Præsulum quisquam ei intersit. Cui Cardinalis *Moronus*; si non venerint in Sessionem, sine ipsis habitum iri. Comes eam duritiem, quam in Legatis deprehendisse videbatur, ascribens sedulis Procuratoris Capitulorum *Hispaniæ* solicitationibus, iubet eum è vestigio *Tridento* facessere: quod Legatis valdè displicuit. Verùm ne quid remorari posset Sessionis celebrationem, cuius tempus erat in proximo, vt Oratori gratificarentur in Capite de caussis Episcoporum, excipi curarunt ea Regna, in quibus vigebat Inquisitio. Illud verò de primis instantijs, quoniam omnem prorsus authoritatem ademptam volebant Pontifici, ne quas eiusmodi causas *Romæ* committere posset, id verò nimis durum Legatis videbatur. Sed & sextum erat magni momenti. Capitula enim *Hispaniæ* membrum constituunt perquam principale, & à Sede Apostolica pendent magis, quàm Episcopi. nam hi omnes sunt nominationis Regiæ: at Canonicatuum plusquam dimidia pars, ad merum Papæ arbitrium conferuntur. Quamobrem constituunt Legati potius quàm Canonicis aliquod præiudicium fiat, differre illud Caput ad sequentem Sessionem: opera Oratorum Cæsareorum vtendum rati, vt Comes id æquo animo pateretur. Itaque illa quoque difficultas sic consopita.

Præsules Hispani de nonnullis capitibus, quæ iam pertractata putabantur, sibi satisfieri petunt.

Horum patrocinium suscipiens Lunensis, etiam contra V. caput excipit.

Cui post verborum cum Morono velitationem Legati aliquid indulgent.

Caput VI. ne Capitulis Hispaniæ præiudicium fiat, in sequentem Sessionem reijciendum videtur.

Restabat declaratio clausulæ *Proponentibus Legatis*. Cui cùm nullum reperiretur temperamentum, Legati *Comitem* rogant, aliquam formulam proponere, ad quam eam fieri desiderabat. illo autem excusante, tres Canonistas deputarunt, qui cum ipso agerent, & formulam inuenirent, quæ illi satisfaceret, dummodo de ratione à Pontifice instituta innouatio non fieret. Sed opportunè ad eam rem redierat Cardinalis *Lotharingius*, qui *Roma* discedens mandatis ad omnia determinanda instructus, Venetiasque profectus, ad tractandum cum Oratoribus Gallis, vt ante finem Concilij redirent; cùm *Tridentum* peruenisset, effecit sua dexteritate, vt à Comite libenter is modus admitteretur, per quem huic adeo vexatæ difficultati cum omnium satisfactione finis est impositus. Ea declaratio constituit XXI. caput reformationis, proposita in Congregatione habita hunc in finem, IX. die Nouembris, & citra magnam controuersiam approbata, post sextum caput sublatum. Hoc constituto, releguntur omnia capita, sententiæque breuiter pronunciantur. In his Cardinalis *Lotharingius* existimationis suæ tuendæ gratia, professus est se, vtut maiorem refor-

Cum de forma declarationis clausulæ *Proponent. Legatis* Comiti Lunensi ægrè satisfieret, Card. Lotharingius Roma Tridentum rediens, difficultati huic adeo vexatæ finem imponit.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

reformationem desideraret, tamen cum sciret non posse perueniri in ipso principio ad vltima remedia, decretis assentire: non quòd ea sufficere iudicaret, sed quòd speraret Pontificem, aut reuocatis in vsum Canonibus antiquis, aut celebratis alijs Concilijs generalibus, fastigium operi impositurum.

Card. Lotharingius Pontificis Encomiastes, à Granatensi subsannatur.

Estque memoria non indignum, in illa Congregatione Cardinalem latè expatiatum, Encomij forma, in prædicanda propensa voluntate Papæ, eiusque desiderio videndi Ecclesiam reformatam, & gradum Episcopalem pristinæ dignitati restitutum, Conciliumque cum totius Christiani nominis vtilitate ad exitum perductum. *Archiepiscopus Granatensis* cum ipsi dicendi vices essent, digressus est similiter in laudes Pontificis; tantundem ipsi propensionis largitus, quantum à Cardinale attributum esset. verum subiunxit, aut Papam iudicare, se non posse ex animi sui sententia de rebus statuere, aut destitui authoritate efficiendi, vt Ministri sui, alijque ab eo pendentes destinata ipsius exequantur.

Mira in Concilio rerum mutatio, plerisque omnibus eius exitum summa consensione præcipitantibus.

Hoc loco magna mihi stili mutatio instituenda est. Etenim cùm in præcedentibus narrationibus hunc semper adhibuerim, qui appositissimus describendis animorum & sententiarum varietatibus, ac impedimentis, quæ destinatis inuicem obiecta, & dilationibus, quæ rebus decernendis interpositæ; explicandis multorum consilijs sæpe inter se pugnantibus sæpiculè immoratus: mihi deinceps vnicus scopus exsequendus est, actionesque admodum concordes, quæ ad vnum eundemque finem volare potius, quàm concurrere videbuntur. cuius rei vnica tantùm causa hic reddenda est, ne eam vbique opus sit repetere, nempe, vnanime studium ac propositum Concilium præcipitandi.

Pontifex Legatos per literas monet, vt neglecta omnium offensione extremam manum Concilio imponat: & quemadmodum per loca salebrosa sit incedendum.

Item in Synodo claudenda quam formulam tenere oporteat.

Reliquum est igitur, vt simplici narratione commemorem, venisse ad Legatos literas à Pontifice, quibus significabatur, illi constitutum vt Concilium absoluerent, quantumuis *Rex Hispaniæ* ea re offenderetur. nam sibi non deesse rationes cum illo transigendi. Decretum itaque de *Matrimonio clandestino* stabilirent, quam maximo possent consensu; ita tamen, vt id facere non omitterent, licet ijsdem, qui antea, intercedentibus. Quod ad Principum reformationem, & restitutionem iurisdictionis & libertatis Ecclesiasticæ, ad particularia non descenderent, tantùm renouarentur Canones antiqui, & sine anathematismis. At si quid super alijs articulis difficultatis nasceretur, ad ipsum rem referrent, qui prouisurus esset. De cætero remittere se ad id, quod Cardinalis *Lotharingius* de tota sua voluntate informatissimus ipsis dicturus esset, cui fidem adhibendam. Misit etiam ijs formularium quoddam finiendi Concilij, cuius hic tenor. Vti confirmarentur omnia sub *Paulo* & *Iulio* decreta; declaratione facta, vnius & eiusdem esse omnia Concilij, idq; salua in omnibus authoritate Sedis Apostolicæ: Vt omnium Decretorum confirmatio à Pontifice postularetur: Vt subscriberent omnes Patres, & secundum illos ad exemplum prisci æui Imperatorum etiam Oratores, in eum finem, vt intelligant Principes, se obligari ad obseruationem decretorum, & ad eos armis persequendos, qui contrariæ essent religionis: relicta vtique Legatis ipsis potestate, vt simul cum *Lotharingio* adderent, demerent, mutarent, prout opportunum videretur. Quæ omnia summo silentio tegebantur vsque ad Sessionem finitam, in eum modum, quem infra commemorabimus, administranda.

Sess. XXIV. sub Pio IV. octaua.
Card. Varmiensis in Consessum venire recusat, ne offensioni sit, ex animi sententia loquuturus
Ricardotus pro concione Patribus veteris Ecclesiæ imitationem commendat.

Venit tandem vndecimus Nouembris, quo die Sessio cum solennibus ceremonijs habita. In ea cùm sententiæ dicendæ essent de Matrimonio clandestino, Cardinalis *Varmiensis*, qui articulum eum pro materia fidei habebat, nec existimabat vllam Ecclesiæ super ea esse authoritatem, Consessui interesse noluit: se excusans, quòd, si de re aliqua iuris positiui ageretur, putaret fraudi sibi non futurum, liberè suffragium ferre, tametsi contra decerneretur: sed hìc sibi necessariò dicendum, nisi conscientiæ suæ vim facere velit, Synodum non posse illud Decretum condere. quod nonnullis offensioni esse posset, à quo se profiteatur esse alienissimum. Concionem habuit *Franciscus Ricardotus* Episcopus *Atrebatensis*, in qua Concilium admonuit, cum iam totum biennium illa Sanctissima Synodus parturiret, omnesque in summam expectationem adducerentur eius partus, non conuenire, vt fœtum aliqua sui parte truncatum aut mutilatum in lucem emittat, cum prolem solidis membrorum

artubus, & partum integrum orbis exspectet. Id vt effectum detur in Apostolos intuendum, & Martyres, & Ecclesiam antiquam, eamque sibi proponendam in exemplar, vnde prolis nasciturae lineamenta sumantur. Haec esse doctrinam, religionem, disciplinam; quae omnia cum his temporibus degenerarint, in pristinum statum esse restituenda, atque hoc illud esse, quod tamdiu expectationem sui commouerit, & adhuc exspectetur. Finitis ceremonijs, lectae sunt literae *D^{nae} Margaritae* Belgij moderatricis, de missione trium Praelatorum ad Concilium; mandatum *Ducis Florentiae*; itidemque *Magni Magistri* Equitum *Melitensium*. Postea ab Episcopo celebrante legitur doctrina, & anathematismi de Matrimonio: quibus omnes assensi sunt. Recitatis capitibus de Reformatione Matrimonij, ad primum de clandestino in irritum ducendo, Cardinalis *Moronus* dixit, sibi placere, si Papae probaretur. *Simoneta* dixit, Non sibi placere; sed se rem permittere Papae. è caeteris, LVI. disertè professi sunt non sibi placere: reliquis autem probabatur.

Ferdinandus. Philippus 2.

De Matrimonio clandestino suffragia perrogantur.

Lecta deinde decreta de Reformatione. cumque ad quintum peruentum esset, de causis criminalibus Episcoporum, vbi obseruatum est excepta ea Regna, in quibus locum habet Inquisitio, maximus inter Patres concitatur motus; dicentibus confusè *Insubribus* & *Neapolitanis*, illam exceptionem nunquam in Congregatione fuisse propositam, & omnino tollendam: adeo vt iam tum necessarium fuerit eam expungere. Post haec Cardinalis *Lotharingius* de eodem capite dixit, se Decretum approbare cum ea conditione, ne quid praeiudicij afferat priuilegijs, iuribus, & constitutionibus Regum *Galliae*, quemadmodum conclusum fuerat in Congregatione ante diem tertium, declarando ea nullum praeiudicium facere authoritati cuiusquam Principis. Et sub finem Decretorum, nomine suo & caeterorum *Galliae* Episcoporum, protestatione vsus est, ad eundem planè modum, quo propridie in Congregatione protestatus erat: nempe, Regnum *Galliae* ea Decreta recipere, non tanquam perfectam reformationem, sed vt praeparationem ad perfectam; ea spe, Papam tempore & occasione data defectus suppleturum, antiquis Canonibus in vsum reuocatis, aut alijs Concilijs Generalibus celebratis, vt rebus inchoatis addat colophonem. Et postulauit omnium Episcoporum Gallorum nomine, vt id inter acta Concilij referretur, deq; eo publicum instrumentum fieret. Multa fuere alia ab alijs addita, & à nonnullis reclamatum in quibusdam alijs capitibus super rebus haud magni momenti: de quibus cum dissidia quaedam nascerentur, quod serum iam esset, vtpote hora noctis secunda, dictum est, in Congregatione Generali ea emendatum iri. Et pro Sessionis coronide lectum Decretum de intimatione sequentis ad IX. Decembris, cum potestate eius anticipandae; facta declaratione, tractatum iri de sexto capite tum dilato, & de reliquis reformationis Capitibus exhibitis, deque alijs ad eam pertinentibus: hoc denique adiecto, si opportunum videretur, & per tempus liceret, posse etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in Congregationibus proponerentur.

Decreta de reformatione non vsquequaque probantur.

Lotharingius Gallorum nomine protestatur reformationem se accipere, vt imperfectam.

Decretum de indictione Sessionis sequentis cum potestate anticipandi.

Doctrina de Sacramento Matrimonij huiusmodi erat.

Decretum de doctrina Matrimonij, cum XII. Anathematis.

Adamum primum humani generis parentem pronunciasse nexum Matrimonij esse perpetuum; duosq. tantummodo eo coniungi posse: quod apertiùs Christus docuit, qui etiam passione sua gratiam promeruit eius vnitatem confirmandi, coniugesq. sanctificandi. Id Paulum Apostolum innuisse, dicentem, Magnum id Sacramentum esse, in Christo, & in Ecclesia. Cum igitur matrimonium in Lege Euangelica veteribus connubijs gratiâ praestet, meritò inter nouae legis Sacramenta annumerandum. Synodum itaque haereses in ista materia damnantem, hos Anathematismos decernere.

I. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vnum ex septem Sacramentis à Christo institutum, neque gratiam conferre.*

II. *Si quis dixerit, Licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum.*

III.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

III. Si quis dixerit, Eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire & dirimere Matrimonium, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant.

IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse.

V. Si quis dixerit, Propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse Matrimonij vinculum.

VI. Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi.

VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docet, propter adulterium matrimonij vinculum non posse dissolui.

VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum, aut cohabitationem, ad certum incertumue tempus fieri posse decernit.

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares professos, posse matrimonium contrahere: posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis habere donum; cum Deus id rectè petentibus non deneget.

X. Si quis dixerit, Statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, aut celibatus.

XI. Si quis dixerit, Prohibitionem solennitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse; aut qui benedictiones & alias ceremonias in ijs damnauerit.

XII. Si quis dixerit, Causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos.

Decretum de reformatione matrimonij X. capitibus constans.

Decreta de reformatione matrimónij hæc capita continebant.

I. Tametsi dubitandum non sit, clandestina matrimonia rata & vera esse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde Synodus eos anathemate damnet, qui ea vera esse negant, quique affirmant matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus Sanctam Ecclesiam illa semper detestatam esse, & probibuisse. Et quoniam prohibitiones illæ iam non prosint, Synodum præcipere, vt, antequam matrimonium contrahatur, tribus diebus festis in Ecclesia denuncietur: & si nullum legitimum impedimentum opponatur, in facie Ecclesiæ celebretur. Vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum consensu intellecto, dicat, Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum cuiusque Prouinciæ ritum. Relinquere tamen Synodum Iudicio Ordinarij, denunciationes eas remittere. Verùm qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Synodum ad sic contrahendum inhabiles reddere, & huiusmodi contractus irritos & nullos decernere; &, qui contra fecerint, puniendos. Præterea hortari coniuges, ne ante benedictionem cohabitent. Parochis præcipere, vt librum habeant, in quo matrimonia ita contracta describant. Coniuges porro hortari, vt antequam contrahant, vel sal-

tem

tem ante matrimonij consummationem, peccata confiteantur, & ad Eucharistiæ Sacramentum accedant. Reseruare alias Prouinciæ cuiuslibet consuetudines, & ceremonias. Decernere insuper, vt hoc decretum in vnaquaque parochia publicandum, suum robur post triginta dies habere incipiat, à die prima publicationis. Ferdinandus. Philippus 2.

II. Cum circa impedimenta matrimonialia perspiciat Synodus, propter multitudinem prohibitionum magna peccata & scandala nasci, ideo Synodum impedimentum spiritualis cognationis ad eam, quæ est inter baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem tantum, ac susceptores restringere: susceptorum verò numerum, ad vnum tantùm virum & vnam mulierem. Idem etiam statuere, de cognatione, quæ ex confirmatione contrahitur.

III. Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, quod à sponsalibus validis oritur, ad primum gradum restringere; quod ab inualidis, tollere.

IV. Quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, ad primum & secundum gradum restringere.

V. Super dispensationibus in matrimonio iam contracto; earum spem præripere ijs, qui scienter intra gradus prohibitos matrimonium contrahunt; & ijs etiam qui ignoranter id fecerint, si solennitates requisitas in contrahendo neglexerint. Si verò solennitatibus adhibitis impedimentum subsit, in casu probabilis ignorantiæ, faciliùs, & gratis dispensari posse. In contrahendis matrimonijs intra gradus prohibitos, vel nullam omnino dandam dispensationem, vel rarò: idque ex causa, & gratis. In secundo gradu nunquam dispensandum, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

VI. Decernere Synodum, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. declarare raptores, ac omnes illis consilium, auxilium, & fauorem præbentes excommunicatos, infames, omniumque dignitatum incapaces: teneri præterea raptorem, raptam, siue eam duxerit in vxorem, siue non duxerit, arbitrio Iudicis dotare.

VII. Synodum monere, ne homines vagantes ad matrimonium facile admittantur: magistratus hortari, vt eos seuerè coerceant: Parochis præcipere, ne illorum matrimonijs intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & ab Ordinario licentiam id faciendi obtinuerint.

VIII. Contra Concubinarios statuere, vt si ter admoniti concubinas non eiecerint, excommunicentur: quod si per annum in concubinatu permanserint, contra eos ab Ordinario seuerè procedatur. Concubinæ si ter admonitæ non paruerint, grauiter puniantur, & extra oppidum vel diœcesim, si id eiusdem ordinarijs videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio seculari, eijciantur.

IX. Præcipere Synodum sub anathematis pœna omnibus temporalibus Dominis ac Magistratibus, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quò minus liberè matrimonia contrahant.

X. Antiquas solennium nuptiarum prohibitiones ab Aduentu Domini vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis obseruandas, Synodum præcipere: alijs temporibus nuptias permittere.

Reformationis decreta, non quemadmodum lecta in Sessione, verùm vt correcta postridie Sessionis in Congregatione, prout conuenerat faciendum, his capitibus constabant. Decretum de Reformatione, cuius capita XXI.

I. Vt

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

I. Vt cùm Ecclesia vacauerit, supplicationes publicè indicantur, & habeantur, omnesq;, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius habent, aut operam suam præstant, meminerint se mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles iudicauerint, præfici diligenter curauerint, legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque alijs omnibus qualitatibus præditos, quæ iuxta sacros Canones, & eiusdem Synodi decreta requiruntur. Vt in quauis Synodo Prouinciali præscribatur propria quibusque locis examinis forma, Pontificis arbitrio approbanda. Secundum eam, inquisitione de promouendo habitâ, instrumentum fiat, ad Pontificem transmittendum, à Cardinalibus examinandum, & proponendum in Consistorio. Vtq; ea omnia, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus à Synodo constituta sunt, in creatione Cardinalium, etiam Diaconorum exigantur; quos Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, prout idoneos repererit, assumat. Postremo Synodum grauissimis Ecclesiæ incommodis commotam, non posse non commemorare, quàm necessarium sit, vt Pontifex solicitudinem ex muneris sui officio impendat, vt lectissimos tantùm sibi Cardinales adsciscat, atque idoneos Pastores Ecclesijs præficiat: eoque magis, quòd ouium sanguinem, quæ negligentia pastorum peribunt, Christus de manibus eius sit requisiturus.

II. Vt prouincialia Concilia à Metropolitano, aut Coepiscopo antiquiori, intra annum ad minus à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet saltem triennio cogantur. Vt Episcopi ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inuiti non compellantur. Vt Episcopi, qui Archiepiscopo subijciuntur, aliquem eligant, in cuius Synodo Prouinciali interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obseruent; in reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia salua maneant. Vt Synodi Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, exceptis ijs, qui Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, quicunque illarum curam gerunt, interesse debeant.

III. Episcopi per se ipsos, aut per suum Vicarium, aut Visitatorem, Diœcesim totam, si poterint, quotannis, saltem biennio visitare non prætermittant. A Metropolitanis cathedrales Ecclesiæ & comprouincialium Diœceses non visitentur, nisi causâ cognitâ & probatâ in Concilio Prouinciali. Archidiaconi autem & alij inferiores assumpto notario de consensu Episcopi, per se ipsos tantùm visitent. Visitatores etiam à Capitulo deputandi prius ab Episcopo approbentur. Visitatores modesto contenti equitatu, famulatuque, studeant quàm celerrimè visitationem absoluere, nec quicquam accipiant præter victum frugalem, & moderatum: sit tamen in optione eorum qui visitantur, an pecuniam consuetam soluere malint; obseruata consuetudine, vbi nec pecunia, nec quicquam aliud à Visitatoribus accipitur. Patroni in his, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, se non ingerant; aut visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum prouentibus se immisceant, nisi quatenus id ijs ex fundatione competat.

IV. Episcopi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per alios prædicationis munus exerceant in Ecclesia sua. In alijs per parochos, siue ijs impeditis, per alios, ab Episcopo, impensis eorum, qui id præstare vel tenentur, vel solent, deputandos, saltem omnibus Dominicis, & solennibus festis; tempore autem Quadragesimæ,

&

& aduentus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus. Episcopus vnumquemque moneat Parochiæ suæ interesse, ad audiendum verbum Dei. Nullus prædicet contradicente Episcopo. Idem pueros in singulis Parochijs fidei rudimenta doceri curet. Ferdinandus. Philippus 2.

V. Causæ criminales grauiores contra Episcopos, à R. Pont. tantùm iudicentur. quod si necessario extra Curiam committendæ sint, nemini committantur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Papa eligendis; nec cum maiori authoritate, quam vt facti instructionem sumant, reseruatâ Papæ definitiua. Minores verò causæ Episcoporum in Concilio Prouinciali iudicentur, vel à Deputandis ab eo.

VI. Liceat Episcopis in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, dispensare: & in quibuscunque casibus occultis, etiam reseruatis, per se ipsos aut Vicarium in foro conscientiæ gratis absoluere. Idem & in hæresis crimine, sed ipsis tantum, non eorum vicarijs, sit permissum.

VII. Episcopi curent ante administrationem Sacramentorum, populo illorum vim & vsum explicari, etiam lingua vernacula, iuxta formam à Sancta Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis populo exponi curabunt.

VIII. Publicè peccantibus pœnitentia publicè iniungatur, ita tamen vt Episcopus eam in secretam poßit commutare. In omnibus Ecclesijs Cathedralibus Pœnitentiarius ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel iure Canonico, & annorum quadraginta, confeßionibus audiendis.

IX. Quæ aliàs sub Paulo III. & Pio IV. in hoc eodem Concilio, de beneficiorum, etiam exemptorum visitatione constituta sunt, in ijs Ecclesijs obseruentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, vt ab Episcopo, cuius Ecclesia est proximior, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur.

X. Vbi de visitatione aut morum correctione agitur, nulla exemptio aut appellatio interposita, etiam ad Sedem Apostolicam, executionem eorum, quæ ab Episcopis decreta, vel iudicata fuerint, impediat, & suspendat.

XI. Vt ob honorarios titulos, Protonotariatus, Accolythatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, aut seruientium Militijs, Monasterijs, Hospitalibus, nihil detrahatur, quò minus isti Ordinarijs, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, subiecti existant: exceptis tamen ijs, qui prædictis locis, aut militijs actu seruiunt, & intra domos resident, subque eorum obedientia viuunt: & quoad Capellanos Regios, iuxta Constitutionem Innocentij III. quæ incipit, Cum Capellæ. & priuilegia concessa familiaribus Cardinalium, in ijs, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione beneficiorum minime intelligantur; sed Ordinarij iurisdictioni subiecti permaneant.

XII. Ad dignitates, quibus animarum cura subest, nemo promoueatur minor viginti quinque annis. Archidiaconi, vbi fieri poterit, sint Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in iure Canonico. Ad cæteras dignitates, quæ curam non habent, non minores viginti duobus annis asciscantur. Prouisi de beneficijs cum cura, teneantur intra duos menses fidei profeßionem facere. Itidem & Canonici. Et nemo ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiatur, nisi qui eo ordine

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

ordine sacro sit initiatus, quem illa dignitas requirit; aut tali ætate, vt infra tempus statutum initiari valeat. In Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus, & portiones habeant annexum ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus, & Episcopus cum Capitulo distribuat, quibus quisque ordo annexus esse debeat, ita tamen, vt dimidia saltem pars Presbyteri sint. Hortari etiam Synodum, vt dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum, in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus, conferatur Magistris, aut Doctoribus in Theologia, vel Iure Canonico: nec ijs liceat, vltra tres menses quolibet anno abesse. Distributiones quotidianas ij, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quauis collusione exclusa, his careant. Omnes per se, & non per substitutos compellantur obire officia.

XIII. Quoniam pleræque Cathedrales Ecclesiæ tenuis reditus sunt, in Concilio Prouinciali de ijs vniendis, vel prouentibus augendis deliberetur, & ad Papam mittatur, qui ex prudentia sua prouideat. Parochialibus etiam Ecclesiis tenuibus Episcopos curet prouideri, aut per beneficiorum vnionem non regularium, vel primitiarum, vel decimarum assignationem, aut per Parochianorum symbola & collectas. Ecclesiæ Parochiales, Monasterijs, Præbendis, beneficijs simplicibus, Militijsve non vniantur; & quæ vnitæ sunt, reuideantur ab Ordinarijs. Et in posterum Cathedrales, quarum reditus ducatos mille, & Parochiales, quæ summam centum ducatorum non excedunt, nullis pensionibus aut reseruationibus fructuum grauentur. Vbi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines; sed promiscuè petentibus Sacramenta administrantur, Episcopi populum in Parochias distinguant, & vnicuique suum Parochum assignent; in ciuitatibus vbi Parochiales non sunt, quamprimum fieri curent.

XIIII. Detestari Synodum omnes constitutiones & consuetudines, ex quibus pro tituli, aut possessionis acquisitione, certæ conditiones, solutiones, vel promissiones interponuntur. Episcopis mandare, vt quæcunque huiusmodi in pios vsus non conuertuntur, aboleant; eosque qui contra fecerint, Simoniacos decernere.

XV. In Cathedralibus, & Collegiatis, vbi frequentes nimisque tenues sunt Præbendæ, & distributiones; liceat Episcopis simplicia beneficia ijs vnire, aut eas ad pauciorem numerum reducere.

XVI. Capitulum sede vacante vnum, aut plures Oeconomos eligat. Item Vicarium, infra octo dies constituat: secus, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi deuoluatur: Episcopus verò promotus, ab iis rationem exigat administrationis; possitque eos punire, qui deliquerint.

XVII. In quibuscunque personis obseruari mandat, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, vt vnum tantum beneficium singulis conferatur. quod si ad vitam honestè sustentandam non sufficiat, liceat aliud simplex, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque ad omnia beneficia, tam secularia, quam regularia, quæcunque etiam commendata, pertineant; cuiuscunque tituli, aut qualitatis existant. Illi verò, qui in præsenti plura beneficia cum cura obtinent, cogantur, vnâ Ecclesiâ retentâ, alias infra spacium sex mensium dimittere, alioquin omnia ipso iure vacare censeantur. Optare autem Synodum, vt resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, prouideatur.

XVIII.

XVIII. Cum Parochialis Ecclesiæ cuiusuis vacatio quomodocunque contigerit, Episcopus, & qui ius patronatus habent, idoneos clericos nominent; liberum sit etiam alijs id facere; & per edictum quoque publicum vocentur, qui volent examinari: qui omnes examinentur ab Episcopo, atque alijs examinatoribus, non paucioribus, quam tribus. Quotcunque ab his idonei iudicati fuerint, ex his Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illi collatio Ecclesiæ fiat. Si Iurispatronatus Ecclesiastici sit, Patronus digniorem Episcopo præsentet. Quod si Iurispatronatus fuerit Laicorum, à Patrono præsentatus, ab eisdem deputatis examinetur, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admittatur, Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo sex proponantur, ex illis Episcopus tres eligat, sintque Magistri, seu Doctores, vel alij Clerici, seculares aut regulares, iurent se fideliter munus executuros, nec quicquam ante, aut post examen accipiant.

Ferdinandus. Philippus 2.

XIX. Gratias exspectatiuas nemini amplius concedendas, nec reseruationes mentales, nec alias quascunque gratias ad vacatura beneficia.

XX. Causas Ecclesiasticas, etiam beneficiales, in prima instantia coram Ordinariis duntaxat cognoscendas, & omnino saltem infra biennium terminandas; nec appellationes recipiendas nisi à definitiua, vel definitiuæ vim habente: exceptis causis, quas ex vrgenti rationabilique causa, iudicauerit summus Pontifex per speciale rescriptum committere aut auocare. Causas matrimoniales, & criminales Episcopi tantum examini relinquendas: coram quo, si pars verè paupertatem probauerit, non cogatur extra Prouinciam, nec in secunda, nec in tertia instantia, in causa matrimoniali litigare: nisi pars altera & alimenta, & expensas litis velit subministrare. Legati, Nuncij, & Gubernatores Ecclesiastici, Episcopos in his causis non impediant, nec contra personas Ecclesiasticas procedant, nisi negligente Episcopo. Appellans teneatur acta coram Episcopo, ad iudicem appellationis expensis suis transferre; quorum copiam teneatur Notarius, congruà mercede accepta, ad minus intra mensem exhibere.

XXI. Synodum verba illa posita in Decreto publicato Sessione prima sub Pio IV. *viz.* Proponentibus Legatis, *explicando declarare, mentis suæ non fuisse, vt ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Concilijs vlla ex parte immutaretur; neque noui quidquam, præter id, quod sacris Canonibus, vel generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur. Ad extremum, indicta est Sessio ad diem IX. Decembris, cum potestate etiam abbreuiandi; vt de VI. capite tractetur, & de reliquis exhibitis & dilatis, & si opportunum videbitur, de nonnullis dogmatibus, prout in Congregationibus proponetur.*

Indictio futuræ Sessionis.

Non exspectabatur Sessionis huius exitus ea auiditate, quâ proximè præcedentis; tum quòd eo tempore exsaturata esset vniuersalis hominum curiositas; tum quòd materia matrimonij non videretur posse res magnopere obseruatu dignas apportare. in id magis intenti erant omnes, vt viderent, quorsum euasura esset protestatio Oratorum Gallorum, quæ lecta variè homines affecerat: à parum beneuolis Curiæ Romanæ, laudabatur tanquam vera & necessaria; ab ijs verò, quorum vtilitates inde pendebant, habita est non minori odio digna, quàm protestationes olim à *Luthero* factæ.

Euentus Protestationis Oratorum Galliæ, maiorem sui expectationem commouet, quàm Sessionis huiusce exitus.

In sexto anathemate de matrimonio, multos in admirationem dedit, *dissolutionem matrimonij, per solemnem professionem non consummati*, articulum fidei constitui. Nam cum coniunctio matrimonialis, tametsi non consummata per copulam carnalem, vinculum

Super Sessionis huiusce decretis variè hominum censu-

ræ, ac primùm super sexto Anathemate.

culum sit lege diuina institutum; quòd sacra Scriptura affirmet verum fuisse matrimonium inter *Mariam* & *Iosephum*, & solennitas professionis sit de Iure positiuo, sicuti *Bonifacius VIII.* decreuit; mirum videbatur, non tam vinculum humanum soluere diuinum; quam pro hæretico tenendum, qui non crederet inuentum humanum multis sæculis post Apostolos natum, validius esse ordinatione Diuina, iam inde ab ipso mundi primordio instituta.

Canon VII. notatur vti captiosus.

At in septimo captiosum dicendi genus iudicatum, pro hæretico condemnare, qui diceret, *Ecclesiam errare, cum docet, propter adulterium matrimonium non solui.* Nam ex vna parte, si quis absolutè diceret, Matrimonium ob eam causam dissolui, neque diceret tamen, aut cogitaret, quenquam errasse, aut non errasse, contrarium docendo; videri posse, istum eo Canone non comprehendi. Ex altera non constare, quemadmodum quisquam ita sentire possit, nec contrarium pro errore habere. Plerique omnes existimabant, Patribus apertè loquendum fuisse, & absolutè dicendum, adulterio non dissolui: aut saltem vtramque opinionem esse probabilem, nec articulum de verbo faciendum. Verùm censores isti fortasse hunc scrupulum non mouissent, si causas supra narratas intellexissent, cur ad hunc modum verba concepta sint.

Et IX. vti Euangelij, & D. Pauli verbis repugnans.

Nonus Canon sermonis materiam dedit, ob illam assertionem, *Deum non negare donum castitatis rectè petentibus:* quæ contraria videbatur Euangelio, dicenti, omnibus non datum; & *D. Paulo*, qui non hortatus est ad id petendum: quod erat facilius, quàm matrimonium inire.

Item XII quasi iuri ciuili, & superiorum temporum praxi planè derogans.

Duodecimus Anathematismus Politicos admodum solicitos habuit, quasi hæresis esset tenere, *causas matrimoniales non pertinere ad Iudices Ecclesiasticos:* cùm certum sit, leges Matrimonij omnes ab Imperatoribus conditas, & iudicia in ijs causis exercita a Magistratibus secularibus, quoad leges Romanæ viguerunt: quod, vel sola lectio Codicum *Theodosiani* & *Iustinianei*, & *Nouellarum* euidenter demonstrat. Etiam inter *Cassiodori* formulas restant memoriæ verborum, quibus vsi sunt Reges Gothorum, cum dispensarent de gradibus prohibitis: quod tunc temporis ad ciuilem administrationem pertinere, nec religionis esse, putabatur. Estque ijs omnibus, qui in historiarum lectione versantur, exploratissimum, Ecclesiasticos, ad eius generis causas iudicandas, partim per commissionem, partim negligentiâ Principum & Magistratuum, aditum sibi fecisse.

In Decreto de Reformatione matrimonij deprehenduntur quædam άτοπα.

Etiam in primo limine Decreti de reformatione Matrimonij, multi hærebant, cum tanquam articulum fidei definitum intelligerent, *matrimonia Clandestina vera fuisse Sacramenta, & Ecclesiam nihilominus ea semper detestatam:* cum sit perquam absonum, Sacramenta detestabilia habere. Item, quod *Parochus iubetur coniuges interrogare, & eorum consensu intellecto dicere, Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & S. Sancti*, id Critici irridebant, dicentes: Aut sine istis verbis coniunctos esse, aut secus; Si non sint coniuncti, non esse igitur verum, quod Concilium *Florentinum* decreuit, Matrimonium consensu perfici. Sin coniungantur, cuiusmodi esse illam coniunctionem, quam Parochus facit personarum iam coniunctarum? Quod si verbum [*coniungo*] hanc sententiam habeat, *coniunctos declaro*, nempe ex eo promptum esse concludere, etiam verba *absolutionis* esse declaratoria. Vt ut hoc esset, aiebant, id decretum non alium ob finem factum, quàm vt breui fiat articulus fidei, illa verba à Parocho pronunciata, formam esse Sacramenti.

Decretum de clandestinis matrimonijs irritis dicendis, alijs probatur, alijs minus, quod & anteacta damnet, & distinctione non satis perceptibili nitatur.

Matrimonia clandestina irrita dicere, non minorem sermonis in publico, quàm in ipso Concilio materiam dedit: alijs id Decretum in cœlum vsque efferentibus, alijs rursum dicentibus; si matrimonia eius generis Sacramenta fuerint, ac per consequens à *Christo* instituta, & Ecclesia semper ea detestata sit, immo ad extremum pro nullis habuerit, non satis constare, quomodo hoc decretum non fraudis, aut saltem negligentiæ taxet eos, qui à principio huic malo non consuluerunt. Et cum emanasset fama distinctionis illius, super qua decretum est fundatum, nempe contractum, qui materia est Sacramenti, anullari; difficile fuit aliquantisper id animo comprehendere, vllam esse distinctionem contractus matrimonialis à matrimonio, & matrimonij à Sacramento: præsertim cùm Matrimonium prius indissolubile fuerit,

rit, quàm Sacramentum; quandoquidem *Christus* D. N. id indissolubile non pronunciauit, tanquam à se institutum, sed tanquam institutum à Deo in Paradiso terrestri. Quanquam, vt concedatur, contractum matrimonialem esse rem humanam & ciuilem, à Sacramento separatam, quæ anullanda sit: dicebant alij eam anullationem non ad Ecclesiasticam, sed Secularem potestatem pertinere, cuius est omnes ciuiles contractus ordinare, & cognoscere.

Ferdinandus. Philippus 2.

Ratio adducta moderandis impedimentis matrimonialibus, admodum laudabatur, tanquam æquitati consentanea. sed vnà obseruatum est, eam concludere necessariò multo maiores restrictiones, quàm essent decreto comprehensæ: cùm non minora incommoda sequantur ex impedimentis confirmatis, quàm ex abolitis. Extrema pars capitis de dispensationibus matrimonialibus, futilem inter curiosos quæstionem excitauit: Vtrum Pontifex Romanus assumpta sibi soli potestate eas concedendi, maiorem fructum, an damnum authoritati suæ attulisset. Pro fructu adferebatur magna vis auri, quæ per hunc canalem in Curiam defluebat; totque Principes hac ratione quasi nexu mancipati, tum quòd ipsorum aut cupidinibus, aut vtilitatibus satisfactum esset; tum etiam quòd authoritatem Pontificiam defendere teneantur: in qua sola liberorum suorum legitimatio fundata est. Verùm ex altera parte, damno accensebatur amissio redituum *Angliæ*, & obedientiæ illius Regni: quæ quoduis lucrum, & quamcunque amicitiam dispensationibus quæsitam æquiparabat.

Vtrum Pontifex plus damni, an lucri, ex concessione dispensationum sibi reseruata reportarit, dubitatur.

Reprehendebant Galli decretum illud, vt *raptor mulierem raptam teneatur arbitrio Iudicis dotare*: dicentes, non posse Synodum authoritate Ecclesiastica legem de Dotibus sciscere; & esse rationem callidè excogitatam, ad adimendam potestati seculari illius delicti cognitionem. nam si ad Ecclesiasticum pertinet legem condere, eiusdem esse, etiam causam iudicare. Ac tametsi res permittatur verbis generalibus arbitrio Iudicis; non esse dubitandum, quin cùm ad declarationem ventum fuerit, verba ea intellecturi sint de solo Iudice Ecclesiastico. Quin & vsurpationem authoritatis temporalis æstimabant, seculares punire infamia, & dignitatum incapacitate. Ordinationem quoque contra concubinarios, per annum in excommnicatione perseuerantes improbabant, vt ab Ecclesiasticis puniantur. nam pœnarum Ecclesiasticarum extremam, vltimam, & maximam, secundum doctrinam omnium Patrum esse excommunicationem. itaque illam transgredi velle, esse in potestatem temporalem inuadere: tantoque magis, quòd ipsi facultatem sibi arrogant, concubinas è ciuitatibus eijciendi, secularem potestatem ludum facientes, illà clausulà, *inuocato, si opus fuerit, brachio seculari*; quod perinde est, ac si affirmetur, vià ordinariâ Ecclesiasticos exterminium istud concubinarum exequi posse.

Reprehenditur in VI. capite vsurpatio potestatis secularis ab Ecclesiasticis in materia dotis, & puniendo infamia.

Item capite XIII. in concubinarijs, alia quam Excommunicationis pœna, puniendis.

Decretum de reformatione, in primo capite notabatur vel defectus, vel arrogantiæ. Nam si authoritas Synodi eò pertingat, vt leges præscribere possit Pontifici; non rectè factum, officij ac debiti muneris eum commonefacere in forma narrationis, & verbis obliquis. Quod si etiam Synodus leges à Pontifice accipere debeat, excusari non posse, quin terminos officij prætergressa sit, quod quamuis obliquè, acriter tamen perstrinxerit cùm huius, tum aliorum Pontificum actiones præteritas. Dicebant periti Historiæ Ecclesiasticæ, causas omnium Episcoporum *Romam* pertrahere, nouam esse technam, ad Curiæ commoda magis magisque augenda: cùm omnia antiquitatis exempla, & Canones Conciliorum temporis illius ostendant, causas Episcoporum, etiam super depositionibus, in sua cuiusque regione pertractatas. Qui prouisionem aliquam super introducto pensionum abusu expectabant, vbi primum id animaduerterunt, quod decretum erat, Capite XIII. iudicabant rem ad maiorem corruptelam porro perrecturam; quemadmodum euentu ipso comprobatum. Laudabatur à quibusque XIV. caput, quod videretur annatas sustulisse, & solutiones factas nomine Bullarum *Romæ* pro beneficiorum collatione expeditarum. sed cum temporis progressu cerneretur, eas adhuc quasi pedibus consistere, nec vnquam de ijs, aut tollendis, aut moderandis cogitatum; facile perspexerunt, leues tantùm aliarum Ecclesiarũ abusus auferri; nimisq; verum illud verbum, *festucas tantùm ex oculis tolli, nunquam trabes*. Statuto de singularitate, aut ad summum dualitate beneficiorum, indignum

In plerisque capitibus Decreti de Reformatione nonnulla notantur: ac primùm in capite I.

Dein capite XIII.

Et XIV.

Item XVII.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

dignum hoc ſeculum à ſapientibus quibuſque iudicabatur; nec niſi in quibuſdam miſellis ſeruatum iri. De examine ſimiliter competitorum in parochialium Eccleſiarum collatione, augurabatur quiſq; ſiniſtra aliqua interpretatione illi fucum factũ iri: nec augurium, & quidem cito admodum, fefellit. Nam *Romæ* haud ita multo poſt declaratum, non eſſe obſeruandam competitionem in caſu reſignationis, ſed examinandum tantummodo reſignatarium: quod erat Decretum maiori ex parte abolere, quòd reſignatione meliores excluduntur, & is præfertur, qui reſignanti plus placuerit; nec aliam ob cauſam vacant beneficia, niſi fortuitò. Decretum de cognitione cauſarum in prima inſtantia, appoſita exceptione, *exceptis ijs, quas Papa committere, aut auocare voluerit*, prorſus ſublatum videbatur. neque enim vnquam cauſas à legitimis tribunalibus abſtractas fuiſſe, niſi per commiſſiones & auocationes Pontificias: nunc verò incuratâ mali causâ, ſymptomati tantummodo medicinam fieri. & quamuis illud additamentum, *ex vrgenti rationabilique cauſa*, rem quaſi ad regulam dirigere videatur; viri tamen prudentes ſatis intelligebant, ea verba tantundem ſignificare, ac ſi dictum eſſet, ex qualibet arbitraria cauſa.

Et XVIII.

Ac XX.

Denique in XXI. ſuper declaratione clauſulæ Proponentibus Legatis.

Super vltimo capite, quod tot iam menſes non paruam expectationem ſui fecerat, quippe libertatis Concilij vitalia ipſa feriens, declaratione facta, *non fuiſſe mentem Synodi, ſolitam tractandi negotia rationem immutare, neque noui quidquam præter id, quod hactenus ſtatutum, addere vel detrahere*; ab hominibus rerum intelligentibus dictum, quà præſens Concilium tangit, eſſe declarationem facto contrariam, & cum prodeſſe amplius non poſſet, nec eius vllus eſſet vſus, publicatum; tanquam Pharmacum mortuo applicitum. Alij ridentes adijciebant, perinde eſſe, ac ſi quis maritum illum, cuius vxor cum alio conſueſſet, ſolari cupiens, diceret, id in ipſius injuriam minimè factum. At quà poſteris exemplo eſt, docere, quemadmodum in Concilijs poſt vehementiam quamcunque ac violentiam, à principio vſque ad finem adhibitam, liceat, & tali aliqua declaratione excuſare, imo defendere, quicquid perperam factum eſſet, & tanquam legitime factum tueri.

Tria in Galliam afferuntur Roma & Tridento, parum pronis Gallorum auribus accepta. Primò Rex Gallorum auctoritatis Pôtificiæ interuentu non vltra expectato, Edictum de diſtrahendis bonis Eccleſiaſticis, tremẽte licet ſacro ordine, exequendum curat.

Per hæc tempora præter id, quod de Seſſione habita renunciatum, venerant in *Galliam* tres Nuncij non ſine moleſtia auditi. Quorum primus erat, reſponſum *Papæ* de reditu centies mille coronatorum alienando. Tum autem de proteſtatione facta in Concilio, quantam ea, & *Tridenti*, & *Romæ* animorum offenſionem concitarit. Poſtremo ſententia contra Epiſcopos lata, vnà cum citatione *Reginæ Nauarræ*. Quas ad res Galli ſedulò animum adijcientes, conſtituunt Pontificem de illius alienationis gratia facienda non amplius appellare: ſed Edictum Regium à *Curia Pariſienſi* approbatum, ſine alio Papæ conſenſu executioni mandare. Ea re ſumma cum celeritate peracta, tum quod homines non temerè de pecunia properè eroganda apud ſe ſtatuant: tum quod obniterentur Eccleſiaſtici, ſuggerentes, eos contractus futuris temporibus propter defectum confirmationis Pontificiæ irritos exiſtimatum iri: pauci emptores reperti ſunt. Quod tamen, neque in beneficium Regis, neque in rem Cleri ceſſit; id ſolum ſecutum eſt, vt prædiorum venditorum precium iaceret: non amplius vicies centenis & quingentis librarum Gallicarum millibus inde confectis, paruâ admodum ſummâ, pro æſtimatione rerum alienatarum. Nam venditio fuit ad duodecim in ſingula centena, cum ſi vendita eſſent quatuor pro ſingulis centenis, id quoque precium vile futurum fuiſſet. Et eſt hoc loco memoratu dignum, inter bona alienata fuiſſe Iuriſdictionem, quam vſque ad id tempus, Archiepiſcopus *Lugdunenſis* ſuper eam ciuitatem tenuerat. ea in auctione vendita fuit triginta millibus librarum Francicarum, Regi applicatis: etſi ob Epiſcopi conqueſtiones, illi poſtea in compenſationem precij, reditus quadringentorum ſcutatorum adiectus.

Dein ſuper Proteſtatione dat literas ad Oratores ſuos, & ad Car. Lotharingium, quid facto opus ſit perſcribens.

De proteſtatione facta in Concilio, Rex ad Oratores ſcripſit nono Nouembris in hanc ſententiam. Vidiſſe ſe, quod à Cardinale *Lotharingio* contra proteſtationem ipſorum ſcriptum erat, & relationem Epiſcopi *Aurelianenſis*, de omnibus *Tridenti* factis. Proteſtationem ſibi gratam eſſe, ipſorumque ſeceſſum *Venetias*. præcipere, vt *Ferrerius* inde non diſcedat, quoad ipſe aliter præſcripſerit: idque non ante futurum, quàm intellexerit articulos ita reformatos, vt in controuerſiam non veniant iura ſua Regalia, & Eccleſiæ Gallicanæ. Et ad Cardinalem *Lotharingium* ſcripſit; ſe cum

Consiliarijs suis intellexisse, magna & iusta de causa Oratores suos protestatos. Nam sibi certum, vt in vnione & obedientia Ecclesiæ perseuerare, ita simul iura coronæ suæ inuiolata conseruare; neque permittere, vt in dubium aut disputationem vocentur; neque se ad ea commonstranda submittere. Nec sibi satisfactum fore crederet, si in fine apponerent illud, *saluis & reseruatis iuribus*; quasi velint hoc prætextu ipsum obligare, vt de ijs constare faciat. nam hic se repugnaturum. Ipsum Cardinalem, si vidisset articulos, quemadmodum erant propositi, iudicaturum Oratoribus necessario fuisse intercedendum. Sibi quidem in optatis fuisse futurum, vt Oratores eam intercessionem ipsi prius ostendissent; sed excusabiles esse propter occasionem repentinam, & circumstantias, quæ eam produxerant; propterque suspiciones, quæ cogebant ipsos subuereri, ne quod ad præcipitandam decisionem artificium adhiberetur. Quod si Pontifici animus non erat, iura *Imperatoris* & *Regum* attingendi, & in disputationem adducendi, prout *Cardinalis* significabat; æquum esse, vt Sanctitas eius indignationem suam conuertat in Legatos, qui articulos proposuerunt, nominatis Regibus, Imperatore, & Rebuspublicis; non in Oratores. Se existimare protestationem eam probatum iri vniuerso orbi Christiano, visis illis articulis. Cum itaque Legati eos articulos proposuerint præter voluntatem Sanctitatis eius, non esse deinceps rem ipsorum arbitrio permittendam: nec Oratores remittendos, donec abunde caueatur, de ipsis amplius nullam futuram mentionem. tum enim se Oratoribus damandata, vt ad Concilium reuertantur.

Ferdinandus. Philippus 2.

De citatione & sententia, dedit negotium Rex *Henrico Clutinio Oisello*, vt Pontifici diceret; Maiestatem eius magna cum offensione intellexisse, *Reginam* tam indignis modis habitam: quod certè famâ vulgatû non credidit, sed solummodo ex quo exemplum monitoriorum *Romæ* affixorum suis oculis vidisset. Se ad eam defendendam multis nominibus obligari: primum, quod eius causa & periculum commune esset omnium Regum, qui idcirco ad eam adiuuandam tenebantur, tanquam in causa quæ ad omnes pertineret: tantoque magis, quòd vidua esset. suam deinde *Regis Galliæ* obligationem maiorem esse, ob propinquam cum ipsa per vtramque lineam consanguinitatem, & cum marito agnationem, qui paulò ante in bello contra Protestantes occubuit, liberis pupillis relictis. Itaque se, vel exemplo maiorum suorum, non posse eius causam deserere: præsertim verò, quòd sibi ferendum non esset, vt quisquam prætextu religionis vicinis suis bellum inferat. Neque esse pietatis, Regna *Hispaniæ*, & *Galliæ* recens amicitiâ coniuncta, hac de causa in periculum crudelissimi belli conijcere. Ad hæc, cum illi *Reginæ* in *Gallia* multa sint feuda, per illius Regni iura & priuilegia cogi non posse, vt aut coràm, aut per procuratorem extra Regnum compareat: multis exemplis Principum & Pontificum allatis, qui cum debita & legitima moderatione egissent. Formam citationis per Edictum taxabat, tanquam rem inauditam antiquitati, & à *Bonifacio VIII.* excogitatam; ac, tanquam nimis duram, & iniustam, à *Clemente III.* in Concilio *Viennensi* ad moderationem reuocatam. Subiunxit etiam, eiusmodi citationes vtcunque locum habere non posse, nisi contra eos, qui ijs in locis habitant, quos adire tutum non esset: cumque *Regina* in *Gallia* degat, magnam sibi fieri iniuriam, Regnoque, hac agendi ratione. Illud etiam cum sua insigni iniuria fieri, quòd, quæ ab ipsa feuda tenebantur in *Gallia*, exponantur in prædam, & occupantibus concedantur, quorum directum dominium ad se pertineret. Mirari omnes, Sanctitatem eius, quæ adeo impensè causæ Regis *Antonij*, dum viueret, apud Regem *Hispaniæ* fauisset, eius iam prolem & viduam opprimere velle. Verùm præ cæteris omnibus id sibi dolere, quòd, cùm à XL. annis ante id tempus, tot Reges, Principes, & Ciuitates ab Ecclesia Romana discessissent, cum eorum nemine ita actum esset: satis id arguere, non salutem animæ *Reginæ* curæ esse Pontifici, sed alios aspectus. Meminerit Pontifex, pro salute animarum potestatem sibi concessam, non ad Principes suis Dominijs deturbandos; neque vt de possessionibus terrenis aliquid statuat: quod aliàs in *Germania* tentatum, magno cum quietis publicæ detrimento successerit. Orare itaque Pontificem, vt acta contra Reginam intentata reuocet: alioqui se remedijs à maioribus suis adhibitis vsurum. Indoluit etiam de causa Episcoporum, & Oratori mandauit, vt explicatis veteribus exemplis, narratisque liberta-

Ac postremû de citatione Reginæ Nauarræ, & sententia in Episcopos, per Oratorem suum Clutinium cum Pontifice agit.

tibus & immunitatibus *Ecclesiæ Gallicanæ*, & authoritate Regis in causis Ecclesiasticis, Pontificem rogaret, ne in præsentia tot nouitatum author esse vellet. *Oisellus* mandata sedulò & vehementer exsequutus, post multas cum Pontifice tractationes, obtinuit, vt haud amplius neque de *Regina Nauarræ*, neque de Episcopis verba facta sint.

Is Pontificem de Regina & Episcopis exorat.

Porrò *Tridenti*, Sessione finita, rebusque bene constitutis inter Legatos & *Lotharingium*; communicato etiam negotio cum primarijs, & antesignanis Pontificiorum, *Hydruntino*, *Tarentino*, & *Parmensi*, & cum Oratoribus Cæsareis; *Lotharingius* cœpit spargere semina destinati consilij, vt vnica alia Sessione Concilium absolueretur. Dicebat se in festo Natalis *Tridenti* esse non posse; cogi & se, & omnes Episcopos Gallos ante id tempus discedere. nihil sibi optatius, quàm videre Concilij finem, nec quicquam fore molestius, quàm conuentum adeo honoratum relinquere: sed quod ita sibi imperatum sit, parendum esse. Ab Oratoribus etiam Cæsareis passim in Concilio publicatum, *Imperatorem* ad rem expediendam solicitare, *Regemque Romanorum* scribere, vt ad *S. Andreæ* finiatur, aut, vt longissime, omnino in principio mensis sequentis. Et certè Rex ille, non vt Pontifici gratificaretur, verùm quòd expedire iudicaret, exitum solicitabat. nam cum Conuentus Ordinum *Germaniæ* indictus esset, nolebat vllos ex Patris sui Oratoribus tum Concilio interesse, dicebatque, eo occluso, religionis negotium in *Germania* multo rectius processurum.

Lotharingius de Concilio vnica Sessione absoluendo rumores spargit.

Ei Oratores Cæsarei subsidiariò adsunt.

Quibus à maiori parte Patrum, magna cum voluptate intellectis, Cardinalis *Moronus* XV. Nouembris, Congregationem habuit domi suæ: aduocatis eò Legatis, & duobus Cardinalibus, & Episcopis viginti quinque selectis, Nationis cuiusque primarijs. His proposuit, quandoquidem congregatum esset Concilium ob vtilitates *Germaniæ* & *Galliæ*; iamque instarent *Imperator*, & *Rex Romanorum*, & *Cardinalis Lotharingius*, & omnes Principes, vt ei finis imponeretur, quid de eo finiendo videretur, deque eius rei modo, sententiam quisque proferret.

Card. Moronus de Concilij exitu, eiusque modò, Patrum selectorum sententias exquirit.

Cardinalis *Lotharingius* censuit, Esse necessariò finiendum, ne diutius suspensum teneant orbem Christianum; vt Catholicis constet, quid sibi sit credendum, & vt tollant *Interim Germaniæ*. quod ea lege institutum, vt vsque ad finem Concilij durare debeat, aliter tolli non potest; & diutius continuatum, in detrimentum Ecclesiæ Catholicæ cedit. Imo vel hoc nomine finiendum, vt Nationalis in *Gallia* conuocationi præuortant. De modo dixit, vnica Sessione absolui posse; tractato in ea reformationis residuo, & expedito Catechismo, ac Indice librorum prohibitorũ, quæ iam parata essent: tum cæteris, quæ restarent, Papæ remissis: neque vel articulis de Indulgentijs, & imaginibus, disceptatione Theologorum excussis, vel anathematismis singillatim contra peculiares hæreticos institutis, sed ijs quoque verbis generalibus comprehensis. De finiendo quouis modo Concilio omnes assensi sunt, præter Archiepiscopum *Granatensem*; qui dixit, se eam rem Oratori Regis sui remittere. Proponebatur à non nemine, non posse ei finem plenè cumulatèque dari, quod tot materiæ tractandæ restarent: sed fieri id posse, indicto alio in decennium; quod satis valiturum sit ad impediendum, ne Prouinciæ Concilia congregent Nationalia; reiectáque ad id tempus eorum, quæ superessent, determinatione, & vnà anathematum promulgatione. Episcopus *Brixiensis* proposuit, de modo aliquo inueniendo, qui medius inter finem completum, & suspensionem. nam ei finem imponendo, hæreticos ad desperationem adigi, & id suspendendo, Catholicis haud satisfieri. Verùm hæ sententiæ suffragatores non habuere, cæteris in Cardinalis *Lotharingij* sententiam concedentibus.

Card. Lotharingij sententia.

Item Archiep. Granatensis.

Et Episcopi Brixiensis.

De modo, Archiepiscopus *Hydruntinus* dixit; hæreticos necessario anathematizandos esse, idque ab omnibus Concilijs vsurpatum: quinimo in eo consistere operam, quæ à Synodo requiritur. Siquidem multos esse incapaces veritatis, aut falsitatis opinionum, vi proprij iudicij comprehendendæ: qui eas aut sectantur, aut fugiunt ob solam authorum existimationem, aut contemptum. Concilium *Chalcedonense* hominibus eruditis refertum, vt certò cognosceret, vtrum *Theodoretus* Episcopus *Cyri* vir doctissimus, Catholicus esset annon, cum ille ad fidei suæ rationem reddendam esset paratus, noluisse quidquam aliud auscultare; tantum postulasse,

Archiep. Hydruntini sententia de modo, hæreticorum duces nominatim Anathematizandos.

vt clarè diceret Anathema *Nestorio*. Quod si in hoc Concilio anathematizandum non putent *Lutherum*, & *Zuinglium*, cæterosque sectariorum duces iam vita functos, & ex viuentibus eos, qui horum disciplinæ se tradiderunt, meritò dici posse, Concilium frustra laborasse. Respondit *Cardinalis*, alijs temporibus alia consilia conuenire: controuersias de religione, inter Episcopos & Presbyteros tum temporis versatas; populum pro auctario accessisse: Proceres verò aut his non se immiscuisse, aut si alicui hæresi adhærebant, eius se Capita professos non esse. Nunc alia esse omnia: Ministros & prædicatores hæreticorum, non dicendos capita sectarum, sed Principes potius, quorum vtilitatibus prædicatores & Doctores inseruiunt. Qui verò hæreticorum capita recensere volet, ei *Reginam Angliæ*, *Reginam Nauarræ*, *Principem Condæum*, *Electorem Palatinum ad Rhenum*, *Electorem Saxoniæ*, multosque alios Duces & Principes *Germaniæ* nominandos. Hoc in causa futurum, vt confœderati inter se, sensumque iniuriæ præ se ferentes, magno alicui malo occasionem dent. Quod si quis vel *Lutheri* solius, & *Zuinglij* damnationem exequendam proponat, eos ita irritaturum, vt magnam aliquam confusionem inde nasci necesse sit. Quapropter, rebus non ad id, quod quisque velit, sed quod fieri possit, aptatis, optimam esse determinationem eam, quæ ab vniuersali quàm minimè discedat.

Ferdinandus. Philippus 2.

Cui refragatur, & respondet Lotharingius.

Moronus accersitis Oratoribus Ecclesiasticis, ijsque communicato eo, quod propositum erat, & quid cōgregatis videretur, ab illorum quoq; assensum impetrat de fine, & modo, ex sententia *Lotharingij*. Vnde de communi omnium consensu missi sunt, qui Oratoribus secularibus, quid placitum esset, significarent. Et hi assentiuntur omnes præter *Hispanum*, qui respondit, non constare sibi de perspicua Regis voluntate; proinde petere tanti temporis moram, vt eam exquirere possit. Legati nihilominus certi exequi quæ destinauerant, proponunt caput de Principibus, relictis anathematismis, & omnibus articulis particularibus; ac tantummodo renouatis de libertate & iurisdictione Ecclesiastica canonibus antiquis: de Principibus verò mentione facta multa cum reuerentia: tantum hortati eos, operam darent, ne ab eorum Ministris violarentur. Eodem illo die propinquâ vesperâ, Congregatio habita, vt initium fieret agendi de reformatione: in eaque præscriptum, vt duæ Congregationes quotidie haberentur, quoad dictæ essent omnium sententiæ.

Card. Moronus consilium suum de Synodo finienda Oratoribus Ecclesiasticis, & secularibus impertit.

Quæ certè in Congregationibus summâ cum breuitate & consensione pronunciatæ, præterquam à paucis *Hispanis*, qui moram iniectam cupiebant; cæteris omnibus breuitate ipsa rei exitum accelerare adnitentibus. Maxima difficultas obiecta super sexto Capite de subiectione Capitulorum Episcopis, quòd hinc plurimum interesset, non solùm Episcoporum, verùm etiam Regis ipsius, authoritatem Capitularem imminui, ne impedimenta adferre possent subsidijs, quæ in *Hispania* sæpius imperantur; ex altera verò parte ab Legatis Capitulis faueretur: quorum in gratiam, simul propter rationes, quæ adducebantur, complures ex Italis, qui principio videbantur Episcopis fauere, mutata velificatione in Capitula erant proniores. Eam ob causam *Comes Lunensis* Cursorem mandat *Romam*, cuius admonitu Orator *Vargas* egit cum Pontifice, in fauorem Episcoporum. cumque Papa more suo rem permitteret Concilio; conquestus est Orator, Præsules Italos prensatione inductos, vt sententiam in illa causa mutarent. Ad id Papa promptè respondit, ideo mutasse, quod essent liberi. eam verò libertatem Procuratori Capitulorum non relictam, qui haud sponte sua à Concilio discesserit, verùm inde pulsus. atque hac occasione questus est, *Comitem Lunensem Tridenti* id agere, ne Concilio finis imponatur. Scripsit tamen Pontifex, vt ab Oratore rogatus erat, sed ijs verbis, quibus Capitulorum postulatis non præiudicaret. Quare formatum tandem est Decretum, cum nonnulla authoritatis Episcopalis in *Hispania* amplificatione, etiamsi non eâ, quâ desiderabatur, mensurâ.

Exagitatur denuo controuersia de subiectione Capitulorum Episcopis, de qua Orator Hispanus Romæ Pontificem interpellat.

Instabant *Oratores Veneti*, vt in Capitulo de *Iure patronatus*, vbi excipiebantur, quæ ad *Imperatorem* & *Reges* pertinebant, exciperentur etiam, quæ essent *Resp.* ipsorum. Cupiebant quidem Legati ipsis gratificari, sed erat difficile modum inuenire. nam omnes Respublicas excipere nimis erat amplum, & eam nominatim exprimere nimis videbatur inuidiosum. Inuentum tamen temperamentum, vt eam Regum numero

Oratores Veneti cum Imperatore & Regibus Rempubl. suam super iure patronatus excipi petunt, & impetrant.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

numero complecterentur, facta declaratione, inter ipsos comprehendi, qui regna possiderent, etsi Regum nomine non decorentur.

In quæstione, An Pontificis Confirmatio Synodi Decretis sit petenda, Archiep. Granatensis scrupulum inijcit.

In Congregatione diei vicesimi proponitur, postulandam à Pontifice omnium Concilij Decretorũ, tam sub *Paulo* & *Iulio*, quam sub Sanctitate sua Confirmationem. Ab Archiepiscopo *Granatensi* iniecta difficultas, asserente, In Sessione XVI. quæ sub *Iulio* fuit postrema, vbi decretum de Concilij suspensione, simul etiam statutum, vt omnia vsq; ad id tempus à Synodo decreta, obseruarentur. absq; vlla mentione confirmationis. itaque eorum confirmatione à Summo Pontifice petita, condemnari istos Patres, qui tum iudicabant, ea sine vlla confirmatione exequenda. Neque hæc à se eò dici, quòd confirmationis petitionem non approbaret, verùm vt consideratione habita eorum, quæ in contrarium afferri possunt, verba non incommoda adhibeantur.

Quem Hydrũtinus tollit.

Respondit Archiepiscopus *Hydruntinus*, Decretum à *Granatensi* nominatum, non modò obiectioni, quam ex ea eliceret, non fauere, sed eandem soluere: claréque ostendere, Synodum Decreta facta non habuisse pro obligatorijs, propterea quòd non præceperit, sed tantùm exhortata sit, vt reciperentur, & obseruarentur: cuius rei aliam causam adferri non posse, quàm confirmationis defectum. Acquieuit *Granatensis*; decretúmq; cõmuni consensu, confirmationẽ, vti propositum erat, postulandã. verum de modo nonnihil variatum. Plerisq; non placebat, vt Concilium confirmationem peteret, & interea non exspectato responso dimitteretur: quòd id nec ex dignitate Sedis Apostolicæ, nec Concilij videretur; sed inter hoc & illam ex compacto agi. nam alioqui si quid confirmatum non esset, ab eodem Concilio prouisionem faciendam. Hisce, quippe multis, vt satisfieret, volebat Cardinalis *Moronus*, in Sessione ad nonum Decembris, quæ propter materiarũ multitudinem triduum duratura putabatur, primo die cursorem expeditum mitti *Romam*, ad confirmationem petendam; quo reuerso alteram sessionem habendam, non aliam ob causam, quàm ad Synodum dimittendam. Verùm huic quoque sententiæ multa aduersabantur. Nam si id volebat, vt Papa è vestigio, neque visis, neque examinatis Decretis veniret ad confirmationem, eandem difficultatem rediturам. quodsi examinatis; ad id opus esse aliquot mensium spatio. Ad summam, Cardinalis *Lothringius* Patribus considerandum proposuit, hasce difficultates Concilium producturas; sibi & Gallis remeandum necessariò, Concilio siue finito, siue non finito. nam ita à *Rege* habere imperatum: post suum discessum Concilium non posse appellari Generale, desiderata vna Natione; adeoque eius & dignitatem & honorem imminutum iri, idque excitare posse Concilia Nationalia, aliasq; difficultates. Hæc tantũ non protestatio, adiunctis Cæsareorum pro re expedienda, solicitationibus, in causa fuit, vt post rem sæpius in deliberationem vocatam, decretum tandem sit, confirmationem petere, & Synodum in eadem Sessione dimittere.

De modo petẽdæ cõfirmationis diuersæ Patrum sententiæ.

De communi assensu concluditur, eadem Sessione Confirmationem petendam, & Concilium dimittendum.

Ferreri⁹ Card. Lotharingij, literis Tridentum inuitatus, redire recusat.

Cardinalis *Lotharingius Venetias* ad Oratorem *Ferrerium* scripsit continuò, quandoquidem caput illud de Principibus iam commodè emendatum esset, *Tridentum* rediret. Qui respondit, sibi id integrum non esse, nisi peculiari accepto è Gallia mandato: quòd literis datis IX. eius mensis Rex ad se scripsisset, & ad ipsum etiam Cardinalem, vbi decretum concinnatum esset, idque sibi significatum, se Oratorem remissurum. proinde sibi necessarium esse mandata Maiestatis eius expectare. Ad Regem autem scripsit, non sibi videri è re Ma.^tis suæ, eò redire; quod iura Regalia & libertas Ecclesiæ Gallicanæ in alijs Decretis illa Sessione publicatis violabantur.

Qui conficiendis Decretis designati, super forma Decreti de Purgatorio consultant.

Reformationis negotio rite constituto, Cardinali *Warmiensi* cum octo Prælatis tradita est prouincia, formandi Decretum de *Purgatorio*, *inuocatione*, *reliquiis*, & *imaginibus Sanctorum*. & quamuis hi omnes eundem finem respicerent, nihil in medium adferre, quod haberet difficultatem; tamen non vnum ac idem omnes sentiebant. Ex ijs aliqui de loco & foco *Purgatorij*, sicuti In Concilio *Florentino*, mentionem factam cupiebant. Alij, quod ea res non careret difficultate, nec facili negotio verba inueniri possent, ad id exprimendum, quæ omnibus satisfacerent, putabant nihil aliud dicendum, quam bona opera fidelium mortuis ad pœnarum remissionem conducere.

Archi-

Archiepiſcopus *Lancianenſis* admonuit, cùm de *Miſſa* tractatum eſſet, tunc declaratum, *Sacrificium illud pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, offerri*: quibus verbis doctrinam de *Purgatorio* ſatis eſſe definitam, adeoque nihil vltra iam faciendum, niſi vt Epiſcopis imperent eius doctrinæ prædicandæ, abuſuum tollendorum, & ſuffragiorum pro defunctis perſoluendorum curam. In quam ſententiam Decretum eſt formatum.

Et in Arch. Lancianenſis verba concedunt.

In materia de Sanctis facilè conuenit, vt particulatim, immo ſingillatim damnarentur omnes opiniones conſuetudini Eccleſiæ Romanæ contrariæ. De Imaginibus nonnihil variatum. Nam Archiepiſcopus cenſebat, alium honorem ijs non deberi, niſi relatione ad rem ſignificatam. Verùm *Lainezius Generalis*, alius ex illis Decreti formatoribus, exiſtimabat, præter eum honorem, poſtquam ſunt dedicatæ, & in loco adorationis poſitæ, aliam venerationem illis propriam conuenire, vltra adorationem, quæ Sancto præſtatur, cui veneratio in ijs exhibetur: quam adorationem *relatiuam* appellabat, & alteram, *obiectiuam*. Confirmabat ſententiam ſuam hoc argumento; quemadmodum vaſa & veſtes ſacræ dignæ ſunt reuerentia quadam ſibi propriâ, reſpectu conſecrationis; tametſi Sanctum nullum repræſentent: ſimiliter imagini dedicatæ, præterquam repræſentationis ratione, deberi adorationem quandam ratione dedicationis. Cardinalis *Varmienſis*, vt vtrique ſententiæ ſatisfaceret, concludit eam, quæ ab Archiepiſcopo dicta eſt, exprimendam, tanquam facilem & claram; ſed non vtendum verbis, quæ alteri præiudicent.

Dein de Sanctis, & imaginibus, cuiuſmodi cultus ijs debeatur.

Ad *Fratrum* & *Sanctimonialium* reformationem recognoſcendam deſignati fuerant Præſules aliquot, præter eos, qui eam compoſuerant, additique ipſis Ordinum Generales. In qua Congregatione nihil eſt mutatum, niſi quòd, cùm vniuerſè conceſſum eſſet in tertio Articulo omnibus Monaſterijs Regularium mendicantium, bona immobilia poſſidere, vtcumque inſtitutioni ipſorum repugnet; *F. Franciſcus Zamora* Generalis Fratrum S. Franciſci de Obſeruantia inſtabat, vt ille Ordo exciperetur; aſſerens, certum ipſis ſecundum regulam *S. Franciſci* viuere, à qua haudquaquam eximendos, qui exemptionem non peterent. Et ſatis factum eſt ei, hoc Ordine excepto. Sed & *Cappucinis*, inſtante ea de re *F. Thoma Caſello* ipſorum Generali. Inſtabat etiam *Generalis Lainezius*, vt exciperetur *Societas Ieſu*, affirmans, quamuis Collegia, excipiendis ſcholaribus nondum factis religioſis, deſtinata, bonis ſoli frui poſſint; Domus tamen profeſſas, in quibus propriè Societas conſiſtit, non poſſe niſi ex mendicato viuere, & ſine cuiuſcunque boni ſtabilis poſſeſſione. & facilè ei aſſenſum eſt. Verùm poſtridie reuerſus petijt, vt auferretur illa exceptio, dicens, Societatem ſuam ſe perpetuò in pura mendicitate in Domibus profeſſis conſeruaturam: cæterum non id penſi habere, vt hoc nomine mundi applauſum conſequantur; ſufficere ſibi meritum apud Deum, tanto etiam maius futurum, quòd cùm vti liceat Concilij liberalitate, nunquam tamen eſſent vſuri. Id conſilij captum, de communi ſententia illorum quatuor Ieſuitarum, qui Synodo intererant, proponente Patre Torrenſi, qui aiebat, hoc pacto liberum ipſis fore, conceſſione Concilij vel vti, vel non vti, prout commodum videretur.

Fratrũ mendicantiũ Ordines quidam reſpuunt priuilegium à Synodo conceſſum poſſidendi bona immobilia, ex diſciplina Ordinis viuere contenti.

Ieſuitæ Concilij conceſſionem haud repudiant, ſed ſe nunquam ea vſuros profitentur.

Erat ſtatutum Capite XV. ne à quoquam profeſſio fieret ante annum decimum octauum finitum; vtque nouitiorum probatio biennium, vt minimum, duraret, quacunque ætate nouitius intraſſet. Huic Generales omnes interceſſerunt, dicentes, haud æquum eſſe, religionis ingreſſum prohibere cuiquam capaci eius cognoſcendi, quod vota Regularia poſtulant. hanc capacitatem ab Eccleſia definitam anno decimo ſexto, etiam quo tempore homines non erant eo ingenij acumine ac ſagacitate. nunc ad minorem potius ætatem deſcendendum, quam aſcendendum. quam eandem quoque rationem adhibuerunt contra biennium nouitiatus. Tandem, quoniam omnibus ſatisfactum volebant, decreuerunt etiam ſatisfacere Generalibus, hac in parte nihil innouando.

Ordinũ Generales in tẽpore Profeſſioni, & Probationi præſtituto nihil innouari petunt.

Præter illa viginti duo Capita erat aliud, in quo concedebatur Prouincialibus, Generalibus, & Capitibus Ordinum, vt inemendabiles poſſent ordine mouere, & habitu priuare. Hic *Iohannes Antonius Facchinetus* Epiſcopus *Neocaſtrenſis* acriter refragatur, dicens; Profeſſionem, eiuſque admiſſionem, eſſe mutuum contractum, & quaſi

De notoriè delinquentibus, qui inemendabiles reperiuntur.

Matri-

vtrum è Monasteriis eiiciendi, annô, ab Deputatis deliberatur.

Matrimonium, quo Monasterium obligatur professo, & professus Monasterio: & sicut hic discedere non potest, ita nec illud eum eijcere. atque illo decreto futurum, vt omnes Ciuitates Fratribus eiectis exundent, magno cum seculi scandalo. E contra dicebat Archiepiscopus *Rossanensis* hic non esse relationem eam, quæ est inter maritum & vxorem, sed quæ est inter patrem & filium: nec filio licere, patrem vnquam abdicare; at Patrem posse abiudicare filium, præsertim contumacem; minusque esse malum in ciuitatibus cernere fratres è Monasterijs expulsos, quàm in Monasterijs incorrigibiles. Generales non idem omnes sentiebant. nam perpetui eiectionem probabant; temporarij eam prohibitam volebant. Verùm, vt solet multitudo cum deliberat, maior pars inclinabat ad res eodem statu relinquendas, nec in alterutram partem aliquid decernendum. Porro in illa consultatione, sæpe & à multis dictitatum, apud populum maximæ id offensioni esse, cum videret quempiam aliquot annos habitu religioso amictum, postea secularem euadere. Id occasionem dedit sermoni de professione tacita, simulque quæstioni tractandæ: vtrum ea professio declaranda esset valida, sicut vsque ad id tempus fuerat: an potiùs declarandum, nullam professionem astringere, nisi expressam. Atque hic variæ obortæ difficultates, quarum pro temperamento inuenta est hæc constitutio, vt Superior Religiosus anno probationis finito, teneretur aut Nouitium dimittere, aut admittere ad profitendum. idque XVI. capiti, tanquam loco conuenienti insertum.

Atque ea occasione de tacita professione agitur.

Decretum hoc, vti necessarium summè laudabat Generalis *Lainezius*, petijt tamen vt ab eo sua Societas exciperetur; affirmans, diuersam esse eius, & cæterorũ Ordinũ Regularium conditionem. in illis ex antiquissima consuetudine, & approbatione Sedis Apostolicæ, locum habere professionem tacitam, quâ ipsorum Societati interdicitur. hìc cessare causam scandali, quod de alijs ordinibus populo datur, cum illos in habitu seculari viderit, postquam Religiosum diu gestauerint: quia *Iesuitarum* habitus à seculari non distat. Etiam societati suæ à Sede Apostolica confirmatum, vt Superior ad professionem post longum tempus possit admittere; quod Regularium nulli vnquam concessum. Patres omnes ad gratificandum illi, exceptione facta, inclinabant. In qua perscribenda, Pater ille contendebat, iuxta regulas Latini sermonis exprimendum numero plurali, dicendo, *Per hæc autem Sancta Synodus non intendit institutum Iesuitarum innouare, &c.* Nec consideratum est, hunc dicendi modum, referri posse, sicut ad hoc de admittendis, aut dimittendis Nouitijs anno finito, itidem ad ea omnia, quæ Capite XVI. continebantur. Quinimo referri etiam posse ad omnia, quæ sedecim ijs Capitibus comprehensa. Sed nimirum Pater ille aliorum incuria frui sciebat, iacto eo fundamento, cui sequentes *Iesuitæ* inædificare possent singularitatem eam, quæ in ipsorum Societate conspicitur.

Ab hoc Decreto Lainezius Iesuitarum societatem excipi postulat, & impetrat.

Et in exceptione conscribenda Patrum incuriam in rem suam vertit.

Congregatio diei XXII. circa *Indulgentias* versabatur: cuius materiæ difficultas & copia maiorem partem in eam sententiam induxit, omnino de ea non agendum, quippe omnibus iam persuasum, difficultates esse euitandas. Erant nihilominus qui de illa tractatum vellent, dicentes, alioqui datum iri hæreticis occasionem dicendi, euitatam de industria eiusce rei tractationem, quòd ratione destituerentur, quâ eam sustentarent. Alijs videbatur sufficere, de eorum vsu tantummodo agere, abusibus, quos temporum corruptela inuexerat, sublatis. Orator *Lusitanus* dicebat, dolere sibi, quòd non prouideretur Bullis Cruciatæ; verùm taciturum se, ne à quoquam occasio ex ea re arripiatur, extrahendi Concilium. Ipsi *Oratores Cæsarei*, tametsi in fine solicitando coniunctissimi, quòd sibi à Dominis suis ita imperatum esset, non erant in hoc concordes. *Pragensis* tractationem de dogmatis censebat omittendam. At *Quinqueecclesiensis* dicebat, nisi de hac re tractaretur, & abusibus *reliquiarum*, & *imaginum*, & *Purgatorij* consuleretur, pudendum id Synodo fore.

Quousque & quemadmodũ de indulgẽtiis sit tractandũ, consultatur.

Oratores Cæsarei hic parũ concordes.

Episcopus *Mutinensis* Patres admonuit, si de *Indulgentijs* tractationem instituere vellent eum in modum, quo de iustificatione tractatum esset, causis omnibus consideratis, & quæstionibus excussis, rem fore longam admodum & difficilem; multumque temporis desideraturam. Neque enim caput illud satis dilucidè explicari posse, nisi prius illud constitutum sit, an sint absolutiones, an verò compensationes, & suffragia: &, vtrum pœnas tantùm à Confessore impositas remittant, an quascunque debitas.

Episcopi Mutinensis sententia, exactã & accuratã de Indulgentiis tractationem minimè instituendam, sed

debitas. Itidem an thesaurus, qui fundamenti loco substernitur, ex solis *Christi* meritis constet, an verò opus sit insuper meritis *Sanctorum*: an dari possint sine vlla accipientis opera: an ad mortuos etiam se extendant, & alia non minoris difficultatis. Verùm ad hæc determinanda, Ecclesiam earum concedendarum potestatem habere, semperque eas concessisse; quódque perquam vtiles sint fidelibus eas dignè percipientibus, tanta disputatione opus non esse. Nam authoritatem eas concedendi in S. literis haberi; vsum continuatum, ex traditione Apostolica, & Conciliorum authoritate; totiusque materiæ dilucidam cognitionem ex concordi doctrina Theologorum scholasticorum. hisce de rebus confici posse decretum, nullis difficultatibus obnoxium. Hæc sententia magno coronæ assensu accepta est, deputatique ipse cum alijs Episcopis Fratribus, ad Decretum in hanc sententiam formandam, adiunctâ ad abusus tollendos, prouisione.

breuem ac summariam: in quã Patres eunt.

In sequentibus Congregationibus, actum est de *Indice librorum*, de *Catechismo*, *Breuiario*, *Missali*, *Agendis*. lecta item, quæ decreta in Congregationibus particularibus, ab Prælatis, ad eas Materias examinandas iam inde à principio Synodi Deputatis; & quidem prope erat, vt dissidia excitarentur, cùm quibusdam viderentur certi authores, librique iniuriâ notari; alijs, nonnulli ex his, qui censura digniores, omitti. Nec minor de *Catechismo* difficultas fuit, existimantibus nonnullis opus concinnatum non esse Catechesim communiter toti Ecclesiæ proponendam, cuius bona pars hominibus simplicibus constat; alijs in eo maiora quædam desiderantibus. De libris etiam ritualibus non parum erat difficultatis, quòd multi in tota Ecclesia vniformitatem cuperent: alij, suæ quisque Ecclesiæ ritus propugnarent. Cum autem Legati prospicerent hasce materias vix vnius anni spatio cumulatè determinari posse, propositum est ab ijs, vt id omne Pontifici remitteretur. Dissensère pauci aliquot Præsules, ac nominatim Episcopus *Ilerdensis*, longa oratione demonstrans, si quidquam proprium esset Concilij, Catechismum illud esse; qui quidem liber post Symbolum primum locum in Ecclesia tenere debeat. ritualibus verò libris deberi secundum: in quorum emendatione opus esse exquisita quadam cognitione antiquitatis, & consuetudinum omnium regionum, quæ in Curia Romana haud facilè inueniantur. in ea esse homines excellenti ingenio, & varia eruditione, sed qui huic literarum generi non incumbunt, quod necessarium est ad aliquid laude dignum perficiendum. sed hoc, Concilij magis proprium esse. Verùm effecit finiendi propositum, & desiderium *Tridento* discedendi, vt à plerisque parum benignis auribus hæ voces fuerint acceptæ.

Indicem librorum, Catechismum, Ritualia, & cætera id genus legati ad Pontificem remittenda cẽsent, ne Concilium extrahant.

Id dissuadet Episcopus Ilerdensis, cogitationem eam Concilij cura dignam contendens.

Die XXV. eius mensis Comes *Lunensis* accedens ad Legatos, cum petito in scriptis, dolorem præ se tulit, quòd materiæ præcipuæ, ob quas Concilium erat congregatum, omitterentur; quòd in paucis illis, quas tractabant, præcipites ferrentur; quod finis Concilij quæratur insciente suo Regè; postulans denique, vt auscultarentur Theologorum super dogmatis sententiæ, vtque de fine Concilij ex *Hispania* responsum exspectetur. Respondent Legati eousque negotium processisse, vt nullum sit tempus exspectandi; neque fieri omnino posse, vt tot Episcopi iam ad reditum accincti, retineantur. Ad ea *Comes*: si Concilium, aiebat, suo Rege inconsulto finiatur, se, præter illam petitionem, amplius, quod par esset, facturum. Legati super eo nuncium ad Pontificem expediunt; *Comes* pariter ad Oratorem *Vargam* scripsit, vt apud Papam adlaboraret. Ast ille pro superuacuo habebat negotium illud solicitare: tum quod ante cursoris aduentum Pontifex in grauissimum morbum incidisset; tum quod, aliquot antè diebus, cum eadem de re instaret, Papa demum ei respondisset, se Concilio rem permittere, cui libertatem auferre nollet, à Rege etiam ipsius adeo expetitam. Illud satis constat, dicente Oratore, expedire vt Concilium apertum maneat, quod totus mundus illud requirat; Pontificem percunctatum, Quisnam esset iste mundus, qui id tam obnixe peteret? cumque subiunxisset Orator, *Hispania* id vult, totus mundus id vult; tum Pontificem, dixisse, scribite in *Hispaniam*, vt *Ptolomæum* emant, eumque perlegant; inuenient certè, *Hispaniam* non esse totum mundum. Legati cum *Comite Lunensi* sæpiùs egerunt; Cardinalis etiam *Lotharingius*, & Oratores Cæsarei operam sedulam contulerunt: sed cum eum adducere non possent, vt de sententia discederet, ipsi contra eum instabant; Cæsarei, nomine *Imperatoris Regisque*

Comes Lunensis apud legatos queritur Concilij finem, Rege suo inconsulto, præcipitari; dein minas addit petitis.

Legati consulunt Pontificẽ, & Lunensis dat literas ad Vargam.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

gisque *Romanorum*, & totius *Germaniæ*, *Lotharingius*, nomine Regis & Regni *Galliæ*. Legatis certum erat Concilio finem imponere, ex mandato Pontificis, præscribentis, vt id facerent, etiam repugnante Oratore Hispano; eóque solicitè materijs expediendis incumbunt.

Legati & Lotharingius accepto nuncio de Pontificis morbo, tempori Sessioni destinato præuortendum censent, ne durante Concilio noui Pontificis electio contingat.

Dum hæc aguntur, primo die Decembris sub vesperam venit *Româ Tridentum* cursor quanta potuit festinatione, significans, Pontificem grauissimis symptomatis correptum, in morbum periculosum incidisse. Literas attulit *Card. Borromæi* ad Legatos, & ad *Cardinalem Lotharingium*, vt Concilij exitum, quantum fieri posset, accelerarent, eique finem imponerent, nulla cuiusquam habita ratione, vt incommodis occurrerent, quæ circa electionem Papæ possent accidere, si Concilium tempore Sedis vacantis consisteret. In ijs literis paucula erant propria Pontificis manu adscripta, qui idem ipsis absolutè mandabat, & *Lotharingium* monebat, vt promissi memoriam recoleret. Illud certum est, (vt hìc, tametsi haud suo loco, hoc singulare commemorem) Papam constituisse, nisi subitò commodiori vteretur valetudine, octo Cardinales creare, ordinemque præscribere, ne in Electione successoris confusio aliqua nasceretur. Legati & *Lotharingius* certi tempus Sessionis anticipare, Conciliumque, siue ijs, quæ proposita erant, impetratis, siue absque illis, intra biduum finire; ne prius de morte Papæ nuncius adferri posset, quod acceperant nuncium, & quid ipsis constitutum esset, Oratoribus communicant: idemque negotium cum melioris notæ Præsulibus agunt. Assentiuntur omnes præter *Oratorem Hispanum*. Is ab Rege sibi imperatum dixit, ne Sede vacante *Papam* in Concilio creari permitteret, sed Electio penes Cardinales esset. itaque tam præcipiti festinatione opus non esse. At Cardinalis *Moronus* è contra affirmauit sibi compertum, Oratorem Gallum, qui adhuc erat *Venetijs*, in mandatis habere, vt protestaretur, illud regnum alteri Papæ, quàm qui à Concilio electus, non obtemperaturum. quare vt omne periculum effugiant, esse omnino finiendum. Comes *Lunensis* Congregationem habuit Præsulum Hispanorum domi suæ, rumoremque vulgauit, sibi constitutum esse protestari, & sese opponere.

Inter Oratores solus Lunensis præcipiti in finiendo Concilio festinationi reluctatur.

Legati de Capitibus doctrinæ & reformationis Patrum sententias in Congregatione perquirunt.

Legati nihilominus postridiè mane Congregationem habent, in qua lecta sunt decreta de *Purgatorio*, & de *Sanctis*, quemadmodum à Cardinale *Varmiensi*, & cæteris Deputatis fuerant formata. Post lecta reformatio Fratrum, omniaque summa cum breuitate sententiarum, & quàm minima contradictione approbata. Inde lecta capita de Reformatione. In primo, quod de moribus Episcoporum tractat, quo loco, *interdicitur ipsis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresue suos augere studeant*; dictum erat; *ex reditibus Ecclesiæ, quorum ipsi pro pauperibus fideles dispensatores constituti sunt*. Huic dicto Episcopus *Sulmonensis* intercessit, affirmans, quandoquidem distinctæ essent ex antiquo Canone portiones pauperum, fabricæ, & mensæ Episcopalis, dicendum non esse, Episcopos & cæteros beneficiatos esse dispensatores; sed esse partis sibi propriæ Dominos. Non quòd malè eam administrantes peccatum non incurrant, & indignationem diuinam, sicuti etiam quiuis alius, qui rem familiarem male administrat; sed quia si bono pauperum dispensatores essent, ad restitutionem tenerentur, quod omnino dicendum non est. Plurima hìc disceptatio fuit, plerisque tenentibus, beneficiatos esse fructuum Dominos, saltem vsufructuarios: Alijs dicentibus, sicut antea ab Oratore Gallo in Oratione sua dictum, esse tantùm vsuarios. Nonnulli verba Decreti defendebant, quod sint dispensatores, locum Euangelij citantes de seruo fideli, & doctrinam omnium sanctorum Patrum. Sed cùm ad Concilij finem veniendum esset, placuit omittere illa verba, [*quorum ipsi fideles dispensatores constituti sint in pauperes*] ac silentio omnes difficultates præcidere.

Sulmonensis excipit contra illa verba Decreti de reformatione, Episcopos esse dispensatores bonorum Ecclesiæ in pauperes.

Sabaudus & Florentinus Oratores vetus suum postulatum de Iure patronatus repetunt.

In Capite de Iure patronatus Oratores *Sabaudus* & *Florentinus* instabant, vt exciperentur Patronatus suorum Principum; aut ne exciperentur alij, quàm *Imperator* & *Reges*: quibus satisfactum est, exceptis præter *Imperatorem*, *Reges*, aut Regna possidentes, alijs sublimibus, aut supremis Principibus, iura Imperij in Dominijs suis habentibus. Propositum deinceps de legendis in Sessione omnibus Decretis sub *Paulo* & *Iulio* factis, quò approbarentur. Repugnabat Episcopus *Mutinensis*, asserens,

An decreta sub Paulo &

rens, eo pacto authoritati Concilij illorum temporum derogatum iri, si, quæ tum decreta, noua Patrum confirmatione egeant: atque id arguere, hoc Concilium non idem esse cum illo; quod nemo vnquam res proprias confirmat. Alij contendebant, vel hac ipsa de causa necessariò id faciendum, ne derogetur eorum authoritati, si dicantur non esse eiusdem Concilij. Ipsi etiam Galli, qui antea obnixè postulauerant, Concilium hoc nouum declarari, neque cum præcedenti sub *Paulo* & *Iulio* continuatum, plus cæteris adnitebantur, vt omnis dubitandi ansa auferretur, ne acta omnia inde ab anno M D XLV. vsque ad finem, non vnius & eiusdem Synodi viderentur. Ita fit non solùm in rebus humanis, verùm etiã religionis, vt mutatis vtilitatibus, mutetur quoque persuasio. Omnibus ergo ad vnum & eundem scopũ collimantibus, placuit, vt Decreta solummodo legerentur, nec quicquam aliud diceretur. hoc pacto apertissimè declarari vnitatem Concilij, & tolli difficultatem, quam vox *confirmandi* adhibita adferre poterat. Ita cuique relictum existimandi arbitrium, an quòd lecta fuissent, ex eo consequeretur fuisse confirmata, aut saltem pro validis declarata; an vero inferre mallet, eandem esse Synodum, à qua facta, cum illa, à qua lecta essent. Iulio facta sub Cõcilij finem legenda sint & confirmanda, disceptatur.

Postremo propositum est de anticipanda Sessione; eáque postridiè celebranda. quòd si tum expediri non possent omnia, quæ præ manibus erant, de eadem Sessione sequenti die continuanda, perinde ac si vnica esset; déque dimittendis Patribus; ac vt die Dominico omnes actis Concilij subscriberent. Reclamabant XIV. Episcopi *Hispani*, dicentes, Patres nulla adigi necessitate ad tempus præfixum abbreuiandum. veruntamen Cardinalis *Moronus* dixit, Sessionem futuram. Et Cardinalis *Lotharingius* vnà cum Oratoribus Cæsareis denuo nauarunt operam cum Oratore Hispano, vt acceptum haberet, quod tanta concordia decretum esset. Qui ad extremum, multis verbis vltro citroque habitis, assensus est, duabus appositis conditionibus. Vnà, vt decerneretur, Papam, ijs quæ restabant, prouisurum. Alterá, vt in tractatione de Indulgentijs non adijceretur *gratis dandas*, aut aliud quicquam, quod Bullis Cruciatæ in *Hispania* posset officere. De tempore Sessionis anticipando decernitur, Hispanis etiam, sed appositis vna & altera conditione, assentientibus.

Cum igitur venisset dies Veneris tertius Decembris, Patribus Templum solitâ ceremoniâ petentibus, sacrum solemne peragitur, Concionem habente *Hieronymo Ragazzono* Episcopo *Nazianzeno*. Is omnes per orbem habitabilem inclamat gentes, vt diem illam, quæ fœlicissima Christiano populo illuxisset, admirarentur: in qua templum Domini reficeretur, Nauisque in portu ex maximis turbinibus & fluctibus collocaretur. Maiorem, aiebat, lætitiæ causam futuram, si Protestantes vnà conscendere voluissent: verum id certè Patrum culpâ non accidisse. Ad Concilium celebrandum electam illam vrbem in faucibus *Germaniæ*, in ipso limine domus ipsorum positam, sine vllo præsidio, ne qua suspicio loci minus liberi daretur. Eò inuitatos data fide publica, immo exspectatos, & rogatos. etiam illorum absentium animabus consultum, explicatâ fide Catholicâ, & disciplina Ecclesiastica restituta. Dein recapitulatione facta Dogmatum omnium quæ in Concilio tractata, & Abusuum è ritibus sacris sublatorum; si nulla alia causa conuocandi Concilium fuisset, vel hoc solo nomine id dicebat faciendum, ad furtiua & clandestina Matrimonia prohibenda. Progressus inde ad ea, quæ pro reformatione constituta, ostendit in singulis vtilitatem publicam, quam ex hisce decretis Ecclesia esset perceptura: Adiungens, in superioribus Concilijs actum sæpe de fide explicanda, moribusque corrigendis: at nunquam quam in isto diligentius atque distinctius. Argumenta & rationes hæreticorum pertractata fuisse, & nonnulla tertiùm quartùmque discussa, summa sæpe contentione: non quod inter ipsos Patres esset discordia, quæ inter idem sentientes, idemque spectantes nulla esse poterat, sed ad veritatem sincerè explicandam, atque ita illustrandam, vt aduersariorum etiam absentium saluti non minus prouideretur, quam si adfuissent. Hortatus denique est omnes, vt vbi ad Diœceses redijssent, decreta fortiter exsequerentur. Tum vt in præsentia Deo primùm gratias agerent; deinde *Pio Pontifici*; expositis ijs, quæ ab ipso in fauorem Concilij factitata. Nam & missos ad Protestantium nationes atque prouincias, Nuncios, & Legatos *Tridentum*: excitatos Principes, vt eòdem Oratores mitterent; nullis sumptibus parcitum, ad Concilij amplitudinem ac libertatem tuendam. Legatos laudauit, quòd actio- SESSIO XXV. sub Pio IV. nona & vltima. Episcopi Nazianzeni oratio. Qua summatim recensuit omnia in Cõcilio Tridentino definita super doctrina & moribus.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

num Synodi duces, ac moderatores extitissent; & nominatim Cardinalem *Moronum*. atque ad extremum collaudatis Patribus perorauit.

Decretum de Purgatorio.

Ceremonijs peractis recitantur decreta. In doctrina de *Purgatorio*, dicebatur, *Ecclesiā Catholicā ex sacris literis, & Patrum traditione, in Cōcilijs, & nouissimè in eadem illa Synodo docuisse, Purgatorium esse, animasq́ ibi detentas fideliū suffragijs, & altaris sacrificio iuuari. Itaq; Synodum Episcopis præcipere, vt sanā de Purgatorio doctrinam doceri, & prædicari studeant: difficilioribus quæstionibus, à popularibus apud rudem plebem concionibus, seclusis. Incerta, vel quæ specie falsi laborant, euulgari non permittant: quæ ad curiositatem, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, probibeant. Curent, vt fidelium viuorum suffragia, quæ pro defunctis fieri consueuerunt, piè, ac deuotè fiant: & quæ pro illis ex testamentis, vel alia ratione debentur, accuratè persoluantur.*

Item de inuocatione, & veneratione Sāctorum.

In materia de Sanctis, *mandat Synodus Episcopis, & cæteris docendi munus sustinentibus, vt iuxta Ecclesiæ vsum à primæuis temporibus receptum, Patrumq; cōsensionem, & Conciliorum decreta, de Sanctorum intercessione, inuocatione, reliquiarum honore, & legitimo Imaginum vsu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos pro hominibus orare, vtile esse eos inuocare, & ad eorum opem auxiliumq; confugere.* Tum vnica in periodo octo assertiones in hoc argumento damnat, dicentium, *Sanctos in cœlo non esse inuocandos; vel pro hominibus non orare; Idololatriam esse, eorum, vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem; Pugnare cum verbo Dei, aduersariq́ honori vnius mediatoris Christi, vel stultum esse, voce, vel mente ijs supplicare. Doceri etiam præcipit, Sanctorum corpora, per quæ multa beneficia hominibus præstantur, à fidelibus veneranda; damnat affirmantes, eorum reliquias, & alia sacra monumenta inutiliter honorari; & opis impetrandæ causſā Sanctorum memorias frustra frequentari.*

Tum de cultu Sacrarū imaginum.

Quod ad Imagines, *Christi, Mariæ Virginis, & Sanctorum imagines in Templis retinendas, eisque debitum honorem impertiendum, non quòd in ijs insit diuinitas, vel virtus: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa; ita vt per imagines, Christum adoremus; & Sanctos, quorum similitudinē gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi, decretis sancitum. Illud etiam docendum, per historias mysteriorum nostræ redemptionis picturis expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei cōmemorandis: nec admoneri solùm beneficiorum Christi, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis subijciuntur, vt pro ijs Deo gratias agant, Sanctosq; imitētur, exercitenturq; ad Deū adorandum. Si quis his decretis contrarium docuerit, aut senserit, Anathema esse.*

Circa abusus, qui in superiora irrepserūt, abolendos.

Subiungit deinde, *Synodum cupere abusus aboleri, neq; vllas imagines periculosi erroris occasionem præbentes, statui. Quod si historias S. Scripturæ exprimi contingat, docendum populum, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnem porro superstitionem in Sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum vsu tollendam, omnem turpem quæstum eliminandum; omnem lasciuiam vitandam, imagines procaci venustate nec pingendas, nec ornandas; nec Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione ad cōmessationes & ebrietatem abutendum. Adeoq; nullo in loco, vel Ecclesia vllā insolitam imaginem ponendā, nisi ab Episcopo approbatam: nulla admittenda noua miracula, aut nouas reliquias recipiēdas. Quòd si quis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, aut grauis quæstio incidat, Episcopus Concilij Prouincialis sententiā expectet.*

spectet. Ita tamē, vt nihil nouū, aut in Ecclesia inusitatum, incōsulto Papa decernatur.

Ferdinandus. Philippus 2.

Decretum de reformatione Regularium, XXII. Capitibus constabat, cum particularibus præceptis, quorum hæc summa capita.

De Regulariū & Monialium reformatione Capita XXII.

I. Vt omnes Regulares ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant: atq; inprimis vota perfectionis, & ordinis cuiusq; essentialia, & ad communem victum & vestitum pertinentia obseruent.

II. Nemini liceat bona immobilia, vel mobilia, tanquam propria, aut nomine conuentus tenere; nec licere superioribus stabilia concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Mobilium verò vsum ita permittant, vt nihil in ijs superflui sit; nihil necessarium denegetur.

III. Concedere Synodum omnibus Monasterijs, etiam mendicantium (exceptis Capucinis, & ijs qui Minores de Obseruantia vocantur,) vt bona immobilia eis possidere liceat. Constituere etiam vt in ijs is tantum numerus conseruetur, qui vel ex reditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. Nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi licentia.

IV. Ne quis Regularis, sine sui superioris licentia, subijciat se obsequio alicuius personæ, seu loci; aut à suo conuentu recedat, nisi ex mandato sui superioris.

V. Episcopi clausuram Sanctimonialium restitui, & conseruari procurent. Quibus vt auxilium præbeatur, Synodum Principes hortari, & Magistratibus sub excommunicationis pœna iniungere, Ne Sanctimoniales exeant è Monasterio; aut eius septa ingredi cuiquam liceat, cuiuscunque conditionis, sexus, aut ætatis sine licentia. Vtque Monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi constituta, intra vrbes reducantur.

VI. Electiones fiant per vota secreta, nec titulares liceat ad effectum electionis faciendæ constituere, aut suffragia absentium supplere: alioqui electio irrita sit.

VII. Monasterijs Monacharum Præposita, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, aut vbi id incommodum videbitur, annum saltem trigesimum excedat & quinque annos professionis. Duobus Monasterijs nulla præficiatur. Is verò qui præest Electioni, ante cancellorum fenestellam, vota singularum accipiat.

VIII. Monasteria quæ immediatè Sedi Apostolicæ subsunt, in Congregationes se redigant; deque earum regimine statuant: Superiores verò eandem habeant authoritatem, in suæ Congregationis Monasteria, quàm alij in cæteris ordinibus.

IX. Monasteria Sanctimonialium, Apostolicæ Sedi immediatè subiecta, ab Episcopis, tanquam eius sedis delegatis, gubernentur.

X. Sanctimoniales saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Eucharistiam suscipiant: præter ordinarium autem confessorem, alius eis extraordinarius bis aut ter in anno offeratur. Neque sanctissimum Sacramentum intra septa Monasterij, sed in publica Ecclesia conseruetur.

XI. In Monasterijs, quibus cura animarum personarum secularium imminet, huiusmodi curam exercentes, in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, Episcopo Diœcesis subsint: excepto Monasterio Cluniacensium, & locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita ordinum sedem principalem habent; & Monasterijs, in quibus Superiores iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

XII. Censuræ, & interdicta Pontificia, & Episcopalia à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur: Dies etiam Festi, quos Episcopus seruandos præceperit.

XIII. Controuersias omnes de præcedentia inter Ecclesiasticas personas, tam Seculares, quàm Regulares, Episcopus, amota omni appellatione, componat. omnesq; exempti ad publicas processiones accedere compellantur, ijs tantùm exceptis, qui in strictiori clausura viuunt.

XIV. Regularis qui intra claustra Monasterij degit, & extra delinquit cum populi scandalo, à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, puniatur, ac de punitione certior fiat Episcopus; sin minus, delinquens ab Episcopo puniri possit.

XV. Professio facta ante decimum sextum annum expletum, & minore tempore, quam post annum probationis, nulla sit.

XVI. Nulla renunciatio aut obligatio valeat, nisi cum licentia Ordinarij fiat, intra duos menses proximos, ante professionem. Et finito tempore Nouitiatus, superiores, nouitios ad professionem admittant, aut è Monasterio eijciant: nulla tamen circa Iesuiticæ Societatis institutum facta à Synodo innouatione. Neque ante professionem, excepto victu ac vestitu, ex Nouitij bonis aliquid Monasterio tribuatur; & abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant.

XVII. Si puella habitum Regularem suscipere voluerit, sit maior annis duodecim; nec ante eum suscipiat, aut professionem faciat, quàm explorata ab Episcopo, & cognita libera eius voluntate: quódq; conditiones habeat, iuxta Monasterij illius regulam requisitas.

XVIII. Anathemati subijciantur omnes, cuiuscunq; conditionis, qui aliquam mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum Monasteria, vel suscipiendum habitum, vel faciendam professionem coegerint. Similiter, qui volentem ista facere, sine iusta causa impedierint. Exceptis mulieribus, quæ Pœnitentes, aut Conuertitiæ appellantur.

XIX. Quicunque prætendat causam à religione recedendi, non audiatur, nisi intra quinquennium à die professionis eam produxerit coram superiore suo, & Ordinario, & antequam habitum dimiserit. Nemo transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam occultè habitum ferendi.

XX. Abbates ordinum capita, Monasteria sibi subdita visitent, etiamsi commendata, teneanturque Commendatarij visitatorum ordinationes exequi: & in eiusmodi commendatis, Priores aut Superiores, qui spirituale regimen exercent, à Capitulis, vel ordinum Visitatoribus instituantur.

XXI. Cupere Synodum monasticam disciplinā in omnibus Monasterijs reuocare. Verùm cùm adeo dura difficilisq; sit præsentium tēporum conditio, vt nec statim, nec vbiq; remedium possit adhiberi; vt tamen nihil prætermittat, vnde incōmodis aliquando prouideri possit; confidere Pontificem (quantū tempora ferre posse viderit) curaturā, vt ijs quæ nunc commendata reperiuntur, Regulares personæ eiusdem Ordinis professæ præficiantur. quæ verò in posterum vacabunt, non nisi Regularibus conferantur. Quæ autem Monasteria capita sunt ordinum, qui ea in cōmendam obtinent, (nisi sit ijs de Regulari successore prouisum) infra sex menses, religionem illorum ordinum profiteantur, aliàs commendæ vacare censeantur. Mandare etiam Synodum, vt in prouisionibus dictorum Monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur; alioqui subreptitiæ censeantur.

XXII.

XXII. Decreta hæc ab omnibus Regularibus obseruanda, non obstante quocunq; priuilegio, etiam fundationis. Synodumq; Episcopis & Abbatibus præcipere, vt statim prædicta exsequantur. Hortari etiam Reges & Magistratus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipere, vt in eorum executione auxilium ferant requisiti. Ferdinandus. Philippus. 2.

Consecuta est illico lectio generalis reformationis. In qua, *post admonitos Episcopos vt se muneri suo conformes ostendant, vitâ exemplari, modesta suppellectile, & mensâ, ac victu frugali.* Decretum de Reformatione Generali cuius capita XXI.

I. Interdicitur eis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresue suos augere studeant, excepto, si pauperes sunt. quæ verò de Episcopis dicta, extenduntur ad quosuis beneficiatos, seculares & regulares, & ad ipsos Ecclesiæ Romanæ Cardinales.

II. Præcipitur, vt Episcopi in prima Synodo Prouinciali, ab Synodo Tridentina definita recipiant; obedientiam Papæ spondeant, hæreses omnes damnatas anathematizent. Idem faciant, quicunque in Episcopos promouendi, in prima Synodo Prouinciali: & omnes beneficiati in Diœcesana. vtque ij, ad quos vniuersitatum, & studiorum generalium cura pertinet, ab ijs eadem decreta recipi curent, ad eorumque normam Doctores, quæ fidei Catholicæ sunt, doceant; seque ad id initio cuiuslibet anni solenni iuramento obstringant. Quæ verò vniuersitates immediatè Pontifici subiectæ sunt, Beatitudinem eius haud dubiè curaturam, per suos delegatos, eadem ratione, aut prout eis vtilius visum fuerit, has reformari.

III. Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad homines in officio continendos valde salutaris, sobriè tamen, magnaque cum circumspectione exercendum: cum experientia doceat, si temerè, aut leui de causa fulminetur, magis contemni, quàm formidari. Quapropter à nemine, præterquam ab Episcopo pro deperditis seu substractis rebus excommunicationes decernendas, nec ad eas concedendas cuiusuis secularis etiam Magistratus authoritate adducendum. In causis verò iudicialibus quandocunque executio realis, vel personalis fieri poterit, à censuris abstinendum: in ciuilibus ad forum Ecclesiasticum quomodo libet pertinentibus, contra quoscunque, etiam Laicos, per mulctas pecuniarias, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos aut alienos executores, procedendum. Quodsi executio realis, vel personalis aduersus reos fieri non possit, sitque erga iudicem contumacia, tum anathematis mucrone ferire fas esse, Itidemque in causis criminalibus, Nefas esse seculari Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, nequem excommunicet: aut mandare, vt excommunicationem latam reuocet, sub prætextu, quod contenta in hoc Decreto non sint obseruata. Excommunicatum, nisi resipuerit, non solùm ad communionem fidelium non recipiendum, sed si in censuris per annum permanserit, tanquam de hæresi suspectum tractari posse.

IV. Synodum facultatem dare Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, item Abbatibus & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, possint in suis Ecclesijs statuere, quicquid ad Dei honorem, & earum vtilitatem viderint expedire, quoties contingit, tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis nequeat satisfieri: aut eleemosynam adeo tenuem esse, vt non inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere: Ita tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui legata reliquerint.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

V. Vt in beneficiorum collatione, seu quacunque alia dispositione, non derogetur qualitatibus aut oneribus, eorum erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus iniunctis; & aliter facta prouisio surreptitia censeatur.

VI. Quoties Episcopus extra visitationem contra aliquem Canonicum procedat, infra scripta omnia locum habeant. Videlicet, Vt Capitulum initio anni duos eligat è suo numero, de quorum consilio, & assensu in omnibus actibus procedatur. & vnicum sit vtriusque votum. quòd si ambo ab Episcopo discordes fuerint, cum Episcopo tertium eligant. Et si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio deuoluatur, & iuxta eam partem cum qua tertius conueniet, controuersia terminetur. In criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, & in atrocioribus delictis, possit solus Episcopus ad summariam informationem, & detectionem procedere; seruato tamen in reliquis ordine præmisso. vt Episcopis in Choro, & Capitulo, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus quē ipsi elegerint, & præcipua auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad deliberandū proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum conuocent, vota exquirant, & iuxta ea concludant. Absente verò Episcopo, hoc ab ijs de Capitulo, ad quos spectat, fiat; nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. Qui non sunt de Capitulo, in caussis Ecclesiasticis Episcopis subijciantur: vbi autem Episcopi maiorem prædicta iurisdictionem habent, hæc decreta in ijs Ecclesijs locum non habeant.

VII. Nemini in posterum accessus aut regressus ad beneficium Ecclesiasticum concedatur; nec iam concessi extendantur aut transferantur; & hoc Decretum etiam in Cardinalibus locum habeat. Coadiutoria cùm futura successione nemini in quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis permittantur. quòd si Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterij necessitas, aut vtilitas eiusmodi coadiutorem postulet, caussa prius à Pontifice cognoscatur, & qualitates debitæ concurrant.

VIII. Quicunque beneficia obtinent, hospitalitatem, quantum per eorum prouentus licebit, exerceant. Illi verò, qui hospitalia, seu alia pia loca, quocunque titulo obtinent, hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis exerceant. quòd si in loco, vbi sunt dicta hospitalia, similes personæ ad quas suscipiendas fuerint instituta, non reperiantur, fructus in alios pios vsus institutioni quàm proximos conuertantur, prout Ordinario cum duobus è Capitulo expedire visum fuerit. Quod si hospitalitatis munus obire cessauerint, etiamsi laici fuerint; non solùm per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia compelli possint, sed hospitalis administratione priuari, & ad fructuum restitutionem in foro conscientiæ teneantur; Nec administratio huiusmodi locorum, vni & eidem vltra triennium deinceps committatur.

IX. Titulus Iurispatronatus ex fundatione, vel dotatione, alijsque authenticis documentis ostendatur: siue ex multiplicatis præsentationibus à tempore qui hominum memoriam excedat, aliasue secundum Iuris dispositionem. In ijs verò personis, seu vniuersitatibus, in quibus id ius ex vsurpatione quæsitum præsumi solet, plenior probatio requiratur; nec immemorabilis temporis probatio sufficiat, nisi præsentationes per quinquaginta annos nec minore spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur. Reliqui Patronatus omnes abrogati intelligantur: exceptis illis, qui ad Imperatorem, & Reges, seu regna possidentes, alios-

aliosque sublimes ac supremos Principes pertinent, & qui in fauorem studiorum generalium concessi sunt. Liceat Episcopis præsentatos à Patronis si idonei non fuerint repellere. in perceptionem fructuum nullâ causâ se ingerant, nec ius patronatus in alios, contra Canonicas sanctiones, transferant. Uniones beneficiorum liberorum ad Ecclesias iurispatronatus subiectas, si nondum plenarium sortitæ sunt effectum, vel qui deinceps fient, surreptitiæ intelligantur, vt beneficia libere, cum vacauerint, vt ante, conferantur. Et factæ à quadraginta annis, tametsi effectum consecutæ, ab Ordinarijs reuideantur; & si defectus reperiatur, irritæ declarentur. Patronatus etiam à quadraginta annis acquisiti, seu ex augmento dotis, seu ex noua constructione ab ordinarijs cognoscantur, & nisi reperiantur in euidentem Ecclesiæ necessitatem, in totum reuocentur: restituto Patronis eo, quod ab ijs idcirco datum est. Ferdinandus. Philippus 2.

X. In Concilijs Prouincialibus, aut Diœcesanis, quatuor saltem personæ ad id aptæ designentur, quibus causæ Ecclesiasticæ à quolibet Legato, vel Nuncio, etiam à Sede Apostolica committantur: & delegationes alijs factæ surreptitiæ censeantur.

XI. Bona Ecclesiastica repræsentatâ pecuniâ locari non possint in successorum praiudicium; nec iurisdictiones Ecclesiasticas locare liceat, aut conductoribus eas exercere, & rerum Ecclesiasticarum locationes, etiam authoritate Apostolica confirmatæ, irritæ sint, quas à triginta annis ad longum tempus, seu viginti nouem aut plures annos Synodus Prouincialis in damnum Ecclesiæ contractas iudicabit.

XII. Ij ad quos Decimarum solutio spectat, eas in posterum ijs, quibus debentur, integre persoluant: & qui eas subtrahunt, excommunicentur: nec nisi restitutione facta absoluantur. Synodus hortatur omnes, vt de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, largè subueniant.

XIII. Ubi quarta funeralium Cathedrali aut Parochiali Ecclesiæ solita est persolui, ante annos quadraginta, ac postea alijs locis pijs concessa est, vt antea solebat, persoluatur.

XIV. Prohibet Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres suspectas, in domo, vel extra detineant. quod si moniti, non se abstineant; tertia parte fructuum priuentur: & perseuerantes post secundam monitionem, fructus omnes amittant, & ab administratione beneficij suspendantur. & adhuc perseuerantes, quocunque beneficio priuentur, & inhabiles ad quoduis reddantur, donec cum ijs dispensatum fuerit. Si postquam eas dimiserint, intermissum consortium repetant, etiam excommunicentur, & supradictorum cognitio ad solos Episcopos pertineat, qui sine strepitu Iudicij procedere possint. Clerici vero non beneficiati, ab ipsis carcere, suspensione, ac inhabilitate puniantur. Et Episcopi ipsi, si ab eiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti, se non emendauerint, ipso facto sint suspensi, & si perseuerent ad Papam deferantur.

XV. Filijs Clericorum, non ex legitimo matrimonio natis, in Ecclesijs, vbi eorum patres beneficium habent, aut habuerunt beneficium obtinere aut ministrare non liceat, nec possint habere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ Patres eorum obtinent, vel obtinuerunt. & si in præsenti pater & filius in eadem Ecclesia beneficia obtineant, cogatur filius suum beneficium resignare intra trium mensium spatium. Et vt resignationes reciprocæ à Parentibus clericis in fauorem filiorum factæ, vt alter alterius beneficium consequatur, in fraudem huius Decreti facta censeantur, nec filijs suffragentur.

XVI.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

XVI. Beneficia secularia, quæ curam animarum habent, in simplicia non conuertantur: & in ijs quæ iam conuersa sunt, si congrua portio fructuum Vicario non fuerit assignata, intra annum arbitrio Episcopi assignetur; alioqui in antiquum statum restituantur.

XVII. Quod Episcopi aliqui cum Regum Ministris, Regulis, & Baronibus in Ecclesia, & extra, indecenti quadam demissione se gerant, & nimis indignè non solum loco cedant, sed etiam personaliter ijs inseruiant, Synodum hæc & similia detestantem, & renouantem Canones ad dignitatis Episcopalis decorum pertinentes, præcipere, vt ab huiusmodi Episcopi se abstineant; & tam in Ecclesia, quàm foris, suum gradum præ oculis habentes, se Patres & Pastores esse meminerint: & tam Principibus, quàm cæteris omnibus, eos paterno honore ac reuerentia prosequantur.

XVIII. Canones exactè ab omnibus, & indistinctè obseruandos: & si dispensandum sit, id causa cognita, ac summa maturitate, & gratis fiat, à quibuscunque.

XIX. Imperator, Reges, omnesque alij Principes, qui locum ad Monomachiam inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, priuati, si ab Ecclesia eum obtinent. Qui depugnarint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, bonorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant. Et si in conflictu decesserint careant Ecclesiastica sepultura. Qui consilium in causa duelli, tam in iure, quàm, facto dederint, aut ad id suaserint; necnon spectatores, excommunicationis vinculo teneantur.

XX. Ad extremum lectum est toties examinatum illud Capitulum de libertate Ecclesiastica, siue Reformatio Principum. In eo, *Synodus seculares Principes admonuit, confidens eos, ius suum Ecclesiæ restitui concessuros, & subditos suos ad reuerentiam erga clerum reuocaturos, nec permissuros, vt officiales, aut inferiores magistratus, Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem violent, sed vna cum ipsis Principibus, debitam summorum Pontificum, & Conciliorũ Constitutionibus obseruantiam præstent. Decreuit Canones, & Concilia, & Apostolicas sanctiones in fauorem personarũ Ecclesiasticarũ, & libertatis Ecclesiasticæ, ab omnibus obseruari debere. Admonuit Imperatorẽ, Reges, Respublicas, & Principes, & omnes, vt ea quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei patrocinio tecta venerentur; nec ab vllis Rectoribus, alijsve Dominis temporalibus, seu Magistratibus, aut Ministris suis lædi patiantur: quò Prælati, cæterique Clerici in residentijs, & officiis suis quieti & sine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi permanere valeant.* Post hæc lectum est decretum quoddam, de quo in nulla congregatione prius verba facta fuerant, quo *Synodus declarabat, in omnibus Decretis reformationis factis sub Paulo, Iulio, & Pio in illo Concilio, sub quibuscunque clausulis, & verbis, saluam semper Sedis Apostolicæ authoritatem intelligi.*

Caput Decreti XXI. quo Auctoritari Sedis Apostolicę cauetur.

Cùm omnia in illa Sessione definienda, quòd serum diei esset, expediri non possent; quæ supererant, iuxta id, quod in generali Congregatione à Patribus constitutum, in diem sequentem differuntur: quo die, tametsi allatum esset, Pontifici esse meliusculè, neque vltra vitam eius periclitari, Congregatione tamen, antequam dilucesceret, habita, lecta sunt Decreta de *Indulgentijs*, de *finiendo Concilio*, & *confirmatione petenda*;

Congregatio diluculo habetur, ad capita, quæ supererant, in Sessionem præparanda.

petenda; atque ab omnibus approbata. A prandio habita est *Sessio*, in qua lectum decretum de Indulgentijs: quod in summa continebat. Ferdinandus. Philippus 2.

Christum eas conferendi potestatem Ecclesiæ concessisse, eamque huiusmodi potestate antiquissimis temporibus vsam, adeoque Synodum earum vsum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum docere, & præcipere; eosque anathemate damnare, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupere, & abusus emendatos: ac proinde statuere, prauos quæstus omnes abolendos. quod ad cæteros abusus, Episcopis mandare, vt quisque eos, qui essent Ecclesiæ suæ, colligat, quos in prima Synodo Prouinciali referat, vt ad Summum Pontificem deferantur, & eius authoritate & prudentia, quod expediat, statuatur. Decretum de Indulgentijs.

De ciborum delectu, ieiunijs, & diebus festis; *Synodum hortari Pastores omnes, & obtestari, vt illa omnia, quæ S. Romana Ecclesia statuit, fidelibus commendent; dent operam vt præcipuè ijs sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt; vt ciborum delectus, & ieiunia; vel quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum festorum deuota celebratio.* De delecto ciborum &c.

De Indice, Etsi extremam manum ei impositam esse audiret, cum non posset à Synodo distinctè, & commodè dijudicari, eandem præcipere, vt id omne summo Pontifici exhibeatur, eiusque iudicio, & authoritate terminetur. Idemq; de Catechismo, Missali, & Breuiario. De Indice librorum, Catechismo, &c.

Promulgatum est etiam aliud decretum, quo ex loco Oratoribus assignato nullum cuiquam factum præiudicium declarabatur.

Postremo Synodus Principes monet, ad operam præstandam, vt quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis non violentur, sed ab his, & omnibus recipiantur, & obseruentur. Quod si in his aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem postulent, Synodum confidere, Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis præsertim prouincijs, vnde difficultas orta fuerit, idoneis hominibus; vel Generalis Concilij celebratione, vel commodiore quacunque ratione, prouinciarum necessitatibus consulatur.

Recitata sunt deinde omnia decreta sub *Paulo* & *Iulio* in eo Concilio, tum quoad dogmata, tum quoad mores. Postremo Secretarius cùm in medium processisset, rogat, *an placeret Patribus, vt illi Synodo finis imponatur; & eius nomine, per Legatos, & Præsidentes, omnium quæ sub Paulo III. & Iulio III. & Pio IV. decreta sunt, confirmatio à R. Pontifice petatur.* Responsumque est, non singillatim per suffragia, sed ab omnibus pariter vna voce, *Placet.* Cardinalis *Moronus* vtpote primus Præses, concessit omnibus, qui Concilio interfuerunt, omnibusque qui in Sessione præsentes erant, indulgentiam plenariam: & benedicens Synodo, Patribus dixit, *vt post gratias Deo actas, irent in pace.* Concilio finis imponitur, & decernitur Papæ Confirmationem petendam.

Erat in more positum apud Ecclesias Orientales, res Concilij in publico omnium cœtu tractare. Vnde ex occasionibus sæpe dicenti acclamabatur à populo, & interdum non citra tumultum, sed exitu tamen tranquillo & concordi. In fine autem Synodi Episcopi ipsi lætitia exultantes, ob decreta communi consensu stabilita, eiaculabantur *acclamationes* in laudem Imperatorum, qui Concilium congregauerant, eique fauissent; & in commendationem doctrinæ à Concilio explicatæ: simul preces ad Deum, pro perpetua ipsius in S. Ecclesiæ subsidium præsentia, pro salute Imperatorum; pro sanitate, & incolumitate Episcoporum. Neque erant istæ preces meditatæ, sed prout Episcoporum aliquis instinctu & zelo pietatis accensus in voces erumpebat rebus temporibusque congruentes; ita vniuersus cætus illi acclamabat. Acclamationes in Concilijs tam à populo quam ab Patribus, antiquitus vsitata.

Hoc

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

Quarum fabricator et præcentor Lotharingius.

Hoc etiam *Tridentini* Patres imitati sunt, sed non ita, vt cuiusquam spiritui subitario locum darent, sed meditato opus erat, si quid proponendum esset, & respondendum: eoque de scripto recitato. Cardinalis *Lotharingius* harum acclamationum non modo componendarum, verùm etiam intonandarum, primas sibi partes sumpsit. Quod plerisque argumentum leuitatis cuiusdam & vanitatis habebatur, parumque ex tanti Præsulis & Principis dignitate, in ministerio seruire, quod Diaconis potius Concilij conueniebat, quàm Archiepiscopo & summæ existimationis Cardinali. In his præcentore Cardinale, & respondentibus Patribus, multos annos precabantur *Pio*; & æternam fœlicitatem *Paulo*, & *Iulio*, similiterque æternam memoriam *Carolo V.* & Regibus, qui Concilium protexerant. longam vitam *Imperatori Ferdinando*, & Regibus, Principibus, & Rebuspublicis exoptabant. Cum multis annis magnas gratias Legatis & Cardinalibus à Domino retribui vouebant. Vitam & fœlicem reditum Episcopis. commendabatur fides Sacrosanctæ œcumenicæ Tridentinæ Synodi, tanquam fides *S. Petri*, Patrum, & Orthodoxorũ. Vno solo verbo Anathema dicebatur cunctis hæreticis, nulla additione facta aut antiquorũ aut recentiũ. Secundũ hæc mandatũ est sub pœna excommunicationis omnibus Patribus, vt decretis propria manu subscriberent. Et sane postero die, qui erat Dominicus, id cumulatè præstitum; quo magis ordine fieret, habita quasi Congregatione, & appositis Chirographis Legatorum I V. Cardinalium I I. Patriarcharum I I I. Archiepiscoporum X X V. Episcoporum C L X V I I I. Abbatum V I I. Procuratorum absentium X X X I X. Generalium ordinum Regularium V I I. Tametsi vero iam ante constitutum esset, vt post Patres oratores subscriberent, aliud consilium placuit multis de causis. Nam cùm non adesset Orator Gallus, cæterorum absque illo subscriptiones, omnibus prodituræ erant, Gallos Concilium illud non recipere. Deinde Comes *Lunensis* significauerat, se absolutè non subscripturum, sed cum reseruatione, quòd Rex Concilio dimittendo non consensisset. Et Legatorum sermonibus iactabatur, quandoquidem moris non esset, alios Decretis subscribere, quam quibus vocis in Synodo definitiuæ ius foret, rem insolitam visum iri, vt Oratores Decreta subsignent.

Anathema Hæreticis dicitur.

Patres C C. L V. Decreta subscribunt.

Non item Oratores.

Curia Rom. nuncio de ægritudine Põtificis perculsa & perturbata.

Cæterum *Romæ* cùm Pontifex ægrotare cœperat, cunctis Pontifici metuentibus, à sũmo vitæ discrimine, multa erat in Curia perturbatio. Etenim cũ obitũ Pontificis, aperto Concilio, nunquã adhuc vidissent, ne quid sequius accideret, magnopere timebant. Habebant in memoria exemplũ Concilij *Constantiensis*, quod in electione Pontificis Cardinalibus alios Præsules adiunxerat; & verebantur, ne quid simile, aut deterius eueniret. Et licet Orator Hispanus asseueraret, Oratorem *Tridenti*, & Præsules Hispanos mandatũ habere, vt electio à Cardinalibus fieret, tamen ob eorum paucitatem, hæc verba infirmã modò cautionem præstabant. Cum itaq; intellectum esset, Papam ex morbo cõualuisse, quòd sibi viderentur magno defuncti periculo, lætitia ingens omnibus oborta: quæ audito fine Concilij supra modum aucta est. Ea de causa Pontifex, solennẽ supplicationem decreuit, vt pro tanto beneficio Deo gratiæ redderentur. in Consistorio palam ostendit, quantam ex ea re caperet voluptatem; se id confirmaturum, & insuper alias reformationes adiecturum pollicitus: etiam tres Legatos, in *Germaniam*, *Galliam*, & *Hispaniam* mandaturum, vt ad exequenda Decreta hortentur, res honestas concedant, assensum denique in rebus de iure positiuo commodent.

Audito eum conualuisse, & Synodo finẽ impositum, recreatur.

Ante Natalitia *Romam* Legati *Moronus* & *Simoneta* rediere, ex quibus visum Pontifici sæpe & minutatim quæ in Concilio euenerant, intelligere, & Prælatorum nomina, qui inibi strenuam ei operam nauarant, studiosè obseruare, vt eos Cardinalibus adscriberet. At Curia intellecto quid Papa de confirmatione constituisset, lætitiam in querimoniam vertit, omnibus Curiæ ministris damnum deplorantibus, quod in officijs quisque suis accepturi essent, si illa reformatio procederet. Considerabant insuper, cùm decreta verbis generalibus essent concepta, & absque clausulis subtilem interpretationem admittentibus, quotiescunque aliqua difficultas nata fuerit, mundum iam assuetum illi Curiæ oblatrare, sensum ipsorum vtilitatibus contrarium sine dubio allaturum: idque tanquam rem speciosam, & titulo reformationis velatam, cupidè acceptum iri. Exhibentur statim Pontifici supplices libelli & memo-

Eiusdem, vbi audit decretorum Synodi confirmationem à Pontifice postulari, solicitudo, & querimoniæ.

riales, ab ijs, qui officia mercati, & damnũ hoc præuidẽtes, cõpenſationem petebant. quæ res à Sãctitate eius magni pendebatur, dignaq; efficaci remedio, ne *Romæ* deſolationis cauſa eſſet. Itaq; re diligẽter pẽſitata, Cardinales deputauit, qui de cõfirmatione conſultarent; déq; remedio cogitarent, quod Curiæ querimonijs adhibendum. Nonnulli Cardinales ſuadebãt, decreta ad fidem ſpectantia ilico confirmare, verùm in cæteris, cum mora & maturitate quadam procedere: eorum aliquibus multam conſiderationem requirentibus, ob paruam vtilitatem, magnamq; confuſionem, quam eſſent paritura: alijs propter impoſſibilitatem, aut ſummam difficultatem, neceſſario crebras diſpenſationes flagitantibus. quod & indecorum futurum, & ſermonibus materiam daturum. Eſſe præterea neceſſarium, etiam atque etiam deliberare de modo ea exequendi, ita vt nemini damnum aut præiudicium adferant, cùm indigna ſit nomine reformationis illa cautio, quæ cedit aliorum detrimento. Atqui confirmatione dilata, & exploratis interea multorum aliorum opinionibus, cognitum iri, quid cum communi omnium ſatisfactione fieri poſſit: ſine qua reformationes omnes in deformationes recidere. Ob hanc cauſam *Papa* VIII. Cardinales elegit, decretis recognoſcendis: quorum, poſt longam diſcuſſionem, maior pars cenſuit, moderanda prius eſſe omnia, quàm confirmanda. Atque illud conſideratione dignum, ſi quam correctionem, aut oppoſitionem Decreta ſubire debeant, ſatius eſſe eam ipſo ſtatim initio adhibere, quàm vbi confirmatione authoritas ijs data, eadem poſt moderari velle. Illud conſtare, his, qui Concilium procurarunt, alium ſcopum non fuiſſe propoſitum, quàm vt authoritatem Sedis Apoſtolicæ deprimerent; dumque Concilium durabat, ab omnibus eos ſermones habitos, quaſi penes illud fuiſſet, Pontifici leges dare: & ideo nunc demonſtrandum, abrogatis, aut emendatis nonnullis ex ijs decretis, Pontifici non ab Concilijs accipiendas, ſed dandas potius leges eſſe Concilijs.

Ferdinandus. Philippus 2.

Vnde ſeria Pontificis cum Cardinalibus de confirmatione Decretorum conſultatio: quorum alij cenſent fidei decreta tantum confirmanda, in cæteris aſſenſum ſuſtinendum.

Alij decretis recognoſcendis deputati, emendanda prius, quàm confirmanda.

Pontifex ſua ſponte ad Confirmationem propenſus, perſuaſionibus etiam *Moroni* & *Simonetæ* eò inductus, animi tamen pendulus ob Curiæ querimonias, communemque opinionem Cardinalium; vt aliquid conſtitueret, præter ſupradictos, acceſſit Cardinales *Aburdiſſerium* & *Amulium*, præcipuoſque officiales *Cameræ*, *Cancellariæ*, & *Rotæ*: vbi propoſita deliberatione, quatuor Cardinales concordes cenſuerunt, Concilium abſolutè confirmandum. Cardinalis *Amulius* (in cuius memorijs videre mihi contigit, in quem modum hoc negotium geſtum ſit) dixit, Sanctitatem eius, ſuâ patientiâ, prudentia, ac virtute, nec ſine immenſo ſumptu, labore item & diſpendio tot Prælatorum, perueniſſe ad finem magni cuiuſdam & difficilis incœpti, nempe congregandi, dirigendi, & claudendi Concilium. maius ei ſupereſſe, nec tamen difficilè, nempe conſeruandi ſui, & Sedis Apoſtolicæ, totiuſque ordinis Eccleſiaſtici, ne rurſus in eaſdem difficultates, pericula, moleſtias incurrant, & impenſas. Annos iam XL. hominum aures nihil aliud quàm Concilium circumſonare; nec Pontifices id vlla opera amoliri potuiſſe, quòd ea perſuaſio hominum mentibus inoleuiſſet, & eo opus eſſe, & fructum non mediocrem allaturum. Si mox, vt finitum eſt, de illo emendando agatur, aut etiam non confirmatum, quaſi in ancipiti hæreat; ea re declaratum iri, emendationem *Tridenti*, iuxta id, quod erat neceſſarium, & exſpectabatur, haud eſſe factam: ſtatimque prodituram in publicum, aliam aliquam prouiſionem, aut per Concilia Nationalia, aut aliud Generale. ita in eaſdem redeundum anguſtias, quibus tanta cum difficultate Eccleſia Dei nuper liberata. Approbatis verò Concilij Decretis, tanquam reformatione quadam perfecta, datâque ipſis authoritate, & executione (quantum quidem fieri poteſt) pleriſque perſuaſum fore, nihil quicquam his deeſſe. Nec eſſe aliud hiſce, quibus viuitur, temporibus vtilius, quàm famam ſpargere, eamque fouere, ab Concilio ſanctam quandam, neceſſariam, & perfectam reformationem inſtitutam. neque permittendum, vt emanet, à quoquam Cardinale ſuper eo addubitatum, quaſi in illo Concilio confectum id non ſit, cuius gratia fuit conuocatum. Eo pacto & paulatim ſedatum iri hanc in hominibus cogitationem, & diſpenſationum beneficio prouidere poſſe Sanctitatem eius, miniſtris & ſeruis ſuis, ſine violatione decretorum Concilij, in quibus ſalua manet autho-

Alij, noua deliberatione inſtituta, ſuadent, Concilium abſolutè confirmandum; quod Pontifici, & Curiæ pro bono futurum

Card. *Amulius* argutè ſubtiliterque diſſerit.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

auctoritas Apostolica. Immo verò ea ipsa decreta instar clypij fore, ad importunas eorum petitiones propulsandas, quos gratijs indignos iudicabit; resque temporis progressu, sensim, ac sine sensu, obseruationeque hominum, in pristinum statum redituras. Sed & alios etiam aliàs hanc viam secutos, necessitate scilicet cogente istis moribus cedere, qui plerumque subditorum animis contra Moderatores suos ingenerantur. Quod si quispiam illis decretis obluctaretur, interesse certe Pontificis, ad tot suorum clientium, tum Legatorum, immo suam ipsius existimationem, vt ea constanter tueatur; nedum vt, tacentibus omnibus, ipse ea prorsus iugulanda putet. Nam moderationem vel minimam, aut emendationem, aut verò moram ijs confirmandis interponere, esse non aliud, quàm plagam omnibus infligere mortiferam. præterquam quod vulgus in sinisteriorem partem semper omnia accipere solens, inde sumpturum esset occasionem dicendi, Curiam Romanam & Pontificem nihil minus, quàm reformationem velle.

Cæteris Curiæ Officialibus refragantibus, solus Episcopus Vestanus cõfirmationem absolutã suadet, & qua via incommodis occurri possit, Pontificem monet.

At qui ministerijs Curiæ præpositi, pene omnes in contrarium disserebant, damna & incommoda sua commemorantes, in detrimentum Sanctitatis suæ, Sedisq; Apostolicæ, & in diminutionem redituum eius cessura. Solus *Hugo Boncompagnus* Episcopus *Vestanus*, qui post Cardinalis factus, vir in negotijs Curiæ multùm versatus, dixit, Satis se mirari non posse, tantum timorem absq; probabili causa Curialibus obortum. Nam Concilij confirmatione maiorẽ authoritatẽ ei non dari, quam superioribus Cõcilijs generalibus, immo, quàm Decreto & Decretalibus: à quibus, cùm sint magno numero, & apertis verbis horum temporum mores insectentur, longe plura damna & incommoda impendeant, quàm à paucis illis Decretis Tridentinis, ipso genere loquendi parcis, & satis circumspectis. At enimuerò nullam legem in verbis consistere, sed in sententia; non quam vulgus, & Grammatici afferunt, verùm quam vsus & authoritas confirmat. Legibus plus virium non esse, quàm illis tribuit, qui imperat, quiq; earum exequendarum curam habet. Illum declaratione sua sensum illis affingere, aut laxiorem, aut restrictiorem, eique etiam contrarium, quem verba sonant. Et perinde esse, in præsentia restringere, aut attemperare Decreta Tridentina, atque ea nunc absolutè confirmare, & vel vsui restringenda relinquere, vel id facere, addita postmodum declaratione, vbi videbitur opportunum. Itaque, nullam se causam videre, cur scrupulus vllus de confirmatione residere debeat. Illud tamen prouidendum, vt in præsenti obuiam eatur incommodis, quæ ex Doctorum temeritate nasci possint; qui, vt quisque est imperitior, administrationis, & necessitatum publicarum, tanto plus sibi arrogat in legibus interpretandis. ex quo sequitur regiminis perturbatio. Experientià cerni leges nihil mali facere, nec esse litigiorum caussam, nisi quà varios illis sensus appingunt. Ex constitutione *Nicolai III.* super regula *S. Francisci*, argumento sui natura ambiguo & lubrico, nullam vnquam ordinis perturbationem ortam, quòd glossatoribus, & commentatoribus eius interpretatione interdixisset. Quod si Tridentinis Decretis ad hunc modum consulatur, prohibendo super ijs scribere, iam magnam timoris partem cessaturam. Verùm si Sanctitas eius omnem porrò interpretationem interdicat, etiam Iudicibus, constituatq; vt in dubijs ad Sedem Apostolicam pro interpretatione recurratur, tum nemini Concilio in Curiæ præiudicium vti licere; illudque vsu & declarationibus idoneis accommodari posse ad id, quod futurum sit ex Ecclesiæ vtilitate. Posse etiam Sanctitatem eius, quemadmodum vnam habet congregationem, quæ magno cum fructu Inquisitionis negotijs incumbit, ita aliam aliquam instituere huic rei propriam, interpretando, scilicet Concilio; ad quam vndecunque dubia referantur. Id si fiat, præuidere se, ex Decretis Concilij non modo non imminutum iri authoritatẽ Sedis Apostolicæ iuraque & prærogatiuas Ecclesiæ Romanæ, verùm etiam maiorem in modum auctum iri, & amplificatum, modò vt istis medijs rectè vti sciant. Harum rationum momentis permoti qui adstabant; sensitque Papa necessitatem ad confirmationem absolutam, sine vlla modificatione, veniendi. Cumque persuasum haberet sic euenturum vt Episcopus prænunciauerat, constituit nihil in contrarium auscultare; verùm erectus in spem percipiendi vberes fructus operæ in finiendo Concilio positæ, decreuit illud

Nempe, vt Glossarum & commentatorum interpretationibus nullus sit locus.

Imo nec Iudicibus Decretorum expositio permittatur, sed sanctæ Sedi reseruetur. Aut certe Cõgregationi Cardinalium huic rei propriæ, interpretandis Decretis Sinodi institutæ.

Põtifex Episcopi Vestani sententiam probat.

illud confirmare, interpretatione sibi reseruata, & congregatione, prout monuerat Episcopus *Vestanus*, instituta: eamque rem cum Cardinalibus seorsim communicatam, statuit iam nunc ad effectum perducere. *Ferdinandus. Philippus. 2.*

Die igitur XXVI. Ianuarij, *Moronus* & *Simoneta* exposito in Consistorio tenore Decreti vltima Sessione facti, vt ab ipsis confirmatio peteretur, rogant Sanctitatem eius, vt dignetur confirmare omnia, quæ tam sub *Paulo* & *Iulio*, quàm sub Sanctitate sua in eo Concilio decreta, & definita fuerant. Pontifex cum prius Decretum illud recitari curasset, Cardinalium in circuitu sententias rogat. Censuere concordes Concilium esse confirmandum, exceptis Cardinalibus *S. Clementis*, & *Alexandrino*, qui dixerunt, in illo Concilio nimiam authoritatem datam Episcopis, & esse necessarium, eam moderari, tum illa Capita excipere, iam antea notata, quæ nimis eam extenderent. At Papæ denique visum bonum factum, omnia sine exceptione confirmare; idque præstitit, tum verbis in Consistorio ea confirmans, tum mandans, ab omnibus *Christi* fidelibus suscipi, & inuiolabiliter obseruari; Bullamque eo ipso die promulgauit ab omnibus Cardinalibus subscriptam.

Et de Cardinalium consensu Concilium confirmat.

Bullamque super Confirmatione promulgat, eo tenore, qui subijcitur.

In qua expositis causis conuocationis Concilij, & eius progressu, cum impedimentis & difficultatibus sæpius obiectis, suoq; studio in eius libertate tuenda, permisso etiam ei libero arbitrio in causis Sedi Apostolicæ propriè reseruatis: gratias agit Deo, quod tandem summo consensu finis ei impositus esset. Quapropter cum Synodi nomine de Confirmatione rogatus esset, cognito Decreta esse omnia Catholica, & vtilia populo Christiano, se in Consistorio ea confirmasse, & illo scripto confirmare; omnibusq; Prælatis præcipere, vt illa obseruari faciant. Hortari etiam Imperatorem, Reges, Respublicas, & Principes, vt ad eiusdem Concilij decreta obseruanda fauore suo Prælatis adsint, neque permittant, sed omnino interdicant, à populis ditionis suæ opiniones recipi doctrinæ illius Concilij aduersantes. Atque ad vitandam confusionem, inhibere omnibus cuiuscunque conditionis, tam Ecclesiasticis, quàm Laicis, ne super eo commentarios, glossas, annotationes, aut Scholia faciant, nec interpretationem quamcunque; sed neque statutum quoduis, etiam sub prætextu maioris corroborationis, aut executionis decretorum: verùm, si opus sit interpretatione alicuius loci obscuri, aut aliqua decisione, Sedem Apostolicam adeant. nam se difficultatum earum, aut controuersiarum declarationem sibi reseruare, sicuti etiam à Synodo iam antea decretum esset.

Actum hoc Consistoriale Confirmationis, & Pontificia super Confirmatione Bulla, vnà cum Decretis Concilij typis mandata, sermonibus hominum materiam dedere, quòd ex eorum tenore liquidò constaret, decreta illa rata, firmaque esse, non prout à Concilio statuta, sed duntaxat vi ac virtute Confirmationis Pontificiæ. Vnde iactabatur, alium de causa cognouisse, alium sententiam pronunciasse. Neque verò dici posse, Pontificem inspexisse prius decreta, quàm ea confirmauerit; quoniam ex Actis Consistorialibus apparebat, ipsum non aliud vidisse, quàm Decretum de Confirmatione petenda. Saltem *Tridenti* curatum, vt legerentur decreta sub *Paulo* & *Iulio* facta. quare æquitati magis consonum fuisse, eadem confirmari ab illis, qui ea audierant, quàm ab eo, qui non inspexisset. Ad ista responsum est ab alijs, opus non fuisse, vt ea Pontifex inspiceret, cùm nihil esset factum *Tridenti*, nisi de quo ille antea statuisset. In multis quæ deinde habita, Consistorijs, crebri Pontificis de obseruatione decretorum sermones. De se primùm professus est, vtcunque non teneretur, tamen ea obseruaturum: fide etiam data, nunquam se illis derogaturum, nisi euidenti & vrgenti de causa, & de consensu Cardinalium. Tum *Morono* & *Simonetæ* negotium dedit, vt attenderent diligenter, si quid aduersus ea in Consistorio proponeretur, aut tractaretur, ipsumque ea de re commonefacerent: leui certè remedio istiusmodi erratis occurrens, cùm earum concessionum, quæ *Romæ* fiunt, ne centesima quidem pars in Consistorio expediatur. Episcopos denique ad Residentiam amandauit, ad vrbis *Romæ*, Statusque Ecclesiastici administrationem, sola Protonotariorum

Hominum existimatio super eo, quod Decretis, non à Concilio definiente, sed à Papa confirmante vis ac robur tribuatur.

Pontifex mirificam de obseruatione Decretorum solicitudinem ostentat verbo, quam tamen re non exsequitur.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

& Referendariorum opera vti certus. Verum vtcunque Concilij finis magnam Pontifici, qua implicabatur, solicitudinem absterserat, restabant tamen adhuc eiusdem in omnibus Regnis reliquiæ, quæ nouas ei aspergebant molestias.

Hispaniarum Rex de Decretis Concilij Regia non Pontificia auctoritate exequendis cogitat, non sine Pontificis offensione.

Nam ex *Hispania* allatum, Regem cum de fine Concilij inaudiuisset, molestè id tulisse, neque offensionem dissimulasse; immo statuisse, aduocatis ad se Episcopis, Clerique Hispanici Procuratoribus, de eius exequendi ratione dispicere. Nec vani erant nuncij. Quicquid n. in *Hispania* de recipiendis& exsequẽdis Concilij decretis eo anno, partim vere, partim autumno gestum est, non solùm de mandato præscriptoq; Regij Consilij factum; verùm & ad Synodos, quæ habebãtur, mãdati à Rege sui Præsides, ab ijsque propositum, quod Regi visum, quodque ipsius rationibus maximè accommodum; magna cum Pontificis offensione, Regem in rebus Ecclesiasticis tantum sibi sumere indignantis. cuius tamen Regijs ministris, nullam planè dedit significationem; ea re vtendum ratus, ad aliam quandam quam destinauerat, opportunitatem, de qua suo loco dicetur.

Card. Lotharingio in aulam reuerso exprobratur, quod assensum commodauerit varijs capitibus Regi Regnoque damnosis.

In *Gallia*, quod Præses *Ferrerius* dum *Venetijs* esset, super Decretis duarum Sessionum vltimarum, post discessum suum celebratarum, quædam obseruasset, easque animaduersiones ad Aulam misisset, plerisque cum Cardinale *Lotharingio* post reditum suum multæ fuere dimicationes, & velitationes verborum, quasi rebus Regno damnosis assensus esset. Dicebant, eum admittentem verba primi Capitis de reformatione penultima Sessione, vbi dicebatur, *Papam solicitudinem vniuersæ Ecclesiæ gerere*, cessisse propugnaculo, de quo, & ipse, & omnes Episcopi Galli tamdiu decertassent, quodque obtinuissent; nempe, ne præiudicaretur opinioni Gallorum, *de superioritate Concilij supra Papam*. Potuisse ipsum vno verbulo remedium adhibere, si

I. caput reprehensionis.

dicendum curasset, quemadmodum à *S. Paulo* dictum, *vniuersarum Ecclesiarum*; neminem repugnaturum huic loquendi formulæ, quâ *D. Paulus* vsus est. Præterea, eidem opinioni de superioritate Concilij præiudicium esse factum, XXI. capite vltimæ Sessionis, reseruata in omnibus decretis authoritate Sedis Apostolicæ: denique vltimo decreto, de petenda à Papa confirmatione. Obijciebatur etiam, quod, cùm Rex & vniuersa Ecclesia Gallicana contendissent postremam Patrum conuocationem,

II. esse *indictionem noui Concilij*, non autem *continuationem*: nihilominus declarata esset continuatio; idemque Concilium cum eo, quod sub *Paulo* & *Iulio* fuerat, tum supradicto capite XXI. tum in decreto de relegendis ijs, quæ sub his Pontificibus definita. quo pacto ignominiosè iuri huic renunciatum, quod à Rege bienniò sustentatum.

III. Dicebant porro, approbationem eorum, quæ sub *Iulio* decreta, derogare, & præiudicio esse *protestationi* per id tempus factæ à Rege *Henrico II.* Præcipuè verò vitio ei dabatur, quòd, cùm sub *Paulo* & *Iulio* semper honorifica mentio nominatim facta esset Regis *Francisci I.* & *Henrici II.* simul cum *Carolo V.* Cardinalis non effecisset, vt eorun-

IV. dem commemoratio fieret in acclamationibus, quando ipsius *Caroli* facta est; neque nominato Imperatore viuente, secundum ea exempla Regem *Galliæ* nominandum

Card. sibi obiecta excusare & eleuare conatur.

curasset. Cætera quidem Cardinalis excusabat, dicendo, non potuisse se sex duntaxat Prælatis comitatum, consensum plus quàm ducentorum impedire: Verùm hoc quod vltimo obiectum, excusare, aut eleuare non poterat, etiamsi dicebat, se pacis inter duo Regna conseruandæ apprimè studiosum: quòd regereretur, saltem integrum ipsi fuisse munus intonandi alijs relinquere, nec tanti præiudicij præcentor

» esse. Ita sæpenumero videre est homines vanos, existimationem, dum è sextulis

» captant, ex asse deperdere.

Et à Patribus Curiæ Parisiensis in Decretis de reformatione multa redarguuntur, iuri & consuetudinibus in Gallia receptis, derogantia. Caput I.

At verò Patres Conscripti Curiæ Centumuiralis satis multa alia inuenere, quæ capitibus reformationis duabus illis Sessionibus promulgatis, opponerent, in quibus authoritatem Ecclesiasticam supra modum dilatatam aiebant, cum detrimento & imminutione temporalis. Veluti, *cùm datur Episcopis potestas mulctandi laicos pœnis pecuniarijs, & in eos manum inijciendi.* Nam à *Christo* suis ministris nullam authoritatem datam, nisi purè merèque spiritualem. Verùm ex quo Clerus factus est membrum & pars politiæ, Principes Episcopis ex gratia concessisse, vt pœnis temporalibus Clericos inferiores coercerent, nempe, vt disciplinæ esset inter eos locus. At verò vt hoc genere pœnarum laicos possint constringere, neque lege diuina, neque humana

mana ijs permissum, sed sola vsurpatione quæsitum. Quid quod in capite de *duellis* sibi quoque sumunt, contra *Imperatorem, Reges*, & alios superiores procedere, qui id in suis finibus permittunt, idque sub pœna excommunicationis? cum ipsi teneant, in quibusdam casibus licere duellum permittere, quemadmodum etiam meretricium facere, aliaque delicta, quæ tametsi mala, publicæ vtilitatis contemplatione, vt maiora euitentur, permittere malum non est. Hanc verò potestatem, quæ naturalis est, & Principibus à Deo data, non posse aliqua auctoritate humana auferri, aut restringi. *Excommunicare* etiam *Reges & Principes* supremos intolerandum ducebant, cum sit in *Gallia* Theorema Axiomaticum, Regem excommunicari non posse, neque officiales Regios pro eo, quod ad muneris sui executionem pertinet. Adiungebant denique, Principes suis dominijs priuare, & alios Dominos feudis, & priuatorum bona fisco adiudicare, esse omnes vsurpationes authoritatis temporalis, cùm authoritas à *Christo* Ecclesiæ data, ad res huiusce generis non pertingat.

Ferdinandus. Philippus 2.

Cap. II.

III.

IV.

Iam quod ad *iura patronatus*, attinet, magnam dicebant secularibus iniuriam fieri, quibus iuris sui probationes difficiliores redditæ: totumque illud Caput falso quodam pronuntiato niti, nempe omnia beneficia libera esse, nisi Patronatus probetur. Nam contra certum esse, Ecclesias bona temporalia non habere, nisi à secularibus donata; quæ credibile non est, ea lege ab ipsis concessa, vt Ecclesiasticis liberum esset ea dispensare & dissipare arbitratu suo. Itaque a prima sui origine quoduis beneficium iuri patronatus fuisse obnoxium, & pro tali præsumendum, nisi vbi ostendi potest donatio absoluta cum Patronatus cessione totali. Et sicuti Vniuersitas, aut Princeps ei succedit, qui alium hæredem non habet: ita beneficia omnia, quæ non sunt de iure cuiusquam Patroni, sub patrocinio publico esse debere. Alij etiam ex ijs illam loquendi formulam ridebant, beneficia Patronis obnoxia *in seruitutem redigi, cætera libera*: quasi vero manifestior seruitus non sit, pendere à Curia Romana, quæ contra institutionem & fundationem ea administrat; quàm à patrocinio secularium, qui ea conseruant. Sed præter hanc censuram quorundam decretorum ex caussa supradicta, reperta sunt & alia decreta, consuetudinibus & immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ pugnantia. Reseruationem grauium causarum criminalium contra Episcopos ad cognitionem solius Pontificis, dicebant, adimere eam potestatem Concilijs Prouincialibus & Nationalibus, quæ in occasionibus quibuscunque eas iudicarunt: simulque grauare ipsos Episcopos, eos ad litigandum extra Regnum trahendo, non solum contra Galliæ consuetudinem, verùm etiam contra antiquos Canones Conciliorum, qui causas semper in propriis regionibus iudicari & terminari voluerunt. Adjiciebant, cum æquitate non minus pugnare, quàm cum moribus *Galliæ*, vt beneficia pensionibus grauentur, aut reseruationibus fructuum, sicuti obliquè decretum erat. Sed nec illud ferendum, vt caussæ in prima instantia à Papa extra regnum exportentur, quod vsum tollat antiquissimum, multis constitutionibus Regiis confirmatum. Neque vero defendi posse exceptione *vrgentis & rationabilis caussæ*, omnium temporum experientia docente, hoc prætextu caussas ablegandas omnes. Nam qui disceptare velit, vtrum caussa sit vrgens, aut rationabilis, ei duplo plus impensarum & molestiæ subeundum, cum *Romæ* non solum de causa principali, sed de illo etiam articulo è summa re nato sit litigandum. Nec vllo modo probabant, vt mendicantibus concederetur possidere bona soli. Nam cum in Galliam primitus admissi essent illa conditione, æquum non esse, vt alio instituto alantur. Hoc nimirum esse perpetuum artificium Curiæ Romanæ, bona secularibus erepta, ad clerum primo, dein etiam *Romam* pertrahere. Id scilicet principio satagere, vt prætextu *voti paupertatis* Monachi existimationem acquirant, quasi nullam rem temporalem intueantur, sed omnia charitatis causâ faciant, in populi seruitium: post existimatione parta, Curiam cum ipsis de *Voto* dispensare, vnde facile ditescunt: cumque bene opulenta facta sunt Monasteria, demandari in commendam, & id omne denique in Curiam affluere. Huc addebant hortationem XII. capite institutam ad omnes fideles, *vt Episcopis & Parochis de suis bonis largè subueniant*. Commodam quidem adhortationem, si populo pro demandato sibi munere inseruirent, & ea subuentione opus haberent. nam non absimilem esse adhortationem *S. Pauli*, vt, *qui in rebus fidei instruitur, participem bonorum suorum*

V. vbi de iure Patronatus.

Notantur ea, quæ moribus & immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ derogant.

I.

II.

III.

IV.

V.

Pius 4. Elizabetha. Carolus 9.

suorum faciat eum, qui ipsum instruit. Verum cum is, qui Pastoris nomen gerit, alia omnia agit, neglecta populi instructione, adhortationem opportunam non videri: eoque magis quod olim bona Ecclesiastica in alimenta pauperum, & captiuorum redemptionem impendebantur. quem in finem non solum distracta bona stabilia, sed & ornamenta etiam Ecclesiæ, & vasa sacra. at vltimis his temporibus interdictum, ne id amplius nisi Papa assentiente fieri possit: Vnde Clerus in immensum locupletatus. Olim in lege Moisaica Deum *Leuitis*, qui decimam tertiam partem populi constituebant, decimam concessisse, sed cum eo, ne quid vltra acquirerent. Atqui Clerum, qui partem quinquagesimam non facit, iam non decimam, sed quartam partem sibi acquisisse, & adhuc in peculio augendo pergere: multis etiam in eum finem artificijs adhibitis. *Moysem* olim cum inuitasset populum ad offerendum in fabricam *Tabernaculi*, vbi oblatum esset quantum operi sufficeret, Dei nomine vetuisse, ne quid amplius offerretur. Hic verò nullum modum inueniri, nisi omnibus sibi quæsitis; si quidem homines sic lethargici esse pergant. Hoc certum, nonnullos è Sacerdotibus & religiosis esse tenuiores. Sed id euenire, quòd sint ex ijs supra modum peculiosi. æqualem distributionem, abunde omnes diuites effecturam. Iam omissis hisce omnibus ita perspicuis argumentis, si Synodus populum hortaretur, vt Episcopis & Parochis tenuioribus in ipsorum necessitatibus subueniat, ferri id quoquo modo posse, sed hortari, vt subueniat ipsis ad dignitatem tuendam, quod perinde est, acsi dictum esset ad fastum, et luxum, id verò clamat, frontem de rebus perijsse. Id quidem verum, altera parte factum esse decretum Capite XVIII. in rem populi, vt dispensationes gratis dentur: sed quandoquidem id ipsum, à *Christo* licet præceptum, obseruatum tamen non est, nullam spem esse, hoc decretum maiorem fructum allaturum.

Ecclesiastici nullos sibi augendi peculij ponunt limites.

Card. Lotharingij ad Senatorum obiecta responsio.

Quæ cum Cardinali *Lotharingio* obiectarentur, eique imputaretur, quod præsentia sua his authoritatem dedisset contra expressa Regis mandata, quæ per literas XXVIII. Augusti datas, acceperat, de quibus supra dictum est; *Cardinalis* vno solo verbo caussam suam tuebatur, dicens, In congregatione X. Nouembris, cum legerentur decreta publicãda in Sessione diei XI. reseruata fuisse iura, & auctoritatm *Regis Galliæ*, & priuilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Quibus respondit Vidus Faber, a se & Collega omnem diligentiam adhibitam, vt illius decreti exemplum nanciscerentur, nec vnquam tamen id consequi potuisse. in negotijs vero humanis perinde esse non apparere, & non esse: præterquam quod illud nihil faceret ad ea quæ vltima Sessione promulgata. At enim quæ à Consiliariis Regis, & Curia Parisiensi contra Synodum Tridentinam obiectabantur, nihil fuisse diceres, præ illis, quæ libertate Gallica Episcopi & Theologi & eorum etiam seruuli quibusuis quoties occasio dabatur, ridicularium in modum narrabant, de discordiis & contentionibus inter Patres, de factionibus & respectu ad proprias vtilitates, quas cum primis intuebantur in reformationis negotiis tractandis: neque vlli maiore libertate loquebantur, quam qui erant *Cardinali Lotharingio* familiarissimi; vt in Gallia tum Prouerbij locum obtinuerit, Concilium nuperum maioris authoritatis fuisse, quam quod ab Apostolis celebratum: quod ei pro fundamento decretorum suffecerit, *Visum est nobis*, non aduocato in partem actionis Spiritu Sancto.

Etiam Episcopi & Theologi cum famulis suis, de Tridentini Patribus ridicula narrant.

At in *Germania* decreta reformationis, neque apud Protestantes, neque apud Catholicos digna videbantur, in quæ considerationem intenderent. A Protestantibus sola fidei dogmata examinabantur. Hi dicebant, vnum aut alterum verbum cum de Missa ageretur, obiter insertum, nempe *eo sacrificio defunctorum animas iuuari* (quod varios etiam sensus admittere potest) id in Decreto de *Purgatorio* adferre, tanquam definitionem articuli formati, rem esse in Conciliis inusitatam, præsertim in isto, vbi materiæ in frustula adeo minutatim dissecabantur, factis de omni quæstione in quouis subiecto proposita, fidei articulis. Præcipere vero Episcopis, *vt sanam doctrinam de Purgatorio doceri curent*, absque declaratione, quænam illa sit, satis arguere, magnam Patrum ad discedendum Tridento festinationem. Atque eandem in materia de Sanctis maiorem ostendisse, XI. articulis vno spiritu, vnaque periodo damnatis; nec declarato damnationis genere, vtrum nomine heresis, an tanquam alterius cuiusdam qualitatis.

Protestantum Germanorũ censura super doctrina in huius Sessionis decretis tradita.
I. de Purgatorio.

II. de cultu Sanctorum.

qualitatis. Tum illud, quod post multum de Imaginibus sermonem, Anathema dicunt, si quis iis decretis contraria docuerit aut senserit; nec intelligi patiantur, quænam illo anathemate comprehendant; vtrumne illa immediatè præcedentia, quæ de imaginibus loquuntur, an cætera etiam supra scripta. Verùm de Indulgentiis plus erat, quam de cæteris omnibus sermonum. illas enim occasionem dedisse ei, quæ nunc viget inter Christianos scissuræ: illarum gratiâ Concilium præcipuè congregatum: nullam in hoc argumento partem esse, non controuersam, & incertam, etiam apud ipsos Scholasticos. & tamen Synodum sicco pede, illud transijsse de dubiis & controuersis, ne verbo quidem dicto, aut vlla facta declaratione. Quod autem abusuum remedia spectat, verbis adeò ambiguis locutam, vt ex his intelligi nequeat, quid aut probetur, aut improbetur, dum ait se *in his concedendis moderationem quandam cupere iuxta veterem & probatam Ecclesiæ consuetudinem*. Nam certum esse, neque dissimulari posse, in Ecclesia Orientali cuiuscunque Nationis Christianæ, neque antiquis temporibus, neque vltimis, vllum vsum fuisse Indulgentiarum cuiuscunque generis; & in Occidentali, si nomine veteris consuetudinis intelligenda sit illa, quæ obseruata ante *Vrbanum* II. vsque ad annum MXCV. nullas, quod quisquam sciat, aut fidem facere possit, indulgentias in vsu fuisse. Ab illo tempore vsq; ad annum M.CCC. earum aliquem vsum apparere, sed infrequentem, & duntaxat pro liberatione à pœnis per Confessorem impositis. Ex eo tempore qui abusus inueterauerint, è Concilio *Viennensi* cerni posse; qui vsque ad *Leonem* X. creuerint in immensum. Itaque quod cupiat Synodus restitutam antiquam consuetudinem in Ecclesia approbatam, necessariò declarandum, in qua Ecclesia, & quo tempore. At illa verba, *quod nimia in concedendis indulgentijs facilitate disciplina Ecclesiastica eneruetur*, dicebant expressam esse confessionem, Indulgentias ad conscientiam non pertinere, neque vlla re liberare apud Deum, sed externa tantum spectare; quo in genere est disciplina Ecclesiastica. De ciborum delectu, & ieiunijs dicebant, ea commendare esse laudabile: sed id non esse decisum, de quo mundus tantopere queritur; nempe hic prætendi conscientiæ obligationem. Neque verò Principes Protestantes *Germaniæ* hoc Concilium vllo numero habebant, tantum ministri aliquot Confessionis *Augustanæ*: atque ij pauci protestationem quandam ediderunt in publicum, quæ non magni habita. Et Catholici dogmata de Purgatorio & Indulgentiis non curabant, in impetranda Calicis Communione, Sacerdotum Coniugio, & relaxandis multiplicibus iuris Positiui circa ieiunia, dies festos, aliaque id genus, præceptis, toti defixi.

Hisce vt satisfiat *Imperator & Dux Bauariæ* apud Pontificem instant. Imperator ad Sanctitatem suam dat literas XIIII. Februarij, hac forma. se durante Concilio summo studio solicitasse concessionem Calicis; non ob suas rationes priuatas, neque quòd conscientiæ scrupuli illum malè habeant, sed quia crediderit, & adhuc credat, id esse necessarium, devijs ad Ecclesiam reducendis. Tolerasse quidem se illo tempore impedimenta interposita, vt interea de hac re cum præcipuis Prælatis & Principibus Imperij esset conferendi locus. cum his instituta consultatione, an expediret idem postulatum iterare, laudasse consilium Sanctitatis suæ opem denuo exorandi. Quam ob rem se memoriâ recolentem id, quod Cardinales *Moronus* & *Lotharingius* sibi exponendum curassent, quodque sibi ab Episcopo *Pharensi*, Nuncio nomine Sanctitatis suæ, confirmatum; haud diutiùs sibi differendum putare, eius gratiæ petitionem. Neque iteraturum grauissimas causas, quibus coactus id deposceret; sed rogare etiam atque etiam, vt nationi Germanicæ opem ferat, cui omnes prudentes Catholici iudicent illam concessionem magno beneficio futuram. Addidit porro, ad conseruandas reliquias religiònis in Imperio, & exstirpandas hæreses, magnum quoque momentum allaturum, si concedatur, vt ij Sacerdotes, qui quod vxores duxissent, segreges facti sunt, reconciliari possint, vxoribus retentis: vtq; in posterum in tanta Sacerdotum cœlibum penuriâ, admittantur ad sacerdotium coniugati probatæ vitæ, & existimationis. Id se tum suo, tum Ducis *Bauariæ* generi sui nomine petere: persuasum, rem dignam pietate ipsius, & sibi gratissimam facturum.

Literæ Ducis *Bauariæ* sic habebant. Quod sæpius ad Sanctitatem eius mandasset, qui miserabilem *Germaniæ* statum in negotijs religionis exponerent; sperare non admissurum

Ferdinandus. *Philippus* 2.

III. de Imaginibus. IV. de Indulgentijs.

In quibus Synodus moderationem requirit.

Indulgentiarum vsum non veterem esse sed nouitium.

Indulgentias ad externa pertinere, Deum & conscientiam non tangere.

Nihilo plus ciborum delectum & ieiunia.

Catholici in Germania vrgent Calicis concessionem & Sacerdotum coniugia, de cæteris parum laborantes.

In quorum gratiam Imperator dat literas denuò ad Pontificem.

Quem Dux quoque Bauariæ de eodem negotio per literas officiosè interpellat.

Pius 4.
Elizabetha.
Carolus 9.

missurum, vt desideretur diutius paternæ suæ medicationis auxilium. Quam quoniam hactenus adhibitam non viderit, orare se vnà cum Cæsarea Maiestate, & Electoribus Ecclesiasticis, vt concedat Episcopo *Salzburgensi*, potestatem dispensandi cum Presbyteris Catholicis, vt confessis & contritis, cæterosque articulos religionis credentibus, calicem præbeant. Eam concessionem satisfacturam subditis suis, tum ijs, qui habitant in ditione sua, tum illis, qui Sacramenti huius perceptionem extra prouincias suas, apud Sectarios quærunt. Se quidem vna specie semper contentum fore, nec vnquam ad vsurpationem calicis eos adacturum, qui, sicut ipse, in sola specie panis acquiescunt. horum nomine nihil se petere: sibi tamen videri non indignum Vicario Christi, cæterorum quoque misereri. Rogabat etiam Sanctitatem eius, vt saltem ad aliquod tempus per eam liceat, sacerdotes coniugatos retentis suis vxoribus Ecclesiæ reconciliari; etiam eos qui mariti sunt, ad sacra ministranda ordinari.

Considerationes super Matrimonio sacerdotum, ab Theologis Romanæ Religionis in Germania Pontifici exhibitæ.

Hisce literis adiunctum erat commentariolum quoddam siue memorialis libellus ab Theologis Catholicæ religionis in Germania conscriptus, hisce fere verbis. Negari non posse, sacram vtriusque Testamenti scripturam, vxores Sacerdotibus permittere. nam Apostolos (paucis forte exceptis) vxoratos fuisse; nec reperiri, quod *Christus* post eorum vocationem mandarit, vt se ab vxoribus separarent. In Ecclesia Primitiua tam Orientali, quàm Occidentali matrimonia sacerdotum fuisse libera, & licita vsque ad Papam Calixtum: nec iura ciuilia Clericorum coniugia improbare. Id quidem nemini dubium, cœlibatum in clero meliorem esse, magisque optabilem; sed propter naturæ fragilitatem, & seruandæ continentiæ difficultatem, paucos reperiri, qui stimulos carnis non sentiant. Hinc esse, quod *Eusebius* narrat de *Dyonisio Corinthio* eum admonuisse *Quintum* Episcopum vt infirmitatis multorum rationem haberet; nec onus cœlibatus tanquam necessarium fratribus imponeret. & *Paphnutium* in Concilio *Nicæno*, dicentem, castitatem esse cum propria vxore concubitum, persuasisse Concilio, ne talem de cœlibatu legem scisceret. Et sextam *Synodum Constantinopolitanam* non prohibuisse vxorum consortium, nisi quo tempore offerendum ipsis erat sacrificium. Quod si Ecclesiæ vnquam causa fuit permittendi Clericis coniugium, hoc seculo esse. Ex quinquaginta Sacerdotibus vix vnum reperiri, qui non sit scortator notorius. Neque Sacerdotes tantum matrimonium expetere, sed etiam seculares, ne illam vitæ turpitudinem in Clericis videant; immo ob hanc causam Ecclesiarum patronos beneficia sua non nisi coniugatis conferre. Magnam esse inopiam Ministrorum, ob solum Matrimonium vetitum. Ecclesiam aliàs hanc ipsam ob causam seueritatem Canonum relaxasse. Pontificem confirmasse in Episcopum *Cæsaraugustanum*, quendam vxorem & liberos habentem; & bigamum promouisse ad Diaconatum, & propter Episcopi defectum, Sacramentum etiam Confirmationis Presbyteris simplicibus commisisse. Quare multis Catholicis & ante hæc tempora visum esse, & adhuc melius videri, cum lege de continentia dispensare matrimonio in libertate relicto, quàm ea retenta fenestram immundissimo cœlibatui aperire. præsertim cum teneat *Cardinalis Panormitanus*, cœlibatum non esse de substantia ordinis, neq; de iure diuino: immo pro bono & salute animarum fore, matrimonium concedere: nec deesse in eam rem exempla veteris Ecclesiæ in Concilio Ancyrano, & Adami, Eupsychijque Cæsariensis Presbyterorum. Satis liquere, Papam quoad Sacerdotes seculares dispensare posse: quod nonnulli etiam extendunt ad Regulares. Videri perquam absurdum, non admittere Cleros vxoratos, & tolerare fornicarios; vtrosque verò amouere, esse, Ministris velle carere. quòd si omnino voto castitatis astringendi sunt, non alios quàm prouectæ ætatis ordini sacro adscribendos. Necesse iustam causam cœlibatus mordicus retinendi, conseruationem bonorum Ecclesiasticorum; cum haud æquum sit, conseruandis bonis temporalibus tantam animarum iacturam facere: præterquam quod eorum indemnitati alia ratione prouideri queat. Hæc si fierent, haud dubiè breui explosum iri ex Ecclesia concubinatum, & sublatum illud scandalum, quod hactenus multos offendit.

Hisce argumentis à Pontifice sedulò pensitatis, visum ei *Romam* ex omnibus nationibus euocare homines pios & literatos, qui caput hoc maturo iudicio excuterent: iamque

iamque ea de re cum Oratoribus apud se Residentibus verba fecerat. Verum eum Cardinalis *Simoneta* dimouit de sententia, monens coetum illum instar Concilij fore. quod si è *Gallia*, *Hispania*, & *Germania*, alijsque regionibus aduenerint, Principum suorum consulta mandataque secum apportaturos; & ad eorum vtilitates facta dictaq; sua accommodaturos. Vbi vero Sanctitas eius eos missos facere volet, suo id arbitratu non facturum. immo nisi eorum sententiam sequatur, Principibus id offensioni futurum. Meminerit modò, quas molestias Concilij causâ sustinuerit, neque simili periculo se denuo exponat. Consilium hoc, tanquam fidele ac vtile, Papæ probatur. abiecta itaque cogitatione quosuis aliunde hac de causa accersendi, Cardinales nouendecim huic operi designat: quibus negotium dat, vt allatum è Germania scriptum, diligenter examinent.

Consilium Pontificis, de capite hoc super coniugio Sacerdotum diligenter examinando, etiam exteris in eam rem aduocatis, Card. Simoneta discutit. Vnde Cardinalibus solis ea prouincia traditur.

Duodecimo Martij Pontifex XIX. Cardinales in collegium adlegit, hoc præmio remuneratus eos, qui in Concilio bene strenuéque, ac præsertim in beneficium Sedis Apostolicæ rem gessissent. Quorum Catalogo certum habebat neminem ex ijs inserere, qui Residentiam, aut institutionem Episcoporum tenuerant, esse de iure Diuino, vtcunq; cæteroquin dotibus eiusmodi instructis, quæ eam dignitatem de more promerebantur. neque hunc suum animum obscurè apud quosuis quacunque occasione ferebat. Creauit igitur *Marcum Antonium Columnam* Archiepiscopum *Tarentinum*, *Aluisium Pisanum* Episcopum *Patauinum*, *Marcum Antonium Bobam* Episcopum *Augustæ Prætoriæ*, *Hugonem Boncompagnum* Episcopum *Vestanum*, *Alexandrum Sforzam* Episcopum *Parmensem*, *Simonem Pasquam* Episcopum *Sarsanensem*, *Carolum Vicecomitem* Episcopum *Vintimiliensem*, *Franciscum Abundium* Episcopum *Bobiensem*, *Guidonem Ferrerium* Episcopum *Vercellensem*, *Iohannem Franciscum Commendonum* Episcopum *Zacynthi*, *Gabrielem Paleotum Auditorem Rotæ*: qui omnes in Concilio operam fortem fidelemque in commoda Sanctitatis eius nauassent. Hisce adiunxit *Zachariam Delphinum* Episcopum *Liesenensem*, siue *Pharensem*, qui apud Imperatorem Nuncius Pontificius, non minori studio ad finem Concilio imponendum, quam cæteri Tridenti, laborârat.

Pontifex creat XIX. Cardinales, & in his permultos, qui fidam ipsi in Concilio operam nauarunt, vt fœneratũ pulchre beneficium sibi dicerent.

FINIS.



RERVM IN HAC HISTORIA MEMORABILIORVM INDEX.

D

E

F

&

Iaco-

I

Laico-

L

N

Præ-

Q

Operarum incuria commiſſa vel omiſſa.

Pagina 11.*linea* 34. *dignitate lege dignitati* 22.18. *immalidam inualidam* 35.15. *commentum conuentum* 42.35. *confidat conſidant* 53.16.*decerneretur, decerneretur.* 55.55.*indicabat iudicabat* 56.35.*prouincis prouinciæ* 66.13. *Alexandro Aleandro & 49 deleatur à* 67.42. *exſaturatum exſaturatus* 68.48.*olectionem in Regem in electionem Regis* 69.22. *ac vt &* 38.*caperet cuperet* 37.37.*Conſilij Concilij* 80.27.*partis partes* 81.16. *Camernij Camerini* 92,46.*numeris muneris* 104. 46. *quoſque quouſque* 111.8. *exanimandis examinandis* 112.48.*aut at* 117.23. *quantumque quantumcunque* 131. 48. *adſimilis abſimilis* 144.54.*Picolhuomino Picolomineo*,148.9. *euentum aduentum*,154. 4. *dixerant deerant* 176.44.*qui quæ* 184. 5.*reſiſtentiæ reſidentiæ* 185.1.*apparuerunt aperuerunt* 213.39.*Fracaſtoro Fracaſtorio* 204.2.*ab ob* 212.46.*ſine ſiue* 232.31.*renumerari remunerari* 239.31.*aboletur aboleuit* 269.1.*recuſanda recenſenda* 293.7.*cumnicata communicata &* 8 *dat datum* 308.28.*præponant proponant* 314.7.*flaminis flammis* 319.19.*eam eum* 321. 2.*regum regnum* 325. 1.*Deum demum* 326. 41. *Regis Regij* 327.2 *quare qua re* 340. 55.*dicesſum diſceſſum* 348.20.*bienii biennii* 354.26.*rerum reum* 379.45.*principum principium* 384.30. *dele à* 393. 37.*Pio V, IV.*406. 30. *manus maius* 447. 47. *Facere Fecere* 499. 18. *Mantenſis Mimatenſis* 496. 25.*eum cum* 499. 26. *Cæſare Cæſarei* 518.49.*eligiſſent elegiſſent* 524. 3.*inde ſupple ad* 533. 36.*randam parandam* 545.1. *Atque Hiſce* 578.16.*facta facto* 595. 16.*conſeruandi conſecrandi* 599.51.*natione nationes* 600.50.*erat deeſt feciſſe* 641.19.*da daturum* 643 19.*dele ab* 666. 24. *Quintum Pinytum.*

AVGVSTÆ TRINOBANTVM.

M.DC.XX.